Scan. 16. 1/2

37
45 E
3

MAG 2245

RITUALE
ROMANUM
BENEDICTI
PAPAE XIV.
JUSSU EDITUM, ET AUCTUM

PERPETUIS COMMENTARIIS EXORNATUM,

ac in duos Tomos diviſum,

Quibus vetus, ac nova ſacrorum rituum diſciplina, Sanctorum Patrum, ac inſignium Ritualium teſtimoniis, Romanorum Pontificum, & Conciliorum Decretis, Sacrarum S. R. E. Cardinalium Congregationum Reſponſis, ac variarum Eccleſiarum praxi recenſetur, atque explicatur.

EIDEM SANCTISSIMO PATRI

DICATUM

AUCTORE JOSEPHO CATALANO PRESBYTERO

ORATORII S. HIERONYMI CHARITATIS

TOMUS I.



ROMÆ, ex Typographia Joſephi, & Philippi de Rubeis apud Pantheon. MDCCLVII.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

BENEDICTO XIV.
PONTIFICI MAXIMO

JOSEPH CATALANUS S. P.

R*Eliquum erat*, Beatissime Pater, *ut poſtquam editione Commentariorum in Romanum Pontificale, & in utrumque Cæremoniale, Epiſcoporum, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, nonnihil attuli, ni fallor, utilitatis Epiſcopis, aliiſque gradu, & dignitate ſuperioribus, Rituale Romanum noviſſime tuo juſſu editum, auctumque illuſtrarem, ut nempe eſſem, qui etiam Parochis, cæteriſque Sacerdotibus, qui ad Sacramenta rite adminiſtranda, aliaſque functiones Eccleſiaſticas peragendas, eo Libro utuntur, ut-*

cumque prodeſſem ; ut ipſi ſcilicet potiſſimum Parochi præ manibus haberent, quæ ſervare ipſi, & quæ docere populum ſibi ſubjectum tenentur, Sacramentorum, ac Sacramentalium, ut ajunt, virtutem, & ritus, eorumque originem, ac rationem. Dolebam porro, non paucos inveniri animarum Paſtores, qui hæc ignorant, Fideles autem pene innumeros, quos & ſacri Eccleſiæ ritus, quibus ad rerum Divinarum meditationem excitentur, &, quod horrendum eſt dictu, prima ipſa Chriſtianæ Doctrinæ, atque Religionis capita, ſine quibus placere Deo impoſſibile eſt, penitus latent. Scio equidem, Hieronymum Barrufaldum, Virum cæteroqui doctum Commentaria in Romanum Rituale edidiſſe, ſed quum illa praxim potius ſpectent, quam documenta, & myſteria, quæ in eo continentur, quæque digna ſunt, ut a Fidelibus ſciantur, malui ego per aliam viam incedere, ac illa præſertim explicare, quæ ſaluti animarum utilia eſſent. Ille præterea Libris opportunis fortaſſe deſtitutus, omiſſa Patrum doctrina, & Sacrorum Canonum auctoritate, ſatis ſe feciſſe putavit, ſiquæ brevibus ſuis Commentariis ſcriberet, ſolis utplurimum teſtimoniis Caſuiſtarum firmaret. Nequid vero ego in his novis Commentariis temere dicerem, uſus ſum in iis concinnandis auctoritate primum Concilii Tridentini, ejuſque Catechiſmi, complurium Synodorum, ve-

te-

terum æque, ac recentiorum Decretis, Summorum Romanorum Pontificum Oraculis, Sacrarum Apoſtolicæ Sedis Congregationum Reſponſis, variarum Eccleſiarum Ritualium praxi, atque inſignium Theologorum aſſertis, præſertim vero ſolida, probataque doctrina Theologorum omnium Principis, Scholarum Angeli, Eccleſiæ Doctoris, S. Thomæ Aquinatis, cui Prædeceſſores tui Romani Pontifices perhonorifica paſſim dederunt teſtimonia, & cui Tu potiſſimum, Beatissime Pater, *in Libris permultis, quos de variis argumentis ſcripſiſti, admirabundus ſemper, ac lubens adhæſiſti, candide profitens, ſiquid boni in eiſdem Libris reperitur, id minime Tibi, ſed tanto Præceptori totum eſſe adſcribendum, quemadmodum modeſte pariter, & ingenue teſtatus es in celebri Allocutione a Te habita in Comitiis Generalibus Fratrúm Ordinis Prædicatorum in Conventu S. Mariæ ſuper Minervam celebratis v. Nonas Julii MDCCLVI. in quibus ingenti Urbis, Orbiſque plauſu electus fuit unanimi Patrum conſenſu Vir generis nobilitate conſpicuus, inſignique prudentia, pietate, ac omnigena eruditione præditus, Fr. Joannes Thomas de Boxadors, cujus electionem, & præſentia Tua decoraſti, & quammaxime commendaſti. Sed ut de meo Opere loqui pergam, ut illud novo robore communirem, multa in eo deſcripſi, quæ S. Carolus in Actis Eccle-*

ſiæ Mediolanenſis præſcripſit, & quæ Tu in celeberrimo Opere, De Synodo Diœceſana, *ſapientiſſime docuiſti, neglectis penitus Caſuiſtis, qui plerumque ſuis laxis, inanibus, erroneiſque opinionibus, Eccleſiæ doctrinam de Sacramentis, eorumque adminiſtratione, ac diſciplinam de Chriſtianorum moribus non parum læſerunt. Cæterum, quum Romanum Rituale, quod novis Commentariis in duos magnos Tomos diviſis illuſtratum typis committo, illud ſit noviſſime tuo juſſu editum, auctumque, Commentaria autem ipſa tuarum doctrinarum pondere, atque auctoritate corroborata, jure ac merito meum hoc Opus* Sanctitati Tuæ *dedico, ut nova hac dedicatione magis magiſque notum omnibus faciam filiale meum erga Te obſequium conſtans ſemper perpetuumque. Faxit Deus Optimus Maximus, ut Te, quem in diuturni morbi acerbitate, orante ſine intermiſſione Eccleſia, non ſemel a mortis articulo eripuit, incolumem ſervet quamdiutiſſime. Te, inquam, Principem pacis, ac fundatorem quietis, quam captioſi homines perturbare perperam conati ſunt. Te Pontificem pientiſſimum, doctiſſimumque, cujus vultus univerſam Urbem longæ Tuæ infirmitatis cauſa mœſtam exhilarat, & cujus tandem inclytum Nomen nunquam erit futuris ſæculis ob Pontificatum fideliter adminiſtratum ſine inſigni elogio memorandum, commendandumque.*

AU-

AUCTOR AD LECTOREM.

I. JAm non opus eſt longo Præloquio, Lector benevole. Rituale, quod Euchologium Græci appellant, Liber quidem eſt, in quo ritus, ac cæremoniæ præſcribuntur ad Sacramenta rite adminiſtranda, ac cæteras functiones Eccleſiaſticas rite a Sacerdotibus peragendas. Antiquus eſt in Eccleſia hic mos, ac primis Chriſti Sæculis uſitatus, ut uno volumine ritus ipſi, ſive ab Epiſcopis, ſive ab aliis Sacerdotibus inferioribus adhibendi, comprehenderentur. Id plane conſtat ex Libris Apoſtolicarum Conſtitutionum, qui licet S. Clementi I. Papæ abjudicentur, ſunt tamen haud dubium antiquiſſimi Auctoris, ut eruditi omnes Scriptores fatentur. Variis nominibus appellatus eſt, nempe Liber Sacramentorum, ſive Sacramentarium, quale eſt illud, quod quidam S. Leoni Papæ Magno attribuunt, itemque Gelaſianum, atque Gregorianum, quod Clariſſimus Hugo Menardus Notis illuſtravit. Dictus eſt etiam Ordo, cujus mentio habetur Lib. VII. Capitularium Caroli Magni, Cap. CXLIII. & apud veteres Scriptores Eccleſiaſticos, qui Librum ipſum etiam Ordinarium appellitarunt, quod in eo ſacri ipſi ritus Catholicæ Eccleſiæ collecti ordinatique haberentur.

II. At vero minime illud hoc loco omittendum, ſingulas functiones Eccleſiaſticas in Sacramentis, Sacramentalibuſque adminiſtrandis fuiſſe aliquando ſuis peculiaribus Libris incluſas. Sicque exempli gratia Liber, in quo ritus Baptiſmi, & Orationes deſcribuntur, vel certe Ordo ad baptizandum, dictus fuit *Baptiſterium*, ut pluribus ſub ipſo verbo docet Dufreſne in ſuo mediæ, & infimæ Latinitatis Gloſſario. Ita pariter, ut alia omittam, *Pœnitentiale*, & *Proceſſionale*, dici & olim conſueverunt Libri, in quibus ritus, ac preces, orationeſque ad rite Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrandum, & Eccleſiaſticas Proceſſiones obeundas juxta præſcriptum cujuſque Eccleſiæ, ſtatuuntur, uti videre eſt apud eundem Dufreſne, & apud varios rerum ritualium Scriptores. Porro fuiſſe antiquum morem, ut ſingulæ Eccleſiaſticæ functiones ſingulis Libris conſcriberentur, exemplum habemus in S. Gelaſio Papa; teſtatur enim Joannes Diaconus in Vita S. Gregorii Magni, Pontificem hunc operam ſuam impendiſſe Libris Officiorum a Gelaſio compoſitis, eoſque in unicum volumen contraxiſſe, quod *Librum Sacramentorum* inſcripſit.

III. Facta deinde diſtinctione inter ritus, qui ab Epiſcopo, & ritus, qui a cæteris inferioribus Sacerdotibus adminiſtrantur, primi quidem in Libro, dicto Pontificali, alii vero in Libro, Sacerdotali appellato, ſeu Rituali præſcripti fuere. Atque hic eſt Liber, quem nos in præſenti in duos Tomos diviſum enarramus, poſtquam ſcilicet non ita pridem præfatum Librum Pontificalem in tres Tomos diſtributum omnium primi perpetuis Commentariis illuſtravimus, ut ſcilicet, quemadmodum iſtius editione nonnihil utilitatis Epiſcopis ad Pontificales functiones peragendas, ni fallimur, attulimus, ita Ritualis editione Commentariis pariter illuſtrati Parochis, aliiſque Sacerdotibus auxilium aliquod præſtaremus ad ſuas Sacerdotales functiones recte exhibendas, ac ut eaſdem, dum illas agunt, populo exponant, uti mandant paſſim non modo Provinciales, Diœceſanæque Synodi, ſed & ipſa Oecumenica, & Generalis Synodus Tridentina, cui parere omnes tenentur.

IV. Quemadmodum autem Eccleſia Romana cæteras omnes ordine, nobilitate, dignitate, loco, ac plenitudine poteſtatis antecellit, ut omnes Patres fatentur; ita & ejus Rituale principem locum inter cætera aliarum omnium Eccleſiarum Ritualia obtinet; habet enim Auctorem Romanum Pontificem Maximum, de cujus ſupra cæteros Epiſcopos poteſtate non eſt hic diſſerendi locus, tum vero potiſſimum, quod res hæc nota omnibus ſit, atque perſpecta, ſi proteſtantes hæreticos excipias, ſchiſmaticoſque, quos ſolide, abundeque confutavit inter alios Venerabilis Dei Servus S. R. E. Cardinalis Bellarminus in Libris, *De Romano Pontifice*. Prædictæ doctrinæ inhærens Vigilius Papa Romanæ ſuæ Eccleſiæ in Officio Miſſæ celebrando rationem ad Profuturum Epiſcopum Bracharenſem miſit, ut in tota illius Provincia recitaretur, idque in Concilio Bracharenſi II. anno DLXIII. habito receptum eſt, ubi Canone IV. decretum fuit, *ut eodem ordine Miſſæ celebrentur ab omnibus, quem Profuturus quondam hujus Metropolitanæ Eccleſiæ Epiſcopus ab ipſa Apoſtolicæ Sedis auctoritate ſuſcepit ſcriptum*.

V. Præterea cum S. Gregorius Magnus in Angliam S. Auguſtinum miſiſſet, Romanos Libros eo perferri curavit, Romanique Officii ritus ita illic conſtitutus fuit, ut cum nonnulli deinde ritus quoſdam ſingulares inducere voluiſſent, reſtiterit illorum conatibus Concilium Cloveshovienſe habitum anno DCCXLVII. ubi Can. XIII. definit, *ut uno eodemque modo Dominicæ diſpenſationis in carne ſacroſanctæ Feſtivitates, in omnibus ad eas rite competentibus rebus, ideſt, in Baptiſmi Officio, in Miſſarum celebratione, in cantilenæ modo celebrentur, juxta exemplar videlicet, quod ſcriptum de Romana habemus Eccleſia*. Et mox: *Itemque, ut per gyrum totius anni Natalitia Sanctorum uno eodemque die juxta Martyrologium ejuſdem Romanæ Eccleſiæ cum ſua ſibi convenienti Pſalmodia, ſeu cantilena venerentur*. Ex hoc autem Canone colligere licet, extitiſſe tunc Rituale, Miſſale, Antiphonarium, Martyrologiumque Romanæ Eccleſiæ, quæ ab omnibus Eccleſiis ſervanda erant. Atque huic diſciplinæ adhæſit Carolus Magnus, qui in Capitulis de diverſis rebus anno Chriſti DCCLXXXIX. habitis, Cap. VII. ſtatuit, *ut audiant Epiſcopi Baptiſterium Presbyterorum, ut ſecundum Romanum morem baptizarent*. Baptiſterium hic, ut ſupra notavi, Librum ſignificat, vel certe Ordinem ad baptizandum.

VI. Sicuti ritus adminiſtrandi Baptiſmum, ita & Pœnitentiæ adminiſtrandæ ritus, mandant Capitularia Regum Francorum, ut a Rituali Romanæ Eccleſiæ accipiatur; ſic enim in iis lego Lib. VII. Cap. LXLIII. *Omnes publice Pœnitentes quinta Feria ante Paſcha, quæ eſt Cœna Domini, ad Civitatem in cinere, & cilicio in præſentiam Epiſcopi proſtrato vultu conveniant, & ibi ab Epiſcopo Canonice, & ordinabiliter,*

ſicut

ſicut in Sacramentario, *& in Romano Ordine continetur*, *reconcilientur*, *atque dijudicentur &c.* Libri Sacramentorum, Sacramentaria appellati, & Ordines Romani, antiqui plane ſunt in Eccleſia Romana, quorum plures recenſuit, deſcripſitque Mabillonius Tomo II. Muſei Italici, ex ipſaque Romana Eccleſia veluti omnium Matre, ac Magiſtra cæteræ Eccleſiæ Latinæ ritus accipere ſatagebant, quod ſcirent illud Sancti Auguſtini in Epiſtola CLXII. in ea ſcilicet ſemper viguiſſe Apoſtolicæ Cathedræ Principatum, illudque S. Irenæi Lib. III. adverſus hæreſes, Cap. III. ad eam Eccleſiam *propter principalitatem neceſſe eſſe omnem convenire Eccleſiam*, *hoc eſt*, *eos*, *qui ſunt undique Fideles*, *in qua ſemper ab his*, *qui ſunt undique*, *conſervata eſt ea*, *quæ ab Apoſtolis eſt traditio*; ac illud demum, quod docet Tertullianus in ſuis Præſcriptionibus, Eccleſiæ nempe Romanæ totam doctrinam ſanctiſſimos Apoſtolos cum ſanguine ſuo profudiſſe.

VII. Mirum itaque videri debet, quod poſtquam diu Gallicana Eccleſia, uti ſuperius oſtenſum eſt, Rituali Romano adhæſerit, ſæculo elapſo, teſte Altaſerra Lib. II. *De Juriſdictione Eccleſiaſtica*, Cap. XXI. in Foro agitatum fuerit, an Epiſcopo liceret, non dicam novos ritus inſtituere, ſed Rituale primum, ſeu Breviarium Romanum admittere, non expectato conſenſu Metropolitani, & Principis; & in Cauſa Andegavenſis Epiſcopi ſolemni Pariſienſis Senatus Decreto pronuntiatum in abſentem, & indefenſum, abuſus teneri Epiſcopum, qui propria auctoritate Rituale, Breviariumve Romanum admiſiſſet. Quod quidem valde placuit Feuretio, qui Lib. III. *De abuſu*, Cap. III. num. 12. hac in re deſiderari auctoritatem Metropolitani contendit hoc argumento, quo in ritu pſallendi Divina Officia Suffraganeæ Eccleſiæ debent ſequi conſuetudinem Metropolitanæ, ex Canone, *De his*, Can. *Placuit*, Diſtinctione XII. Can. *Altaria*, De conſecratione, Diſtinctione I. Can. *Inſtitutio*, ibidem, Diſtinctione II. Ex quo colligit, in ſacris ritibus quicquam inſtitui, vel novari, non licere abſque conſenſu Metropolitani.

VIII. At vero, ut recte cum laudatus Altaſerra confutat loco citato, nihil vetant hi Canones a Feuretio objecti, quo minus Epiſcopus ſuo jure poſſit, & debeat admittere ritus, & conſuetudines Eccleſiæ Romanæ, haud quæſito conſenſu Metropolitani. Quod enim dicitur, ſequendam eſſe conſuetudinem Eccleſiæ Metropolitanæ, ita intelligendum eſt, ubi Eccleſiæ Suffraganeæ non habent propriam conſuetudinem, nec tollit Epiſcopo libertatem ſequendi conſuetudines Eccleſiæ Romanæ. Romana quippe Eccleſia eſt Mater omnium Eccleſiarum, a cujus regulis nullatenus licet deviare, Can. *Non decet*, Can. *Præcepta*, Diſtinctione XI. Nec conſuetudines Eccleſiæ Metropolitanæ ſequendæ, ſi forte repugnent moribus Eccleſiæ Romanæ. Et ita Innocentius Papa III. In Capite, *Tuas dudum*, *De Sponſa duorum*, reſcripſit Mutinenſi Epiſcopo, Eccleſiam Mutinenſem humiliter tenere, & ſervare debere, quod B. Petri Sedem, & ſuam Metropolim ſequi viderit, & docere, in contrahendis Matrimoniis, ne turpior ſit pars, quæ ſuo non congruit univerſo. Aliarum Eccleſiarum conſuetudines non dedignatus eſt Sanctus Ambroſius Mediolanenſium Epiſcopus, ſed maxime Romanæ Eccleſiæ conſuetudines coluit; ut ipſe teſtatur Lib. III. *De Sacramentis*, Capite I. ſic inquiens: *In omnibus cupio ſequi Eccleſiam Romanam*. Atque hic fuit antiquus Sanctorum Epiſcoporum mos, inter quos S. Malachias, ut teſtatur in ejus Vita S. Bernardus, conſuetudines Romanæ Eccleſiæ in univerſa Hibernia inſtituit: *Apoſtolicas Sanctiones*, *ac Decreta Sanctorum Patrum*, *præcipueque conſuetudines Sanctæ Romanæ Eccleſiæ in cunctis Eccleſiis ſtatuebat*.

IX. Sed quid, an fas erit Epiſcopis, Divinis in Officiis Romanæ Eccleſiæ ritum admittere inconſulto Principe? Dicam primum, quod alias memoratus Altaſerra notavit, Eccleſiam minime impugnare poteſtatem Principis, quam perpetuis votis, & precibus defendit. At ſalva majeſtate Principis, dico deinde, non eſſe facile perperam Epiſcopis in his, quæ ſunt ſui muneris, & officii, Principis nomen ad invidiam objiciendum, ne Magiſtratibus ſcilicet detur occaſio Sacra Pontificum munia conturbandi. Vetus eſt, ac juſta de hac re Eccleſiæ querimonia adverſus Principum aſſentatores, qui ad conculcandam Eccleſiaſticam juriſdictionem, nomen Principum dolo malo ſolent objicere. Id quod ſummopere doluit S. Ambroſio, *De Baſilicis in Auxentium*, ubi ſic inter alia ſcribit: *Semperne de Cæſare ſervulis Dei invidia commovetur*, *& hoc ad calumniam ſibi arceſſit impietas*, *ut Imperiale nomen obtendat*. Hoc fuit ſemper ſchiſmaticorum, ſeditioſorum, hæreticorumque artificium, ut vetera, recentiaque exempla nos docent, quæ paſſim in Eccleſiaſtica hiſtoria occurrunt.

X. Sed optandum plane eſſet, ut qui Eccleſiis præſident, omnem operam ſuam impenderent pro tuenda Fidei, morumque doctrina, quam pro cæremoniolis exterioris obſequii, quod a Toparchis, Magiſtratibuſque locorum prætendunt, cum quibus lites ſolent habere perpetuas, non ſine ingenti animarum, & Eccleſiaſticæ Juriſdictionis detrimento. Scio equidem, ac veneror, quod ſtatuit in Concilio Romano Benedictus Papa XIII. Tit. XVI. Cap. II. ut nempe Epiſcopi cum Regum Miniſtris, aliiſque conſimilibus Dynaſtis ita ſe gerant, ut omnino in Epiſtolis, & earum ſubſcriptione formulis nunquam utantur inferioribus, atque in mutuis viſitationibus, omnique alio humanitatis commercio, ſive intra, ſive extra Eccleſiam, cum omnibus, uti Patres, & Paſtores ſe habeant, & ſupra omnes veluti ſuperiores locum ſibi ſervent digniorem. Verum probari nunquam poteſt quorundam inſolentia, qui non contenti obſequiis in Cæremoniali præſcriptis, & longa conſuetudine rite, & cum pace ſervatis, alios honores affectant, ac illos fere, qui Romano Pontifici Maximo, Epiſcoporum Epiſcopo, ac Regum omnium Principi ex pervetuſto Eccleſiæ uſu exhiberi ſolent, ac debent.

XI. His obiter dictis, tametſi magna ſit Romani Ritualis auctoritas, non ita tamen ei Eccleſiæ ſunt alligatæ, ut non poſſint ſuis Ritualibus uti, modo ritus laudabiles ſint, ac probati, nihilque contineant, quod Chriſtianæ doctrinæ, boniſque moribus adverſetur. Ita plane ſtatuit Concilium ipſum Tridentinum, tum aliis locis, tum vero Seſſione XXIV. *De reformatione Matrimonii*, Cap. I. in fine, ex eoque Rituale Ro-

ma-

manum Tit. VII. Cap. III. §. V. ubi poſt præſcriptos ritus in celebratinne Mstrimonii ſervandos hæc habet: *Siquæ Provinciæ nliis ultra prædictas landabilibus conſnetudinibus, & cæremoniis in celebrando Matrimonii Saeramento utantur, eas Sancta Tridentina Synodus optat retineri*. Qond quidem ſapientiſſime cunſtitutum ſuit; narrat enlm S. Auguſtious io Epiſtnla ſua CXVXII. dubitanti ſibi de variis Eccleſiarom obſervationibus dixiſſe S. Ambroſium Epiſcopom Mediolaoenſem: *Ad quam forte Eccleſiam veneris, ejus morem ſerva, ſi cuiquam non vit eſſe ſcandalo, nec quemquum tibi*. Cui sdde, quod idem S. Doctor, Epiſcupuſque Auguſtinus ſcribit in Epiſtola LXXXVI. *In bis rebus*, inquit, *dequibus nibil certi ſtatuit Divina Seriptura, mos populi Dei, vel inſtitata Majorum pro Lege tenenda ſunt; de quibus ſi diſputare voluerimus, & ex aliorum conſuetudine ulios improbare, orietur interminata luctatio*. Vide plurs io hanc rem apud eruditiſſimum Juannem Cardinalem Booam Lib. I. *Rerum Liturgiearum*, Cap. VI. num. I. ubi inter alia affert celebre huc Tertulliani teſtimoniom, qoud legitur initiu Libri, *De velaudis Virginibus*, ubi ſic babet: *Regula Fidei una omnino eſt, ſola immobilis, & irreformabilis. Cætera jam diſciplinæ, & converſationis udmittunt novitatem*.

XII. Quæ cauſæ ſuerint tantæ rituum vsrletatis in tanta Fidei unitate, idem laodatus Auctor notavit lucu citato, num. II. vel quia ſcilicet diſpares diverſarum Natiuoum mures, & ingenis ſont, qoæ diverſos ritus, & cæremonlas, ut in rebus politicis, ita etiam in Eccleſiaſticis exigont; vel quia nullo extante de his Chriſti, vel Apuſtolorom præcepto, libera facultas Epiſcupis relicts cſt id ſentiendi, & decernendi, qood unicuique, ſalvs Fide, magis expediens viſum ſuit; vel quia ſævieote in Chriſtianos perſecutiooe, cœtus Epiſcuporum in unum cugi nun potuit, in quo cnmmunibos ſuffragiis communis ſnrma Sacrificii celebrsndi, sc cæterorum Eccleſiaſticarom functionum peragendsrum sb omnibus cuſtndienda ſtabiliretur. Id plane pluribus prubat teſtimnniis argumentiſqne doctiſſimum rerum Liturgicarum Scriptur, quæ apud eundem videri poſſont nun ſine ingenti lecturis ſacrurum rituum ſtudinſi utilitate.

XIII. Neque vero utilis modu, ſed neceſſsria eſt Sacerduti, Sacrameotorum, Sscramentaliumve sdminiſtrsturi ſcientis. Externus enim Dei cultus magoopere conſert ad Divini Numinis interiurem religiunem retinendsm, atque exaugendam: *Iccirco Magiſtri noſtri*, ait Sanctus Joannes Chryſoſtomus Homilia I. io Matthæum, huc eſt, Apuſtuli, *Ecelefiarum inſtitutores uſque ad bumilia, & minuta præcepta deduxerunt diligentiam diſciplinæ*. Et veru ſi Veteris Legis umbrstiles cæremonlas Hebræu pupolu Deos tam diligenter injunxit, ut de iis ſcriptum ſit Deuterunumii Cap. V. *Audi Iſrael cæremonias atque judicia, quæ ego loquor in auribus veſtris bodie; diſcite ea, & opere complete*; quantu msjori cum ratinne de Nuvi Teſtamenti ritibus S. Psulos in Epiſtols I. ad Corinthios, Cap. XIV. dixiſſe putandus eſt: *Omnia boneſte, & ſecundum ordinem fiant in vobis?* Nam hæc verbs de cæremuniis, qoæ in Eccleſia oheuntor, intelligi debere, obſervsnt Chryſoſtomus, sliique Patres. Certe priſcus Fideles, uti obſervat duc̄tiſſimus Caracciolus Clericus Regolaris in Nutis ad Cunſtitutiones ſui Ordinis, Psrte I. Cap. II. nom. I. Divini cultus cæremoniis ſedulu ſtoduiſſe, vel ex eo patet, quod conſueverint eligere certum quempiam virum Præfectum ſacris Ritibus, videlicet monitorem veteris diſciplinæ; qund prubat teſtimooiu S. Durothei Abbatis, Sermone XI. & exemplo Sacerdotis Nepotiani, quem laudat in ejus Epitaphiu S. Hierunymus, *quod cerneretur ejus in omnes cæremonias ſolicitudo diſpoſita*.

XIV. Veteri Eccleſiæ diſciplinæ iohærentes Synodi Provinciales æque sc Diœceſanæ ſtodium Sacrorum Rituum diſtricte ſacris hominibus præceperunt, præſertim vero Provincialis XIII. Beneventana anni MDCLVI. Tit. XVIII. num. 2. ubi ſtatuit, ut *Congregationem pro cæremoniis, & ritibus Miſſæ erigant Epiſcopi, in qua bis in menſe diligenter de cunctis ad Miſſam, & cætera Divina Officia ſpectantibus ediſſeratur, & ad rationem, & uſum receptum a Sancta Romana Eccleſia cuncta examinentur, & receptæ cæremeniæ probentur*. Similia his mandant permultæ aliæ Synodi, inter quas nuviſſima Lateranenſis habita anno Jubilæi MDCCXXV. ſub Benedicto Papa XIII. Tit. XV. Cap. IX. quod non ſine gravi curdis ſui dulore didicerit, plures eſſe Eccleſiarum etiam oon ignubiliom, Sacrorumque Altarium Miniſtros, qui parum illius sttendentes majeſtatem, & dignitatem, sd cojos intimum ſunt ſamulatum addicti, in Churu, in Altari, & io reliquis Officiis Eccleſiaſticis ita minos apte ſe habent, ut in plurimorum ſcandalom, & exemplum perniciuſum id cedere digonſcatur; *Rubricæ namque utplurimum ignorantur, & ſacræ Cæremoniæ uſu vileſcunt*: hinc ſtatim mandat, ut *operæ pretium ducant Epiſcopi, omnemque curam, ac diligentiam adhibere non deſiſtant, quouſque Congregationes, tum in Civitatibus, tum in Diœceſibus, per omnes de Clero Sacris initiatos, Canonicos, Parochos, & Confeſſarios (Regulares etiam, dummodo morales in eorum Conventibus lectiones non babeantur, alius in audiendis Confeſſionibus ſuſpendendos) ſemel in unaquaque bebdomada, certoque deſignando die, & ſub certa pœna pecuniaria contra contamaces, babeantur, in quibus alternatim, & Rituum, & conſcientiæ caſus proponantur, diſcutiantur, & practice exerceantur, metbodo ſervata, Synodali quæ legitur in Appendice*.

XV. Jam non mudo praxis cæremuniarum, sc minutiſſima quæque in Eccleſiaſticis ritibus, a Miſſali, sc Ritoali Rumanu ſtatutis, a ſacris huminibus ſunt obſervands, ſed omninu eurom vis, sc myſteris, quæ io eiſdem cuntinentor, ſont addiſcenda, ad ſuam ipſurum, cæterurumqne Chriſtifidelium ſpiritualem utilitatem. Eam enim præſertim ub csuſam Sscrurum Rituum ſtudiom Sacerdutibus inculcatur, sd qund nus nuſtrum hoc Opus dereximus; neglectis penitus eurum conſiliis, qui a oubis ita vulebant Ritusle explicsndom, ut ad lites putius in Foru diſcutiendas, quam sd ritus, quibus ad Divinarom rerum contemplatiunem excitsmur, in Altari, & Eccleſis expunendos, uſui eſſet. Atque hæc ſunt, de quibus te, lcctur benevule, munitum vului. Faxit Deus, ut quod in votis habui, dum Rumanum huc Ritusle illuſtrsrem, Catbolicæ Eccleſiæ, ejuſque Miniſtrorum, ac

cæ-

cæterorum Chriſtifidelium bono cedat. Alia de ipſo Rituali Romano diſſerere ſupervacaneum cenſui; operæ porro pretium duxi initio hujus noſtri Operis Apoſtolicas Pauli Papæ V. Literas deſcribere, quibus ipſe Pontifex Romanum Rituale probavit, & quas eidem juſſu ſuo iterum edito, auctoque BENEDICTUS Papa XIV. feliciter regnans inſeruit. Quænam enim fuerit Ritualis hujus Romani origo, & quanta ſit ejuſdem auctoritas, dignitas, atque præſtantia, ex eiſdem Apoſtolicis Pauli Papæ V. Literis addiſcere licet, quæ ſunt hujuſmodi.

PAULUS PAPA V.

Ad futuram rei memoriam.

Apoſtolicæ Sedi per abundantiam divinæ gratiæ, nullis ſuffragantibus meritis, præpoſiti, noſtræ ſollicitudinis eſſe intelligimus, ſuper univerſam Domum Dei ita invigilando intendere, ut opportunis in dies magis rationibus provideatur, quo, ſicut admonet Apoſtolus, omnia in ea honeſte, & ſecundum ordinem fiant; præcipue vero quæ pertinent ad Eccleſiæ Dei Sacramentorum adminiſtrationem; in qua religioſe obſervari Apoſtolicis traditionibus, & Sanctorum Patrum Decretis conſtitutos Ritus, & Cæremonias, pro noſtri officii debito curare omnino tenemur. Quamobrem felicis recordationis Pius Papa Quintus Prædeceſſor noſter, hujus noſtri, tunc ſui, officii memor, ad reſtituendam ſacrorum Rituum obſervationem in ſacroſancto Miſſæ Sacrificio, Divinoque Officio; & ſimul, ut Catholica Eccleſia in Fidei unitate, ac ſub uno viſibili Capite Beati Petri Succeſſore Romano Pontifice congregata, unum pſallendi, & orandi ordinem, quantum cum Domino poterat, teneret; Breviarium primum, & deinde Miſſale Romanum, multo ſtudio, & diligentia elaborata, paſtorali providentia edenda cenſuit. Cujus veſtigia eodem ſapientiæ ſpiritu ſecutus ſimilis memoriæ Clemens Papa Octavus, etiam Prædeceſſor noſter, non ſolum Epiſcopis, & inferioribus Eccleſiæ Prælatis accurate reſtitutum Pontificale dedit, ſed etiam complures alias in Cathedralibus, & inferioribus Eccleſiis Cæremonias promulgato Cæremoniali ordinavit. His ita conſtitutis, reſtabat, ut uno etiam volumine comprehenſi ſacri, & ſinceri Eccleſiæ Catholicæ Ritus, qui in Sacramentorum adminiſtratione, aliiſque Eccleſiaſticis functionibus ſervari debent, ab iis, qui curam animarum gerunt, Apoſtolicæ Sedis auctoritate prodirent; ad cujus voluminis præſcriptum, in tanta Ritualium multitudine, ſua illi miniſteria, tamquam ad publicam, & obſignatam normam peraregerent, unoque, ac fideli ductu inoffenſo pede ambularent cum conſenſu. Quod ſane jam pridem agitatum negotium, poſteaquam generalium Conciliorum Græce, Latineque divina gratia editorum opus morari deſivit, ſolicite urgere noſtri muneris eſſe exiſtimavimus. Ut autem recte, & ordine, ut par erat, res ageretur, nonnullis ex Venerabilibus Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, pietate, doctrina, & prudentia præſtantibus eam demandavimus; qui cum conſilio eruditorum Virorum, variiſque præſertim antiquis, & quæ circumferuntur, Ritualibus conſultis, eoque in primis, quod Vir ſingulari pietatis zelo, & doctrina bonæ memoriæ Julius Antonius Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Sanctæ Severinæ nuncupatus, longo ſtudio, multaque induſtria, & labore pleniſſimum compoſuerat, rebuſque omnibus mature conſideratis, demum Divina adſpirante clementia, quanta oportuit brevitate, Rituale confecerunt. In quo cum receptos, & approbatos Catholicæ Eccleſiæ Ritus ſuo ordine digeſtos conſpexerimus, illud ſub nomine Ritualis Romani merito edendum publico Eccleſiæ Dei bono judicavimus. Quapropter hortamur in Domino Venerabiles Fratres Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & dilectos filios eorum Vicarios, necnon Abbates, Parochos univerſos, ubique locorum exiſtentes, & alios, ad quos ſpectat, ut in poſterum, tamquam Eccleſiæ Romanæ filii, ejuſdem Eccleſiæ omnium Matris, & Magiſtræ auctoritate conſtituto Rituali in ſacris functionibus utantur; & in re tanti momenti, quæ Catholica Eccleſia, & ab ea probatus uſus antiquitatis ſtatuit, inviolate obſervent.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVI. Junii M. DC. XIV. Pontificatus noſtri anno decimo.

Fili hominis pone cor tuum, & vide oculis tuis, & auribus tuis audi omnia, quæ ego loquor ad te de univerſis Cæremoniis Domus Domini, & de cunctis Legibus tuis.
Ezechielis Cap. XLV.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Rm̃o P. Mag. Sacri Palatii Apoſtolici.

F. M. De Rubeis Patr. Conſt. Viceſg.

APPROBATIONES CENSORUM.

I.

QUæ hactenus edidit Opera Cl. Vir Pater Joſephus Catalani Presbyter Oratorii Sancti Hieronymi Charitatis, tanto Literariæ Reipublicæ plauſu, & utilitate in lucem prodiere, ut Commentaria in Rituale Romanum ab eo nuper concinnata, ſi publici Juris fiant, parem felicitatem omnium judicio ſint aſſecutura. Nam doctiſſimus Author, ſive veteres Ritus, & Cæremonias cum noviſſimis conferat, ſive Conciliorum Canones explicet, ſive Patrum teſtimonia producat, eò illius mens, & ſummus labor collineat, ut divinorum Sacramentorum dignitas dignoſcatur, & plenè refulgeat; ab Eccleſiæ Miniſtris eadem religioſe diſpenſentur, atque ad ea percipienda Fideles ardenti ſtudio, ac pietate excitentur. Hinc Libri hujus editionem fructuoſam, ac digniſſimam cenſeo. Dat. Romæ pridie Idus Julii MDCCLVII.

Venantius Philippus Pierſanctes Sanctiſſimi D. Noſtri Papæ, ac Sedis Apoſtolicæ Cæremoniarum Magiſter.

II.

NOn diu Vir Cl. atque eruditiſſimus Joſephus Catalanus Presbyter Oratorii S. Hieronymi Charitatis diſtulit ſpem eorum, qui poſt adornatam, pluribuſque auctam ab ipſo Conciliorum Hiſpaniæ editionem, Commentaria in *Rituale Romanum* expectabant; in eam ſpem erecti, quod, ſicut Scriptor egregius iis, quæ jam in *Concilia Generalia*, *Sanctæ Romanæ Eccleſiæ*, atque *Epiſcoporum Cæremoniale*, necnon in *Pontificale Romanum* ediderat, Commentariis ampliſſimis adeo incredibilem doctrinæ, & eruditionis vim, copiamque fuerat complexus, ita novum quod aggrediebatur opus ſic eſſet perfecturus, ut nedum illa æquaret, ſed ſi fieri poſſet, etiam vinceret. Nec ſpes ipſos feſellit. Vir enim in fide ſua liberanda diligentiſſimus, & quem labor nullus terreret, nulla ſuperaret difficultas, licet innumeris muneris ſui curis diſtentus, atque adverſa ſæpius etiam valetudine uſus, en expetita dat Commentaria in duo majoris folii Volumina diſtributa, quibus quidquid præcipuè a Sanctis Patribus, Sacris Conciliis, tum Generalibus, tum Provincialibus, a Theologis, atque demum ab Eccleſiaſticorum Rituum veterum ſimul, ac recentiorum Studioſis de Sacramentorum inſtitutione, dignitate, vi, efficacia, adminiſtratione, ac de aliis Sacerdotum muneribus conſcriptum eſt, ſapientiſſime, graviſſimeque in unum congeſſit, atque uno veluti conſpectu omnibus percipiendum propoſuit. Opus ſane præſtantiſſimum, cunctiſque, iis vero potiſsimum, qui, ut Apoſtolus inquit in 1. ad Corinthios Cap. IV. verſu 1. *Myſteriorum Dei diſpenſatores*, ſingulari ipſius Dei O. M. benignitate effecti ſunt, perutile, atque neceſſarium: quod ego quum jubente Rm̃o Patre Mag. Sac. Palat. perlegerim, nihilque in eo offenderim, quod Catholicæ Fidei, morumque regulis adverſetur, publici juris omnino eſſe faciendum exiſtimo.
Ex Cœnobio S. M. ſup. Minervam XVII. Kal. Septembris An. MDCCLVII.

Fr. Dominicus Vincentius Maria Bertucci Ord. Præd.

IMPRIMATUR.

Fr. Joſeph Auguſtinus Orſi Ord. Præd. Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

IN-

INDEX TITULORUM ET CAPITUM

Qui in hoc Tomo primo Romani Ritualis continentur.

TITULUS I.

CAP. UNIC. DE iis, *quæ in Sacramentorum adminiſtratione generaliter ſervanda ſunt*. pag. 1.

TITULUS II.

CAP. I. *De Sacramento Baptiſmi rite adminiſtrando*. 23.
II. *Ordo Baptiſmi parvulorum*. 85.
III. *De Baptiſmo adultorum*. 126.
IV. *Ordo Baptiſmi adultorum*. 141.
V. *Ordo ſupplendi omiſſa ſuper baptizatum*. 173.
VI. *Ritus ſervandus, cum Epiſcopus baptizat*. 175.
VII. *Benedictio Fontis Baptiſmi extra Sabbatum Sanctum Paſchæ, & Pentecoſtes, cum aqua conſecrata non habetur*. 178.

TITULUS III.

CAP. I. *De Sacramento Pœnitentiæ*. 183.
II. *Abſolutionis forma*. 224.
III. *De abſolutione ab Excommunicatione in foro exteriori*. 232.
IV. *Ritus abſolvendi excommunicatum jam mortuum*. 236.
V. *De modo abſolvendi a Suſpenſione, vel ab Interdicto, extra, vel intra Sacramentalem Confeſſionem; & diſpenſandi ſuper Irregularitate*. 239.

TITULUS IV.

CAP. I. *De ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento*. 242.
II. *Ordo miniſtrandi ſacram Communionem*. 258.
III. *De Communione Paſchali*. 272.
IV. *De Communione infirmorum*. 278.

TITULUS V.

CAP. I. *De Sacramento Extremæ-Unctionis*. 300.
II. *Ordo miniſtrandi Sacramentum Extremæ-Unctionis*. 323.
III. *Septem Pſalmi Pœnitentiales, cum Litaniis pro infirmis, dum ſacro liniuntur Oleo, ſeu pro alia neceſſitate, dicuntur flexis genibus*. 340.
IV. *De viſitatione, & cura infirmorum*. 342.
V. *Modus juvandi morientes*. 357.
VI. *Modus pro opportunitate temporis ad impertiendam Benedictionem in articulo mortis conſtitutis ab his, qui facultatem habent a Sede Apoſtolica delegatam*. 363.
VII. *Ordo commendationis Animæ*. 369.
VIII. *In expiratione*. 377.

TITULUS VI.

CAP. I. *De Exequiis*. 383.
II. *Quibus non liceat dare Eccleſiaſticam ſepulturam*. 397.
III. *Exequiarum ordo*. 402.
IV. *Officium Defunctorum*. 416.
V. *De Officio faciendo in Exequiis, abſente corpore defuncti, & in* III. VII. XXX. *& anniverſario*. 421.
VI. *De Exequiis parvulorum*. 422.
VII. *Ordo ſepeliendi parvulos*. 423.

TITULUS VII.

CAP. I. *De Sacramento Matrimonii*. 427.
II. *Ritus celebrandi Matrimonii Sacramentum*. 444.
III. *De Benedictione mulieris poſt partum*. 453.

DE

I



DE IIS, QUÆ IN SACRAMENTORUM ADMINISTRATIONE GENERALITER SERVANDA SUNT.

TITULUS I.

CAPUT UNICUM.

I. SAcramenti nomine Auctores profani obligationem illam ſignificari voluerunt, cum jurati aliquo ſervitutis vinculo obſtringimur, ex quo jusjurandum, quo ſe milites fidelem operam Reipublicæ præſtituros pollicentur, ſacramentum militare dictum eſt, ipſique milites vocabantur ſacramentarii, tametſi deinde ad omne juramentum extenſa ſit ejuſdem vocabuli ſignificatio etiam uſu ſacrorum Canonum, uti patet ex Decreto Gratiani in Canone, *Qui ſacramento*, Cauſa XXII. Quæſtione IV. Verum apud Latinos Patres, ut ſcite docet Catechiſmus Concilii Tridentini, Parte II. ubi agit de Sacramentis, Sacramenti nomen aliquam rem ſacram, quæ in occulto latitet, declarat, quemadmodum Græci ad eandem rem ſignificandam, Myſterii vocabulo uſi ſunt. In eandem vero ſententiam ſacramenti vocem accipiendam eſſe intelligimus, ubi in Epiſtola ad Epheſios Cap. I. ſcribit Apoſtolus: *Ut notum faceret nobis ſacramentum voluntatis ſuæ*; & in Epiſtola I. ad Timotheum, Cap. III. *Magnum eſt pietatis ſacramentum*; & ubi S. Joannes in Apocalypſi Cap. I. inquit: *Sacramentum ſeptem ſtellarum*. Quibus locis, ut notat Eſtius in Libri IV. Sententiarum Diſtinctionem I. §. I. pro ſacramento, quod noſter Interpres reddidit, Græce perpetuo μυστήριον legitur. Sic Patres ſecretiora Religionis noſtræ capita ſacramenta vocaverunt, ut Trinitatis Sacramentum, quod nos uſitatius myſterium dicimus; & S. Ambroſius Librum inſcripſit, *De Incarnationis Dominicæ ſacramento*, in quo de Chriſto diſſerens, ejuſque natura utraque, Divina & humana, propoſitas ab hæreticis, præſertim ab Arianis difficultates reſolvit. Cæterum extendi eam vocem ad arcana non ſacra, quibus tamen veneratio debetur, patet ex Libro Tobiæ, Cap. XII. ubi ait: *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt*.

II. Altera hujus nominis ſignificatio eſt, quæ accipitur pro ſigno rei ſacræ, in qua quidem ſignificatione vox Græca μυστήριον reperitur apud Dionyſium in Libro, *De Eccleſiaſtica Hierarchia*, Cap. I. ubi Myſteria, ideſt Sacramenta Religionis noſtræ vocat ſigna ſenſibus objecta, quæ ſunt intelligibilium imagines, ut quibus conſpectis, ad rerum inviſibilium adducamur cognitionem. Dionyſium ea parte ſequuti ſunt Græci poſteriores. Inter Latinos autem vetuſtiſſimus Tertullianus Lib. I. *Contra Marcionem*, & Lactantius Lib. III. *Divinorum Inſtitutionum*, Cap. XXVI. & Lib. IV. Cap. XXII. Sacramenti vocabulum hoc pacto uſurparunt; ſed longe frequentius poſteriores Patres, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, quique eos deinde ſunt ſequuti. Unde Auguſtinus in Epiſtola CXXXVIII. ad Marcellinum juxta editionem Patrum Benedictinorum, *Signa*, inquit, *cum ad res Divinas pertinent, Sacramenta appellantur*. Et in Epiſtola XCVIII. ad Bonifacium juxta prædictam editionem, *Si Sacramenta*, ait, *quandam ſimilitudinem earum rerum, quarum Sacramenta ſunt, non haberent, omnino Sacramenta non eſſent*. Itemque Lib. X. *De Civitate Dei*, Cap. V. *Sacrificium*, inquit, *viſibile inviſibilis Sacrificii Sacramentum*, ideſt ſacrum ſignum eſt. Hoc igitur modo acceptum Sacramenti nomen comple-

ctitur omnia Veteris, ac Novæ Legis ſigna, & cæremonias, comprehenſis etiam Sacrificiis.

III. Porro in Nova Lege peculiariter, ac proprie Sacramenta vocantur ea ſigna, quæ ſic imaginem gerunt inviſibilis gratiæ, ut ejus etiam ex inſtitutione Chriſti cauſa exiſtant. Merito autem hæc præ cæteris rerum ſacrarum ſignis Sacramenti nomen poſſident, quæ rem ſacram, abditam, atque occultam non ſolum ſignificant, ſed etiam continent, atque efficiunt. Definitur autem Sacramentum proprie dictum, prout a Patribus, & Theologis communiter accipitur in Canone XXXII. de Conſecratione, ſub nomine Auguſtini his verbis: *Inviſibilis gratiæ viſibilis forma*. Verum uti innuunt Correctores Romani ad citatum Canonem, hæc definitio apud Auguſtinum iis verbis expreſſa minime reperitur, ſed in Libro, *De catechizandis rudibus*, Cap. XXVI. hæc leguntur: *De Sacramento ſane, quod accepit, cum ei bene commendatum fuerit, ſignacula quidem rerum divinarum eſſe viſibilia, ſed res ipſas inviſibiles in eis honorari.* In Epiſtola autem CLXVI. hæc: *Si autem malus eſt, operatur per illum Deus viſibilem Sacramenti formam, ipſe autem donat inviſibilem gratiam.* Hæc Auguſtinus. *Ex quibus locis*, inquiunt laudati Romani Correctores, *videtur colligi vulgata iſta Sacramenti definitio*. Hodie a Theologis, paſſim Tridentini Generalis Concilii Catechiſmum ſequutis traditur hæc definitio Sacramenti: *Inviſibilis gratiæ viſibile ſignum ad noſtram juſtificationem inſtitutum*.

IV. Definitionis iſtius expoſitionem late poſt citatum Catechiſmum proſequuntur paſſim Theologi, qui de Sacramentis ſcripſerunt. Videri enim ii poſſunt, cum non tantum nobis ſit otii, ut poſſimus ad hujus Tituli I. ornatum, Sacramentorum, ut ajunt, in genere tractatum agere, ſupervacaneique eſſet laboris, & ad noſtrum inſtitutum minime pertinentis, in hac re jam fuſe docteque ab innumeris fere Scriptoribus explicata diutius immorari.

§. I.

Ut ea, quæ ex antiquis Catholicæ Eccleſiæ inſtitutis, & Sanctorum Canonum, Summorumque Pontificum Decretis, de Sacramentorum ritibus, ac cæremoniis hoc Libro præſcribuntur, qua par eſt diligentia, ac religione cuſtodiantur, & ubique fideliter obſerventur, illud ante omnia ſcire, & obſervare convenit, quod Sacroſancta Tridentina Synodus Seſſione VII. Can. XIII. de iis ritibus decrevit in hæc verba.

§. II.

Siquis dixerit, receptos, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus, in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato a Miniſtris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Eccleſiarum Paſtorem mutari poſſe, anathema ſit.

COMMENTARIUS.

I. UT major ſit erga Sacramenta rudioris populi devotio, ac reverentia, jam pridem a primis Eccleſiæ ſæculis, ritus, ſeu cæremoniæ quædam in Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſueverunt, quibus & ipſi Sacramentorum effectus ſubinde explanantur, & populo ſenſibiliter proponuntur, menteſque Fidelium ad rerum Divinarum contemplationem excitant. Atque huc facit, quod ait Tridentina Synodus Seſſione XXII. Cap. V. de ſolemnibus Miſſæ Sacrificii cæremoniis: *Cumque natura hominum ea ſit, ut non facile queat ſine adminiculis exterioribus ad rerum Divinarum meditationem ſuſtolli, propterea pia Mater Eccleſia ritus quoſdam, ut ſcilicet quædam ſubmiſſa voce, alia vero elatiore in Miſſa pronunciarentur, inſtituit. Cæremonias item adhibuit, ut myſticas benedictiones, lumina, thymiamata, veſtes, aliaque id genus multa, ex Apoſtolica diſciplina, & traditione, quo & majeſtas tanti Sacrificii commendaretur, & mentes Fidelium per hæc viſibilia religionis, & pietatis ſigna, ad rerum altiſſimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur.* Quod in citato Capite de una Euchariſtia dicitur, facile eſt de reliquis Sacramentis, cum eædem cauſæ ſint, intelligere. Hinc ejuſdem Tridentini Concilii Catechiſmus, Parte II. Tit. *De Sacramentis in genere*, §. XVI. ſic habet: *Merito quidem a primis uſque Eccleſiæ temporibus illud ſemper ſervatum eſt, ut Sacramenta ſolemnibus quibuſdam cæremoniis miniſtrarentur. Primum enim maxime decuit ſacris myſteriis eum religionis cultum tribuere, ut Sancta ſancte tractare videremur. Præterea quæ Sacramento efficiuntur, cæremoniæ ipſæ magis declarant, ac veluti ante oculos ponunt, & earum rerum ſanctitatem in animis Fidelium altius imprimunt. Deinde vero mentes illorum, qui eas intuentur, & diligenter obſervant, ad ſublimium rerum cogitationem erigunt, Fidemque in eis, & charitatem excitant; quo major cura, & diligentia adhibenda erit, ut Fideles vim cæremoniarum, quibus ſingula Sacramenta conficiuntur, cognitam, & perſpectam habeant.*

II. Quum itaque magna ſit, ac multiplex ſacrarum cæremoniarum utilitas, jam non mirum videri debet, ſi nulla unquam extitit in Orbe, ſeu vera, ſeu falſa Religio, quæ ſuos ritus non habuerit, quibus quaſi incitamentis ad debitum ſuo Numini cultum populi allicerentur. Hinc & Numa Pompilius octo cæremoniarum ad religionem pertinentium Libros ſcripſiſſe refertur; atque hinc demum, ut rem altius repetam, inſignis ille veteris Legis promulgator Moyſes non inanem operam impendiſſe ſe exiſtimavit, cum in deſcribendis Sacrificiorum Deo offerendo-

dorum ritibus integrum Scripturæ Librum inſumſit, ut inter alios notavit eruditus Martene in Præfatione, quam celeberrimo Operi ſuo, *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, præfixit. Porro autem quum vera Religio, quæ ante Chriſti adventum Judaica erat, longe antiquior ſit, futilem merito eorum ſententiam cenſeo, qui ajunt, Chriſtianos ritus magna ex parte deſumtos eſſe ex ritibus Paganorum, quum potius iſti, inſtigante diabolo, qui cum inveterata malitia perpetuus Dei æmulus ſit, honores utique divinos affectat, ad ſuum cultum ſuperſtitioſum probatos a Deo in Veteri Teſtamento ritus traduxerint.

III. Teſtatur id quidem non uno in loco Tertullianus, præſertim vero in Libro, *De præſcriptionibus*, Cap. XL. his verbis: *Diabolus enim, cujus ſunt partes intervertendi veritatem, ipſas quoque res Sacramentorum Divinorum, Idolorum myſteriis æmulatur. Tinguit & ipſe quoſdam utique credentes, & fideles ſuos, expiationem delictorum de lavacro repromittit, & ſic adhuc, mithræ; ſignat illic in frontibus milites ſuos; celebrat & panis oblationem, & imaginem reſurrectionis inducit, & ſub gladio redimit coronam. Quid? quod & Summum Pontificem in unis nuptiis ſtatuit? Habet & virgines, habet & continentes. Cæterum ſi Numæ Pompilii ſuperſtitiones revolvamus, ſi Sacerdotalia officia, inſignia, & privilegia, ſi ſacrificalia miniſteria, & inſtrumenta, & vaſa ipſorum ſacrificiorum, ac piacolorum, & votorum curioſitates conſideremus, nonne manifeſte diabolus moroſitatem illam Judaicæ Legis imitatus eſt? Qui ergo ipſas res, de quibus Sacramenta Chriſti adminiſtrantur, tam æmulanter affectavit exprimere in negotiis idololatriæ, utique & idem, & eodem ingenio geſtiit, & potuit inſtrumenta quoque Divinarum rerum, & Sanctorum Chriſtianorum, ſenſum de ſenſibus, verba de verbis, parabolas de parabolis, prophanæ, & æmulæ fidei attemperare.* Similia habet idem Tertullianus in Libris, *De Baptiſmo*, & *De Teſtimonio animæ*; itemque S. Juſtinus in Apologia II. Euſebius, *De preparatione Evangelica*, & alii, quos citat Filcſaeus in Diſſertatione, *De idololatria magica*, §. IV. in fine.

IV. Illud vero hoc loco notandum eſt, quod licet noſtri ritus aliquam cum veteribus Judæorum cæremoniis comparationem habeant, non tamen inde ſequitur, a Synagoga in Eccleſiam Chriſti eſſe ritus ipſos traductos; non enim ideo ab Apoſtolis, Doctore Chriſto, & ab Eccleſia deinceps inſtituti ſunt, quia in populo Hebraico viguerunt, ſed quia in hac mortali conditione ſine ullo externo ritu Religio vera eſſe non poteſt. Poteſt quidem aliqua in noſtris cum Judæorum non modo, ſed & Gentilium ritibus affinitas, ſi cultus ſpectetur externus, deprehendi, ſed habita ratione finium, & objectorum, unde potiſſimum æſtimandi ſunt, immenſo diſtant intervallo. Ut enim obſervat S. Auguſtinus, erat in Judæis præfiguratio prænuntians, in Gentilibus imitatio errans, & in nobis Chriſtianis eſt veritas. Hæc ejus verba Lib. XX. contra Fauſtum, Cap. XXI. *Tantum intereſt inter ſacrificia Paganorum, & Hebræorum, quantum inter imitationem errantem, & præfigurationem prænunciantem. Sicut autem non ideo contemnenda, vel deteſtanda eſt virginitas Sanctimonialium, quia & Veſtales virgines fuerunt, ſic non ideo reprehendenda Sacrificia Patrum, quia ſunt & ſacrificia Gentium; quia ſicut inter illas virginitas multum diſtat, quamvis nihil aliud diſtet, niſi quæ cui voveatur, atque reddatur; ſic inter Sacrificia Paganorum, & Hebræorum multum diſtat, eo ipſo, quod hoc ſolum diſtat, quæ cui ſint immolata, & oblata; illa ſcilicet ſuperbæ impietati dæmoniorum id ipſi ſibi ob hoc arrogantium, quo haberentur Dii, qui Divinus honor eſt Sacrificium; illa vero uni Deo, ut illi offerretur ſimilitudo promittens veritatem Sacrificii, cui erat offerenda ipſi reddita veritas in paſſione Corporis & Sanguinis Chriſti.*

V. Omiſſis Gentilium ritibus, quos perperam nonnulli cenſent in Chriſtianam Religionem derivaſſe, addubitari certe non poteſt, quin tantum Veteri Novum præſtet Teſtamentum, quantum veritas umbræ, & figuris. Omnes Legis Moſaicæ cæremonias ſuperant quidem longo intervallo noſtræ Chriſtianæ Religionis ritus, a quibus inſtituta a Chriſto, atque ab Apoſtolis, Viriſque Apoſtolicis promulgata Myſteria cuncta, non parvum decorem, ac robur accipiunt. Nam, ut ſapienter ſcripſit religioſiſſimus ac doctiſſimus Joannes Bona Cardinalis laudatus a memorato Martene, loco citato, *licet ipſæ cæremoniæ nullam ſecundum ſe perfectionem, nullam contineant ſanctitatem; ſunt tamen actus externi Religionis, quibus quaſi ſignis excitatur animus ad rerum ſacrarum venerationem, mens ad ſuperiora elevatur, nutritur pietas, fovetur charitas, creſcit Fides, devotio roboratur, inſtruuntur ſimpliciores, Dei cultus ornatur, conſervatur Religio, & veri Fideles a pſeudochriſtianis, & heterodoxis diſcernuntur.* Quanta porro ſit earum vis, & efficacia, docet vel ipſum Valentis Imperatoris Ariani exemplum, qui, ut tradit Baronius ad annum CCCLXX. Num XLVI. viſis in Templo Catholicorum ſacris cæremoniis, maximas erga res illorum reverentiam concepit.

VI. Summa itaque, ac multiplex quum ſit rituum Catholicorum utilitas, ac virtus, jam recte inquit noſter hic I. §. *ut ea, quæ ex antiquis Catholicæ Eccleſiæ inſtitutis, & Sacrorum Canonum, Summorumque Pontificum Decretis de Sacramentorum ritibus, ac cæremoniis hoc Libro præſcribuntur, qua par eſt diligentia, ac religione cuſtodiantur, & ubique fideliter ſerventur*, decere quammaxime, illud ante omnia ſcire, & obſervare, quod Sacroſancta Tridentina Synodus Seſſione VII. Can. XIII. de iis ritibus decrevit in hæc verba noſtro II. §. deſcripta: *Si quis dixerit, receptos, & approbatos Catholicæ Eccleſiæ ritus, in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato a Miniſtris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Eccleſiarum Paſtorem mutari poſſe, anathema ſit.* His concinit Profeſſio Fidei a Pio Papa IV. edita, quæ ita habet: *Receptos quoque, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum adminiſtratione recipio, & admitto.* Si quæratur quid Eccleſiæ nomine mox recitatus Canon intelligat, docet Jueninus in Opere, *De Sacramentis*, Diſſertatione I. Quæſtione VIII. Cap. III. Concluſione II. intelligi vel Eccleſiam Catholicam toto Orbe diffuſam, aut Eccleſiam particularem, cui ſpecialiter Miniſter eſt adſcriptus, itaut Sacramenta, aut conficiens, aut diſpenſans, ſaltem ſolemniter, ritus in tota Eccleſia receptos, & præſcriptos a particulari, cujus eſt mem-

membrum, adhibere teneatur. Legendus de ea re Sanctus Auguſtinus in celeberrima Epiſtola ſua CXVIII. ad Januarium, ubi inter alia ait, quod varietate rituum circa jejunium Sabbathi matre ſua turbata, de his unum Ambroſium Mediolanenſem Antiſtitem conſuluit, ejuſque judicium mater lubens amplexa eſt: *Mater mea Mediolanum me conſecuta, invenit Eccleſiam Sabbatho non jejunantem, cœperat turbari, & fluctuare quid ageret. Tunc ego conſului de hac re beatiſſimæ memoriæ Virum Ambroſium. At ille ait mihi* : Cum Romam venio, jejuno Sabbatho; cum hic ſum, non jejuno. Sic etiam tu, ad quam forte Eccleſiam veneris, ejus morem ſerva, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalo, nec quemquam tibi. *Hoc cum matri renunciaſſem, libenter amplexa eſt.*

VII. Potiſſimum vero illi ſervandi ſunt ritus, quos Eccleſia Romana præſcribit, *in qua*, ut ait idem Auguſtinus in Epiſtola CLXII. *ſemper viguit Apoſtolicæ Cathedræ principatus*; & ut longe ante Auguſtinum docuit S. Irenæus Libro III. Cap. III. *ad hanc Eccleſiam*, nempe Romanam, *propter principalitatem, neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam*. Periculoſum, criminoſumque eſt quippe a ritibus a Romana Eccleſia omnium Matre præſcriptis reſilire, eoſque mutare, meritoque adverſus hanc licentiam juſta percitus indignatione S. Innocentius Papa I. ſic ad Decentium Eugubinum Epiſcopum ſcripſit: *Si inſtituta Eccleſiaſtica, ut ſunt ab Apoſtolis tradita, integra vellent ſervare Domini Sacerdotes, nulla diverſitas, nulla varietas in ipſis Ordinibus, & Conſecrationibus haberetur. Sed unuſquiſque non quod traditum eſt, ſed quod ſibi viſum fuerit, hoc æſtimat eſſe tenendum, inde diverſa in diverſis locis, vel Eccleſiis, aut teneri, aut celebrari videntur, ac fit ſcandalum populis, qui dum neſciunt Traditiones antiquas humana præſumtione corruptas, putant ſibi, aut Eccleſias non convenire, aut ab Apoſtolis, vel Apoſtolicis Viris contrarietatem inductam. Quis enim neſciat, aut non advertat, id quod a Principe Apoſtolorum Petro Romanæ Eccleſiæ traditum eſt, ac nunc uſque cuſtoditur, ab omnibus debere ſervari, nec ſuperinduci, aut introduci aliquid, quod, aut auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum? Præſertim cum ſit manifeſtum, in omnem Italiam, Galliam, Hiſpanias, Africam, atque Siciliam, Inſulaſque interjacentes, nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, quos Venerabilis Apoſtolus Petrus, aut ejus Succeſſores conſtituerunt Sacerdotes. Aut legant, ſi in iis Provinciis alius Apoſtolorum invenitur, aut legitur docuiſſe. Quod ſi non legunt, quia nuſquam inveniunt, oportet, eos hoc ſequi, quod Eccleſia Romana cuſtodit, a qua eos principium accepiſſe non eſt dubium, ne dum peregrinis aſſertionibus ſtudent, caput inſtitutionum videantur omittere.*

VIII. Hæc fuſius ex S. Innocentio Papa huc tranſcribenda putavi, ut ejus teſtimonio evincerem, quod ſcite notavit laudatus ſuperius Cardinalis Bona Lib. I. *Rerum Liturgicarum*, Cap. VI. Num. III. primarias nempe Eccleſias proprios ritus a Fundatoribus accepiſſe, quoſdam vero ex Succeſſoribus per licentiam, & poteſtatis abuſum ſæpe illos immutaſſe, & novitates introduxiſſe. Hoc primum in hoc genere peccatum fuit, quod dum alii evitare nimio ſtudio conati ſunt, ſtultorum more in contrarium inciderunt; ſemel enim ſuſceptis conſuetudinibus pertinacius adhærentes, turbas in Eccleſia ſuſcitarunt, cum Romani Pontifices, vel abuſus Epiſcoporum incuria introductos evellere, vel errores hæreticorum fraude inſertos expungere, vel aliquid in iis innovare, juſtis de cauſis voluerunt. Quot, & quam luctuoſæ tragediæ inter Græcos, & Latinos hac de cauſa ortæ ſint, notum eſt omnibus. A Photio illarum initium Sæculo nono, & nondum finis. Adhuc enim in pleriſque Orientalibus ferox odium adverſus Latinos fervet, & forte acrius, quam cum primum ab unitate, & obedientia Romanæ Eccleſiæ defecerunt. Superbia omnium malorum cauſa rebellionis origo fuit; tum acceſſerunt ex rituum diverſitate vani prætextus; nec enim Orientalibus lis unquam de ritibus mota eſt a Romana Eccleſia, quæ ſedulo potius in hanc curam ſemper incubuit, ut illibati ſervarentur. Debet igitur unaquæque Eccleſia cuſtodire ritus ſuos, ſed receptos a Majoribus, longoque uſu præſcriptos, & legitima auctoritate probatos.

IX. Obſervat hæc memoratus Bona, notatque mox etiam ſequenti Cap. VII. Num. II. ſectariorum hoc proprium fuiſſe, ut cum a Fide deficerent, Libros quoque Rituales, vel ſuis erroribus inficerent, vel privata auctoritate immutarent. Et certe quid auſi ſint in hoc genere Gnoſtici, Adamitæ, Pepuziani, & alia hujuſmodi monſtra, turpe eſt enarrare. De Neſtorio, ſive Theodoro Mopſueſteno ejus Magiſtro ita Leontius Byzantinus ſcribit Lib. III. adverſus eundem Neſtorium: *Audet & aliud malum non ſecundum ad ſuperiora, aliam enim Miſſam effutivit, præter illam, quæ a Patribus tradita eſt Eccleſiis; neque reveritus illam Apoſtolorum, nec illam Magni Baſilii in eodem ſpiritu conſcriptam. In qua Miſſa blaſphemiis, non precationibus, Euchariſtiæ myſterium opplevit*. Donatiſtæ ut calumniam Catholicis ſtruerent, ſparſerunt in vulgus, eos ſolitum Sacrificii ritum mutaſſe, ut patet ex Optato Milevitano in fine Libri III. adverſus Donatiſtas. De eiſdem ſic ſcribit S. Auguſtinus in Epiſtola CXIX. Cap. XVIII. *Donatiſtæ nos reprehendunt, quod ſobrie pſallimus in Eccleſia Divina Cantica Prophetarum, cum ipſi ebrietates ſuas ad Canticum Pſalmorum humano ingenio compoſitorum quaſi tubas exhortationis inflamment*. De Pauli Samoſateni hac in re impietate legenda Epiſtola Synodi Antiochenæ apud Euſebium Lib. VII. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Cap. XXX. De ſectatoribus Apollinarii refert Sozomenus Lib. VII. *Eccleſiaſtice Hiſtoriæ*, Cap. XXV. quod ritibus utebatur alienis a Catholicæ Eccleſiæ inſtitutis.

X. Hos, alioſque antiquos ejuſdem furfuris hæreticos imitati recentiores heterodoxi, ſacros Catholicæ Eccleſiæ ritus una voce, unaque mente in univerſo Orbe conſervatos, perperam, & ipſi irrident, quos iccirco merito damnavit Tridentina Synodus Canone in §. II. deſcripto. Cæterum quod Eccleſia quarundam ſacrarum cæremoniarum praxim poſſit Sacramentorum Miniſtris injungere, ex eo patet, quod, vel fatentibus Calviniſtis, aliiſque hæreticis noſtri temporis, poteſt Eccleſia ordinem & modum præſcribere, quo cæremoniæ, quæ Scriptura nituntur, exequutioni mandari debent, ne ſcilicet in Myſteriorum, aut confectione, aut diſpenſatione aliqua

qua accidat confuſio. Penes autem Eccleſiam eſſe inſtituere ritus, qui pietatem alere poſſint, ac Sacramentis conciliare reverentiam, licet Scripturarum auctoritate non fulciantur, evincitur plane ex Apoſtolorum exemplo, qui multas ſacras cæremonias Eccleſiaſticas, qua pollebant auctoritate, præſcripſerunt: *Cætera*, inquit Apoſtolus in Epiſtola I. ad Corinthios, Cap. XI. *cum venero, diſponam*. Inter eas autem Leges, quas Apoſtolus pollicetur, S. Auguſtinus eam recenſet, qua Fideles prohibentur, ne nonniſi jejuni ad Euchariſtiam ſumendam accedant. Legenda Auguſtini Epiſtola CXVIII. ad Januarium cujus ſupra meminimus, Cap. VI.

XI. Quamvis autem non omnes ritus, ſeu cæremoniæ in Ritualibus præſcripti, ex Apoſtolica diſciplina, & traditione deſcendant, ſed plures poſtremis Eccleſiæ temporibus ſint introducti, nihilominus Parochis, aliiſque inferioribus Miniſtris fas non eſt, citra neceſſitatem, privata auctoritate, in publica, & ſolemni Sacramentorum adminiſtratione, aut Divinorum Officiorum celebratione, a ritibus in Rituali ſuæ Diœceſis præſcriptis paſſim & facile recedere, eo etiam titulo, quod ritus contrarius puriori primitivæ Eccleſiæ diſciplinæ videatur conformior, ne alias hæc licentia paulatim latius ſerpens confuſionem, aliaque incommoda in ipſos ſacros ritus, & Sacramentorum adminiſtrationem inducat. Cæterum quum cæremoniæ Sacramentorum ſuprema Eccleſiæ auctoritate Miniſtris omnibus & ſingulis præſcribantur, non eſt dubium, quin peccet læthaliter, pœniſque gravibus obnoxius ſit, qui conſulto eas, nulla compellente neceſſitate, vel omnino prætermitteret, vel præſumeret immutare; huc enim ſpectat recitatus ſupra in §. II. recitatus Canon XIII. ex Seſſione VI. Tridentini Concilii.

XII. Siquis autem hic roget, quid ſi caſus occurrerit, in quo videantur ritus aliqui prudenter prætermittendi, num privatus quilibet poſſit in ſuo proprio ſenſu abundans, quod bene viſum fuerit, facere. Sed in promtu reſponſio eſt, & quidem cum ea diſtinctione, quam a Doctoribus ſapientibus didici; nam vel de caſu neceſſitatis Quæſtio iſta procedit, vel non. Si de caſu neceſſitatis, ut ſi exempli gratia mortis imminentis periculum fieri omnia in Baptiſmo infantis non patiatur, quæ facere Eccleſia conſuevit, dudum reſoluta eſt difficultas; quod enim in his circumſtantiis ſit agendum, jam non modo Doctores, ſed hoc noſtrum Rituale Romanum ſuis locis præſcripſit. Si vero caſus neceſſitatis non ſit, nihil quidquam debet privatus Miniſter proprio judicio uſurpare, ſed conſulenda Eccleſia, adeunduſque Romanus Pontifex Maximus, vel S. R. E. Cardinalium Congregatio ſacris ritibus præpoſita, ejuſque reverenter expectandum judicium, & quod præſcribit, omnino obſervandum. Atque hoc hodie jure vivimus, ex quo ſcilicet Sixtus V. Pontifex XI. Kal. Februarias anni MDLXXXVII. Congregationem Sacrorum Rituum nuncupatam una cum aliis multis inſtituit, ut videre eſt in ejus Conſtitutione, quæ incipit, *Immenſa Dei*, & apud Cardinalem de Luca in Relatione Romanæ Curiæ, Vaneſpen Parte I. *Juris univerſi Eccleſiaſtici*, Tit. XXII. Cap. VII. Porro præfecit Sixtus ei Congregationi quinque Cardinales, quibus ait hanc præcipue debere curam incumbere, *ut veteres ritus ſacri ubivis locorum, in omnibus Urbis, Orbiſque Eccleſiis, etiam in Capella Pontificia, in Miſſis, Divinis Officiis, Sacramentorum adminiſtratione, cæteriſque ad divinum cultum pertinentibus, a quibuſvis perſonis diligenter obſerventur, cæremoniæ ſi exoleverint, reſtituantur; ſi depravatæ fuerint, reformentur. Libros de ſacris ritibus, & cæremoniis, in primis Pontificale, Rituale, Cæremoniale prout opus fuerit, reforment, & emendent.*

XIII. Admonendum vero hic illud cenſeo, ac notatu plane dignum, non facile conſueviſſe Sacrorum Rituum Congregationem, omiſſiones, aut quaſvis alias in ſacris cæremoniis immutationes concedere, maxime in illis, quas conſtat ab Apoſtolica traditione acceptas. Cæteras enim, quas, labente ætate, pro variis locorum, & temporum circumſtantiis Eccleſia inſtituit, quæque non ſunt gentium omnium univerſali conſenſione ſuſceptæ, quales Latini & Græci proprias aliquot habent, non quidem ſine cauſa, majore tamen ſolet facilitate reſcindere, & ab earum obſervantia liberare. Ut autem in iis ſiſtamus, quas Apoſtolica nobis diſciplina reliquit, recte admodum ait clariſſimus Auctor Operis, *De re Sacramentaria*, Lib. I. Quæſtione VII. *De cæremoniis Sacramentorum*, Quæſito XV. in iis tollendis, aut prætermittendis Eccleſiam difficilem eſſe, & eſſe debere, tum quia continentur in theſauro Traditionis, quem violare, aut temere diſſipare in ſua poteſtate non habet, tum quia ſæculorum omnium conſecratæ uſu, maximam obtinuerunt auctoritatem, tum quia myſteria mágna ſignificant, quorum veritas, ſi ſemel de medio tollerentur, a repugnantibus hæreticis, audacia majori impeteretur, tum denique quia periculum fovet, ne ille tam præclarus ſacrorum rituum apparatus penitus evaneſceret, & ab hominum memoria deleretur, ſi in iis quocumque prætextu prætermittendis, immutandiſque, nimium facilem ſe præberet Eccleſia.

XIV. Quum denique in noſtro I. §. rituum, & cæremoniarum mentio fiat, notandum breviter cenſeo quodnam ſit apud Scriptores Eccleſiaſticus utriuſque vocis diſcrimen. Sane inter ritus, & cæremonias, uti poſt alios notavit Barrufaldus in Commentariis ad Rituale Romanum Tit. I. num. 4. aliquam diſtinctionem ponunt nonnulli Scriptores, eodem pacto, quo aqua differt ab ablutione; voluntque, ut ritus ſit modus præſcriptus ſacræ actionis, cæremonia autem ipſa ritus executio, & praxis, qua actio ſacra perficitur. Sed, ut verum fatear, apud pleroſque, ritus, & cæremoniæ, pro eodem paſſim uſurpantur, probarique id poſſet innumeris pene exemplis, quæ non opus eſt hic recenſere.

§. III.

Cum igitur in Eccleſia Dei nihil ſanctius, aut utilius, nihilque excellentius, aut magis Divinum habeatur, quam Sacramenta ad humani generis ſalutem a Chriſto Domino inſtituta, Parochus, vel quivis alius Sacerdos, ad quem eorum adminiſtratio pertinet, me-

meminiſſe in primis debet, ſe Sancta tractare, atque omni temporis momento ad tam ſanctæ adminiſtrationis officium paratum eſſe oportere.

COMMENTARIUS.

I. Omnia Novæ Legis Sacramenta fuiſſe a Chriſto Domino inſtituta, definit jam, & quidem ſub anathemate Synodus Tridentina, Seſſione VII. Can. I. Ratio autem hujus doctrinæ eſt, quia ille rem aliquam inſtituere dicitur, qui ei robur, & vim tribuit, quemadmodum patet exemplo inſtituentium Leges. Cum igitur ſolus Deus virtutem ſanctificandi poſſit tribuere Sacramentis, ſolus quoque dicendus eſt Auctor, & inſtitutor eorum Sacramentorum, quę ſanctificandi virtutem habent, cujuſmodi ſunt omnia Sacramenta Novæ Legis, quæ etiam nec plura, nec pauciora eſſe, quam ſeptem, nempe Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, decrevit citato loco eadem Synodus Tridentina, ubi eos, qui negarent, Chriſtum inſtituiſſe omnia & ſingula Novæ Legis Sacramenta, diro anathema damnat.

II. Quamvis vero Chriſtus Dominus Sacramentorum Auctor ſit, ea tamen non per Angelos, ut docet Tridentini Concilii Catechiſmus, Parte II. *De Sacramentis*, Num. XXII. verum per homines miniſtrari in Eccleſia voluit; non minus enim Miniſtrorum officio, quam materia, & forma ad Sacramenta conficienda opus eſſe, perpetua Sanctorum Patrum traditione confirmatum eſt. Porro poſſe Angelos eſſe extraordinarios Sacramentorum Miniſtros, tradit S. Thomas Parte III. Quæſt. LXIV. Articulo VII. ad II. ubi ſic ait: *Deus virtutem ſuam non ita alligavit Eccleſiæ Miniſtris, quin etiam Angelis poſſit virtutem attribuere miniſtrandi in Sacramentis*. Neque obſtat, Angelos loqui non poſſe, ideoque nec proferre formam Sacramenti, quæ in verbis conſiſtit; loqui enim poſſunt per corpus aſſumtum, uti revera loquuti non ſemel ſunt, tum in Veteri, tum in Novo Teſtamento. Cæterum miniſtraſſe & Angelos Fidelibus Sacramenta, ac præſertim Euchariſtiam in extremo vitæ conſtitutis, docent nos Sanctorum Vitæ, ac nominatim S. Raymundi Nonnati, de quo legitur in Breviario Romano ad diem XXXI. Auguſti: *Cumque morbus ingraveſceret, & Sacerdos diutius tardaret, Angelorum Miniſterio ſub ſpecie Religioſorum ſui Ordinis apparentium ſalutari Viatico refectus fuit*.

III. Sed hac quæſtione miſſa, certum illud eſt, non ita inſtituta eſſe Divinitus Novæ Legis Sacramenta, ut vel ſine Miniſtro ea celebrari queant, vel quodlibet eorum indifferenter, & promiſcue poſſit a quolibet adminiſtrari, ſed Miniſtrum omnino requirunt, eumque certum, qui, ſi deſit, vel irrita eſt, & nulla, vel non legitima ſit actio Sacramentalis. Unde Florentinum Generale Concilium ſub Eugenio IV. Pontifice perſonam Miniſtri conferentis Sacramentum iis adnumerat, quorum ſi aliquid deſit, Sacramentum non perficitur; & Concilium Tridentinum in citata Seſſione VII. Can. X. de Miniſtro Sacramentorum ita ſtatuit: *Siquis dixerit, Chriſtianos omnes in verbo, & omnibus Sacramentis adminiſtrandis habere poteſtatem, anathema ſit*. Quo Canone directe damnatum eſt, quod Lutherus aſſerebat, omnes Chriſtianos eſſe æqualiter Sacerdotes, hoc eſt, eandem in verbo, & Sacramento quocumque habere poteſtatem, ſed non licere, quemquam hac ipſa uti, niſi conſenſu Communitatis, aut vocatione Majoris. Hæc enim ejus verba ſunt Lib. I. Captivitatis Babylonicæ, in quibus, ut egregie notavit Eſtius in Diſtinctionem I. Lib. IV. §. XXII. duplex continetur error, alter, omnes Chriſtianos poteſtatem habere verbi, & Sacramentorum; alter, ea poteſtate utendum non eſſe, niſi Communitatis conſenſu. Nam neque poteſtas omnibus Chriſtianis eſt communis, ſed iis tantum competit, qui eam Eccleſiaſtica ordinatione acceperunt; & eà utendum eſt, non ad præſcriptum Communitatis, ſed ex mandato, & voluntate Præfectorum Eccleſiæ. Porro autem quis ſit uniuſcujuſque propius Miniſter, & quatenus quorundam Sacramentorum miniſterium ad alios extendi poſſit, abunde explicarunt Theologi in Tractatu, *De Sacramentis*, ubi de ſingulis eorum agunt, non enim omnium eſt eadem ratio; quædam ſolum habent Miniſtrum Epiſcopum, ut Confirmatio, & Ordinatio; quædam vero ſolum Presbyterum, ut Euchariſtia, abſolutio Sacramentalis, & extrema unctio; in aliis vero etiam laicus ſuum miniſterium interponere poteſt, idque vel ſimpliciter, vel certo caſu, ut in Baptiſmo, & Matrimonio.

IV. Si tria prima Eccleſiæ ſæcula ſpectemus, omnia quidem Sacramenta ab Epiſcopo adminiſtrabantur, docetque Thomaſſinus in ſua veteri & nova Eccleſiæ diſciplina, Parte I. Lib. II. Cap. XXI. quarto ſæculo multas in Alexandria, alibique etiam fuiſſe Eccleſias, in iiſque multos Presbyteros, ac penes unum eorum præcipuum auctoritatem fuiſſe, ut proinde iſte eſſet Parochus, qui ſcilicet Sacramenta adminiſtraret. Sicut enim ſingulis Diœceſibus, ſeu Diſtrictibus Epiſcopalibus unus erat præfectus Epiſcopus, cui totius Diœceſis regimen incumbebat, & quem populus iſtius Diœceſis, ut proprium Epiſcopum colere & cognoſcere deberet; ita & ſingulis Parochiis datus unus Presbyter fuit, qui totius Parochiæ curam ſpiritualem ageret, qui propterea Parochus, ſeu Presbyter Parochianus dicebatur, quem populus tanquam proprium ſuum Paſtorem venerari, & audire deberet, dictus propterea proprius Sacerdos, ac principalis, & proprius Sacramentorum Miniſter in ſua Parochia. Quod quidem jus ſatis expreſſit Synodus Tridentina Seſſione XXIII. *De reformatione*, Cap. XIII. ubi Epiſcopos monet, ut *pro tutiori animarum eis commiſſarum ſalute, diſtincto populo in certas, propriaſque Parochias, unicuique ſuum perpetuum, peculiaremque Parochum aſſignent, qui eas cognoſcere valeat, & a quo ſolo licite Sacramenta ſuſcipiat*.

V. Præter Parochum ſunt & alii, qui ex Summorum Pontificum permiſſu, veluti illius ſubſidiarii Sacramenta adminiſtrant, Pœnitentiæ ſcilicet, & Euchariſtiæ; atque hinc eſt, quod noſter §. ubi de ſancta, & promta Sacramentorum adminiſtratione loquitur, *Parochus*, inquit, *vel quivis alius Sacerdos, ad quem eorum adminiſtra-*

ſtratio pertinet, meminiſſe in primis debet, ſe Sancta tractare, atque omni fere temporis momento ad tam ſanctæ adminiſtrationis officium paratum ſe eſſe oportere. Idipſum totidem fere verbis jampridem edixit S. Carolus Parte IV. Actorum Eccleſiæ Mediolanenſis in Rubricis, ſeu Inſtructionibus generalibus, *De Sacramentorum adminiſtratione*; eiſque conſentiunt varia inſignium Eccleſiarum Ritualia, & Epiſcoporum Concilia. Si Pœnitentiæ Sacramentum excipias, in quo ſpecialis juriſdictio in ſua Diœceſi ab Epiſcopo tantum datur, poteſt quidem ſimplex Sacerdos de expreſſa Parochi licentia, Sacramenta adminiſtrare. Ad Euchariſtiam quod attinet, poſſunt quidem Regulares eam omnibus Fidelibus in ſuis Eccleſiis, per ſe, vel per alios Sacerdotes abſque ulla Parochi licentia diſpenſare, ex privilegiis eiſdem conceſſis a variis Summis Pontificibus, præſertim vero a Nicolao V. Sixto IV. Leone X. & aliis. Cæterum, quod nec Epiſcopi ipſi poſſint Regularibus Apoſtolica privilegia habentibus prohibere, ut in ſuis Euchariſtiam adminiſtrent, ſolo die Paſchatis excepto, pluribus docet BENEDICTUS XIV. in ſuo celeberrimo, ac numeris omnibus abſoluto Opere, *De Synodo Diœceſana*, Lib. IX. Cap. XVI. Pag. 335. ſecundæ editionis.

VI. Sane vetitum aliquando fuiſſe Religioſis, & quidem ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ Apoſtolicæ Sedi reſervatæ Euchariſtiam ſine conſenſu Parochi populo diſtribuere, conſtat plane ex Clementina I. *De privilegiis*; qua tamen non obſtante, non modo Religioſi vi novorum privilegiorum, quæ ſuperius innuimus, ſed quicumque Presbyteri etiam ſæculares, quibuſvis petentibus Euchariſtiam, ſaltem extra Paſchatis diem adminiſtrare poſſunt in ſuis Eccleſiis, in quibus publice, conveniente populo, celebrandi facultas eſt. Cum enim communio ſit quaſi pars ipſius Sacrificii, conſequens viſum fuit, quod ubi Sacrificio intereſſe liceret, ibi & communionem accipere poſſent, ut notat Vaneſpen Parte II. Tit. IV. Cap. I. Num. XXI. & ſeqq. Quod vero graviter delinquentes in adminiſtratione cujuslibet Sacramenti, etiam Regulares ipſi judicio Epiſcopi, ejuſque coercitioni ſubſint, expreſſe ſancitum fuit a Gregorio Papa XV. in Conſtitutione, quæ incipit, *Inſcrutabili*, §. IV. ut idem laudatus Pontifex BENEDICTUS XIV. notavit citato loco, & alibi.

V. His opportune explicatis, redeo ad noſtrum §. ubi edicitur, Parochum non modo, verum etiam quemvis alium Sacerdotem, ad quem Sacramentorum adminiſtratio pertinet, meminiſſe in primis debere, *ſe Sancta tractare, atque omni fere temporis momento ad tam ſanctæ adminiſtationis officium paratum eſſe oportere*; ſemper ſcilicet, & quando rationabiliter rogati ſunt ad Sacramenta adminiſtranda, & quidem vel peſtis tempore, quantum ad Parochos, alioſque curam animarum habentes, uti pluribus docet, probatque BENEDICTUS Papa XIV. *De Synodo Diœceſana*, Lib. XIII. Cap. XIX. Num. VI. & ſeq. Decet plane quammaxime, ut ipſi quoque ſæculares, Regulareſque Presbyteri in eo opere Chriſtianæ charitatis ſe exerceant, animaſque ſuas libenter ponant pro proximis ſuis. Hinc merito noſtri antiqui Patres Oratorii S. Hieronymi Charitatis laudantur, qui, uti legitur in Vita S. Franciſci Borgiæ, Societatis Jeſu Generalis Præpoſiti, Lib. III. Cap. V. Auctore Petro Ribadeneira ejuſdem Societatis Presbytero Madriti bis Hiſpanice edita, nempe anno MDXCII. & XCIV. ac deinde a Julio Zanchino Equite S. Joannis Hieroſolymitani Italice reddita, ac Florentiæ impreſſa anno MDC. ac poſtea Romæ anno MDCXVI. cum menſe Auguſto anno MDLXVI. quoddam luis genus magnam Urbis partem occupaſſet, negotiumque datum eſſet memoratæ Societatis Jeſu Sacerdotibus, ut animarum ægrotantium ſaluti conſulerent, multum auxilii cum ſumma totius Urbis ædificatione (1) periculoſo, læthalique morbo laborantibus attulere.

VI. Quoniam vero hic antiquorum noſtrorum Patrum Oratorii S. Hieronymi Charitatis facta eſt mentio, operæ pretium duco brevi aliquid dicere de eorum in adminiſtrandis Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramentis ſedulitate. Notum plane eſt, quantum præ cæteris in eam rem ſoliciti fuerint, Bonſignorius Cacciaguerra, Perſianus Roſa, Henricus Petra, atque S. Philippus Nerius, quorum primus, ut ex ejuſdem Epiſtolis, & Opuſculis conſtat, primus fuit, qui in Urbe, & alibi obſoletam fere memoratorum Sacramentorum frequentiam promovit. Alter vero, ea frequentia, una cum S. Philippo Nerio, aliiſque viris laicis Sodalitium Romæ Sanctiſſimæ Trinitatis, Peregrinis excipiendis, inſtituit. Petra vero, qui, uti ſcribit Gallonius in Vita S. Philippi Nerii ad annum MDLI. pag. 30. in fine, *Bonſignorio Duce magnos in ſpiritu progreſſus habuit, quique reformandis poſtmodum monialibus, aliiſque Eccleſiaſticis muneribus, ad Cleri mores, Templorumque cultum exornandum, diutino, gratuitoque labore, toti Urbi utilitati eximiæ fuit*, Congregationem doctrinæ Chriſtianæ fundavit, paratumque, promptumque ſe exhibuit ſemper Sacramentis ipſis adminiſtrandis. Quod vero tandem, ut alios omittam, ad S. Philippum Nerium ſpectat, is quidem ſpiritu filius noſtri Perſiani Roſæ, ejuſque opera in noſtram S. Hieronymi Charitatis Domum admiſſus, ac *Sacerdos ex obedientia factus*, uti de eo legitur in Breviario Romano ad diem XXVI. Maji, *in animarum ſalute procuranda totus fuit, & in confeſſionibus audiendis, ad extremum uſque diem perſeverans, innumeros pene filios Chriſto peperit, quos verbi Dei quotidiano pabulo, Sacramentorum frequentia, orationis aſſiduitate, aliiſque piis exercitationibus enutriri cupiens, Oratorii Congregationem inſtituit*. Atque horum inſignium Patrum exempla quidam etiam recentiores ſequuti, omni fere temporis momento ad tam ſanctæ adminiſtrationis Sacramenti potiſſimum Pœnitentiæ prompti, ac parati inveniuntur, & quidem non ſolum interdiu domi in Oratorio, atque in Eccleſia, verum etiam noctu, ubi ab infirmis morituris, eorumve propinquis, vocantur, nulli prorſus propriæ ſalutis parcentes incommodo.

§. IV.

(1) Ribadeneiræ verba in Vita S. Franciſci Borgiæ Hiſpanice edita hæc ſunt: *Y los Clerigos de la Congregacion de Oratorio di San Geronymo ayudaron tambien mucho con grande zelo, y edificacion*. Quæ verba Julius Zanchini in eadem Vita Florentiæ, ac Romæ Italice edita hunc in modum reddidit: *E i Preti della Congregazione dell' Oratorio di S. Girolamo ajutarono ancora aſſai, & con gran zelo, & edificazione*.

§. IV.

Quamobrem illud perpetuo curabit, ut integre, caſte, pieque vitam agat; nam etſi Sacramenta ab impuris coinquinari non poſſint, neque a pravis Miniſtris eorum effectus impediri, impure tamen, & indigne ea miniſtrantes, æternæ mortis reatum incurrunt. Sacerdos ergo, ſi fuerit peccati mortalis ſibi conſcius, quod abſit, ad Sacramentorum adminiſtrationem non audeat accedere, niſi prius corde pœniteat; ſed ſi habeat copiam Confeſſarii, & temporis, locique ratio ferat, convenit confiteri.

COMMENTARIUS.

I. TEnuit jam olim, tenetque hanc doctrinam Eccleſia Catholica, ſanctitatem Miniſtri conferentis Sacramentum nihil addere, aut adimere efficaciæ Sacramenti. Neque enim efficacius operabitur Sacramentum per Miniſtrum bonum, neque minus efficaciter per malum, dummodo talis ſit, per quem ſimpliciter Sacramentum adminiſtrari poſſit. Hujus rei ratio eſt, quia Eccleſiæ Sacramenta, Chriſti ſunt Sacramenta, ideſt, vim ſanctificandi a Chriſto habentia, non autem a meritis hominum, tametſi nonniſi per homines Chriſtus ea adminiſtrari voluerit; ſed ut per cauſam inſtrumentalem, cujus qualitas, eo excepto, quod ad inſtrumenti rationem exigitur, impertinens eſt effectui, ſicut impertinens eſt curationi ægroti, utrum corpus medici ſanum ſit, an ægrum; & impertinens culturæ agri, aut vineæ, utrum agricola probus ſit, an improbus, dummodo non prætermittantur quæ ad hos effectus producendos ex parte cauſæ inſtrumentalis ſunt neceſſaria, ut ſcite inter alios docet Eſtius in Libri IV. Sententiarum Diſtinctionem I. §. XXV.

II. Hanc doctrinam, ut dictum eſt, jam olim tenuit Catholica Eccleſia, & quidem contra hæreticos præcipue Donatiſtas, qui anno CCCX. ut ſub aliqua pietatis ſpecie rejicerent conſecrationem Cæciliani Epiſcopi Carthaginenſis a Felice Aptungitano ſacrorum Codicum, ut ajebant, traditore datam, damnarunt tanquam irrita, & nulla Sacramenta, quæ impii Miniſtri contuliſſent; ſeu, ut valerent, non ſolum in eorum Miniſtris fidem, ſed & gratiæ ſanctificantis ſtatum requiri, contendebant. Quod Donatiſtæ tanquam præcipuum ſui ſchiſmatis errorem, ineunte IV. ſæculo, de neceſſaria Miniſtris ſanctitate docuerunt, deſinente XII. ſæculo Waldenſes propugnarunt, & Wicleffiſtæ ſub finem ſæculi XIV. addidiſſe feruntur, requiri præterea, ut Miniſtri eſſent e prædeſtinatorum numero, adeo ut confecta a reprobis Sacramenta, irrita, ac nulla eſſe cenſerent. Sed hujuſmodi errorem variis locis multipliciter confutavit S. Auguſtinus, partim prolata contra ævi ſui hæreticos antiqua Eccleſiæ conſuetudine, Baptiſmi hæreticorum non iterandi, quam nonniſi ex traditione Apoſtolica deſcendiſſe confirmat, partim adhibitis tum rationibus, tum Sacræ Scripturæ teſtimoniis a laudato Eſtio, & ab aliis Theologis paſſim deſcriptis; extatque ea de re celebre illud Tridentini Concilii Decretum adverſus hæreticos recentiores, Seſſione VII. Can. XII. expreſſum his verbis: *Siquis dixerit, Miniſtrum in peccato mortali exiſtentem, modo omnia eſſentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, ſervaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum, anathema ſit*. Vide Catechiſmum ejuſdem Concilii Tridentini Parte II. *De Sacramentis* §. XXIII.

III. Quamquam vero hæc ita ſe habeant, ut *Sacramenta ab impuris coinquinari non poſſint, neque a pravis Miniſtris eorum effectus impediri*, ut etiam hic noſter §. docet, *impure tamen*, ut idem mox ſubjicit, *& indigne ea miniſtrantes, æternæ mortis reatum incurrunt*. Adeo itaque ſanctitas in Miniſtro neceſſaria eſt ad licitam Sacramenti, aut confectionem, aut diſpenſationem, ut ea deſtitutus peccet lethaliter. Eſſe hanc Eccleſiæ traditionem, ac Patrum doctrinam, Theologi ſaniores notaruut. Nec enim immerito Scriptura refert, Spiritum Sanctum Apoſtolis datum fuiſſe, cum abſolvendi poteſtate donati fuerunt, eò namque ſpectat illa monitio, ut intelligant Apoſtolorum Succeſſores, ad licitam Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem, inhabitantem Spiritum Sanctum prærequiri. Hinc S. Auguſtinus in ſuis Libris contra Donatiſtas totus eſt, ut probet, Miniſtros, qui in peccato jacent, peccati reos fieri, cum Sacramenta conficiunt, adminiſtrantque: *Omnia Sacramenta cum obſint indigne tractantibus, proſunt tamen per eos digne ſumentibus*. Sic enim inquit Lib. II. contra Parmenianum, Cap. XII. Id quod idem S. Doctor relatus in Canone, *Baptiſmus*, De Conſecratione, Diſtinctione IV. magis magiſque confirmat, ubi ſic ait: *Ego dico, & nos dicimus omnes, quia juſtos oportet eſſe omnes, per quos baptizatur; juſtos oportet eſſe tanti Judicis Miniſtros, ſi miniſtrare juſte voluerint*; ideſt, ſine peccato.

IV. Sed audiamus hic Auguſtini interpretem Theologorum omnium Principem, Doctorem Angelicum S. Thomam Parte III. Quæſtione LXIV. Articulo I. in Corpore, ubi allatam doctrinam egregie explicat his plane verbis: *Dicendum, quod aliquis in agendo peccat ex hoc, quod operatur non ſecundum quod oportet. Conveniens autem eſt, ut Sacramentorum Miniſtri ſint juſti, quia Miniſtri debent Domino conformari ſecundum illud Levitici* XIX. Sancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum. *Et ideo non eſt dubium, quin mali exhibentes ſe Miniſtros Dei, & Eccleſiæ in adminiſtratione Sacramentorum, peccent. Et quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei, & contaminationem Sacramentorum, quantum eſt ex parte ipſius peccatoris, licet Sacramenta ſecundum ſeipſa incontaminabilia ſint, conſequens eſt, quod tale peccatum ex genere ſuo ſit mortale.* Rurſus idem S. Doctor in IV. Sententiarum Diſtinctionem XXIV. Quæſtione I. Quæſtiuncula V. ſic habet: *Lex præcipit, ut homo juſte ea, quæ ſunt juſta, exequatur; & ideo quicumque homo quod ſibi competit ex Ordine facit indigne, quod juſtum eſt, injuſte exequitur, & contra præceptum Legis facit, ac per hoc mortaliter peccat. Quicumque autem cum peccato mortali aliquod

quod ſacrum officium pertractat, non eſt dubium, quin indigne illud faciat, unde patet, quod mortaliter peccat. Atque hic nota, loqui S. Doctorem, quum Miniſter Eccleſiæ ſolemniter, & ex officio Sacramenta adminiſtrat; nam alias *in articulo neceſſitatis*, ut ait ille in citata Parte III. Quæſtione LXIV. Articulo VI. ad III. *non peccaret baptizando in caſu, quo etiam poſſet laicus baptizare; ſic enim patet, quod non exhiberet ſe Miniſtrum Eccleſiæ, ſed ſubveniret neceſſitatem patienti. Secus eſt autem in illis Sacramentis, quæ non ſunt tantæ neceſſitatis, ſicut Baptiſmus.* Secundum hanc S. Thomæ doctrinam aſſeri poteſt, quod laici adminiſtrantes Baptiſmum in caſu neceſſitatis, non peccant, etiamſi tunc ſint in mortali peccato.

V. Doctrinam paulo ſuperius explicatam egregie confirmat Catechiſmus Concilii Tridentini in citato loco §. XXIV. ubi ita Miniſtros Sacramentorum admonet: *Meminiſſe autem ſemper debent, Sacramenta divinam quidem virtutem, quæ illis ineſt, nunquam amittere, ut vero impure ea miniſtrantibus æternam perniciem, & mortem afferre; ſancta enim, quod ſemel, atque iterum, ac ſæpius admonere oportet, ſancte, & religioſe tractanda ſunt.* Peccatori, *ut eſt apud Prophetam*, Pſal. XLIX. dixit Deus: Quare tu enerras juſtitias meas, & aſſumis Teſtamentum meum per os tuum? tu vero odiſti diſciplinam. *Quod ſi homini peccatis contaminato minus licet de rebus Divinis agere; quantum ab eo ſcelus concipi exiſtimandum erit, qui ſibi multorum ſcelerum conſcius eſt, nec tamen ſacra Myſteria polluto ore conficere, vel in fœdas manus ſumere, contrectare, atque aliis porrigere, & miniſtrare vereatur? cum præſertim apud S. Dionyſium ſcriptum ſit, malis ſymbola, ita enim Sacramenta appellat, ne contingere quidem permiſſum eſſe. Sanctitatem igitur ſacrarum rerum Miniſtri inprimis ſectentur, pure ad Sacramenta miniſtranda accedant, atque ita ſe ad pietatem exerceant, ut ex eorum frequenti tractatione, & uſu uberiorem in dies gratiam, adjuvante Deo, conſequantur.*

VI. Jure itaque, meritoque ex noſtro §. cautum eſt, ut *Sacerdos, ſi fuerit peccati mortalis ſibi conſcius, quod abſit, ad Sacramentorum adminiſtrationem non audeat accedere, niſi prius corde pœniteat; ſed ſi habeat copiam Confeſſarii, & temporis, locique ratio ferat, convenit confiteri.* Id quod etiam tradit S. Carolus Parte IV. Actorum Eccleſiæ Mediolanenſis, in Rubricis, ſeu Inſtructionibus generalibus, *De Sacramentorum adminiſtratione*. Poſtquam enim inter alia dixit, ut Parochus, omniſque Sacerdos, cujus eſt Sacramenta adminiſtrare, meminiſſe debeat ſancta ſe tractare, omnique temporis momento paratum eſſe oportere, ad tam ſanctæ adminiſtrationis munus, ita deinde ſubjicit: *Itaque primum ſollicite & intime recogitare debet, an alicujus peccati mortalis, quod ſanctiſſima cautione Sacerdos vitare debet, ſibi conſcius ſit. Quod ſi reum ſe eſſe novit, prius Sacramentali Confeſſione ſe expiare debet; contritionem certe habere, quam diligentiſſime curet.* Porro contritionem, quæ, ut explicat Concilium Tridentinum Seſſione XIV. Cap. IV. *eſt animi dolor, ac deteſtatio de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero,* elicere tenetur omnino Sacramentorum Miniſter, ſi fuerit peccati mortalis ſibi conſcius, id enim ſignificant verba illa noſtri Textus, *corde pœniteat*, ubi ſcilicet non adſit copia Confeſſarii; ſi enim adſit, *& temporis, locique ratio ferat, convenit confiteri*; quod poſtremum verbum, ut notat ad §. noſtrum Barufaldus, importare videtur obligationem. Deeſſe autem intelligitur copia Confeſſarii, non modo quando non adeſt, verum etiam quando longius abeſt, vel quando etiamſi adſit, timetur vere de eo, quod ob non ſervatum ſigillum, aut aliam ob cauſam, grave damnum ſequeretur, ut poſt Silveſtrum notat Gavantus in Theſauro ſacrorum Rituum, Titulo VIII. §. *Inopia vero*.

VII. Ergo ſi adſit confitendi facultas, non ſufficit elicere actum contritionis ante Sacramenti adminiſtrationem, cum quis ſe reum læthalis peccati noverit. Id enim non obſcure docent noſter §. & S. Carolus loco citato, expreſſeque definitum eſt, quantum ad Miſſæ Sacrificium, a Concilio Tridentino Seſſione XIII. Cap. VII. his verbis: *Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali Confeſſione, ad Sacram Eucharistiam accedere debeat.* Id quod etiam confirmat Can. XI. *Statuit, atque declarat ipſa Synodus, illis, quos conſcientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia Confeſſoris, neceſſario præmittendam eſſe Confeſſionem Sacramentalem.* Porro mandat ipſum Concilium citato Cap. VIII. *quod, ſi neceſſitate urgente Sacerdos abſque prævia Confeſſione celebraverit, quamprimum confiteatur.* Atque hic lubet propoſitionem recenſere ab Alexandro Papa VII. damnatam numero XXXVIII. in Decreto edito die XVII. Martii MDCLXVI. *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali confitendi quamprimum, eſt conſilium, non præceptum*; itemque hanc aliam num. XXXIX. *Illa particula*, quamprimum, *intelligitur, cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur.*

VIII. Ex quibus concludi poteſt, quod alias recte docet Vaſionenſis Epiſcopus Franciſcus Genettus Tomo III. Theologiæ Moralis, Tractatu I. *De Sacramentis*, Cap. VI. Quæſtione IV. idem dicendum eſſe de reliquis Sacramentis. Primo quia ex Tridentino quamvis major adhibenda ſit præparatio ad recipiendam Euchariſtiam, quam ad alia Sacramenta, neceſſarius tamen ſemper eſt ſtatus gratiæ pro adminiſtrandis omnibus Sacramentis, ac proinde neceſſariæ ſunt omnes diſpoſitiones, quas requirit Concilium, ut habeatur certitudo moralis, quod quis non ſit in ſtatu peccati mortalis; proindeque tenetur quis confiteri habita Confeſſoris copia, ſi ſe noverit eſſe in peccato mortali, cum Concilium judicaverit, hanc diſpoſitionem requiri ad habendam illam certitudinem moralem. Secundo, quia nunquam poteſt eſſe vera contritio, quando quis ſe peccati mortalis reum agnoſcens, negligit confiteri, habita copia Confeſſoris; nam, ut vera ſit contritio, debet continere firmum propoſitum confitendi quamprimum, nec Confeſſionem proinde negligere, quando ejus faciendæ habet facultatem. Atqui conſtat in caſu propoſito, eum qui ſolo contritionis actu contentus eſt, priuſquam Sacramentum adminiſtret, non habere hoc firmum propoſitum confitendi quamprimum, cum id non curet, licet id poſſit commode facere,

re, ut ſupponimus; certum igitur eſt, ejus contritionem non eſſe veram.

IX. Hinc adhærere nequeo opinioni Poſſevini in Libro, *De officio Curati*, Cap. v. Quæſt. xl. aliorumque Caſuiſtarum aſſerentium, ſufficere Miniſtro Euchariſtiæ in peccato mortali exiſtenti contritionem, cum, ut dictum eſt, neceſſaria ſit illi ſacramentalis Confeſſio, ubi Confeſſarius adeſſet. Longe autem, & quidem turpi errore errant Caſuiſtæ non pauci relati a Barboſa, *De officio, & poteſtate Parochi*, Parte II. Cap. xx. num. 17. qui nec Confeſſionem, neque contritionem requirunt in Sacerdote in peccato mortali Sacramenta adminiſtrante, ajentes, non peccare mortaliter Parochum, ſi in mortali peccato exiſtens Euchariſtiam adminiſtret, *quia qui miniſtrat Euchariſtiam conſecratam, non eſt Miniſter Dei ad juſtificationem proxime, ſicut in aliis Sacramentis, ſed tantum eſt velnti applicans activa paſſivis; in aliis namque Sacramentis Sacerdos ſimul conficit, & miniſtrat Sacramentum, non autem in hoc; non enim eſt idem conficere, & aliis miniſtrare.*

X. Sed hæ leviſſimæ ratiunculæ ſatis ſuperque refelluntur ex ſuperius dictis, præſertim vero ex recitatis verbis noſtri §. & Catechiſmi Concilii Tridentini, quibus adjungimus Cardinalem Toletum Lib. 1. *Inſtructionis Sacerdotum*, Capite lxxxvii. num. 4. & ſeqq. ubi ait, tria convenire maxime in Miniſtro Sacrorum, quæ ipſum obligant, ut abſque conſcientia peccati mortalis Sacramenta miniſtret. Primum ipſa ſpiritualis eſt conſecratio, per quam poteſtas ei data eſt, nam per Sacramentum gratiæ conſtitutus eſt, & ordinatus Miniſter Domini, unde tenetur ſe in officio ſuo talem exhibere, qualis per ordinationem effectus eſt. Secundum eſt ipſa gratia ad hoc peculiariter collata; nam Sactamentum Ordinis imprimit eam gratiam, qua homo valet, quæ Ordinis ſunt, exercere. Non enim conſtituit Dominus aliquem in officio, vel dignitate aliqua, quin ei conferat, quantum eſt ex ſe, quæ neceſſaria ſunt ad exercenda ea, quæ talis ſunt muneris. Unde peccat, qui abſque tali dignitate accedit ad ea exercenda, quæ ſunt Ordinis, & ex genere ſuo peccatum eſt mortale. Tertium eſt, quia in talibus actibus ſe exhibet Miniſtrum Religionis Chriſtianæ, & cultus ſpiritualis, & divini; oportet ergo eſſe in charitate, ſeu abſque conſcientia peccati mortalis, qui ſe Miniſtrum tanti cultus exhibet.

XI. Siquis autem hic quærat, quoties peccabit, qui adminiſtraverit Sacramenta in peccato mortali, vel dubio de mortali exiſtens, teſte Poſſevino citato loco, num. 43. volunt aliqui, eum peccare toties, quoties adminiſtrabit, ideoque viginti homines communicantem, vigeſies etiam mortaliter peccare. Idem tenere videtur Azorius Lib. iv. *Inſtitutionum*, Parte 1. Cap. iv. Quæſt. vi. licet Suarez Tomo iv. Diſputatione xxii. Sectione v. num. 35. & 36. teneat, eſſe quidem unum peccatum, ſed tamen objecta illa partialia, ſeu quot perſonæ fuerint communicatæ, eſſe neceſſario explicanda, & quod declarent gravitatem objecti. Porro autem ubi varia Sacramenta adminiſtraret, licet ſatis illi ſit, ſi antequam primum exhibeat, contritionem eliciat, quia gratia ſemel obtenta non cenſetur amiſſa ſine novo mortali, ut ait laudatus Poſſevinus, Quæſtione xlii. cavendum tamen ab ea opinione Suarez, & aliorum apud eundem Poſſevinum, Quæſtione xli. quæ docet ſufficere Sacerdoti in peccato exiſtenti, habere contritionem non ante adminiſtrationem Sacramenti, ſed antequam perficiat adminiſtrare Sacramentum. Satis enim opinio ipſa vel a §. noſtro damnata eſt, in quo expreſſe edicitur, ut *Sacerdos ſi fuerit peccati mortalis ſibi conſcius, quod abſit, ad Sacramentorum adminiſtrationem non audeat accedere, niſi prius corde pœniteat &c.* Si itaque vel ipſe acceſſus damnatur, multo magis ipſa adminiſtratio.

XII. Reſtat, ut de alia quæſtione dicamus, an ſcilicet in mortali exiſtens, non quidem miniſtrando, ſed tangendo tantum Sacramenta, peccet. Jam non deſunt, qui affirment, & qui etiam negent, juxta perpetuum Caſuiſtarum morem apud memoratum Poſſevinum, Quæſtione xlv. Porro in eo convenire omnes ait, quod ſi tangantur in neceſſitate, & leventur de terra, non ſit mortale peccatum; tangere vero Euchariſtiam immediate manu, puta mutando eam in aliud vas, mel mediate, puta ferendo in Proceſſione, ex ſententia Suarez, ſubdit non eſſe mortale, ſed rem reprehendendam. Verum conſtanter aſſero, eſſe & hanc opinionem omnino falſam, & a Catechiſmo Concilii Tridentini acriter improbatam, cujus locum ſupra deſcripſi ex Parte II. *De Sacramentis*, §. xxiv. ubi etiam ex Sancto Dionyſio affirmat, Sacerdotibus in peccato exiſtentibus Sacramenta ne contingere quidem permiſſum eſſe. Atque hæc ſatis ſint ad explicationem hujus noſtri §. Cæterum quando liceat a malis Miniſtris petere, & accipere Sacramenta, explicatum habes apud Toletum, *Inſtructionis Sacerdotum*, Lib. 1. Cap. lxxxviii. Non enim eam Quæſtionem diſcutiendam nos hoc loco cenſuimus, quæ non ad Miniſtros Sacramentorum, de quibus nos loquimur, ſed ad illa ſuſcipientes pertinet.

§. V.

Quacumque diei, ac noctis hora ad Sacramenta miniſtranda vocabitur, nullam officio ſuo præſtando, præſertim ſi neceſsitas urgeat, moram interponat, ac propterea populum ſæpe, prout ſe ſe offeret occaſio, præmonebit, ut cum ſacro miniſterio opus fuerit, ſe quamprimum advocet, nullam temporis, aut cujuſcumque incommodi habita ratione.

COMMENTARIUS.

I. Paratos ſemper eſſe debere animarum Paſtores ad Sacramenta adminiſtranda, omnes paſſim Synodi inculcant, uti inter alios notat Vaneſpen Parte II. *Juris Eccleſiaſtici univerſi*, Tit. 1. Cap. II. Num. vi. Sed audiendum primum hic cenſeo S. Carolum Parte iv. Acto-

Actorum Eccleſiæ Mediolanenſis in Rubricis, ſeu Iuſtrationibus generalibus, *De Sacramentorum adminiſtratione*, ſic inter alia ajentem: *Quacumque diei, ac noctis hora ad Sacramenta miniſtranda vocabitur*, Parochus ſcilicet, (*cum præcipuum ejus munus, cujus cauſa a reliquo populo ſeparatur, ab Eccleſiaque ſuſtentatur, præter cætera, eorum adminiſtratio ſit*) *nullam tam ſanctæ pietatis officiis moram interponet*. Tum mox: *Immo populum ſæpe numero, prout occaſio tulerit, accurate præmonebit, ut, cum opus eſt Parochiali miniſtratione, atque officio, ſe quamprimum, & libere accerſat, nulla habita, nec temporis, neque loci diſtantis, neque alterius cujuſcumque incommodi ratione*. Habes hic ipſa noſtri §. verba recitata, atque uberius explicata. Sed & alia idem S. Præſul ſubjicit, quibus magis magiſque noſter §. illuſtratur: *Cum autem accerſitur*, inquit, *tantum abeſt, ut verbis, vel vultu, vel alio ſigno oſtendat, ſe gravate iturum, ut illius, cui miniſtrare debet, ſalutis deſiderio ſe accenſum Patrem præbens, verborum benignitate, vultuque hilari charitatem paternam ſignificante, & libentiſſime, & ut poteſt, celerrime accedat*.

II. Præter Synodos a memorato Vaneſpen allatas, Provincialis Synodus VI. Beneventana ſub Hugone II. Guidardio anno MCCCLXXIV. habita, Tit. III. Cap. III. *ſub pœna excommunicationis, & ſuſpenſionis officii, & beneficii, & in virtute ſanctæ obedientiæ* injungit, *ut quocunque tempore, & quacunque hora diei, vel noctis Sacerdos pro Baptiſmo, Pœnitentia, vel Eucharistia, vel extrema Unctione, fuerit requiſitus, omni occaſione, & mora poſtpoſitis, ad conferenda ea exhibeat liberaliter ſe paratum*. Provincialis quoque itidem Beneventana X. ſub Jacobo III. Cardinale Sabello anno MDLXVII. celebrata Seſſione III. Tit. I. Cap. II. inter alia Parochis mandat, ut *ipſi per ſe ipſos, non per ſubſtitutos, niſi neceſſitatis cauſa Sacramenta adminiſtrent; maximam vero diligentiam adhibeant, nequis e vita diſcedat abſque Sacramentis; quod ſi eorum culpa aliquando acciderit, ſeveriſſime Epiſcoporum arbitratu puniantur*.

III. Similia paſſim & aliæ Synodi, tum Provinciales, tum particulares inculcant, inter quas Farfenſis ſub Carolo Cardinali Barberino Cap. VI. num. VII. noſtro huic §. & S. Caroli dictis concinens, ſic habet: *Quacumque diei, ſeu noctis hora ad Sacramenta miniſtranda vocabuntur*, Parochi nempe, *hilari vultu, & prompto animo accedentes, nullam tam ſanctæ pietatis officiis moram interponent; ideoque populum ſæpe monebunt, ut, cum opus fuerit Parochiali officio, & miniſtratione, ſe quamprimum, & libere accerſat, nulla habita ratione, aut temporis, aut loci diſtantis, aut alterius cujuſcumque incommodi ratione*. Exſcripſit plane quod S. Carolus edixerat, & addit: *Imo cum aliquos in Parochiæ ſuæ finibus ægrotare intellexerint, eos ſtatim etiam non vocati conveniant, curentque, ut Pœnitentiæ Sacramento peccatis ſuis expiatis, ſacram Euchariſtiam percipiant, & quos gravius affectos corporis morbo cognoverint, eos maxime perſuadere conentur, ut ad hæc ſalutaria animæ remedia frequentius confugiant*. Cum ergo ex præſcripto noſtri §. & variorum Conciliorum Decretis cautum ſit, ut quacunque diei, & noctis hora ad Sacramenta miniſtranda vocabitur Parochus, nullam officio ſuo præſtando, præſertim ſi neceſſitas urget, moram interponat, tenetur profecto accurrere, ac tum etiam ſive prandeat, ſive cœnet, ſive dormiat, ſive oret, ſive Horis Canonicis recitandis incumbat, ſive ſi quicquid aliud, non tamen ſi Miſſam celebret, debet eſſe ad operam ſuam præſtandam paratus. Sane verbum illud, *quacunque hora*, generale eſt, & oritur ex obligatione juſtitiæ, qua, tempore præſertim gravis neceſſitatis tenetur Parochus Sacramenta Parochianis ſuis miniſtrare etiam cum certo propriæ vitæ periculo. Ubi enim detrimentum ovium ſuarum immineret in ſpiritualibus, non poterit ille propter peſtem, aliumve morbum contagioſum, aeris intemperiem, ſeu ob inimicitias, aut Principis, vel populi furorem, ſe excuſare, niſi adſint alii Miniſtri, qui munus illud ſufficienter præſtent, uti poſt citatos varios Theologos, ac potiſſimum omnium Principem S. Thomam, probat Barboſa Parte II. *De officio, & poteſtate Parochi*, Capite XVII. num. 12. & ſeqq.

IV. Licet autem vocatus Parochus accurrere protinus ad infirmum debeat, præſertim ſi neceſſitas urgeat miniſtrandi ei Sacramenta, non tamen tenetur, potiſſimum ubi de nocte vocaretur, ſeminudus pergere, ſed indui debet neceſſario veſtitu, ac veſte talari, Superpelliceo, & Stola, ſi ſcilicet præter Pœnitentiæ Sacramentum, Euchariſtiæ etiam, & extremæ Unctionis, miniſtrari infirmo morienti Sacramenta opus eſſet. Ait Poſſevinus, *De officio Curati*, Cap. V. Num. XXXIV. quod *debet feſtinare, & relinquere omnia, quæ non ſunt neceſſaria ad neceſſarium veſtitum, puta non debet ſe palire, lavare, pectere, & ſe veſtire, ac ſi deberet in die claro per medium Forum tranſire &c.* Sed hoc Poſſevini aſſertum corrigit quidem Barrufaldus Tit. II. §. V. num. 25. & ſeq. ubi ait, non ferre decus miniſterii, ut hirſutis, incultiſque comis, palpebris conglutinatis, manibus ſordidis, ac omnino impolitis, accedat ad Sacramenta miniſtranda, & licet hoc fieri debeat minori cultura, non omnino tamen eſſe omittendum. Hinc licet varia a Conciliis, & Ritualibus præſcribantur lumina ad deferendam infirmo Euchariſtiam, non puto, poſſe Parochum, tametſi neceſſitas urgeat, ſine ullo prorſus lumine eam deferre, & niſi ſit Superpelliceo, & Stola indutus.

V. Adnotandum ſupereſt, quod licet ex noſtri §. præſcripto, ubi *vocabitur* Parochus ad Sacramenta infirmo miniſtranda, præſertim ſi neceſſitas urgeat, uti dictum eſt, debeat ſtatim accurrere, certum illud plane eſt, teneri & illum etiam non vocatum ad infirmum periculoſo morbo laborantem Sacramenta deferre, uti Auctores paſſim docent, ac Synodi mandant, inter quas memorata ſuperius Farfenſis Synodus, cujus locum deſcripſi. An autem quivis alius Sacerdos ſæcularis, Regulariſve, abſente Parocho, præſertim ſi fuerit vocatus, poſſit, ac debeat ad infirmum morientem Viaticum, & extremam Unctionem deferre, puto equidem, poſſe non ſolum, ſed etiam debere; agitur enim de re graviſſima, & de conſulendo ſaluti æternæ moribundi Sacramentis indigenti, abſque ulla Parochi injuria; qui etiam, uti credere par eſt, & ratum habebit, quod egit Sacerdos, & magnas gratias aget. Hæc plane eſt communis Theologorum ſententia, inter quos eruditus Antoine in ſua Theologia Morali, Tractatu, *De Euchariſtia*, Cap. II. Quæſt. V.

Quæſt. v. Reſponſione II. ita ad rem inquit: *Si tamen Paſtor abſit, vel præſens non poſſit dare Viaticum ægro, tunc quilibet Sacerdos, & eo deficiente, Diaconus POTEST, AC DEBET miniſtrare; nam tunc præſumitur voluntas Epiſcopi, vel Papæ, cum Eucbariſtia ſit tunc de Jure Divino præcepta, & maxime utilis ſit, imo aliquo modo neceſſaria ad vires ſpirituales in illo periculoſo agone comparandas*. Idemque in Tractatu, *De extrema Unctione*, Quæſtione III. poſtquam dixit, hoc Sacramentum licite miniſtrari a ſolo Paſture proprio, vel alio de ejus licentia, ita tamen deinde ſubjicit: *In caſu tamen neceſſitatis, quo aliquis infirmus ſine boc Sacramento moriturus eſſet, quilibet Sacerdos POTEST, ET DEBET ex charitate illud miniſtrare; nam tunc Eccleſia banc facultatem concedere cenſetur*. Additque mox: *Neque in Clementina* 1. De privilegiis, *ubi excommunicantur Religioſi, qui ſine licentia Parochi illud ſæcularibus conferunt, bic caſus neceſſitatis comprebenditur, alioqui eſſet in deſtructionem*.

VI. Jam nou deſunt Coucilia Provincialia æque, ac particularia, in quibus expreſſe edicitur, abſente Parocho, licite deſerri, abſque ejus licentia, ad ægrotum, imminente mortis periculo, ab alio Sacerdote Viaticum, & extremam Unctionem. Certe de ipſa Unctione extrema teſtis eſt S. Carolus in Cuncilio Provinciali Mediolanenſi v. Parte 1. Conſtituuinum, Capite, *Quæ pertinent ad Sacramentum extremæ Unctionis*, inſcripto, ubi poſtquam edixit, *ne alius Sacerdos, niſi Parochus boc Sacramentum miniſtret*; ita ſtatim ſubjungit: *Si porro is impeditus, aut aliat in mora eſt, mortiſque periculum inſtat, tunc Sacerdos alius miniſtret, licet.*

§. VI.

Ipſe vero, antequam ad hujuſmodi adminiſtrationem accedat, paulum ſi opportunitas dabitur, orationi, & ſacræ rei, quam acturus eſt, meditationi vacabit, atque ordinem miniſtrandi, & cæremonias pro temporis ſpatio prævidebit.

COMMENTARIUS.

I. NIhil dici ad explicandam hunc §. luculentius poteſt, quam quod S. Carolus in laudatis toties Inſtructionibus, *De Sacramentorum adminiſtratione*, præſcribit. Hæc ejus verba: *Antea vero quam accedat*, Parochus ſcilicet, vel etiam alius Sacerdos, ad quem Sacramentorum adminiſtratio pertinet, *paulum ſaltem in ſacræ actionis, quam ſuſcepturus eſt, meditatione attente verſabitur. Atque ut ipſe ſancte miniſtret, & cui miniſtrabit, pie ſalutariterque percipiat, niſi cum neceſſitas eum feſtinare cogit, genibus flexis ad Altare paulatam orabit, & banc orationem adbibere poterit ubi propria adſcripta non eſt*: Veni Sancte Spiritus, reple tuurum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende. ℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. ℟. Sicut erat &c. *Iterum*: Veni Sancte Spiritus. ℣. Duminus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. *Oratio*. Domine Deus omnipoteus, qui me indignum, propter tuam miſericordiam, Miniſtrum feciſti Sacerdotalis officii, propitius eſto mihi peccatori, ut condigne poſſim Divina tuæ clementiæ Sacramenta fidelibus ad ea confugientibus miniſtrare. Per Dominum noſtrum &c.

II. Ex noſtro §. nulla quidem vocalis oratio præſcribitur, *Paululum*, inquit, *ſi opportunitas dabitar, orationi, & ſacræ rei, quam acturus eſt, meditationi vacabit*. Recte autem *paululum* ait, quia non debet Sacerdos tunc adeo orationi, & meditationi vacare, ut tædio afficiantur, qui Sacramenta petunt. Debet eſſe meditatio cum diſcretione, & ſine expectantium incommodo, ac detrimento. Præter meditationem, quam mente facere poteſt Sacerdos Sacramentum collaturus, circa dignitatem, majeſtatem, & utilitatem Sacramenti, vult etiam noſter §. ut orationi vacet, vocali forte, ac illi, quæ in ſuæ Eccleſiæ Rituali, vel Synodalibus Conſtitutionibus Diœceſis præſcripta eſt; & ubi aſſignata non eſſet, recitare poſſet aliquot Pſalmos, Orationes, ac Hymnos, ex Divina Scriptura, & Libris Miſſalibus deſumtos, quales exempli gratia ſunt Pſalmus, *Miſerere*, Oratio, *Actiones noſtras*; vel Hymnus, *Veni Creator Spiritus*; ſive etiam jaculatorias preces ex ſacris Literis acceptas, propriaſque ſacræ rei, quam acturus eſt. Sed vitanda prurſua prolixitas, nam ait noſter §. *paululum*, &, *ſi opportunitas dabitur*.

III. Mandat præterea noſter §. ut Parochus, Sacerduſvu alius, antequam ad Sacramentorum adminiſtratiunem accedat, *ordinem miniſtrandi, & cæremonias pro temporis ſpatio, prævideat, & perlegat*. Id plane paſſim inculcant Epiſcopi in ſuis Synodis, præſertim vero S. Carolus in Conciliis ſuis Mediolanenſibus, & in Rubricis, ſeu Iuſtrationibus generalibus, *De Sacramentorum adminiſtratione*, ubi ſic inter alia inquit: *Et præterea, ne titubanter quidquam in miniſtratione agat, quamvis ordinem miniſtrandi, cæremoniaſque rite teneat, antea tamen quam miniſtret, attente ex Libro religioſa animi intentione, quæ agenda ſunt, recognoſcet*. Teſte Barrufaldo in Commentario ad hunc noſtrum §. num. 44. *Solebat claræ memoriæ Cardinalis de Verme olim Epiſcopus Ferrarienſis, Sacerdotibus noviter conſecratis, & ad Parocbialem aliquam Eccleſiam deſignatis injungere, ut quotidie perlegerent Caput unum Rubricarum, ſive Miſſalis, ſive Breviarii, ſive Ritualis, donec memoriter illud tenerent, & boc, ut facile baberent ad manus reſolutiones in caſibus adminiſtrationis Sacramentorum, ſeu recitationis Horarum Canonicarum*. Porro quod Rubricæ utplurimum ignorentur, & ſacræ cæremoniæ uſu ipſo vileſcant, Benedictus XIII. Pontifex Maximus cum reverentia nominandus, in Concilio Romano, quod celebravit anno MDCCXXV. Tit. xv. Cap. ix. opportune ſtatuit, ut Congregatiunes Cleri, tum in Civitatibus, tum in Diœceſibus ſemel in unaquaque hebdomada, certo deſignato die, & ſub certa pœna pecuniaria contra contumaces, habeantur,

tur, in quibus alternatim, & Rituum, & Conſcientiæ caſus proponantur, diſcutiantur, & practice exerceantur, methodo ſervata Synodali, quæ in ejuſdem Concilii legitur Appendice.

§. VII.

In omni Sacramentorum adminiſtratione Superpelliceo ſit indutus, & deſuper Stola ejus coloris, quem Sacramenti ritus expoſcit, niſi in Sacramento Pœnitentiæ miniſtrando occaſio, vel conſuetudo, vel locus interdum aliter ſuadeat.

COMMENTARIUS.

I. SUperpelliceum cum Stola adhibendum a Parochis, Sacerdotibuſque in Sacramentorum adminiſtratione, præcipiunt paſſim Sacræ Epiſcoporum Synodi provinciales, ac particulares, præſertim vero Mediolanenſis 1. Provincialis S. Caroli Parte II. Conſtitutionum, in eo Capite, quod inſcriptum eſt, *De iis, quæ ad Sacramentorum adminiſtrationem generatim pertinent*, ubi inter alia diſerte edicitur, ut *Sacerdotes in Sacramentorum adminiſtratione ſemper Superpelliceum, & Stolam adhibeant*. Idipſum expreſſius, luculentiuſque edixit idem Sanctus Præſul in Rubricis, ſeu Inſtructionibus generalibus, *De Sacramentorum adminiſtratione*, a Parocho præſertim ſervandis, ubi etiam coloris meminit Stolæ in ipſa adminiſtratione adhibendæ: *In omni Sacramentorum adminiſtratione ſemper Superpelliceum decens, & Stolam adhibebit; quæ Stola colore erit, quem Sacramenti miniſtrandi ratio rite poſtulat*. Eadem fere legere eſt in Provincialibus Conciliis Rotomagenſi anni MDLXXXI. Aquenſi anni MDLXXXV. & in aliis plurimis, quæ longum eſſet deſcribere.

II. Decet ſane quammaxime, ut Sacramenta Eccleſiæ non veſte communi, ſed ſacra, rebuſque ſacris peragendis deſtinata, celebrentur; dignique iccirco reprehenſione ſunt nonnulli Sacerdotes ſæculares, Regulareſque, qui contra Romani hujus Ritualis præſcriptas, & repetitas toties ubique ab Epiſcopis Eccleſiaſticas ſanctiones, vel in ipſa Eccleſia in Confeſſionalibus ſedentes, ſine Superpelliceo, & Stola ſacras Fidelium confeſſiones audiunt. Loquor potiſſimum de ſæcularibus Presbyteris, & iis qui ex Ordinibus Clericorum Regularium ſunt, qui vel abſque Superpelliceo, & Stola Pœnitentiæ Sacramentum in Eccleſia miniſtrant, vel cum Stola dumtaxat. Porro Stola in adminiſtratione Sacramentorum, debet eſſe, ut ait noſter §. *ejus coloris, quem Sacramenti ritus expoſcit*. Neque enim omnino probo aliquarum Eccleſiarum uſum, in quibus ſacræ veſtes multiplicis ſimul ſolent eſſe coloris, albi ſcilicet, rubei, viridis, violaceique, ut in omni ſacra actione, quæ proprium colorem requirit, adhiberi queant. Quicquid autem ſit de cæteris ſacris veſtibus, quæ forte ob Eccleſiarum paupertatem multiplicis fiunt coloris, curare debent ipſarum Præfecti, ut Stolæ ſaltem unius illius coloris fiant, quem Sacramenti ritus expoſcit; non enim ad faciendas hujuſmodi Stolas multa eſt opus pecunia. Atque huc ſpectat quod ſcribit Barrufaldus in Commentario ad hunc noſtrum §. num. 54. his verbis: *Abſit vero penuria illa (heu quam ſordida!) verſipelles Stolas adhibendi duplicis coloris, ſeu utraque parte varie coloratas, adeout repente de uno in aliud miniſterium, ſeu ad aliud Sacramentum miniſtrandum tranſiens Sacerdos, ſit ſcenæ mutatio ſine loci, & rei diverſitate, nec alio modo, niſi Stolam invertendo, & pannum ſubſutum pro vera facie demonſtrando, ſeu ſuppeditando; difficile credo, dari poſſe in Eccleſia Parochiali licet exigui patrimonii talem penuriam, quæ tamen in aliquibus locis, me erubeſcente, data eſt, unice a Parochorum ignavia, & negligentia provenientem*.

III. Notanda nunc ſunt illa noſtri §. verba, quibus dicitur, adhibendum quidem in Sacramentorum adminiſtratione Superpellicium cum Stola ejus coloris, quem Sacramenti ritus expoſcit, *niſi in Sacramento Pœnitentiæ miniſtrando occaſio, vel conſuetudo, vel locus interdum aliter ſuadeat*. Reſtringitur ea clauſula unice ad Pœnitentiæ Sacramentum, quia ſcilicet cum ubique locorum, & in quacumque hora, neceſſitate id exigente, Sacramentum iſtud adminiſtrari opus ſit, haberi præ manibus Superpelliceum, & Stola non poteſt: *Poteſt etiam*, ut ſcite obſervat Barrufaldus loco citato, num. 56. *dari caſus repentinus adminiſtrandi Baptiſmum in neceſſitate, & tunc etiam Sacerdos diſpenſatur ab uſu Cottæ & Stolæ, non tantum ob ſubitaneitatem caſus, ſed etiam quia hoc Sacramentum adminiſtrari poteſt a quacumque perſona, non a ſolo Sacerdote*. Ad Matrimonium quod attinet, ſubdit mox idem Auctor, in hoc Sacramento Parochum eſſe tantum Teſtem omni exceptione majorem, & quandocumque, illicite tamen, dari poſſe caſum, quod clandeſtine, & ex tempore, quocumque in loco interpelletur Parochus ad aſſiſtendum ejuſmodi Matrimonio; tunc enim cum id prævideri non poſſit, ita facile Cottam, & Stolam, non eſſe illi præ manibus. Sed Barrufaldi pace, ſi prævideri hujuſmodi Matrimonium poſſet, jam non opus eſſet Superpelliceo, & Stola, cum nullo modo poſſit, ac debeat Parochus ei intereſſe, quinimo etiam cavere tenetur, ne prorſus interſit.

IV. Quod tandem ait noſter §. conſuetudinem interdum aliter ſuadere, ut nempe Superpelliceum cum Stola in Sacramento Pœnitentiæ adminiſtrando minime adhibeatur, puto intelligi quum illud extra Eccleſiam, & Confeſſionalem Sedem ibi exiſtentem adminiſtratur; nam alias etiam Regulares, qui in habitu ſuæ Religionis Confeſſionalibus inſident, Stola etiam utuntur, juxta praxim, quæ ſervatur in Eccleſiis Regularium Urbis, ſervarique debet in aliis eorundem Eccleſiis Orbis, juxta complurium Conciliorum Provincialium, particulariumque ſanctiones, ut rite, & cum decore Eccleſiaſtico Sacramentum ipſum adminiſtretur, diſtinguaturque ab aliis humanis actionibus, quæ in communi veſte peraguntur.

§. VIII.

§. VIII.

Adhibebit quoque unum ſaltem, ſi habeat, vel plures Clericos, prout loci, & Sacramenti ratio poſtulabit, decenti habitu, & Superpelliceo pariter indutos.

COMMENTARIUS.

I. UT ea, qua par eſt, religione, & cultu Sacramenta adminiſtrentur, recte ait hic noſter §. adhibendum eſſe quoque a Parocho ea miniſtrante, *unum ſaltem, ſi habeat, vel plures Clericos, prout loci, & Sacramenti ratio poſtulabit, decenti habitu, & Superpelliceo pariter indutos*. Eadem fere habet S.Carolus in memoratis toties Inſtructionibus, *De Sacramentorum adminiſtratione*, his verbis: *Accerſat item*, Parochus ſcilicet, *Parochiæ ſuæ Clericos, quos decenti habitu, & Superpelliceo inprimis recte indutos, tot, ut poterit, adhibebit, quot Sacramenti ratio depoſcet*. Quod forte in Parochiis tenuibus, quæ vix alere Parochum poſſunt, nullus ſit Clericus, qui ei in ſacra functione aſſiſtat, hinc noſter §. inquit, *adhibebit quoque unum ſaltem, ſi habeat*. Porro digna admiratione res eſt, multas eſſe vel in Urbe Parochias, in quibus Parochi nullum habent Clericum prorſus, qui ei miniſtret, ſed pueris utuntur utplurimum immorigeris, ac literas neſcientibus, modicaque mercede conductis, qui Superpelliceo induti, in Sacramentorum adminiſtratione inſerviunt. Optandum ſane, ut Summi Eccleſiarum Præſules hunc abuſum corrigerent, Parochoſque cogerent, ut vel ex certis redditibus, quibus abundarent, vel ex incertis obventionibus a funeribus provenientibus, competens ſalarium alicui Clericatu initiato præberent, quo ad rite Sacramenta adminiſtranda uterentur. Ubi nec ita occurri abuſui poſſit, alii certe modi non deſunt ipſis Eccleſiarum Præſulibus inopiæ Parochiæ providendi.

II. Fortaſſe quæret hic quiſpiam, num poſſit Clericus cogi, ut Parocho in adminiſtratione Sacramentorum inſerviat, quia ſcilicet Tridentina Synodus Seſſione XXIII. *De reformatione* Cap. XVI. veſtigiis ſexti Canonis Concilii Chalcedonenſis, quem nos late explicuimus ſuo loco in noſtro I. Tomo Conciliorum, inhærendo, ſtatuit, ut nullus impoſterum ordinetur, qui illi Eccleſiæ, aut pio loco, pro cujus neceſſitate, aut utilitate aſſumitur, non adſcribatur, ubi ſuis fungatur muneribus. Reſpondeo, cogi quidem poſſe, ſed aſſignata illi congrua ſuſtentatione, ut reſpondit Sacra Congregatio negotiis Epiſcoporum & Regularium præpoſita, Archiepiſcopo Conſentino die v. Aprilis MDXCIII. teſte Barrufaldo in Commentario ad hunc noſtrum §. num. 61. Et ratio eſt, quia quando Clerici de redditibus Eccleſiæ non participant, non tenentur ſuis ſtipendiis militare: *Clerici omnes*, inquit Concilium Agathenſe, relatum in Canone x.Cauſa 1. Quæſtione II. *qui Eccleſiæ fideliter, vigilanterque deſerviunt, ſtipendia ſanctis laboribus debita, ſecundum ſervitii ſui meritum, per ordinationem Canonum, a Sacerdotibus conſequantur*. Cui concinit Innocentius Papa III. in Decretali Epiſtola ad Epiſcopum Zamorenſem relata in Cap. XVI. *De Præbendis*, ubi ita inquit: *Cum ſecundum Apoſtolum, qui Altario ſervit, vivere debeat de Altari, & qui ad onus eligitur, non debet repelli a mercede; patet a ſimili, ut Clerici vivere debeant de patrimonio Jeſu Chriſti, cujus obſequio deputantur*.

III. Sed cum hoc hodie vix obtineri poſſit, ut Eccleſiaſtici proventus iis dentur, qui inſervire Eccleſiis debeant, notandum plane & illud, quod idem Barrufaldus obſervat num. 59. ubi laicus ſcilicet ob Clericorum defectum, Parocho, aliive Sacerdoti Sacramenta adminiſtranti inſerviat, non poſſe illum Superpelliceo indui, quia Superpelliceum proprie veſtis eſt Eccleſiaſtica ad uſum Clericorum, non vero laicorum, niſi iſti laici ſint Religioſi, quia in hoc caſu, quamvis tonſurati non ſint, ſunt tamen de Religioſa familia, & a laicis omnino diſtincti ob regularem Ordinem, quem profitentur. Sed invaluit paſſim, ut vel in ipſis Eccleſiis etiam Regularium Urbis pueri, adoleſcentulique ſæculares in miniſterio Altaris, & adminiſtratione Sacramentorum adhibeantur; qui tamen utinam eſſent morigeri, eaque ſcirent, quæ ad ſolas ſaltem ſui muneris partes pertinent. Peccant ſane in hoc Eccleſiarum Rectores, quorum eſſet, quandoque ſaltem, cohortationibus præmonere, quam modeſte, & quanta devotione ſacras functiones proſequi debeant. Ceterum, ubi deeſſet laicus mas, poſſe quidem & feminam in adminiſtratione Sacramentorum inſervire, docent nonnulli apud eundem Barrufaldum; qui tamen eam ſententiam improbat, ſolumque admittit, loquendo de Monialibus, intra quarum ſepta nonniſi Confeſſarius admittitur pro adminiſtratione Sacramentorum; in eoque caſu recte ſubdit, non habere locum rubricam noſtri §. quod ſcilicet Superpelliceo pariter hæc femina ſit induta, cum juxta iſtius Auctoris opinionem jam neque laicus poſſit Superpelliceum adhibere, ſi in Sacramentorum adminiſtratione operam ſuam præſtaret.

§. IX.

Curabit etiam, ut ſacra ſupellex, veſtes, ornamenta, linteamina, & vaſa miniſterii integra, nitidaque ſint, & munda.

COMMENTARIUS.

I. DEſcribendum hic primum cenſeo, quod noſtro huic §. concinens ait in ſuis *De Sacramentorum adminiſtratione*, Inſtructionibus S. Carolus: *Hoc etiam præcavebit*, nempe Parochus, *ut veſtes ſacræ, ſupellex, & vaſa, quæ ad miniſtrationis uſum adhibentur, ab omni ſorde pura ſint, atque adeo quodam Eccleſiaſticæ munditie nitore colluceant*. De mundi-

ditie, ac nitore ſupellectilis Eccleſiaſticæ, innumeræ pene extant Epiſcoporum Sanctiones in eorum Synodis, tum provincialibus, tum particularibus expreſſæ adverſus avaritiam quorundam Rectorum Eccleſiarum, quibus adde Synodum generalem Lateranenſem IV. anno MCCXV. celebratam, in qua Innocentius Papa III. Cap. XIX. dolens, quod Clerici quidam, *non ſolum Eccleſias dimittant incultas, verum etiam vaſa miniſterii, & veſtimenta Miniſtrorum, ac Pallas Altaris, necnon ipſa Corporalia tam immanda relinquunt, quod interdum aliquibus ſunt horrori*, diſtricte præcepit, *ut Oratoria, Vaſa Corporalia, & Veſtimenta prædicta, munda, & nitida conſerventur*. Notanda eſt ratio, quam mox ſubjicit: *Nimis enim videtur abſurdum, in Sacris ſordes negligere, quæ dedecerent etiam in prophanis*. Integrum hoc memorati Concilii Caput relatum eſt in Capite II. *De cuſtodia Euchariſtiæ &c.*

II. Debet plane multa eſſe in hac re tanti momenti vigilantia, non enim ferendus eſt abuſus ille, qui alicubi non ſine piorum hominum ſenſu in quibuſdam Eccleſiis cernitur, ubi gravi Præpoſitorum, Rectorum, Sacriſtarumve oſcitantia, fœdave avaritia quærentium quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti, ſacra ſupellex adminiſtrationi Sacramentorum deſtinata, quamvis ita vetuſtate detrita ſit, ut amplius uſui eſſe nequeat, adhuc tamen in divino miniſterio uſurpatur. Hunc abuſum, ut jam notavimus Lib. III. *De Codice Sancti Evangelii, &c.* Cap. XIX. & Tomo I. Commentariorum ad Cæremoniale Epiſcoporum Cap. VI. §. II. num. IV. ſuo tempore deplorabat uberrimis lacrymis religioſiſſimus Cardinalis Bellarminus in aureo Opuſculo, *De gemitu columbæ*, Lib. II. Cap. V. ubi ſic inter alia ſcribit: *Omitto, quod alicubi ſacra vaſa, & veſtes, quibus Myſteria celebrantur, vilia, & ſordida inveniantur, indigna prorſus, quæ ad tremenda Myſteria adhibeantur*. Tum mox ſibi objiciens, eos, qui forte hæc adhibent, pauperes eſſe, egregie reſpondet: *Id quidem fieri poteſt, ſed ſi pretioſa non ſunt, ſaltem munda, & nitida procurarent*.

III. Sed dignum notatu eſt, quod hanc in rem narrat, quodque iccirco lubet hoc loco deſcribere: *Ego tamen cum aliquando ex itinere apud Epiſcopum nobilem, & prædivitem hoſpitarer, vidi Aulam vaſis argenteis ſplendidam, & menſam omni genere præſtantium ciborum refertam, mappas quoque, & reliqua omnia nitida, & odorem ſuavem ſpirantia; ſed cum die ſequenti ſummo mane ad Eccleſiam Palatio contiguam deſcendiſſem, ut Sacris operarer, inveni omnia contraria, ideſt, vilia, & ſordida, ut vix auderem in tali loco, & cum tali apparatu Divina Myſteria celebrare*. Concludit tandem laudatus Auctor ſic inquiens: *Scio, non deeſſe in Eccleſia Dei multos optimos, & religioſiſſimos Sacerdotes, qui corde mundo, & nitidiſſimo apparatu Divina Myſteria celebrant, pro quibus gratiæ Deo ab omnibus agendæ ſunt. Sed ſimul etiam fontibus lacrymarum plangendi ſunt non pauciores, qui exteriore turpitudine, & ſordibus, animi ſui impuritatem, ſordeſque teſtantur*. Sed hujuſmodi exempla vetera, ac nova afferri pene innumera poſſent.

§. X.

In Sacramentorum adminiſtratione, eorum virtutem, uſum, ac utilitatem, & cæremoniarum ſignificationes, ut Concilium Tridentinum præcipit, ex Sanctorum Patrum, & Catechiſmi Romani doctrina, ubi commode fieri poterit, diligenter explicabit.

COMMENTARIUS.

I. STatuit quidem Concilium Tridentinum Seſſione XXIV. *De reformatione*, Capite VII. cujus in hoc noſtro §. fit mentio, ut ab Epiſcopis, & Parochis, Sacramentorum virtus, antequam populo adminiſtrentur, explicetur: *Ut fidelis populus*, inquit, *ad ſuſcipienda Sacramenta, majori cum reverentia, atque animi devotione accedat, præcipit Sancta Synodus Epiſcopis omnibus, ut non ſolum cum hæc per ſe ipſos erunt populo adminiſtranda, prius illorum vim, & uſum pro ſuſcipientium captu explicent; ſed etiam idem a ſingulis Parochis, pie, prudenterque, etiam lingua vernacula, ſi opus ſit, & commode fieri poterit, ſervari ſtudeant juxta formam a Sancta Synodo in Catecheſi ſingulis Sacramentis præſcribendam, quam Epiſcopi in vulgarem linguam fideliter verti, atque a Parochis omnibus populo exponi curabunt*. His concinit S. Carolus in Concilio Provinciali I. Mediolanenſi, Conſtitutionum Parte II. Capite inſcripto, *De iis, quæ ad Sacramentorum adminiſtrationem generatim pertinent*, ubi hæc habet: *Epiſcopi in adminiſtrandis Sacramentis, illorum vim, & uſum, pro eorum, qui ſumpſerint, & adfuerint, intelligentia, diligenter explicabunt*. Tum vero mox ita ſubjicit: *Idem quoque facient Parochi ea ratione, ac ſententia, quæ in Catechiſmo Romano edendo auctoritate Sanctiſſimi Domini noſtri præſcribetur. Interim vero aliquo Catholici Scriptoris Catechiſmo ab Epiſcopo deligendo utantur*.

II. Edito tandem Romano Catechiſmo opera & ſtudio trium Fratrum inclyti Ordinis Prædicatorum, nempe Leonardi Martini Genuenſis Archiepiſcopi Lancianenſis, Aegidii Fuſchararii Bononienſis Epiſcopi Mutinenſis, & Franciſci Forerii Ulyſſiponenſis, probatoque primum auctoritate S. Pii V. qui ex eodem Prædicatorum Ordine ad Summi Pontificatus apicem anno Chriſti MDLXVI. aſſumptus fuit, mandarunt ſtatim Epiſcopi Parochis ſuis, ut eo ad Sacramenta, aliaque ad Chriſtianam doctrinam ſpectantia explicanda uterentur. Audiendus hic iterum Sanctus Carolus, qui in ſuis, *De Sacramentorum adminiſtratione*, Inſtructionibus, ſic inquit: *Sacramenti, quod miniſtrabit, Parochus nempe, vim, rationem, uſum, ſalutareſque fructus, prout temporis, ac perſonæ ratio, & præſentium multitudo tulerit, diligenter explicabit, præſertim Catechiſmi Romani doctrinis, quas partim etiam ſu-*

ſumere poterit ex Libro S. Patris noſtri Ambroſii, De Sacramentis, &, De iis, qui iuitiantur Myſteriis. *Cum vero cæremoniæ, quæ ad Sacramenta adhibentur, mentes illorum, qui eas intuentur, accurateque obſervant, ad ſublimium rerum cogitationem erigant, Fidemque, & charitatem in iis ipſis excitent, earum etiam vim, ſanctioreſque ſignificationes, ut diligentiſſime poterit, idem populo exponet, cum uſuvenerit*.

III. Sed difficile hnc a multis obtineri Parochis poteſt, qui ſacros ritus, cæremoniaſque ignorant, nullamque iis addiſcendis ſtudium impeudunt, ut illas alios ſuæ curæ ſubjectos doceant, coutenti ſolum Libros illos verſare, qui caſus conſcientiæ, & Parochialia jura in Decimis exigendis, aliiſque emolumentis lucraudis tractant. Digna plane res lacrymis eſt, pueros, adoleſceutes, ſeneſque complures inveniri, qui ad Sacramenta accedunt ſiue ullo prorſus ſervore, quod eorum virtutem, utilitatem, & cæremoniarum, quibus celebrautur, ſignificationes neſciunt. Non addubito, quin rei culpæ læthalis ſint Parochi ipſi, ſi nullam ejus rationem habent, quod de explicandis populo, potiſſimum ubi cummode fieri poterit, ſacris cæremoniis iu Sacramentorum adminiſtratioue, & Rituale Romanum in hoc noſtro §. & S. Carolus, & præſertim Tridentinum Coucilium mandant.

§. XI.

Dum Sacramentum aliquod miniſtrat, ſingula verba, quæ ad illas formam, & miniſterium pertinent, attente, diſtincte, & pie, atque clara voce pronunciabit. Similiter & alias orationes, & preces devote, ac religioſe dicet; nec memoriæ, quæ plerumque labitur, facile confidet, ſed omnia recitabit ex Libro. Reliquas præterea cæremonias, ac ritus ita decenter, gravique actione peraget, ut adſtantes ad cæleſtium rerum cogitationem erigat, & attentos reddat.

COMMENTARIUS.

I. EAdem ſunt, quæ S. Carolus in Iuſtructionibus ſuis, *De Sacramentorum adminiſtratione* præſcribit, quæque tamen expreſſius luculentiuſque pro more expouit: *De Libro hoc*, inquit, *preces, & Sacramentorum formulas, cæteraque pro ratione eorum, quæ miniſtrabit, recte leget; nec vero memoriæ, quæ plerumque labitur, confidat*. Tum vero inferius: *Sacramentum præterea aliquod cum miniſtrat, ut id magna cum religione præſtet, ſingula verba, quæ ad illius formam, rationemque pertinent, omni animi attentione, ac pietate diſtincte pronunciabit, & clara item voce, ut ab illis audiri poſſit, quibus miniſtratur*. Addit mox etiam: *Sacras item precationes ſancte, graviterque dicet; ſolemnes præterea alios ritus, cæremoniaſque ita decenter obſervabit, ut veluti ante oculos ponere videatur eximia illa dona, quæ in eo Sacramento continentur*. Et iterum ſtatim: *Ita vero demum in omni Sacramenti adminiſtratione ſe geret, ut non actione ſolum tota, ſed vultu etiam illos, qui adſunt, incitet ad pietatem, ac devotionem. Illudque norit præterea, officii ſui eſſe, & hac ſancta adminiſtrandi ratione, & præterea aſſiduis orationibus, & doctrina, & omni Sacerdotali induſtria, fideles ſibi commiſſos tales efficere, quibus digne, utiliterque Sacramenta miniſtrari poſſint*. Hactenus S. Carolus, cui concinunt & alii Epiſcopi, ut in eorum Synodis provincialibns æque ac particularibus videre eſt.

II. Sed obſervanda nunc quædam a nobis ſunt, quæ in noſtro §. præſcribuntur: *Dum Sacramentum aliquod miniſtrat*, Parochus nempe, aliuſve Sâcerdos, *ſingula verba, quæ ad illius formam, & miniſterium pertinent, attente, diſtincte, & pie, atque clara voce pronunciabit*. Ex quibus docemur, ubi agitur de Sacramenti forma, legenda eſſe ejus verba, *attente, diſtincte*, nulla immutanda, nulla omittenda, ſed ut dictum eſt, *attente, diſtincte, & pie, atque clara voce pronuncianda*, ut nempe valide, ac licite conficiatur Sacramentum. Cæterum ad alias oratiunes, & preces quod attinet, nou loquitur quidem noſter §. de ſingulis verbis, ſed injungit tantummodo, ut *devote, ac religioſe* Sacerdos eas dicat, ideoque non obſcure ſignificat, aliquam in ipſis orationibus, ac precibus immutationem, prætermiſſionemve haud nocere Sacramenti validitati. Sed cavendum omnino eſt Sacerdoti ab hujuſmodi licentia; peccaret enim, pœniſque etiam Eccleſiaſticis fieret obnuxius. Itaque, ut ait noſter §. *ſimiliter & alias orationes, & preces devote, ac religioſe dicet*, nempe non curſim elidendo verba, vel ſyllabas, ſed nec ita languide, ac moroſe, ut tædio potius, quam devotione ii, quibus Sacramenta adminiſtrantur, aliique ei adminiſtrationi præſentes, afficiantur. Addit mox etiam, ut *nec memoriæ, quæ plerumque labitur, facile confidat, ſed omnia recitet ex Libro*. Porro nimia fiducia, ut recte obſervat ad hunc §. Barruſaldus num. 69. quæ ab aliquibus habetur memoriæ, compeſcenda eſt, quia fructus peſſimos quandoque gignit; verba enim propria ſæpe vitiantur, atque immutantur. Certe vel ipſi tenaciſſimæ, & firmiſſimæ memoriæ Concionatores, quandoque concionem a ſe compoſitam, atque compluries recitatam, bis, & ter repetere coacti ſunt, ſed nunquam eodem verborum ordine ſervato; itemque aliquaudo concionem relinquere, & confuſi diſcedere.

III. Servanda itaque Rubrica noſtri §. nec facile fidendum memoriæ, quæ plerumque labitur, ſed omnia legenda ex Libro, probato nempe Libro, qualis eſt Miſſalis, vel Ritualis, in quo formula extat adminiſtrandi Sacramenta. Quamobrem puto peccare Sacerdotem, etiamſi tenaci memoria polleat, ſi ſine Libro Sacramenta adminiſtret, Baptiſmi ſcilicet, extremæ Unctionis, ac Matrimonii, iu quibus varii ritus, ac preces præſcripti ſunt; nam alias forma adminiſtran-

ſtrandi Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta, adeo eſt a Sacerdotibus uſitata, ut non opus ſit Libro, ut ex eo illorum formæ legantur. Sed & decere ajo quammaxime, ut Sacramenta, quæ variis ritibus, ac longis orationibus, & precibus conſtant, adminiſtraturus, uti dictum ſuperius ſuit in §. VI. ordinem miniſtrandi, & cæremonias, pro temporis ſpatio prævideat, ac perlegat; ſaltem vero prius locum in Libro inveniat, & ſignacula ordinet ad ea, quæ dicturus eſt, juxta ritum præſcriptum in Rubricis Miſſalis, Parte II. Cap. I. quod eſt de præparatione Sacerdotis celebraturi, ad evitandum ſcilicet ſcandalum, tædiumque adſtantium, quibus moleſti ſunt ii Sacerdotes, qui cum acturi ſunt Sacrum, vel adminiſtraturi aliquod Sacramentum, chartas Libri volvunt, revolvuntque, ut ritum ipſum, ordinemque inveniant.

IV. Mandat inſuper noſter §. ut *reliquas præterea cæremonias, ac ritus ita deceater, gravique actione peragat, ut adſtantes ad cæleſtium rerum cognitionem erigat*. Hinc corrigendi omnino ſunt Sacerdotes aliqui, qui ſine ſpiritu, ſine affectu, & tremore, ſed feſtinatione incredibili, ac ſacrarum cæremoniarum neglectu, Sacramenta adminiſtrant, adſtanteſque non ad devotionem, ſed ad riſum potius, atque admirationem, ut ſæpe evenit, excitant. Reos eſſe & ipſos culpæ lætalis, certum habeo, proboque ex dicto Hieremiæ Cap. XLVIII. *Maledictus qui facit opus Dei negligenter*. Porro qua vel exterioris devotionis, pietatiſque ſpecie, Sacramentum Euchariſtiæ præſertim adminiſtravit Sanctus Philippus Nerius noſtræ Domus S. Hieronymi Charitatis triginta & tres annos Presbyter, docet Baccius in ejus Vita Lib. II. Cap. IV. num. 9. ubi ait, quod, *dum alumnis Sacræ Communionis cibum diſpenſabat, ea lacrymarum copia opprimebatur, ut ſæpe a functione deſiſtere cogeretur*. Poſſem & alia Sanctorum exempla afferre, ſed ſatius cenſui, ut ea deſcribam, quæ citato ſuperius loco S. Carolus præſcribit, ſcitu enim digna ſunt, & quammaxime a Sacramenta adminiſtraturo ſervanda: *Ritibus autem, & cæremoniis utetur hoc Libro præſcriptis, quibus nihil, ne alicujus quidem privatæ devotionis nomine addet, nec detrahet; neque vero aliquid mutabit, niſi aliter aliquando faciendum Rubrica ſuo loco oſtendat*. Idem plane præſcribunt paſſim Synodi multæ, & Codices Rituales.

§. XII.

Ad miniſtrandum procedens, rei, quam tractaturus eſt, intentus ſit, nec de iis, quæ ad ipſum non pertinent, quicquam cum alio colloquatur; in ipſaque adminiſtratione actualem attentionem habere ſtudeat, vel ſaltem virtualem cum intentione faciendi, quod in eo facit Eccleſia.

COMMENTARIUS.

I. Quod primum in hoc noſtro §. edicitur, fuſius jam, clariuſque exponit S. Carolus in Rubricis, ſeu Inſtructionibus, *De Sacramentorum adminiſtratione*, ubi hæc habet: *Dum vero ad miniſtrandum proficiſcitur, animi meditatione attentus erit ad rem, quam ſancte acturus eſt. Pie Pſalmos, & orationes ſtatas in hoc Libro præſcriptas recitabit. Nihil quidquam cum alio colloquetur, niſi neceſſitatis cauſa, & quam breviſſime, neque ſalutationibus in via vacabit*. Sed nec omittendum, quod ſtatim ſubjicit: *Graviter præterea, matureque incedet, non properanter, niſi inſtante neceſſitate, callopodiis autem, ſeu zoccolis nunquam utetur Sanctiſſimis Sacramentis ferendis*. Atque his plane concordant Synodales aliorum Epiſcoporum Conſtitutiones, quas in re tam clara, & Sacramentorum adminiſtrationi debita recenſere ſupervacanei eſſet laboris.

II. Ad alteram noſtri §. partem quod attinet, quæ eſt de intentione requiſita in Miniſtris Sacramentorum, late de ea agunt omnes Theologi. Definitur autem intentio a Philoſophis actus voluntatis, quo quis rem aliquam eligit, dividiturque in actualem, virtualem, & habitualem. Prior eſt præſens volitio finis per medium ad alium ordinatum. Altera eſt illa, quæ virtute actualis præteritæ actionem humanam dirigit. Poſtrema tandem eſt ea, quæ fuit actu elicita, & non fuit revocata, ſed eſt interrupta. De intentione ſic explicata, & diviſa, uti jam notavit Jueninus in Opere, *De Sacramentis*, Diſſertatione I. Quæſtione V. Cap. II. Theologi de Sacramentis agentes tria hæc præſertim quærunt. I. Utrum, & quæ intentio ſit neceſſaria in Miniſtro, ut Sacramentum a ſe confectum valeat. II. Quodnam debeat eſſe neceſſariæ intentionis objectum. III. Utrum retentio intentionis ex parte Miniſtri, qui ritum externum Sacramenti peragit, illius valorem impediat.

III. His notatis, licet ex communi Theologorum ſententia ad conficiendum Sacramentum non ſit neceſſaria actualis intentio, intentio tamen virtualis abſolute neceſſaria eſt in Miniſtro, cujus intentionis objectum eſſe debet, quod facit Eccleſia, ut in noſtro §. edicitur, probaturque ex Martino Papa V. qui conceptis terminis in fine Concilii Conſtantienſi ita definit, ac præterea ex Eugenio IV. in Concilii Florentini mox ſoluti Decreto pro Inſtructione Armenorum, ſic ajente: *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona Miniſtri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia. Quorum ſi aliquod deſit, non perficitur Sacramentum*. Idem ſtatuit, & decrevit Concilium Tridentinum Seſſione VII. Can. XI. *Siquis dixerit, in Miniſtris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia, anathema ſit*. Atque his adhærens S. Carolus in memoratis, *De Sacramentorum adminiſtratione*, Inſtructionibus ſic inter alia edixit: *Sacramenti adminiſtrationem cum aggreditur, id intendat, idque ſibi agere proponat, quod Chriſtus Domi-*

nus inſtituit, & Sancta Mater Eccleſia intendit, atque agit.

IV. Ex hactenus dictis docemnr plane, ut Sacramentum valeat, neceſſariam eſſe in Miniſtro intentionem faciendi, quod facit Eccleſia; ſeu, quod idem eſt, id quod Eccleſia facit, debere eſſe objectum intentionis Miniſtri. Siquis autem hic quærat, quid Eccleſia faciat, cum Sacramentum aliquod conficit. Reſpondet inter alios Jueninus citato loco, Cap. II. Articulo II. in fine, Eccleſiam nihil aliud operari, quam externam cæremoniam a Chriſto Sacramentorum inſtitutore præſcriptam; cam autem cæremoniam in debita formæ ſupra materiam applicatione poſitam eſſe, verbi gratia, cum Eccleſia Catechumenum Baptiſmate conſecrat, illum ait exterius ſuorum Miniſtrorum manibus abluere, ac per eorum os hæc verba proferre: *Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Siquis autem hic iterum roget, requirine ad validitatem Sacramenti, ut verbi gratia baptizans ſciat, quæ ſit intentio Eccleſiæ? Reſpondet Genettus Theologiæ Moralis Tomo III. Tractatu I. Cap. IV. Quæſtione XV. non eſſe neceſſarium, modo vere intendat baptizare, probatque auctoritate Innocentii Papæ IV. in Cap. *Siquis puerum*, *De Baptiſmo*, ubi hæc habet: *Non eſt neceſſe, quod baptizans ſciat, quid ſit Eccleſia, nec quod gerat in mente facere, quod facit Eccleſia, imo ſi contrarium gereret in mente, ſcilicet non facere, quod facit Eccleſia, ſed tamen facit, quia formam ſervat, nihilominus baptizatus eſt, dummodo baptizare intendat*. Atque hoc modo intelligendum ait Innocentium IV. quod ſcilicet vult ſolum ad validitatem Sacramenti, ut is, qui baptizat, obſervet formam Sacramenti, & habeat prætetea vere baptizandi intentionem, licet non ſit neceſſe, ut velit per Baptiſmum conferre gratiam ſanctificantem baptizato, quod vult tamen Eccleſia.

V. Sed lubet Quæſtionem ipſam de intentione Miniſtri altius repetere, luculentiuſque explicare ex iis ſcilicet, quæ ſcripſit, docuitque Sanctiſſimus Dominus noſter BENEDICTUS XIV. in celebri Opere, *De Synodo Diœceſana*, Libro VII. Cap. IV. Num. VI. & ſeqq. Quamquam apud Catholicos certiſſimum ſit, in Sacramenti Miniſtro aliquam intentionem requiri ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia, valde tamen inter eoſdem diſputatur de hujus intentionis objecto, ſeu quid illud ſit, ad quod ferri debeat ejuſmodi intentio, quam omnes neceſſariam fatentur. Ambroſius Catharinus e Domenicanorum Familia Epiſcopus Minorenſis, & poſtea Archiepiſcopus Compſanus in Opuſculo, *De intentione Miniſtri*, contendit, ad Sacramentum valide adminiſtrandum, ſatis eſſe, ut Miniſter intentionem habeat ſerio perficiendi ritum externum, qui ab Eccleſia adhibetur; atque ideo etiamſi ſuam intentionem retineat, aut interius dicat, ſe nolle facere, quod facit Eccleſia, dum exterius ſerio agat, nulloque ſigno pravam ſuam voluntatem prodat, ratum perfectumque Sacramentum ab eo perfici, Catharinus propugnat. Catharino præiverant Petrus Cantor, Robertus Cardinalis Pullus, Paludanus, Sylveſter, eumque poſtea ſunt ſectati Salmeron Lib. I. Commentariorum in Epiſtolas S. Pauli, III. Parte, Diſp. II. Joannes Marius Scribonius in Summa Theologica, *De Sacramentis in genere*, Quæſtione VI. & VII. Vincentius Contenſonius, in ſuo Tractatu, *De Sacramentis in genere*, Hyacinthus Serry in Vindiciis Catharini, Natalis Alexander, Gaſpar Jueninus, aliique recentiores.

VI. Hæc tamen opinio viſa eſt aliis coincidere cum Lutheri, & Calvini doctrina, a Concilio Tridentino expreſſe damnata, ac propterea non dubitarunt hæreſis notam eidem inurere. Verum hujuſmodi cenſores Concilii Tridentini hiſtoriæ ſe prorſus jejunos oſtendunt; etenim Seſſio ſeptima, ubi primo impium hæreticorum dogma anathemate confoſſum fuit, habita eſt die III. Maji MDXLVII. & laudatum Catharini Opuſculum Romæ typis impreſſum prodiit anno MDLII. quin Opuſculi Auctor ea occaſione in aliquam erroris ſuſpicionem venerit. Quapropter Cardinalis Pallavicinus, cui Tridentini Canones, & Decreta, eorumque genuinus ſenſus, ignota prorſus non erant, in ejuſdem Concilii Hiſtoria Lib. IX. Cap. VI. Num. II. loquens de ſententia a Catharino in eodem Concilio propugnata, hæc habet: *Equidem exiſtimo, Catharini ſententiam falſam eſſe, ſed non ideo per Tridentinos Canones diſerte damnatam; quapropter fas illi fuit affirmare, eam Concilio non contradicere*. Et Lib. XII. Cap. X. exponens Decreta Pœnitentiæ Sacramentum ſpectantia, a Concilii Patribus formata, num. XXXIV. ait: *Ex hiſce poſtremis verbis conjicere poteſt quiſquis ea legerit, haud eſſe expunctam ſententiam Catharini, aliorumque Theologorum, opinantium, Sacramento, quo ratum ſit, ſufficere in Miniſtro voluntatem ſerio agendi, & obeſſe tantummodo jocum, quem Sacramentum ſuſcipiens cognoſcere poſſit*.

V. Quamobrem melioris judicii Theologi, Catharini opinionem ab hæreſis cenſura vindicant, latumque inter illam, ac Lutheri, & Calvini doctrinam, diſcrimen intercedere demonſtrant, præſertim Vaſquez in III. Partem, Diſputatione CXXXVII. Cap. II. & III. Cardinalis de Lugo, *De Sacramentis*, Diſp. VIII. Sect. II. Natalis Alexander, *Theologiæ Dogmaticæ, & Moralis*, Tomo I. Lib. II. *De Sacramentis in genere*, Cap. VII. Articulo III. Regula I. Jueninus, *De Sacramentis*, Diſſertatione I. Quæſtione V. Cap. II. Articulo III. §. I. Quinimmo Marcus Antonius de Dominls Lib. V. *De Republica Eccleſ.* Cap. XII. §. XII. & XIII. ubi perverſum hæreticorum errorem adſtruit, Catharinum a ſua ſententia prorſus alienum agnoſcit, & fatetur. Negari tamen haud poteſt, grave vulnus præfatæ opinioni inflictum ab Alexandro VIII. a quo die VII. Decembris MDCXC. hæc inter alias propoſitio damnata fuit: *Valet Baptiſmus collatus a Miniſtro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi obſervat, intus vero in corde ſuo apud ſe reſolvit: non intendo facere quod facit Eccleſia*. Sed nihilominus a damnationis telo illam defendere conantur Jueninus loco citato, Serry in citatis Vindiciis pag. 109. Auctor Operis, *De re Sacramentaria*, pag. 113. aliique, confixam opinionem rati, cum ritus externus, aut non ſerio, ſed joco, & mimice peragitur, aut ab illo exercetur, qui aliunde, hoc eſt, ab aliqua exteriore circumſtantia, puta a Sacramenti poſtulatione, non determinatur ad agendum nomine Eccleſiæ, ſeu tanquam Miniſter; ultro enim admittit Jueninus, non valide baptizare, qui a nemine poſtulatus,

latus, domi infantem abluit, cum expreſſa Sanctiſſimæ Trinitatis invocatione, ſi intra ſe deliberet id, quod fert propoſitio damnata: *Non intendo facere, quod facit Eccleſia*.

VI. Verum ut ut hæc res coram Deo ſe habeat, nulla uſque adhuc de ea emanavit expreſſa Apoſtolicæ Sedis definitio. Licet igitur communior ſit ſententia exigens in Miniſtro intentionem actualem, vel virtualem faciendi non ſolum ritum externum, ſed id, quod Chriſtus inſtituit, ſeu quod facit Eccleſia, & hæc, veluti tutior, ſit omnino ſervanda in praxi; non eſt tamen Epiſcopi priorem opinionem reprobare, atque ad hanc poſteriorem, etiam theorice tuendam, ſuos Diœceſanos adigere; cauſas quippe majores, difficilioreſque quæſtiones, Fidem, aut diſciplinam ſpectantes, ad Sedem Apoſtolicam deferendas, ſtatuit perpetua Eccleſiæ conſuetudo ab Innocentio III. in Capite, *Majores, De Baptiſmo*, confirmata. Quare ſi conſtet, quempiam aut Baptiſmum contuliſſe, aut aliud Sacramentum ex iis, quæ iterari nequeunt, adminiſtraſſe, omni adhibito externo ritu, ſed intentione retenta, aut cum deliberata voluntate non faciendi, quod facit Eccleſia, urgente quidem neceſſitate, erit Sacramentum iterum ſub conditione perficiendum; ſi tamen res moram patiatur, Sedis Apoſtolicæ Oraculum erit exquirendum; quemadmodum ad Severum Scholaſticum Conſtantinopolitanum faciendum ſcripſit Ferrandus Eccleſiæ Carthaginenſis Diaconus in difficili quæſtione, qua tunc Eccleſia fatigabatur, doctis, indoctiſque, in varias partes ſciſſis, inquiens: *Interroga vir prudentiſſime, ſiquid veritatis cupis audire, principaliter Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem, cujus ſana doctrina conſtat judicio veritatis, & fulcitur munimine auctoritatis*. Tomo IX. Bibliothecæ Patrum pag. 509.

§. XIII.

Illud diligenter caveat, ne in Sacramentorum adminiſtratione aliquid quavis de cauſa, vel occaſione, directe, vel indirecte, exigat, aut petat; ſed ea gratis miniſtret, & ab omni ſimoniæ, atque avaritiæ ſuſpicione, nedum crimine, longiſſime abſit. Siquid vero nomine eleemoſynæ, aut devotionis ſtudio, peracto Sacramento, ſponte a fidelibus offeratur, id licite pro conſuetudine locorum, accipere poterit, niſi aliter Epiſcopo videatur.

COMMENTARIUS.

I. Nihil eſt, quod tam frequentius Canones damnant, quam ſimoniæ crimen in confectione, & adminiſtratione Sacramentorum, quæ ex præcepto Chriſti, ſicut gratis accipi debent, ita & gratis dari. Verum ut non uno in loco oſtendimus nos in Commentariis ad Concilia Oecumenica, viguit ſemper hic abuſus ſub variis prætextibus, quos alias Concilia ipſa improbarunt, aliquid pro Sacramentorum adminiſtratione exigendi; eumque abuſum jampridem quoque notavit, & ſummopere deploravit Guillelmus Durandus Epiſcopus Mimatenſis in Tractatu, *De modo Generalis Concilii celebrandi*, Parte II. Rubrica LX. *Quod ſepulturæ in multis locis vendantur, & in aliis pro Baptiſmo, Pœnitentia, & Euchariſtia, & aliis Sacramentis, pecunia ex quadam peſtifera conſuetudine recipiatur, & levetur; neque proſunt remedia ſuper hoc conſtituta, pro eo quod multi ex majoribus columnis, & Prælatis Eccleſiæ in hoc peccant; & ideo, quia ab his male agitur, facile trahitur a ſubditis in exemplum*. Notat hæc Vaneſpen Parte II. *Juris Eccleſiaſtici*, Tit. I. Cap. III. ubi ita deinde exclamat: *O utinam nec hodie peſtifera ejuſmodi conſuetudo exemplo ſimilium Prælatorum firmaretur, qui Parochos ipſos, alioſque Eccleſiæ Miniſtros ad ſordidum hunc quæſtum ob defectum congruæ, & honeſtæ competentiæ quodammodo cogunt*.

II. Varias ad palliandam in Sacramentorum adminiſtratione ſimoniam, avaritiamque, tecnas a quorundam ſacrorum hominum cupiditate inventas damnarunt ſemper Concilia ipſa Oecumenica, præſertim vero Lateranenſe II. anno Chriſti MCXXXIX. Can. II. quo pecuniam dari, aut exigi pro quocumque Sacramento vetat, additque: *Et nec pro paſtu, nec ſub obtentu alicujus conſuetudinis, ante, vel poſt, a quoquam aliquid exigatur, vel ipſe qui Sacramenta ſuſcipit, dare præſumat, quoniam ſimoniacum eſt*. Rurſus eodem ſæculo celebratum Concilium Generale Lateranenſe III. anno ſcilicet MCLXXIX. Can. IX. *horribile nimis* reputat, quod in quibuſdam Eccleſiis pro Sacramentis aliquid requiratur; ſubditque mox: *Putant autem plures ex hoc licere, quia legem mortis de longa conſuetudine invaluiſſe arbitrantur; non attendentes, quod tanto graviora ſunt crimina, quanto diutius infelicem animam tenuerunt alligatam*. Saluberrimis horum, aliorumque Conciliorum Decretis inſiſtentes zeloſiores Epiſcopi, omnem in Synodis ſuis, ac Ritualibus Libris temporalem exactionem in Sacramentorum adminiſtrationem proſcripſerunt, eaque gratis, & ſine ulla prorſus quæſtus ſpecie dari juſſerunt. Audiendus præ cæteris S. Carolus, qui in ſuo I. Concilio Provinciali Mediolanenſi, Conſtitutionum Parte II. Capite inſcripto, *De iis, quæ ad Sacramentorum adminiſtrationem generatim pertinent*, ſic inter alia inquit: *Cum Sacramenta Eccleſiæ non ſolum ſine ſimoniæ labe, verum etiam ſine avaritiæ ſuſpicione præbenda ſint, caveant omnes, ne in eorum adminiſtratione quidquam exigant, aut etiam verbis, vel ſignis, directe, vel indirecte petant. Qui ſecus fecerit, eum & pœnis Jure communi ſtatutis, & aliis arbitrio Epiſcopi plecti volumus*. Sed non omittendum, quod idem Sanctiſſimus Præſul in eandem rem præſcripſit Parte IV. Actorum Eccleſiæ Mediolanenſis in laudatis toties, *De Sacramentorum adminiſtratione*, Inſtructionibus, ubi ſic habet: *Illud porro cavebit*, qui ſcilicet Sacramenta adminiſtrat, *ut ne in adminiſtratione, ejuſve cauſa, aut occaſione, aliquid exigat, petaturve* ali-

aliquo modo; ſed quæ gratis accepit, gratis miniſtret, ſine aliqua, vel minima cujuſcumque avaritiæ ſuſpicione.

III. Jam vero non opus eſt Synodos alias congerere, in quarum etiam nonnullis ea noſtri §. clauſula probatur, in qua edicitur, ut *ſiquid nomine eleemoſinæ, aut devotionis ſtudio, peracto jam Sacramento, ſponte a Fidelibus offeratur, id licite pro conſuetudine locorum*, accipi poſſit, *niſi aliter Epiſcopo videatur*. Atque his plane concinit, quod in Farfenſi Synodo edixit Carolus Cardinalis Barberinus Cap. VI. num. 8. *Quod ſi ſponte aliquid, ac libere, eleemoſine nomine, & pietatis ſtudio, hac occaſione, a Fidelibus offerri conſueverit, id tanquam non debitum, peracto Sacramento, modeſte recipi, non interdicimus*. Porro poſſe Epiſcopum per conſtitutionem Synodalem, ſive alias ei conſuetudini derogare, ut nempe Sacerdos ſiquid nomine eleemoſynæ, aut devotionis ſtudio, adminiſtrato jam Sacramento, ſponte a fidelibus offeratur, licite id valeat accipere, ubi nempe viderit ob abundantiam oblationem, & munerum, foveri alicujus Miniſtri Eccleſiaſtici avaritiam, & in malum uſum munera ipſa converti, ex illis noſtri §. verbis intelligere licet, expreſſeque affirmant Januenſis in Praxi, Cap. XXV. & Barruſaldus in Commentario ad hunc noſtrum §. num. 76.

§. XIV.

Fidelibus alienæ Parochiæ Sacramenta non miniſtrabit, niſi neceſsitatis cauſa, vel de licentia Parochi, ſeu Ordinarii.

COMMENTARIUS.

I. SIcut ſingulis Diœceſibus unus præfectus fuit Epiſcopus, cui totius Diœceſis regimen incumberet, & quem populus iſtius Diœceſis colere, & agnoſcere deberet, ita quoque ſingulis Parochiis aſſignatus unus Presbyter fuit, qui totius Parochiæ curam ſpiritualem ageret, quique propterea Parochus, ſeu Presbyter Parochianus dicebatur, & quem populus tanquam proprium ſuum Paſtorem venerari deberet, & audire. Hinc eſt, quod Concilium Namnetenſe relatum in Capite II. *De Parochiis*, inter alia ſtatuit, ut *Dominicis, & feſtivis diebus, Presbyteri, antequam Miſſam celebrent, plebem interrogent, ſi alterius Parochianus in Eccleſia ſit, qui, contemto proprio Presbytero, ibi velit Miſſam audire*. Parochorum jus in adminiſtratione Sacramentorum, ad excluſionem omnium aliorum inferiorum Sacerdotum, adeout ſiqui in eorum Parochia, aut ejus parochianis Sacramenta adminiſtrent, id nonniſi ut ejus coadjutores, & ſubſidiarii, ac ipſius tacito, vel expreſſo conſenſu facere teneantur, notavit inter alios Vaneſpen Parte II. *Juris Eccleſiaſtici univerſi*, Tit. I. Cap. II. num. XV. ubi etiam obſervat, jus ipſum Parochorum non obſcure expreſſum fuiſſe a Tridentino Concilio, Seſſione XXIV. *De reformatione*, Cap. XIII. ubi Epiſcopis mandat, *pro tutiori animarum eis commiſſarum ſalute, ut diſtincto populo in certas, propriaſque Parochias, unicuique ſuum perpetuum, peculiaremque Parochum aſſignent, qui eas cognoſcere valeat, & a quo ſolo licite Sacramenta ſuſcipiant*. Hoc plane ex capite, ut ſcite nonnulli obſervant, Parochus *proprius Sacerdos* reſpectu populi ſibi commiſſi vocatur in Capite, *Omnis utriuſque ſexus, De pœnitentiis, & remiſſionibus*, utpote cui jure proprio competit Sacerdotale officium populo ſuo impendere; itemque antonomaſtice *Paſtor* dici conſuevit, utpote cui incumbat populum ſibi commiſſum Divini verbi prædicatione, & Sacramentorum exhibitione ſpiritualiter paſcere. *Curatus* quoque nonnunquam appellatur, eaque eſt ejus in Urbe denominatio, & quod cura populi ipſi primario incumbat. Vide & alias Parochi denominationes apud Fileſacum in Commentario, *De Parœciarum origine*, Cap. III.

II. Licet autem Parochus in ſua Parochia ſit ordinarius Sacramentorum Miniſter, jam non poteſt, nec debet ea fidelibus alienæ Parochiæ miniſtrare, *niſi neceſſitatis cauſa, vel de licentia Parochi, ſeu Ordinarii*. Quod quidem de Baptiſmo, Viatico, & Extrema unctione intelligendum eſt. Nam alias ſi hodie vel ſimplices Sacerdotes tum ſæculares, tum Regulares, ſive ex conſuetudine, ſive ex privilegiis, ut alias dictum eſt, poſſunt in ſuis Eccleſiis Pœnitentiam, & Euchariſtiam miniſtrare, multo magis & ea valent Parochi præbere. Quod in neceſſitate poſſint, non modo Parochi fidelibus alienæ Diœceſis, ſed & cæteri Sacerdotes Baptiſmum, Viaticum, & Unctionem extremam, abſente inſcio Parocho, multoque magis de ejus licentia, & conſenſu præſtare, jam etiam dictum ſuperius fuit. Ceterum quod Matrimonii Sacramentum ſpectat, dicemus ſuo loco inferius.

§. XV.

Omnes autem, qui Sacramenta ſuſcipiunt, loco, & tempore opportuno monebit, ut remoto inani colloquio, & habitu, actuque indecenti, pie, ac devote Sacramentis interſint, & ea, qua par eſt, reverentia ſuſcipiant.

COMMENTARIUS.

I. OPportune & in hoc Commentario deſcribimus, quod ad majorem hujus §. explicationem præſcribit S. Carolus in recenſitis ſuis Inſtructionibus: *Ut autem Sacramentis*, inquit, *debitus religionis cultus etiam externus ab iis tribuatur, qui ea ſuſcipiunt, non patietur*, Parochus, aliuſve Sacerdos miniſtrans, *quemquam ad illa ſuſcipienda ac-*

accedere, niſi exteriore quoque habitu, veſtiumque modeſtia debitam illis venerationem præſeferat. Digna notatu ſunt quæ mox ſubjicit: *Videbit igitur, ut viri armis depoſitis, utque mulieres recte velato capite accedant; ut omnes veſtitu, & toto corporis habitu modeſto humilitatem chriſtianam præſeferant*. Et iterum: *Monebit id quoque reliquos omnes, qui adſunt, ut remoto inani colloquio, actuque indecenti, pie, ac devote, ut debent, interſint capite aperto, mente etiam ipſi reputantes cæleſtia illa dona, quæ Sacramentorum virtute fidelibus impartiuntur*. Et rurſus: *Judæos autem, infideles, hæreticos, & excommunicatos non patietur in Sacramentorum adminiſtratione præſentes adeſſe, nec vero Catechumenos*. Atque hæc ſatis eſſe jam poſſunt ad noſtri hujus §. explicationem, nec enim opus eſt alia adjungere ex variis Epiſcoporum Synodis, in quibus ſimilia his, quæ ſunt hactenus dicta, ſtatuta leguntur, damnata virorum, ac mulierum inſolentia, atque temeritate, qui ad Sacramenta accedunt eodem plane habitu corporis, quo ad theatra, aliaque profana ſpectacula ſe ſolent conferre.

§. XVI.

Librum hunc Ritualem, ubi opus fuerit, ſemper, cum miniſtrabit, ſecum habebit, rituſque, & cæremonias in eo præſcriptas diligenter ſervabit.

COMMENTARIUS.

I. UT omnia ſecundum ordinem fiant a ſupremis Eccleſiæ Præſidibus præſcriptum, recte in hoc §. jubetur, ut Parochus, Sacerdoſve alius Sacramenta adminiſtraturus, *Librum hunc Ritualem, ubi opus fuerit, ſemper, cum miniſtrabit, ſecum habeat*, Librum ſcilicet hunc Ritualem Romanum peculiari Diplomate, quod incipit, *Apoſtolicæ Sedi*, a Paulo Papa V. anno MDCXIV. reformatum, probatumque, noviſſime vero regnantis Pontificis Maximi BENEDICTI XIV. juſſu editum, auctumque; *rituſque, & cæremonias in eo præſcriptas diligenter ſervet*; nihil ſcilicet iis addendo, nihil detrahendo, ne alicujus quidem privatæ devotionis nomine, uti jam diximus ſupra in Commentario ad §. XI. Sane quamvis non omnes ritus, ſeu cæremoniæ in Libris Ritualibus ſingularum Diœceſum præſcripti ex Apoſtolica diſciplina, & traditione deſcendant, ſed plures poſtremis temporibus ſint introducti, imo nec omnes, & ſinguli haberi debeant tanquam ab Eccleſia Catholica probati, nihilominus Parochis, aliiſque inferioribus Miniſtris fas non eſt citra neceſſitatem privata auctoritate in Sacramentorum adminiſtratione, aut Divinorum Officiorum perſolutione, a Ritibus in Rituali, aut Paſtorali ſuæ Diœceſis præſcriptis recedere, eo etiam titulo, quod ritus contrarius puriori primitivæ Eccleſiæ diſciplinæ videatur conformior, ne alias hæc licentia paulatim latius ſerpens confuſionem, aliaque incommoda in ipſos ſacros ritus, & Sacramentorum adminiſtrationem inducat, uti notat Vaneſpen Parte II. *Juris Eccleſiaſtici univerſi*, Cap. II.

§. XVII.

Cæterum illorum tantum Sacramentorum, quorum adminiſtratio ad Parochos pertinet, ritus hoc Opere præſcribuntur, cujuſmodi ſunt Baptiſmus, Pœnitentia, Euchariſtia, Extrema unctio, & Matrimonium. Reliqua vero duo Sacramenta Confirmationis & Ordinis, cum propria ſint Epiſcoporum, ritus ſuos habent in Pontificali præſcriptos. Et ea, quæ de iis, atque aliis Sacramentis ſcire, ſervare, & docere Parochi debent, cum ex aliis Libris, tum præcipue ex Catechiſmo Romano ſumi poſſunt. Siquidem hic de iis fere tantum agere inſtituti Operis ratio poſtulat, quæ ad ipſorum quinque Sacramentorum ritus pertinent.

COMMENTARIUS.

I. NE confundantur jura, & adminiſtrationes, ut ſcite obſervat Barrufaldus in Commentario ad hunc §. num. 90. *Illorum tantum Sacramentorum*, ait hic noſter §. *quorum adminiſtratio ad Parochos pertinet, ritus hoc Opere præſcribuntur, cujuſmodi ſunt Baptiſmus, Pœnitentia, Euchariſtia, Extrema unctio, & Matrimonium. Reliqua vero duo Sacramenta Confirmationis, & Ordinis, cum propria ſint Epiſcoporum, Ritus ſuos habent in Pontificali præſcriptos*. Pontificale ipſum Romanum in tres Partes diſtributum, Clementis VIII. ac Urbani VIII. auctoritate recognitum jam pridem nos omnium primi Prolegomenis & Commentariis perpetuis illuſtratum tribus Tomis, quos vocant in folio, comprehenſum edidimus Romæ apud Antonium de Rubeis annis MDCCXXXVIII. XXXIX. & XL. Porro licet Epiſcopi ſint duorum prædictorum Sacramentorum Confirmationis & Ordinationis Miniſtri, adhuc tamen eorum notitia neceſſaria Parochis eſt, ut ſcilicet illorum virtutes, & effectus docere ſuos ſubditos poſſint. Hinc enim mox ſubdit noſter §. *Et ea, quæ de iis, atque aliis Sacramentis ſcire, ſervare, & docere Parochi debent, cum ex aliis Libris, tum præcipue ex Catechiſmo Romano ſumi poſſunt*.

II. Id plane jam antea juſſerat Tridentina Synodus Seſſione XXIV. *De reformatione*, Cap. VII., ubi ſtatuit, ut Sacramentorum virtus, antequam populo adminiſtrentur, ab Epiſcopis, & Parochis explicetur: *Ut fidelis populus*, inquit,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

quit, *ad ſuſcipienda Sacramenta majori cum reverentia, atque animi devotione accedat, præcipit ſancta Synodus Epiſcopis omnibus, ut non ſolum, cum hæc per ſe ipſos erunt populo adminiſtranda, prius eorum vim, & uſum pro ſuſcipientium captu explicent, ſed etiam idem a ſingulis Parochis, pie, prudenterque, etiam lingua vernacula, ſi opus ſit, & commode fieri poterit, ſervari ſtudeant, juxta formulam a ſancta Synodo ſingulis Sacramentis præſcribendam, quam Epiſcopi in vulgarem linguam fideliter verti, atque a Parochis omnibus populo exponi curabunt.* Quamquam itaque Libri non deſint Scriptorum ſana doctrina, & ſolida pietate præſtantium, ex quibus Epiſcopi, ac Parochi Sacramentorum virtutem, atque effectus explicare queant, mandat nihilominus, & quidem expreſſe, ut in ipſa Sacramentorum explicatione Romano Catechiſmo, qui & Catechiſmus Concilii Tridentini appellatur, uti Epiſcopi, & Parochi debeant; qui etiam ex præſcripto noſtri §. tantæ eſt auctoritatis, ut cæteris debeat anteponi.

III. Sed ut magis magiſque Romani hujus, ſive Tridentini Concilii Catechiſmi auctoritatem comprobemus, notandum hoc loco cenſuimus, quod antequam prodiret in lucem, etſi tot fuiſſet, tantorumque Virorum ſtudio elaboratus, de quibus diximus ſupra in Commentario ad §. X. num. II. etſi toties id ſollicitante S. Carolo, lectus, relectus, & elimatus, attamen oblatus S. Pio V. Pontifici Maximo, ut tandem ſua auctoritate firmaretur, noluit tamen Summus Pontifex ſic eum a ſe exire, quin adhuc ab aliis Doctoribus prius recenſeretur, ut, qua, par erat, maturitate, & prudentia editus Liber Catholicus, Catholice reciperetur. Res commiſſa eſt Guillelmo Sirleto noſtræ Nationis Calabræ, S. R. E. Cardinali, utpote cujus doctrinam, & pietatem optime noverat, quique, adnitentibus Cardinalibus cum S. Carolo non paucis, Summus Pontifex vix non fuerat renunciatus, ut ex Vitis eorundem S. Caroli, & S. Pii V. liquido conſtat. Sirletus ergo noſter S. Pii V. juſſu quoſdam ſecum adhibuit Theologos delectos in cæteris, qui hujus Libri non ſolum dogmata, ſed & ipſa verba trutinarent, rimarenturque, quo diligentia ſingulari peracto, illum approbavit laudatus Pontifex, ac typis mandari juſſit, uti videre eſt in ejus Motu proprio dato Romæ apud S. Marcum ſeptimo Kalendas Octobris anno I. ſui Pontificatus.

IV. Approbarunt & ipſum Catechiſmum ſequioris ævi Pontifices Maximi, præſertim vero Pii V. ſucceſſor Gregorius XIII., qui Brevi ſuo peculiari anni MDLXXXIII. declarat, ſuo juſſu, & approbatione denuo editum eſſe Catechiſmum; utilemque adeo Librum hunc exiſtimavit, ut peculiari mandato in linguam Illyricam traduci illum præceperit, ut patet ex Concilio Aquileenſi anni MDLXXXVI., atque ut teſtatur Poſſevinus, Liber ipſe erat illi veluti regula quædam, qua jus ipſum Canonicum reformari poſſe putabat; unde Franciſco Gratiano de Garzatoribus Juriſconſulto, & Canonico Vicentino ſuaſit, ut Juris Canonici Epitomen ederet, in qua quicquid, vel a Summis Pontificibus, vel a Concilio Tridentino, vel a Catechiſmo Romano, fuerat abrogatum, reſecaret. Ceterum longum eſſet Synodos tum Provinciales, tum particulares deſcribere, præſertim illas a S. Carolo celebratas, in quibus aſſidua ejus Libri lectio Clericis æque, ac Parochis paſſim præcipitur, uti videre eſt in ea Catechiſmi editione, quæ ita inſcribitur: *Catechiſmus Concilii Tridentini Pii V. Pontif. Max. juſſu promulgatus, ſincerus, & integer, mendiſque repurgatus, opera P. D. L. H. P. Coloniæ apud Balth. ab Egmond. & Socios MDCLXXXIX.*

V. Utitur & hujus Catechiſmi auctoritate variis locis ſui præclariſſimi Operis, *De Synodo Diœceſana*, feliciter regnans Pontifex Maximus BENEDICTUS XIV. ejuſque nos morem ſequuti, ejuſdem Libri auctoritatem ſæpe uſurpavimus in concinnandis noſtris Commentariis ad Rituale Romanum, neglectis penitus Caſuiſtis illis, qui ad ſuum arbitrium quæſtiones morales, & rituales reſolvunt, nullam ejus aliquando rationem habentes, quod Catechiſmus ipſe in hujuſmodi controverſiis, ac potiſſimum de Sacramentorum adminiſtratione præſcripſerit. Unde merito ab Innocentio XI. in Decreto contra LXV. propoſitiones edito die II. Martii MDCLXXVII. damnata fuit ea propoſitio num. I. *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem, de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi id vetat Lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia tantum probabili utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis.* Itemque alia num. XXIX. *Urgens metus gravis, eſt cauſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.*

§. XVIII.

Poſtremo quiſquis Sacramenta adminiſtrare tenetur, habeat Libros neceſſarios ad officium ſuum pertinentes, eoſque præſertim, in quibus Parochialium functionum notæ ad futuram rei memoriam deſcribuntur, ut ad finem hujus Ritualis habetur.

COMMENTARIUS.

I. Multi plane ſunt Libri neceſſarii Parocho ad officium ſuum pertinentes, quos recenſet S. Carolus in Concilio Provinciali I. Mediolanenſi Parte II. Conſtitutionum, Capite inſcripto, *Qui Libri potiſſimum legendi*; ubi poſtquam edixit, ut Clerici poſtquam decimum quartum annum attigerint, ut Legem Domini, in cujus ſorte ſunt, dies noctesque meditari poſſint, habeant ſacrorum Librorum ſi non copiam, certe neceſſarium delectum, omnino vero Teſtamentum Vetus, & Novum, Catechiſmum Romanum, Tridentinum Concilium, Conſtitutiones Diœceſanas proprii Epiſcopi, Calendarium Feſtorum dierum, quod Epiſcopi in ſua Diœceſi ſingulis annis edendum curabunt, ita ſtatim ſubdit: *Parochi vero, ut*

Ec-

Eccleſiaſticos ritus cognoſcere, rečteque curam animarum miniſtrare poſſint, præter eos Libros, quos ſupra diximus, ſibi etiam comparent Homiliarium ab Epiſcopo eligendum, Summam Antoninum, vel aliam ab Epiſcopo delectam, & quos præterea ab eis legi Epiſcopus juſſerit. Hortatur etiam mox, *ut in lectione Paſtoralis S. Gregorii, & S. Joannis Chryſoſtomi,* De Sacerdotio, *aſſidue verſentur.* Mandat præterea in Concilio Provinciali IV. Mediolanenſi, Conſtitutionum Parte II. Capite, *Quæ ad Sacramentalia, vel ad Sacramenta communiter pertinent,* inſcripto; *ut Parochi ſinguli Libram Ritualem, Sacramentalemque habeant, qui ab Epiſcopo probatus in Eccleſia Cathedrali adhibetur.* Verum quod Ritualem Libeum ſpectat, poſſunt hodie Parochi, debentque Rituali uti, quod edidit, probavitque Paulus Papa V. & non ita pridem auxit feliciter regnans Summus Pontifex BENEDICTUS XIV. quodque nos præſentibus Commentariis illuſtramus. Quantum autem ad Libros morales, feligendi a Parochis ſunt, ac bene addiſcendi ii, qui ſanam doctrinam continent; vitandi autem omnino, qui propoſitiones continent damnatas non modo, ſed & damnabiles, quibus plane ſcatent Libri Caſuiſtarum.

II. Hæc adnotare breviter libuit, quod initio noſtri hujus §. generatim edicitur, ut *quiſquis Sacramenta adminiſtrare tenetur, habeat Libros neceſſarios ad officium ſuum pertinentes.* Sed ut verum fatear, loquitur hic quidem §. & principaliter intelligit de Libris, in quibus notentur functiones Parochiales, quæ particulari teſtimonio indigent, & ad perpetuam memoriam remanere debent; mandat enim, ut Libros habeat *eos præſertim, in quibus variarum Parochialium functionum notæ ad futuram rei memoriam deſcribuntur, ut ad finem hujus Ritualis habetur.* Quamvis autem tres tantummodo Libros a Parocho conficiendos, & apud ſe habendos ſtatuerint S. Carolus in Concilio I. Provinciali Mediolanenſi, Parte II. Conſtitutionum, & in ſua prima Synodo anni MDLXIV. Cap. XXVI. Cornelius Federicus Epiſcopus Bergomenſis, *Matrimonii, Baptizatorum, & Status animarum,* ut tradit Barruſaldus in Commentario ad hunc noſtrum §. num. 92. attamen ex nova Conſtitutione Pauli V. ſive ex præſcripto noſtri hujus Romani Ritualis a laudato Pontifice approbati, quinque eſſe debent Libri a Parochis habendi, nempe *Baptizatorum, Confirmatorum, Matrimoniorum, Status animarum, & Defunctorum,* de quibus nos infra ſuo proprio loco dicemus.

III. Mentionem non modo de iis Libris, ſed de aliis quoque a Parochis ſecum habendis fecit jam Provincialis Synodus XII. Beneventana anno MDXCIX. habita ſub Maximiliano de Palumbaria Archiepiſcopo, Tit. XVII. Cap. II. ubi inter alia mandat Parochis *diverſos Libros habere, in quibus & qui baptizantur cum nominibus parentum, & compatrum, ac die nativitatis, & Baptiſmi, & an ex legitimis nuptiis procreati fuerint; & qui matrimonio conjunguntur; & qui ſacro Chriſmate uncti ſunt, cum nominibus compatrum; & qui moriuntur, deſcribantur, & Status animorum, quem ſingulis annis recognoſcant.* Memorat mox & hos duos alios Libros, quorum alter excommunicatorum nomina, alter bonorum Eccleſiæ inventarium contineat: *Item nomina excommunicatorum, & in manifeſto peccato mortali exiſtentium, quos nec ad ſuſcipiendum in Baptiſmo, nec ad tenendum in Sacramento Confirmationis admittant. Habeant item aliam Librum, in quo bona, jura, actiones, & alia quæcumque ſpectantia ad eorum Eccleſias breviter habeantur.* Porro cuſtodire hujuſmodi Libros religioſe debent Parochi pro indemnitate Parochianorum, qui, quandocumque occurrat, poſſint ad eos recurſum habere pro authentica atteſtatione. Hinc ſapientiſſime ſtatuit S. Carolus in laudato Concilio Provinciali I. Mediolanenſi, ut, *ſi Parochi ad aliam Eccleſiam tranſierint, antequam a priori migrent, Succeſſori Libros tradant, in quibus eorum, qui baptizati, confirmati, matrimonio juncti fuerint, nomina deſcribi infra jubemus; qui ſecus fecerit, graviſſime ab Ordinario puniatur.* Porro Libris hujuſmodi, aliiſque, quos recenſet noſtrum Rituale Romanum, ſtandum omnino eſſe, decidit jam Rota Romana, teſtanturque Doctores allegati a Monacello in Formul. Legal. pract. Tom. I. Tit. X. ut teſtatur Barruſaldus loco citato num. 93.

DE SACRAMENTO BAPTISMI RITE ADMINISTRANDO

TITULUS II.

I. RItibus hucuſque explicatis, qui Sacramentorum adminiſtrationem generatim ſpectant, ſuccedunt mox illi, qui ſingulatim ad ipſam adminiſtrationem Sacramentorum attinent, quæ nempe a Parochis, aliiſve Sacerdotibus conferri poſſunt, quale eſt inter alia Sacramentum Baptiſmi, cujus Titulum in varia Capita, & Paragraphos diviſum nunc explicamus.

CAPUT I.

De Sacramento Baptiſmi rite adminiſtrando.

§. I.

Sacrum Baptiſma, Chriſtianæ Religionis, & æternæ vitæ janua, quod inter alia novæ Legis Sacramenta a Chriſto inſtituta primum tenet locum, cunctis ad ſalutem neceſ-

ſarium

ſarium eſſe, ipſa Veritas teſtatur illis verbis: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*. Joan. 3. Itaque ſumma ad illud opportune, riteque adminiſtrandum, ac ſuſcipiendum, diligentia adhibenda eſt.

COMMENTARIUS.

I. Primum inter Sacramenta numeratur Baptiſmus, cujus doctrinam populo Chriſtiano frequenter inculcandam, recte admonet Concilii Tridentini Catechiſmus, utpote quod Sacramentorum omnium primum ſit, non quidem dignitatis ordine, ſed neceſſitatis, unde & fundamentum, & janua reliquorum Sacramentorum nuncupatur a Theologis paſſim, in Synodis Epiſcoporum, atque in variis Juris Pontificii Capitibus, præſertim vero in Cap. II. *De cognatione ſpirituali*, in VI. quia ſcilicet ſine illo nullum ad cætera Sacramenta hominibus jus eſt, cum ad Eccleſiam, Chriſtique familiam non pertineant. A Baptiſmo enim, ut loquitur Sanctus Cyprianus in Epiſtola LXXIII. *incipit omnis Fidei origo, & ad ſpem vitæ æternæ ſalutaris ingreſſio, & purificandis, ac vivificandis Dei ſervis Divina dignatio*. Hinc Apoſtolus non ſolum frequenter, ſed & gravibus verbis & Spiritu Dei plenis ejus Myſterii memoriam renovat, Divinitatem commendat, atque in eo Redemptoris noſtri mortem, ſepulturam, & reſurrectionem nobis ante oculos, tum ad contemplandum, tum ad imitandum conſtituit: *An ignoratis*, inquit in Epiſtola ad Romanos Capite III. *Quia quicumque baptizati ſumus in Chriſto Dei, in morte ipſius baptizati ſumus? Conſepulti enim ſumus cum illo per Baptiſmum in mortem, ut quomodo Chriſtus reſurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus*.

II. Baptiſmum, Græcum eſſe nomen jam nemo ignorat, quod, etſi in ſacris Litteris non ſolum eam ablutionem, quæ cum Sacramento conjuncta eſt, ſed etiam omne ablutionis genus, quod aliquando ad paſſionem translatum eſt, ſignificat; tamen apud Eccleſiæ Scriptores non quamvis corporis ablutionem declarat, ſed eam, quæ cum Sacramento conjungitur, nec ſine præſcripta verborum forma miniſtratur, uti docet Catechiſmus Concilii Tridentini Parte II. *De Baptiſmi Sacramento*, ubi etiam num. V. hanc ejuſdem Sacramenti definitionem tradit: *Eſt Sacramentum regenerationis per aquam in verbo*. Natura enim ex Adam filii iræ naſcimur, per Baptiſmum vero in Chriſto filii miſericordiæ renaſcimur; ſiquidem dedit hominibus poteſtatem filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine ejus, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt, uti habetur in Evangelio Joannis Capite I. Porro non modo hoc Sacramentum inter alia Novæ Legis Sacramenta primum tenere locum, verum etiam *cunctis ad ſalutem neceſſarium eſſe*, recte admodum in noſtro §. adnotatur, probaturque ex illis Chriſti Domini verbis apud eundem Joannem Cap. III. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*.

III. Unum tantummodo proprie loquendo eſſe Baptiſmum, ait Apoſtolus ad Epheſios, Cap. IV. *Unus Dominus, una fides, unum Baptiſma*. Licet enim tria communiter aſſerantur Baptiſmata, fluminis nempe, ſive aquæ, de quo ſolo hic noſter Titulus agit, flaminis, & ſanguinis, duo hæc tamen includuntur, ut ait S. Thomas, Parte III. Quæſtione LXVI. Articulo XI. ad I. in Baptiſmo aquæ: *Alia duo Baptiſmata*, inquit, *includuntur in Baptiſmo aquæ*. Eſt autem Baptiſmus flaminis propoſitum ſuſcipiendi Baptiſmum modo debito, conjunctum cum perfecto Dei amore, quo quis movetur ad credendum, ac pœnitendum de peccatis, unde Baptiſmus Pœnitentiæ dicitur. Baptiſmus vero ſanguinis eſt Martyrium completum pro Chriſto toleratum. Efficaciam horum Baptiſmatum, flaminis ſcilicet, & ſanguinis, probat inter alios S. Auguſtinus relatus in Canone XXIII. De conſecratione, Diſtinctione IV. ubi ſic habet: *Baptiſmi vicem aliquando implere paſſionem, de Latrone illo, cui non baptizato dictum eſt*, Hodie mecum eris in Paradiſo, *B. Cyprianus non leve documentum aſſumpſit. Quod etiam atque etiam conſiderans, invenio non tantum paſſionem pro nomine Chriſti id quod Baptiſmo deerat, poſſe ſuppleri, ſed etiam Fidem, confeſſionemque cordis, ſi forte ad celebrandum Myſterium Baptiſmi in anguſtiis temporum ſuccurri non poteſt. Neque enim Latro ille pro nomine Chriſti crucifixus eſt, ſed pro meritis facinorum ſuorum; neque quia credidit, paſſus eſt, ſed dum pateretur, credidit. Quantum itaque valeat ſine viſibili Sacramento Baptiſmi, quod ait Apoſtolus*, Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem, *in illo Latrone declaratum eſt. Sed tunc impletur inviſibiliter, cum Myſterium Baptiſmi non contemptus Religionis, ſed articulus neceſſitatis excludit*.

IV. De ipſo flaminis Baptiſmo agit Innocentius Papa III. in Capite, *Apoſtolicam*, *De Presbytero non baptizato*, ubi conſultus ab Epiſcopo Cremonenſi, an Presbyter in Eccleſiæ Fide mortuus, credens ſe baptizatum, licet poſt mortem ejus compertum fuerit, eum non fuiſſe baptizatum, Eccleſiaſtica ſepultura eſſet donandus, ita reſpondit: *Inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, Presbyterum, quem ſine unda Baptiſmatis extremum diem clauſiſſe ſignificaſti, quia in ſanctæ Matris Eccleſiæ Fide, & Chriſti nominis confeſſione perſeveraverit, ab originali peccato ſolutum, & Cæleſtis Patriæ gaudium eſſe adeptum, adſerimus incunctanter*. Et mox: *Lege ſuper hoc* VIII. *Librum Auguſtini*, De Civitate Dei, *ubi inter cætera legitur*: Baptiſmus inviſibiliter miniſtratur, quem non contemptus Religionis, ſed terminus neceſſitatis excludit. *Librum etiam B. Ambroſii*, De obitu Valentiniani, *idem adſerentis revolve*. Tum vero demum ita concludit: *Sopitis igitur Quæſtionibus Doctorum, Patrum ſententiam teneas, & in Eccleſia tua juges preces, hoſtiaſque Deo offerri jubeas pro Presbytero memorato*. Hactenus Innocentius III. in cujus Decretalem duo obſervanda cenſui. Primum recte, Antonium Auguſtinum in Notis ad primam Collectionem Decretalium, ad ea verba, *Cæleſtis Patriæ gaudium eſſe adeptum*, ita ſcribere: *Potuiſſe adipiſci*, *malim*.

Quid enim ſi alicujus occulti peccati reus mortuus eſt? Quid, ſi non ſatisfecit pro aliis etiam confeſſus? Alterum eſt, monito memorati Pontificis de ſequendis Patrum ſententiis, egregie ſolideque confutari inſanam illam quorundam Caſuiſtarum opinionem, qui aſſerere non ceſſant, in decidendis Moralibus Quæſtionibus, Caſuiſticis potius Scriptoribus ſtandum, quam Patribus, & priſcis Eccleſiæ Doctoribus. Dici nequit, quot & quantos, varios circa mores errores laudati Innocentii Papæ moniti prætermiſſio hoc præſertim ſæculo invenerit.

V. Sed hoc obiter notato, ut de Baptiſmo ſanguinis aliquid amplius dicamus, celebris eſt de eo Auguſtini locus relatus in Canone xxxvi. De conſecratione, Diſtinctione iv. *Catechumenum*, inquit, *quamvis in bonis operibus defunctum vitam habere non credimus, excepto dumtaxat, niſi Martyrii compleat Sacramentum*. Sed & apertius idem S. Doctor Lib. iii. *De Civitate Dei*, Cap. vii. ſic habet: *Quicumque, etiam non percepto regenerationis lavacro, pro Chriſti confeſſione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quam ſi abluerentur ſacro Fonte Baptiſmatis*. Porro id privilegii Martyrio conceſſum fuit, quod non in figura, & Sacramento, ſicut Baptiſmus, ſed in veritate Chriſti Salvatoris mortem referat. Eo principio nixus Sanctus Baſilius Lib. II. *De Spiritu Sancto*, Capite xvi. ſic loquitur: *Si quidam in certamine pro pietate ſuſcepto, per veritatem, & non per imitationem, mortem pro Chriſto ſuſtinent, nihil indigent ſymbolis aquæ ad ſalutem, eo quod in proprio ſanguine baptizati ſint*. Eadem eſt aliorum Patrum, & Theologorum ſententia, multoſque Martyres colit Eccleſia, qui ſanguinis Baptiſmo baptizati ex hac vita migrarunt.

VI. Verum licet ex his ſufficienter conſtet, Baptiſmum flaminis, qui in perfecta peccatorum deteſtatione ex amore Dei, & deſiderio recipiendi Sacramentum Baptiſmi fluminis conſiſtit, ut Theologi explicant, ac præterea Baptiſmum ſanguinis, ſupplere vices Sacramenti Baptiſmi, nihilominus certum eſt, quod & ſacri Theologi docent, neutrum eſſe Sacramentum, neque verum Baptiſmum, de quo loquitur Chriſtus citato Capite Joannis iii. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*. Quæ verba explicans S. Ambroſius in Libro, *De Abraham*, Cap. ultimo, ſic ait: *Utique nullum excepit, non infantem, non aliqua præventum neceſſitate*. Non ſolum itaque neceſſarius eſt cuique homini Baptiſmus neceſſitate præcepti, ſed etiam neceſſitate medii, ſine quo finis obtineri non poteſt; meritoque Tridentinum Concilium adverſus aliter ſentientes hoc anathema intorſit Seſſione vii. Can. v. *Siquis dixerit, Baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt, non neceſſarium ad ſalutem, anathema ſit.*

VII. Fuiſſe Baptiſmi Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum, Dogma plane Fidei eſt, a Tridentina Synodo confirmatum; quando autem ab eo inſtitutum fuerit, non una eſt Theologorum ſententia. Quidam enim hunc inſtitutum volunt, quando Chriſtus a Joanne baptizatus eſt in Jordane, ſumuntque ex eo argumentum, quod Patres dicunt, Chriſtum tunc contactu mundiſſimæ carnis ſuæ vim regenerativam aquis contuliſſe, atque ex eo tempore omnium peccata aquis abluiſſe. Alii tunc inſtitutum cenſent Baptiſmum, quando Chriſtus in Cælum adſcenſurus dixit Diſcipulis ſuis, Matthæi Cap. xxviii. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Alii demum inſtitutum tradunt, quando Chriſtus dixit Nicodemo, citato Cap. iii. Joannis: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*. Hanc ſententiam probabiliorem cæteris videri, notavit jam inter alios Eſtius in Libri iv. Sententiarum, Diſtinctionem tertiam, §. xi. eamque ſatis confirmari ait a Textu Evangelico. Dominus enim ſtatim poſtea velut procedens ad executionem inſtitutionis factæ, Diſcipulos miſit ad baptizandum. Ideoque non improbabile eſt, etiam Diſcipulos illi colloquio Nicodemi cum Chriſto interfuiſſe, ut qui ad baptizandum ſtatim mittendi erant. Intellexit hoc modo Chriſti ad Nicodemum verba S. Bernardus Epiſtola lxxvii. ad Hugonem Victorinum, dum ea vocat præceptum vitæ, Cæleſte Edictum, novi Myſterii Decretum, etſi adhuc ſecretum, Legem prolatam, etſi nondum promulgatam; & fatetur Baptiſmi tempus ex eo cœpiſſe, ex quo dictum eſt: *Niſi quis renatus fuerit &c.* licet ejus generalis promulgatio tunc nondum cœperit. Sed de his, & aliis hujuſmodi quæſtionibus conſulendi plane ſunt Theologi Scholaſtici, aliique Scriptores non pauci, quibus otium ad eas prolixe diſcutiendas non deeſt.

§. II.

Cum autem ad hoc Sacramentum conferendum alia ſint de Jure Divino abſolute neceſſaria, ut materia, forma, Miniſter, alia ad illius ſolemnitatem pertineant, ut ritus, ac cæremoniæ, quas ex Apoſtolica, & antiquiſſima traditione acceptas, & approbatas, niſi neceſſitatis cauſa, omittere non licet, de iis aliqua præmonenda ſunt, ut ſacrum hoc miniſterium rite, ac ſancte peragatur.

COMMENTARIUS.

I. Certa eſt illa Eccleſiæ doctrina, quam paſſim Theologi propugnant, in ſingulis Novæ Legis Sacramentis materiam, formam, & Miniſtrum, abſolute, & jure quidem Divino requiri; probantque ex celeberrimo illi Eugenii Papæ IV. Decreto pro inſtructione Armenorum edito, ubi ſic laudatus Pontifex loquitur: *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona Miniſtri, quorum ſi aliquod deſit, non perficitur Sacramentum*. Eadem fere loquendi ratione Synodus Tridentina Seſſione xiv. Cap. iii. utitur; idemque evincitur ex illo S. Auguſtini axiomate: *Acce-*

dit verbum ad elementum, & fit Sacramentum. Siquidem S. Doctor *elementi* nomine idipſum intelligit, quod Theologi materiam vocitant, & per *verbum* id quod formam appellare conſueverunt. Sane quemadmodum in compoſitis naturalibus vocamus materiam id quod determinari debet ad tale eſſe per aliud; formam vero vocamus, quod ipſam materiam ad aliquid determinat, ac perficit; ita in Sacramentis res ſenſibiles, quæ ex ſe indifferentes ſunt ad ſignificandum plura, dicuntur materia; & verba illa determinata ad tale ſignificandum, dicuntur forma: *Ex verbis, & rebus*, ſapientiſſime inquit Sanctus Thomas Parte III. Quæſtione LX. Articulo VI. ad II. *fit quodammodo unum in Sacramentis, ſicut ex forma, & materia, in quantum ſcilicet per verba perficitur ſignificatio rerum.* Et ibidem in Corpore Articuli ſic habet: *Aqua enim ſignificare poteſt & ablutionem propter ſuam humiditatem, & refrigerationem propter ſuam frigiditatem; ſed cum dicitur*, Ego te baptizo, *manifeſtatur, quod aqua utimur in Baptiſmo ad ſignificandam emundationem ſpiritualem.*

II. Teſte Juenino in Opere, *De Sacramentis*, Diſſertatione I. Quæſtione III. Cap. II. per mille & ducentos annos aliis terminis Majores noſtri uſi ſunt, ut exprimerent eas Sacramentorum partes, quas pluribus ab hinc ſæculis, materiam, & formam Scholaſtici appellant. Triplicem illi alium loquendi modum adhibuerunt. Nam primo dicebant, Sacramenta conſtare ex *ſigno, & re inviſibili*. Signi autem nomine idem intelligebant, quod nos per materiam & formam, & per rem inviſibilem, effectum Sacramenti, characterem nempe, & gratiam deſignabant. Secundo aſſerebant, in Sacramentis reperiri *res, & verba*. Tertio dicebant, eſſe ſemper *Sacramentum, & rem Sacramenti*; per priorem vocem, omne quod eſt ſenſibile in Sacramento; per poſteriorem vero ſpiritualem Sacramenti effectum ſignificabant. Ceterum quod voces iſtas, *materia, & forma* ad explicandam Sacramentorum ſubſtantiam, primus inter Theologos Guillelmus Antiſiodorenſis circa annum MCCXV. adhibuerit, ex eo idem Jueninus evincit, quod ante ipſum Guillelmum, nullibi Sacramentorum partes materiæ & formæ nominibus exprimuntur.

III. Quicquid autem de ea re ſit, certum illud eſt, quod ait noſter §. neceſſariam eſſe ad conferendum Sacramentum, & quidem *de Jure Divino* materiam, & formam, parteſque eſſe ipſas eſſentiales Sacramentorum, uti docet S. Thomas in IV. Sententiarum. Diſtinctione I. Quæſtione I. Articulo III. ad II. *Verba, & res*, ait ille, hoc eſt materia, & forma, *ſunt de eſſentia Sacramenti*. Itemque Parte III. Quæſtione LX. Articulo VII. in Corpore idem S. Doctor ſic inquit: *In Sacramentis verba ſe habent per modum formæ, res autem ſenſibiles per modum materiæ.* Inſtituiſſe autem Chriſtum Dominum materiam, & formam Sacramentorum, docet laudatus Doctor Angelicus citata Parte III. Quæſtione LXIV. Articulo II. ad I. *Illa quæ aguntur in Sacramentis per homines inſtituta, non ſunt de neceſſitate Sacramenti, ſed pertinent ad quandam ſolemnitatem, quæ adhibetur in Sacramentis ad excitandam devotionem, & reverentiam in his, qui Sacramenta ſuſcipiunt. Ea vero, quæ ſunt de neceſſitate Sacramenti, ab ipſo Chriſto inſtituta ſunt, qui eſt Deus & homo. Et licet non ſint omnia tradita in Scripturis, habet tamen ea Eccleſia ex familiari Apoſtolorum traditione, ſicut Apoſtolus dicit I. ad Corinthios* XI. Cætera cum venero, diſponam.

IV. Conſentanea plane ſunt, quæ docet S. Thomas, his, quæ habet noſter §. quod ad Sacramentum ſcilicet conferendum, *alia ſint de jure Divino abſolute neceſſaria, ut materia, forma, Miniſter; alia ad illius ſolemnitatem pertineant, ut ritus, ac cæremoniæ, quas ex Apoſtolica, & antiquiſſima traditione acceptas, & approbatas, niſi neceſſitatis cauſa, omittere non licet.* Ritus ſacros, ac cæremonias partim ex Apoſtolica, partim ex antiquiſſima traditione manaſſe in Eccleſiam, oſtendemus nos quidem in ſequentibus Commentariis, ubi ſe ſe nobis de iis recenſendis occaſio dederit. Penes autem Eccleſiam eſſe inſtituere ritus, qui pietatem alere poſſint, ac Sacramentis reverentiam conciliare, licet Scripturarum auctoritate non fulciantur, evincitur tamen ex Apoſtolorum exemplo, qui multas cæremonias, rituſque, Eccleſiaſtica, qua pollebant, auctoritate, præſcripſerunt, uti addiſcimus ex laudato ſuperius, & recitato a S. Thoma Aquinate, Pauli Apoſtoli teſtimonio: *Cætera cum venero diſponam*; quo quidem uſus jam fuerat S. Auguſtinus in Epiſtola CXVIII. Cap. VI. ubi inter eas Leges, quas Apoſtolus de Euchariſtia loquens, pollicetur, eam recenſet, qua Fideles prohibentur, ne nonniſi jejuni ad Euchariſtiam accedant. Sic ergo ait: *Ideo non præcepit*, Chriſtus ſcilicet, *quo deinceps ordine ſumeretur, ut Apoſtolis, per quos Eccleſias diſpoſiturus erat, ſervaret hunc locum; nam ſi hoc ille monuiſſet, ut poſt cibos alios ſemper acciperetur, credo, quod eum morem nemo variaſſet; cum vero ait Apoſtolus de hoc Sacramento loquens*: Propter quod fratres convenitis ad manducandum, invicem expectate. Siquis eſurit, domui manducet, ut non in judicium conveniatis, *ſtatim ſubtexuit*: Cætera autem, cum venero, ordinabo. *Unde intelligi datur, quia multum erat, ut in Epiſtola totum illum agendi ordinem inſinuaret, quem univerſa per Orbem ſervat Eccleſia, ab ipſo ordinatum eſſe, quod nulla morum diverſitate variatur.* Animadvertere hic quiſque poterit, Auguſtinum cenſuiſſe, S. Paulum tanquam ordinarium Eccleſiæ Paſtorem, ac proinde Eccleſiaſtica, qua pollebat, auctoritate, ritum de quo agitur, Fidelibus injunxiſſe, ut ſcite obſervat Jueninus in Opere, *De Sacramentis*, Diſſertatione I. Quæſtione VIII. Cap. III. Concluſione I. ubi etiam opportune ſubjicit, a Chriſtianæ Religionis incunabulis ad hæc uſque tempora Eccleſiam jus cæremonias præſcribendi ſibi competere cenſuiſſe, cum multas re ipſa ubique, & ſemper injunxerit, quæ tamen nulla expreſſa Scripturarum auctoritate nituntur.

V. Jam non opus eſt ſingulas cæremonias, rituſque hic recenſere, quas ex Apoſtolica, & antiquiſſima traditione acceptas, & approbatas, haud licere cuipiam omittere, niſi neceſſitatis cauſa, recte hic ait noſter §. Eſſet enim hæc ſumma temeritas a Concilio Tridentino improbata, ac damnata Seſſione VII. *De Baptiſmo*, Can. XIII. ſuperius a nobis deſcripto, atque explicato in Commentario ad §. II. Tituli I.

§. III.

De materia Baptiſmi.

§. III.

Ac primum intelligat Parochus, cum hujus Sacramenti materia ſit aquà vera, ac naturalis, nullum alium liquorem ad id adhiberi poſſe.

COMMENTARIUS.

I. NOtandum hic primo cenſeo, duplicem a Theologis diſtingui materiam in Sacramentis, quæ conſiſtunt in uſu alicujus rei ſenſibilis. Altera eſt res ipſa ſenſibilis, quam Deus inſtituit, ut ſit ſignum, & cauſa gratiæ, quæ producitur per Sacramentum. Altera eſt uſus, & applicatio illius materiæ. Prima dicitur materia remota, ſecunda vero materia proxima. Sane de prima loquitur hic noſter §. aitque, Sacramenti Baptiſmi materiam eſſe aquam veram, ac naturalem. Et quidem ſolam aquam veram, & naturalem eſſe remotam Baptiſmi materiam, Dogma Fidei eſt a Scriptura Divina, & a traditione acceptum. Nam primo Chriſtus Dominus expreſſe aquæ uſum in Baptiſmo præſcripſit, ubi in Evangelio Joannis, Cap. III. dixit: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua*. Secundo Apoſtoli Baptiſmum conferentes, aquam naturalem ſemper adhibuerunt, ut ex Actis Apoſtolicis liquet, præſertim vero ex Cap. VIII. ubi legitur Eunuchum Candacis Reginæ baptizari cupientem dixiſſe Philippo: *Ecce aqua, quid probibet me baptizari?* Tum vero mox: *Et deſcenderunt uterque in aquam Philippus, & Eunuchus, & baptizavit eum*. Tertio in ſola aqua, & quidem vera, ac naturali conferri hoc Sacramentum, conſtans eſt Patrum omnium ſæculorum traditio, ut nihil opus ſit ſingillatim eorum teſtimonia proferre, præſertim cum toti antiquitati ſubſcribant duo Oecumenica Concilia, Florentinum in Decreto de Sacramentis, & Tridentinum, Seſſione VII. *De Baptiſmo*, Can. II. ubi anathema iis dixit, qui aquam veram, & naturalem ad Baptiſmum requiri, negaverint.

II. Neque porro his obſtat, quod refert Nicephorus Libro III. *Hiſtoriæ*, Cap. XXXVII. & Joannes Moſchus, qui circa annum DCXXX. floruit, & in ſuo Prato Spirituali narrat, a quibuſdam Chriſtianis Judæum quemdam in Eremo ad extremas redactum anguſtias arenæ perfuſione baptizatum non ſine miraculo Divinitus exhibito; nam, ut ibidem narratur, Dionyſius Alexandrinus Epiſcopus, re cognita, & ad Eccleſiæ judicium relata, juſſit, aqua deinde baptizari eum, qui ſic baptizatus fuerat; nam quod prius geſtum erat, ad Baptiſmum flaminis, de quo nos ſuperius diximus, referendum intelligebat, ut ſcite obſervat Eſtius in Libri IV. Sententiarum, Diſtinctionem III. §. VII.

III. Frivolum vero, & inane eſt, quod objicitur ex Stephani Papæ II. Reſponſis ad Monachos Brittanniæ, Cap. II. quem ajunt Baptiſmum in vino probaſſe, ubi interrogatus de Presbytero, qui vino, aquæ defectu, infantem de vita periclitantem abluerat, ſic reſpondit: *Si in vino quis, propterea quod aquam non inveniebat, periclitantem infantem baptizavit, nulla exinde ei adſcribitur culpa. Infantes ſic permaneant in ipſo Baptiſmo. Si aqua adfuit præſens, Presbyter excommunicetur &c.* Primo, quia hujus Reſponſi non ſatis authentica, nec certa extent monumenta, tametſi relatum ſit a Sirmondo Tomo II. Conciliorum Galliæ ex ms. Codice S. Mariæ Laudunenſis. Secundo ex tribus mſs. Codicibus, qui Reſponſum illud continent, duo ipſi Stephano II. tribuunt, tertius vero Siricio Papæ. Tertio non eſt veriſimile, Romanum Pontificem ignoraſſe, quod vel minores Clerici ſciunt, ſolam aquam naturalem eſſe materiam Baptiſmi. Quarto jam nec ipſi tres memorati Codices rem ipſam eadem ratione in ipſo contextu referunt; veriſimileque eſt, ineptam conſtructionem ſic emendari debere: *Nulla ei adſcribitur culpa, ſi infantes ſic permaneant*. Unde ſequitur: *Nam ſi præſens adfuit aqua, ille Presbyter excommunicetur, & pœnitentiæ ſubmittatur, quia contra Canonum ſententiam agere præſumpſit*. Non igitur talem Baptiſmum ratum habuit Stephanus, ſi genuinum ejus Reſponſum eſt, quia non fuerat interrogatus de valore Baptiſmi, ſed de culpa, vel pœna baptizantis. Hunc porro nulla pœna plectendum eſſe reſpondet, quia cum aliud non poſſet in extremo periculo, id per ſimplicitatem fecit, quod poſtea potuit elapſo periculo emendari; nec in cauſa fuit, cur infantes poſtea baptizati non ſint aqua, quæ, uti dictum eſt, Jure Divino ſola Baptiſmi materia eſt.

IV. Siquis autem roget, cur Chriſtus Baptiſmum aqua conſtare voluerit, pluribus quidem rationibus S. Hieronymus ad Oceanum ſcribens demonſtravit. Sed quod hanc quæſtionem ſpectat, ut verbis utar Catechiſmi Romani, Parte II. *De Baptiſmo*, num. X. *Paſtores docere inprimis poterunt, quoniam hoc Sacramentum omnibus ſine ulla exceptione ad conſequendam vitam neceſſarium erat, iccirco aquæ materiam, quæ nunquam non præſto eſt, atque ab omnibus facile parari poteſt, maxime idoneam fuiſſe. Deinde aqua effectum Baptiſmi maxime ſignificat, ut enim aqua ſordes abluit, ita etiam Baptiſmi vim, atque efficientiam, quo peccatorum maculæ eluuntur, optime demonſtrat. Accedit illud, quod, quemadmodum aqua refrigerandis corporibus aptiſſima eſt, ſic Baptiſmo cupiditatum ardor magna ex parte reſtinguitur*. Atque hic nota, electam quoque fuiſſe aquam pro materia Baptiſmi, quod in Baptiſmo ſcilicet, qui aqua conſtat, præcipua Dei attributa commendantur, ut pluribus docet Tertullianus in Libro, *De Baptiſmo*. Primo itaque elucet in eo Dei ſapientia, qui medio ſcilicet aptiſſimo uſus eſt, ad explicandum cæleſtem Baptiſmi effectum, ipſumque ob hominum oculos poſuit, qui non niſi per ſenſus ſpiritualia percipiunt. Secundo elucet etiam quammaxime Dei omnipotentia, dum elemento multum humili utitur, ut magnificum operetur effectum. Tertio ſingularis quoque in nos Dei charitas elucet, qui in Sacramento omnino ne-

neceſſario ad conſequendam ſalutem, materiam omnibus perviam, & ubique communem inſtituit.

V. Merito itaque omni ævo velut hæretici damnati ſunt, qui aquam ab hoc Sacramento excluſerunt, cujuſmodi fuerunt Caiani, teſte Tertulliano in Libro, *De Baptiſmo*, Cap. I. ubi ſic ait: *Nuper converſata iſthic quædam de Caiana hæreſi vipera venenatiſſima doctrina ſua pleroſque rapuit, in primis Baptiſmum deſtruens plane ſecundum naturam; nam feræ, viperæ, & aſpides, ipſique regali ſerpentes arida, & inaquoſa ſectantur.* Secundo Manichæi rati aquam eſſe ex principio nequam, Baptiſmum ea collatum, non fictitium modo, ſed & noxium eſſe, prædicarunt, teſte S. Auguſtino in Libro, *De hæreſibus*, Hæreſi XLVI. ubi de his agens, ſic inquit: *Baptiſmum in aqua nihil cuique perhibent ſalutis afferre; nec quemquam eorum, quos decipiunt, baptizandum putant.* Tertio Seleuciani, & Hermiani, quorum meminerunt idem Auguſtinus, & S. Epiphanius in Libris, *De hæreſibus*, dicentes, non aquam, ſed ignem eſſe Baptiſmi Chriſtiani materiam, propterea quod de Chriſto dictum ſit a Joanne, Matthæi Cap. III. *Ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni.* Qui error inde facili refellitur, quod eum Scripturæ locum nemo Sanctorum Patrum ad hunc modum intellexerit, ſed vel de linguis igneis ſuper Apoſtolos delapſis in die Pentecoſtes, vel metaphorice de proprietate Spiritus Sancti, qui inſtar ignis peccata conſumit, corda inflammat, & mentes illuminant; vel de probatione, ac purgatione futura in extremo judicio interpretati ſunt; quo poſtremo modo exponunt locum illum S. Hilarius in Commentario ad Matthæi Evangelium, & S. Baſilius in Libro, *De Spiritu Sancto*. Sed de hac re videri poteſt Viri Clariſſimi Caſti Innocentis Anſaldi Ordinis Prædicatorum amici noſtri Commentarius Sacer philologico-criticus, *De Baptiſmate in Spiritu Sancto, & igni.* Quarto Pauliciani, ut teſtatur Euthimius Parte II. *Panopliæ*, Titulo XXI. docuerunt, Baptiſmum nulla ex materia conſtare, ſed ſola horum verborum prolatione: *Ego ſum aqua viva*. Nitebantur ſiquidem eo leviſſimo principio, quod nempe Chriſtus ſe aquam eſſe vivam aſſeruiſſet.

VI. Inter recentiores ſectarios Lutherus in ſympoſiacis colloquiis, Cap. XVII. dubitare viſus eſt, num aquæ defectu, ſi neceſſitas urgeret, Baptiſmus alio liquore, vino exempli gratia, collatum valeat. Ea enim de re interrogatus, reſpondit, illam Divino committendam eſſe judicio. Quod dubium Lutherus reliquerat, Beza certo definit, docuit quippe Miniſtrum quovis liquore inter baptizandum uti poſſe, cum urget neceſſitas, nec adeſt aqua, atque hunc errorem in altera ad Thomam Tillium Epiſtola tradidit, ut teſtatur Jueninus, *De Sacramentis*, Diſſertatione II. Quæſtione III. Capite I. Articulo I. ubi memoratorum hæreticorum circa remotam Baptiſmi materiam errores recenſet. Sed & vide Eſtium in Libri IV. Sententiarum Diſtinctionem III. §. VII. ubi Calvinum, alioſque confutat, qui contra omnem antiquitatem, in ea ſententia, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.* per aquam metaphorice intelligunt mortificationem, vel tribulationem, quomodo accipitur in illo Pſalmi verſiculo: *Intraverunt aquæ uſque ad animam meam.* Sed ſupervacaneum eſt in hiſce refellendis erroribus immorari, cum certum ex Patribus ſit, recitata in Evangelio verba, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.* de Baptiſmo per aquam intelligenda, ut late docet memoratus Eſtius loco citato.

VII. Itaque exploſis hæreticorum commentis, recte monet hic noſter §. ut *primum intelligat Parochus, cum hujus Sacramenti materia ſit aqua vera, & naturalis, nullum alium liquorem ad id adhiberi poſſe.* Quod adeo verum eſt, ut ſi aqua ipſa, quæ adhibetur, natura ab aqua vera, & naturali, elementarique, diverſa ſit, quantamcunque alioqui cum ea ſimilitudinem habeat, neque ſimpliciter aqua dicenda eſt, neque materia eſſe poterit hujus Sacramenti, cujuſmodi eſt, quæ diſtillatione ex floribus, aut herbis colligitur, vel quæ ex fructibus arborum exprimitur, quæ non ſimpliciter aqua, ſed cum adjuncto, velut aqua roſacea, aut violacea dicitur. Ex quo genere liquorum nihilo magis conſtare poterit Baptiſmus, quam ex ſucco de botris expreſſo, ideſt ex uva; eſt enim eadem ratio. Cæterum cum hujus Sacramenti ea ſit neceſſitas, ut etiam a laicis, inſtante mortis periculo illud adminiſtrari liceat, recte admodum S. Carolus Parte IV. Actorum in Inſtructionibus, *De Baptiſmi adminiſtratione*, Parocho mandat, *ut populum hujus Sacramenti materiam doceat eſſe omne naturalis aquæ genus, ſive ea maris ſit, ſive fluvii, ſive putei, ſive fontis, quæ ſine ulla adjunctione aqua dici ſolet; aliis autem liquoribus, aut aquis, quæ a floribus, herbis, aliiſve id generis exprimuntur, Baptiſmum confici non poſſe; aquam præterea puram, mundamque eſſe, pro Sacramenti dignitate, convenire; niſi neceſſitate urgente, in qua uti licet etiam aqua lutulenta.* Ubi tamen nota, ac tene, quod docet S. Thomas Parte III. Quæſtione LXVI. Articulo IV. in Corpore, ubi hæc habet: *Si forte aqua admiſceatur in tam parva quantitate alicui corpori, quod compoſitum magis ſit aliud, quam aqua, ſicut lutum magis eſt terra, quam aqua, non poteſt fieri Baptiſmus.*

§. IV.

Aqua vero ſolemnis Baptiſmi ſit eo anno benedicta in Sabbato Sancto Paſchatis, vel Sabbato Pentecoſtes, quæ in Fonte mundo nitida, & pura diligenter conſervetur; & hæc, quando nova benedicenda eſt, in Eccleſiæ, vel potius Baptiſterii Sacrarium effundatur.

COMMENTARIUS.

I. QUamvis aqua ſimplex, quæ nihil aliud admixtum habet, materia ſit apta ad Baptiſmum conficiendum, quoties iſtius Sacramenti adminiſtrandi neceſſitas occurrit; ab antiquis tamen temporibus in Eccleſia obſervatum eſt, ut cum ſolemnibus cæremoniis Ba-

Baptiſmus conficitur, aqua ipſa conſecretur, & ſacrum etiam Chriſma addatur, quo Baptiſmi effectum, unctionem ſcilicet Spiritus Sancti declarari, perſpicuum eſt. Conſecrationis hujus aquæ per orationem Sacerdotis diſerte meminit S. Cyprianus in Epiſtola LXX. ad Januarium, ubi ſic ſcribit: *Oportet ergo mundari, & ſanctificari aquam prius a Sacerdote, ut poſſit Baptiſmo ſuo peccata hominis, qui baptizatur, abluere*. Idem docent S. Ambroſius, & S. Auguſtinus, quorum primus in Libro I. *De Sacramentis*, Cap. V. dicit, *Formam Baptiſmatis, & uſum hoc habere, ut ante Fons conſecretur, & tunc deſcendat, qui baptizandus eſt*. Et Lib. II. Cap. V. ait: *Venit Sacerdos, precem dicit ad Fontem, invocat Patris nomen &c*, Alter vero, nempe Auguſtinus in pluribus ſuorum Operum locis ejuſdem ritus mentionem facit, præſertim vero Lib. VI. *De Baptiſmo contra Donatiſtas*; & Lib. IX. contra Julianum, Cap. VIII. Et Sermone CCCLIII. ubi hæc habet: *Sed quia Baptiſmus, ideſt ſalutis aqua, non eſt ſalutis, niſi Chriſti nomine conſecrata, qui pro nobis Sanguinem fudit, Cruce ipſius aqua ſignatur*. Longum Patrum agmen tum Græcorum, tum Latinorum eam in rem affert Natalis Alexander, Lib. II. *Theologiæ Dogmaticæ, & Moralis*, Tractatu II. *De Baptiſmo*, Capite I. Articulo II. Regula III.

II. Quam antiqua ſit Baptiſmalis Fontis benedictio, conſtat jam ex variis Ordinibus deſcriptis ab erudito Martene Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. XIII. Articulo XVIII. Eſſe autem antiquum ritum, ut aqua ad uſum Baptiſmi bis in ſingulos annos benediceretur, nempe in Sabbato Sancto, & Sabbato Pentecoſtes, vel ex eo addiſcimus, quod juxta veterem Eccleſiæ diſciplinam duo dumtaxat olim in toto integro anno ad recipiendum Baptiſmum deſignata ſunt tempora, in Vigiliis ſcilicet Paſchatis, & Pentecoſtes. Duplicis iſtius temporis meminit quidem pervetuſtus Auctor, qui labente Sæculo Chriſti II. claruit Tertullianus in Libro, *De Baptiſmo*, Cap. XIX. ubi hæc habet: *Diem Baptiſmo ſolemniorem Paſcha præſtat, cum & Paſſio Domini, in qua tinguimur, adimpleta eſt; nec incongruenter ad figuram interpretabitur, quod cum ultimum Paſcha Dominus eſſet acturus, miſſis Diſcipulis ad præparandum*, Invenietis, *inquit*, hominem aquam bajulantem, *Paſchæ celebrandæ locum de ſigno aquæ oſtendit*. Tum vero mox ſubjicit: *Exinde Pentecoſte ordinandis lavacris latiſſimum ſpatium eſt, quo & Domini Reſurrectio inter Diſcipulos frequentata eſt, & gratia Spiritus Sancti dedicata, & ſpes adventus Domini ſuboſtenſa, quod tunc in Cælos recuperato eo, Angeli ad Apoſtolos dixerunt, ſic venturum, quemadmodum & in Cælos conſcendit, utique in Pentecoſte*. Sic vero demum: *Sed enim Hieremias cum dicit*, Et congregabo illos ab extremis terræ in die feſto, *Paſchæ diem ſignificat, & Pentecoſtes, qui eſt proprie dies feſtus*.

III. Aſſerit igitur I. Tertullianus, Chriſtum Paſcha Baptiſmati conferendo idoneum tempus deſignaſſe, dum Paſcha celebraturus, Diſcipulos ad hominem, qui aquam bajularet, remiſit. Docet II. conveniens eſſe, ut expletis per Quadrageſimam Paſſionis Dominicæ ſolemniis, celebretur Baptiſmus, qui ſuam ab ea virtutem haurit. Ait III. diem Pentecoſtes eidem Sacramento ſapienter deſtinatum, quod reſurrectione Domini, Spiritus Sancti delapſu, ut alterius Chriſti adventu ſpe commendetur. IV. quod præter illa tempora, poſſit & alio quovis tempore conferri Baptiſmum, teſtatur ſtatim citato loco Tertullianus ſic inquiens: *Cæterum omnis dies Domini eſt, omnis hora, omne tempus habile Baptiſmo; ſi de ſolemnitate intereſt, de gratia nihil refert*. Plura ſcitu digna videri poſſunt apud Pamelium in Notis ad recitatum locum Tertulliani.

IV. Idem tempus ſolemni Baptiſmo conferendo conſecratum, Paſchatis ſcilicet, ac Pentecoſtes, recenſent plures Summi Pontifices. Siricius, qui anno CCCLXXXV. electus Romanus Pontifex fuit in celebri ſua ad Himerium Epiſcopum Tarraconenſem Epiſtola, duo hac in cauſa definit. Primo eorum praxim damnat, qui in Natali Domini, Epiphania, Apoſtolorum, Martyrumque Feſtivitatibus Baptiſmum conferebant: *Sequitur*, inquit Cap. II. *de diverſis baptizandorum temporibus, prout ubicumque libitum fuerit, improbabilis, & emendanda confuſio, quæ a noſtris Conſacerdotibus, quod commoti dicimus, non ratione auctoritatis alicujus, ſed ſola temeritate præſumitur, ut paſſim, ac libere, Natalitiis Chriſti, ſeu Apparitionis, necnon Apoſtolorum, ſeu Martyrum Feſtivitatibus innumeræ, ut aſſeris, plebes Baptiſmi myſterium conſequantur*. Secundo prohibet, ne aliis, quam Paſchatis, & Pentecoſtes diebus ſolemne Baptiſma conferatur: *Cum hoc ſibi privilegium, & apud nos, & apud omnes Eccleſias Dominicum ſpecialiter cum Pentecoſte ſua Paſcha defendat, quibus ſolis per annum diebus ad Fidem confluentibus generalia Baptiſmatis tradi convenit Sacramenta... præfatam regulam omnes teneant Sacerdotes, qui nolunt ab Apoſtolicæ Petræ, ſuper quam Chriſtus univerſalem conſtruxit Eccleſiam, ſoliditate divelli*.

V. Diſciplinæ veteris praxim, de qua mox Siricius, præſcripſit etiam S. Leo Magnus Pontifex Maximus, ubi in Epiſtola ad Epiſcopos per Siciliam conſtitutos aſſerit, Sacerdotes, qui die Epiphaniæ Catechumenos Baptiſmate ſolemni conſecrant, *ab Apoſtolicæ inſtitutionis conſuetudine diſcrepare, ſoloſque Paſchatis, & Pentecoſtes dies baptizandis in Eccleſia electis, ſecundum Apoſtolicam regulam eſſe præſcriptos*. Simili quoque modo loquitur Gelaſius Papa in Epiſtola IX. ad Epiſcopos Lucaniæ, Cap. X. ita ſcribens: *Baptizandi ſibi quiſquam paſſim quocumque tempore, nullam credat fiduciam, præter Paſchale Feſtum, & Pentecoſte venerabile Sacramentum, excepto dumtaxat graviſſimi languoris incurſu*. Ejuſdem conſuetudinis, ut alios omittam, meminere, in ſuo Sacramentorum Libro S. Gregorius I. electus Pontifex anno DXC. itemque Gregorius II. ineunte ſæculo VIII. in Epiſtola ad Clerum, & Plebem Thuringiæ, quæ refertur in Vita S. Bonifacii Epiſcopi Moguntini, & Martyris, Auctore Othlano, ubi expreſſe ait, *Sancti Baptiſmatis Sacramentum nonniſi in Paſchali feſtivitate, & Pentecoſte eſſe celebrandum*. His accedunt plurima Concilia, quæ idem decernunt, allata ab erudito Martene, Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. I. Articulo I. num. III.

VI. Quamquam vero hæc edita eſſent Decreta, pluribus idem Auctor oſtendit, invaluiſſe in multis etiam Occidentis Eccleſiis morem conferendi ſolemnem Baptiſmum aliis temporibus,

bus. Sed quicquid ſit de hac conſuetudine, certa quidem, ac probata a Sede Apoſtolica tempora fuere, Paſcha, & Pentecoſte, hora ſcilicet nona, ſeu quæ nobis nunc eſt tertia pomeridiana, ut diſcere licet ex teſtimonio Alcuini, qui agens de Officio Sabbathi Sancti, ſic habet: *Hodie autem hora nona Baptiſmus celebratur, ſicut in Pentecoſte*. Quod ſiquis objiciat, multos Patres Latinos aſſeruiſſe, intempeſtæ noctis ſilentio Baptiſmum antiquitus collatum fuiſſe; ſcite reſpondet Jueninus in citata Diſſertatione II. Quæſtione x. Cap. III. ea loquendi ratione illos uſos fuiſſe, eo quod Baptiſmi ſolemnis ritus propter baptizandorum multitudinem, ſæpius multam in noctem protraheretur. Sed nec quemquam movere debet, quod iidem Patres non raro referunt, ipſis nempe Paſchatis, & Pentecoſtes diebus Catechumenos fuiſſe baptizatos. Id enim aſſeruerunt, eo quod Baptiſmatis ritus inciperet ſub Sabbathi veſperam, a qua Majores noſtri ſubſequentis Feſti ducebant initium.

VII. Sicut vero benedici conſuevit Fons Baptiſmalis Paſchate, & Pentecoſte, quibus apud Latinos olim paſſim Baptiſma ex antiquo ritu ſolemniter adminiſtrabatur, ita & apud Græcos in Epiphania, in qua ex antiquo pariter ritu adminiſtrabatur etiam Baptiſma, benedici & aqua ſolebat, ut teſtis eſt S. Baſilius in Libro, *De Spiritu Sancto*, ſic inquiens: *Benedicimus Baptiſmatis aquam, & unctionis oleum, inſuper & baptizatum. Quibus vero Scripturis edocti, nonne a ſilente, & ſecreta Traditione?* Sane Orientalium conſuetudinem, qui die Sacra Epiphaniæ aquas baptizandis Catechumenis deſtinatas conſecrarant, recenſet in Oratione, *De Baptiſmo Chriſti*, S. Joannes Chryſoſtomus his verbis: *Hæc enim dies eſt, qua baptizatus eſt Chriſtus, & aquarum naturam ſanctificavit; propterea que in hac ſolemnitate ſub media nocte omnes, cum aquam hauſtam acceperint, domum latices referunt, ac recondunt, & per annum integrum reſervant; utpote quod hodierna die ſanctificatæ ſint aquæ; fitque miraculum evidens, dum nihil temporis longinquitate aquarum illarum natura corrumpitur, ſed integro anno, atque adeo biennio, & triennio, ſæpe quæ hodie fuit hauſta, incorrupta, & recens permanet; ac poſt tantum temporis cum iis, quæ fuerint de fontibus nuper eductæ, de integritate certat*.

VIII. Apud Græcos itaque Sæculo IV. peragi conſuevit ſolemnis Baptiſmi cæremonia profundæ noctis ſilentio, *ſub media nocte*, ut ait laudatus Chryſoſtomus, ſed ea tamen noctis parte, quæ luci vicinior eſt. Aſſerit quippe idem S. Doctor, aquam ipſam, de qua ibidem agit, nocte hauſtam fuiſſe, ac ea die, qua concionem ad populum habebat, ideſt, Epiphaniæ, in privatas domos aſportatam. Mutata fuit poſtmodum illa hora, ad veſperam nempe pervigilii a Cnaphæo Patriarcha Conſtantinopolitano, de quo Theodorus Lector ita ſcribit: *Aquarum in Theophaniis orationem veſperi fieri conſtituit*. Idem ex Theodoro narrat Cedrenus; qui quidem ritus deinceps obtinuit, ut ex Pachimere Libro VII. Cap. VII. & ex aliis docemur. Cæterum cum & regenerandorum multitudini, & aliis piorum Chriſtianorum uſibus, aquæ benedictæ haud ſufficerent, notat eruditus Sebaſtianus Pauli in Diſſertatione, *De ritu Eccleſiæ Neritinæ*, Parte I. num. VII. pag. 48. duplicem Eccleſiam Orientalem in Theophaniæ Feſto aquarum benedictionem admiſiſſe, primam, quæ in Feſti pervigilio benedicitur, & ex ea populus aſpergitur, domus, & campi luſtrantur; alteram, quæ inter Miſſarum Sacra ipſo die feſto dedicatur, ad hoc ut candidati baptizentur, & Fideles, Sacerdoteſque ex ipſa communicent. Utriuſque benedictionis ritus habetur in Græcorum Euchologio, hoc Titulo: *Sequitur Ordo magnæ benedictionis aquarum in ſanctis Theophaniis*.

IX. Sed omiſſis Græcorum ritibus, devenio ad noſtrum §. in quo non modo edicitur, ut quum Baptiſmus eſt adminiſtrandus, aqua Baptiſmi ſit eo anno benedicta in Sabbato Sancto Paſchatis, vel Sabbato Pentecoſtes; verum etiam, ut *in Fonte mundo nitida, & pura diligenter conſervetur*. Id plane inter alios præſcripſit S. Carolus in ſuis, *de Baptiſmi adminiſtratione*, Inſtructionibus, ſed longe fuſius, ac luculentius, his verbis: *Aquam Baptiſmalem, quoniam puram illam quidem, nitidamque eſſe, ob tanti Sacramenti dignitatem, convenit, in ipſo Fonte per totum annum, quoad ejus fieri poteſt, tum decore, tum pure conſervabit*. Loquitur S. Antiſtes ad Parochum, ſtatimque ſubjicit: *Quam ob cauſam cum Fontem pro Sacramenti majeſtate ex præſcripto decenter exſtructum, ornatumque habebit; tum etiam totum ipſius Fontis opus undique ita contectum tenebit, ut nec pulvis, neque ullæ aliæ ſordes intro penetrent, quibus aqua corrumpi, aut impura fieri poſſit*. Quo aqua ipſa baptiſmalis nitida, & pura conſervetur in Fonte mundo, vide quæ idem S. Carolus ſtatuit in Concilio Provinciali Mediolanenſi IV. Conſtitutionum Parte II. Capite, *Quæ pertinent ad Sacramentum Baptiſmi*, ubi rationem edocet, qua conſtruendus ſit Fons Baptiſmalis.

X. Quoniam vero in hoc noſtro §. Fontis Baptiſmalis, ac Baptiſterii, ejuſque Sacrarii facta primum ſit mentio, nam ait, ut aqua Baptiſmi, *quando nova benedicenda eſt, in Eccleſiam, vel potius Baptiſterii Sacrarium effundatur*; operæ pretium ducimus nonnulla de Baptiſterio, ejuſque Fonte, ac Sacrario adnotare. Cœpiſſe hæc quidem, reddita per Conſtantinum Imperatorem Chriſtianum Eccleſiæ pace, paſſim conſtrui, & ad unum Baptiſmatis miniſterium deſignari, notavit jam memoratus Martene, Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. I. Articulo II. num. VI., ubi etiam ſcribit, quæ vulgo dicta ſunt Baptiſteria, a Græcis appellata fuiſſe, *Illuminatoria*; a Sidonio Apollinari Lib. II. Epiſtola II. ad Domitium, *Piſcinam*; a Venantio Fortunato Lib. II. Carmine XII. *Aulam Baptiſmalem*; a Gregorio Turonenſi Lib. II. Hiſtoriæ Francorum, *Templum Baptiſterii*; in Capitularibus Pippini Regis Italiæ anni 793. num. 7. & 15. *Baptiſmales Eccleſias*; in ejuſdem Capitularibus excerptis ex Lege Longobardorum, num. 16. *Oracula*; in Capitularibus Caroli Calvi anni 876. *Plebes*; a Flodoardo denique Lib. II. Hiſtoriæ Remenſis, Cap. 19. *Baptiſmales Titulos*. Porro obſervat Muratorius in Notis ad Epiſtolam XIII. S. Paulini, labi Vicecomitem Lib. I. *De antiquis Baptiſmi ritibus*, Capite VI. & conſequenter laudatum Martene, dum Sidonii locum in citata Epiſtola ad Domitium, ubi ſcribit, *huic Baſilicæ appendix piſcina forinſecus, ſeu, ſi græcari mavis, Baptiſterium ab Oriente complectitur*, ad

Sa-

Sacrum Baptiſterium trahit. Profana enim hæc ſunt villæ ornamenta, impoſuitque illi nomen Baſilicæ, quod hic non Eccleſiam, ſed profanam anguſtam domum ſignat.

XI. Quicquid ſit, iſtiuſmodi loca, ſeu Baptiſteria, de quibus nos loquimur, ut idem Martene obſervat, jam utplurimum erant ab Eccleſiis diſtincta, & ſeparata, ut patet ex S. Paulini Epiſtola XXXII. ad Severum, juxta Muratorii editionem, ubi de ejus Baptiſterio ita canit.

Dives opum Chriſti, pauper ſibi, pulcra Severus
Culmina ſacratis Fontibus inſtituit.

Separata ſunt ab Eccleſiis, & quidem ex antiquo ritu Baptiſteria in multis noſtræ Italiæ Civitatibus, uti inter alios notavit eruditus Mabillonius in ſuo Itinere Italico Tomo I. Muſæi Italici, pag. 10., ubi de Novaria loquens, hæc habet: *Eccleſia Novarienſis primaria in honorem Beatiſſimæ Virginis dedicata ſeparatum habet inſigne Baptiſterium S. Joannis Baptiſtæ, uti Romæ, Florentiæ, Piſis, Parmæ, Patavii, aliiſque in locis nonnullis*. Et infra pag. 38., ubi agit de Ravenna, *Baptiſterium antiqui operis extra Eccleſiam*, memorat. Eſſe hunc antiquum ritum in aliis etiam extra Italiam Civitatibus ſervatum, conſtat non modo ex Venantio Fortunato, Lib. II. Carmine XII., ubi agit de Baptiſterio Moguntiæ ædificato, verum etiam ex Vita B. Altonis, cujus in Monaſterio, cum S. Bonifacius Eccleſiam conſecraſſet, ita ut præter ſolitum morem feminis ad eam liber pateret aditus, attamen *Fontem quemdam in eodem loco juxta Eccleſiam poſitum ea benedixit ratione, ut mulieri nulli liceret ad eum accedere*. Idem etiamnum obſervare licet in Turonenſi S. Martini Eccleſia, quæ ſeparatum quoque a Baſilica Baptiſterium habet in Æde S. Joannis, qua pro Capitulo Canonici uti ſolent.

XII. At vero utplurimum intra Eccleſiæ ambitum continebatur Baptiſterium, ut innumeris poſſet comprobari exemplis, idque prope januam ad lævam, atque ita ex ſupracitato Itinere Italico Mabillonii, pag. 9. in Eccleſia Vercellenſi, *ingreſſis ad lævam ſe ſe offert vetus Baptiſterium ex marmore, duo habens altrinſecus ſedilia*. Venetiis quoque in Eccleſia S. Marci cernitur *Baptiſterium ex ære pulchre elaboratum in Sacello ad portam, qua aditus eſt in contiguo Ducis Palatium*. Cernuntur ſane paſſim ipſa Baptiſteria in Eccleſiis juxta illarum januam ad lævam, cujuſmodi eſt Baptiſterium Paulæ Patriæ meæ in Eccleſia principe; ſed obſervat tamen Mabillonius in Itinere Germanico, Tomo IV. Analectorum, in Badenſi apud Helveticos Eccleſia Baptiſterium non ad portam, ſed *in ſuperiori navis parte ad aquilonem poſitum ſub effigie columbæ ſuſpenſæ*. Moris porro fuiſſe antiqui, aureas, & argenteas columbas in figura Sancti Spiritus ſupra Baptiſteria, eorumque Fontes collocare, apparet profecto ex Septima Generali Synodo, Nicæna II. Actione V. Præter columbas ipſas conſueviſſe in Baptiſteriis poni Imaginem S. Joannis Baptiſtæ, cum eo in manu indice, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, docet Durantus Lib. I. *De ritibus Eccleſiæ Catholicæ* Cap. XIX. num. 6. Statuit quidem & hanc diſciplinam S. Carolus tum in Concilio Provinciali Mediolanenſi IV. Conſtitutionum Parte II. Capite, *Quæ pertinent ad Sacramentum Baptiſmi*; tum aliis locis, ut nempe in Capella Baptiſterii, aut in pariete proximo S. Joannis Imago Chriſtum Dominum baptizantis extaret. Id quod etiam, ut alia Concilia, & Ritualia omittam, Rituale hoc noſtrum præſcripſit, ut videre eſt infra §. XXXII.

XIII. Ad formam, ſeu figuram Baptiſteriorum quod ſpectat, rotunda ea erant in modum turris, ut colligimus ex citata S. Paulini Epiſtola ad Severum, ubi hæc habet.

Iſte duas inter diverſi culminis aulas
Turrito Fontem tegmine conſtituit.

Atque ita Florentinum celebre Baptiſterium nobis repræſentat eruditus Dufreſne in ſuo mediæ, & infimæ Latinitatis Gloſſario, his verbis: *Florentiæ in Italia e regione maximi Templi Eccleſia eſt rotunda S. Joanni Baptiſtæ ſacra. Hanc Baptiſterium appellant. Tota hæc marmorea habens januas, quas æneæ valvæ operis egregii recludunt. In medio illius Eccleſiæ Baptiſterium e marmore lucidiſſimo poſitum viſitur, in quo Florentini omnes Baptiſmi lavacrum percipiunt*. Quibus ex verbis conſtat, quod notat idem Martene, num. IX. non ſolum Baptiſterium rotunda fuiſſe figura, ſed & Fontem ipſum, in quo baptizandi tingebantur, in medio Ædis conſtitutum fuiſſe. Id quod confirmat Joannes Diaconus in Libro, *De Eccleſia Lateranenſi*, Cap. XII, ubi Fontes Lateranenſes ita deſcribit: *Fontes ſunt rotundi inter columnas porphireticas poſiti in medio Eccleſiæ, quæ pulcra eſt, & rotunda, ubi Conſtantini Imperatoris fuit camera*.

XIV. Porro propter baptizandorum multitudinem plures aliquando Fontes habebant Baptiſteria, ut non modo conſtat ex recitato Joannis Diaconi loco, verum etiam ex Baptiſterio Piſano, in cujus medio, teſtante Mabillonio, in ſuo Italico Itinere, *extat Fons Sacer rotundo opere cum multis Fonticulis in petra excifis*. Sci te autem obſervat Martene num. XIII. ob ipſam baptizandorum multitudinem tantæ debuiſſe Baptiſteria eſſe amplitudinis, quæ plura baptizandorum millia cum ſuis Suſceptoribus capere poſſent. Nam cum olim non niſi bis in anno, Paſchate ſcilicet, ac Pentecoſte, ut ſuperius notatum fuit, Baptiſmus adminiſtraretur, nec aliunde eſſent Baptiſteria, niſi in præcipuis Civitatibus, tanta tingendorum multitudo eo confluebat, ut ad plura dubio procul millia aliquando excreſcerent. Certe in Eccleſia Conſtantinopolitana, cum Sabbato Sancto adverſus S. Joannem Chryſoſtomum irruiſſent Theophili ſatellites, jam tria hominum millia regenerationis Sacramentum perceperant, fugatis reliquis, præſertim mulieribus nudis, quæ ſeparatim a viris Sacro Fonti immergebantur, opera ſcilicet Diaconiſſarum, de quibus diximus in noſtris ad Concilia Œcumenica, & ad Pontificale Romanum Commentariis. Atque hic nota, ad conſulendum pudori, conſueviſſe olim feminas a viris ſeparatas baptizari.

XV. Quanta fuerit hac in re S. Ottonis Pomeranorum Apoſtoli ſollicitudo, & cautio, ac ſimul quo modo, ac ritu Baptiſmum novellis Chriſti Fidelibus adminiſtraret, docet nos illius Vitæ Scriptor Lib. II. Cap. XV. apud Surium ad diem II. Julii, ſic inquiens: *Interim vero tribus extructis Baptiſteriis, ita ordinavit, ut ipſe ſolus mares pueros in uno baptizaret, alii autem Sacerdotes feminas ſeorſim, & viros ſeorſim. Tanta quoque diligentia, tanta munditia, & honeſta-*

Google

ſtate Pater optimus Sacramenti operationem fieri edocuit, ut nihil indecorum, nihil pudendum; nihil unquam, quod alicui gentilium minus placere poſſet, ibi ageretur. Namque dolia grandia valde terræ altius immergi præcepit, ita ut ora doliorum uſque ad genu hominis, vel minus de terra prominerent; quibus aqua impletis, facilis erat in eam deſcenſus. Cortinas circa dolia fixis columellis, funique inductis, oppandi fecit, ut in modum coronæ velo undique cuppa cingeretur. Ante Sacerdotem vero, & Comminiſtros, qui ex una parte adſtantes Sacramenti opus explere habebant, linteum ſune trajecto pependit, quatenus verecundiæ undique proviſum foret, nequid ineptiæ, aut turpitudinis notaretur in Sacramento, ne honeſtiores perſonæ, pudoris occaſione ſe a Baptiſmo ſubtraherent.

XVI. Conſtat jam vel ex recitato hactenus loco & alius ritus, deſcendendi ad Fontem, ubi quis baptizaretur. Conſueviſſe etiam eum deſcenſum fieri ad Fontem certo graduum numero, antiqui Scriptores tradunt, inter quos S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus ſeptem non ſine myſterio recenſet tum Lib. xv. Originum, Cap. iv. *Fons in Delubris locus regeneratorum eſt, in quo ſeptem gradus in Spiritus Sancti myſterio formantur, tres in deſcenſu, & tres in aſcenſu; ſeptimus vero is eſt, qui & quartus, ideſt ſimilis Filio hominis &c.* Tum Lib. II. *De Divinis Officiis*, Cap. xxiv. ubi ſic loquitur: *Fons autem omnium gloriarum origo eſt, cujus ſeptem gradus ſunt, tres in deſcenſu propter tria, quibus renuntiamus; tres in aſcenſu propter tria, quæ confitemur; ſeptimus vero is eſt, qui & quartus ſimilis Filio hominis &c.* Iſidorum deſcribit creditus Alcuinus in Libro, *De Divinis Officiis*, Capite, *De Sabbato Sancto*; adſtipulaturque utrique Theodulphus Aurelianenſis Antiſtes in Libro, *De Baptiſmo*, Cap. xiii. quibus addi & poteſt Hugo Abbas Flaviniacenſis in Chronico Virdunenſi, ubi agens de Malveo, qui poſtea fuit Virdunenſis Epiſcopus, *Statim*, inquit, *renatus aqua, & ſpiritu in ſeptem Baptiſmatis gradibus ſeptem comprehendit dona Paracliti Spiritus.*

XVII. Quod vero recens baptizati ſolerent olim ſtatim poſt ſuſceptum Baptiſma Corpori & Sanguini Domini communicare, aliquot etiam Altaria in Baptiſteriis ſolita erigi erant, in quibus Miſſa celebrari poſſet ad renatorum communionem. Hinc Hilarus Papa tria feciſſe dicitur Oratoria, ſive Altaria in pervetuſto Baptiſterio Baſilicæ Conſtantinianæ apud Anaſtaſium, ſcilicet S. Joannis Baptiſtæ, S. Joannis Evangeliſtæ, & Sanctæ Crucis; in Baptiſterio quoque Lateranenſi Oratorium S. Stephani. Item de Symmacho Papa idem Auctor loquens, *Ad Fontem*, inquit, *in Baſilica S. Petri Apoſtoli Oratorium Sanctæ Crucis ex argento, Confeſſionem, & Crucem ex auro &c.* Sed & in Piſano Baptiſterio Fonti *adhæret Altare cum globo ſuper illud concavo, in quo Eucharistia olim ad uſum, ut veriſimillimum eſt, recens baptizatorum obſervabatur*, ut refert Mabillonius in citato ſuo Itinere Italico, Tomo 1. Muſei pag. 184. Unde non mirum, ſi Baptiſteria ipſa ſolemni ritu, ac pompa conſecrarentur, ut addiſcere licet ex Sidonio Apollinari Lib. iv. Epiſtola xv. ad Elaphium, ſic ſcribens: *Epulum multiplex, & capaciſſima lectiſternia para plurimis viis, pluribus turbis ad te venitur. Ita honorum contubernio ſedit, quippe poſtquam omnibus tempus futuræ dedicationis inclaruit. Nam Baptiſterium, quod olim fabricabimini, ſcribitis jam poſſe conſecrari. Ad quæ Feſta vos voti, nos miniſterii, officii multos, Fidei totos cauſa ſollicitat &c.* Recondi conſueviſſe in hujuſmodi Baptiſteriis Sanctorum Reliquias, docet non uno in loco Gregorius Turonenſis, præſertim vero in Libro, *De Vitis Patrum*, Capite vii. ubi dicit, quod in Baptiſterio Divionenſi *multæ Sanctorum Reliquiæ tenebantur*. Et Lib. x. Hiſtoriæ Francorum loquens de conſtructo a ſe Baptiſterio, ita ſcribit: *Baptiſterium ad ipſam Baſilicam ædificari præcepi, in quo S. Joannis cum S. Sergii Martyris Reliquias poſui, & in illo priori Baptiſterio S. Benigni Martyris pignora collocavi.*

XVIII. Præterea cum, uti alias dicemus, ſoli priſcis temporibus baptizarent Epiſcopi, ſolæ etiam Cathedrales Eccleſiæ, in quibus illi reſidebant, Baptiſteria habebant. Diſciplinæ iſtius veſtigium viſitur hodie Florentiæ, ut notavit in ſuo Gloſſario Duſreſne, verbo, *Baptiſterium*, ubi poſtqam dixit, in ipſa Civitate e regione maximi Templi extare Eccleſiam rotundam in honorem S. Joannis Baptiſtæ, ita mox ſubdit: *In medio illius Eccleſiæ Baptiſterium e marmore lucidiſſimo viſitur, in quo Florentini omnes Baptiſmi lavacrum percipiunt, neque alibi quiſquam, præterquam in hoc Baptiſterio aquis ſalutaribus tingitur. Quæ quidem adnotare libuit, tanquam veteris moris inſtitutum, cum olim in Civitatibus, in Eccleſiis tantum Cathedralibus, aut iis adjunctis Baptiſteriis Baptiſmus conferretur, in quibus etiamnum ſuperſunt ejuſmodi Baptiſteria tametſi nulli fere uſui.* In aliis quoque noſtræ Italiæ Civitatibus, Oppidiſque inſignibus, in ſolis paſſim Eccleſiis Cathedralibus, Matricibuſque baptizari ſolent infantes, præſertim Piſis, Parmæ, Patavii, &, ut alias Urbes omittam, Paulæ, quæ eſt Patria mea in citeriori Calabria, licet quatuor Parochi adſint, qui diſtinctas Parochias regunt in quatuor Urbis regionibus, omnes tamen in uno Baptiſterio, quod eſt in Eccleſia, quam appellamus Matricem, infantes baptizant. Sane Romæ primitus in omnibus fere Baſilicis Baptiſterium erat, ut ad S. Joannem Lateranenſem, ad S. Petrum, ad S. Paulum, ad S. Mariam Majorem, ad S. Mariam tranſtyberim, ad S. Laurentium in Damaſo, & in aliis paſſim celebrioribus Urbis Eccleſiis. Id quod ad ſingulare ejuſdem Urbis privilegium refert Joſephus Vicecomes, utpote in qua Eccleſiæ principatus, & Religionis domicilium conſtitutum erat, propter multitudinem eorum, qui, ſpretis inanibus diis, verum Cæli, terræque conditorem Deum agnoſcebant.

XIX. Excepta Urbe, uti jam dicebamus, unicum erat olim in ſingulis Civitatibus, Oppidiſque Baptiſterium. Sed multiplicato poſtmodum Fidelium numero, etiam in una eademque Civitate plura Baptiſteria conſtrui cœpere, non tamen, niſi in principalioribus Eccleſiis, aut prope eas, quas propterea Baptiſmales dixerunt, ut in Canone LIV. & LV. apud Gratianum Cauſa xvi. Quæſtione 1. ad diſtinctionem earum Eccleſiarum etiam Parochialium, quæ Baptiſterio carebant; quemadmodum etiam hodie in aliquibus Civitatibus, ac præſertim in Urbe Roma plures cernuntur Eccleſiæ Parochiales, potiſſi-

tiſſimum vero quæ a ſæcularibus Presbyteris adminiſtrantur, Baptiſterio deſtitutæ. Cæterum ſequentibus ſæculis, eum Parochi facti ſint ordinarii Miniſtri Baptiſmi, illudque miniſterium ad illos fuerit devolutum, tunc quoque contigit, ut omnes paſſim erectæ in pleriſque Civitatibus, Oppidiſque Parochiales Eccleſiæ Baptiſterium erexerint, in quo omnes uniuſcujuſque Parochiæ incolæ ſolemniter baptiſarentur, & ſpiritualiter renaſcerentur, atque hoc titulo Eccleſiam Parochialem tanquam Matrem, quæ io Chriſto eos genuit, recognoſcerent, atque venerarentur.

XX. Hæc omnia fuſius exponunt quidem eruditus Vicecomes in Opere, *De antiquis Baptiſmi ritibus*, Durantius Lib. I. *De ritibus Eccleſiæ Catholicæ*, Cap. XIX. ac memoratus toties Edmundus Martene citatis locis. Sed & notandom hic cenſeo, quod idem Auctor, Lib. I. Cap. I. Articulo II. num. XVI. ſcribit, aliquando ſcilicet Baptiſterii privilegium quibuſdam etiam Monachorum Eccleſiis, propter Apoſtolicum vitæ illorum inſtitutum, & reverentiam, quam ex populis exigebat virtus ſanctitatis eorum, indultum fuiſſe. Nam & in Sancti Pachomii Monaſteriis, qui fuit Cœnobiticæ Vitæ primus Inſtitutor, Catechumenos Fidei rudimentis imbutos, atque regenerationis gratia donatos fuiſſe, conſtat ex ejus Vita ab Auctore coævo, & graviſſimo ſcripta apud Bollandianos ad diem XIV. Maji. Eundem uſum fuiſſe in Monaſterio dicto *Penthucula*, docet Joannes Moſchus in Prato ſpirituali, Cap. III. Baptiſmum quoque Moguntiæ in Eccleſia S. Albani, quam Monachi Sancti Benedicti incolebant, collatum fuiſſe, patet ex Annalibus Eginardi ad annum DCCCXXVI. Denique, ut multa alia hujuſmodi exempla prætereamus, infantes nobilium Sabbato Sancto in Monaſterio Caſæ-Dei tingendi ex more deferebantur, ut refert Bertrandus in Libro tripartito Miraculorum S. Roberti Abbatis, Diſtinctione I. num. 23.

XXI. Quamquam vero occaſione Baptiſterii, de quo hactenus diximus, nonihil etiam de ejus Fonte dixerimus, lubet nihilominus nonnulla ſpeciatim de ipſo adnotare. Et quidem Fontis iſtius vaſculum juxta antiquam omnium paſſim Eccleſiarum conſuetudinem debebat eſſe lapideum; conſtatque ex priſcis Conſtitutionibus Richardi Epiſcopi Sacrum, Capite XVIII. itemque ex illis S. Edmondi Cantuarienſis Archiepiſcopi, Cap. X. atque ex Concilio Wigornienſi, Cap. V. Verum in Concilio Ileldenſi, prout citatur a Burchardo, & apud Gratianum, Canone CVI. De Conſecratione, Diſtinctione IV. decernitur, ut *omnis Presbyter, qui Fontem lapideum habere nequiverit, vas conveniens ad hoc ſolummodo baptizandi officium habeat, quod extra Eccleſiam non deportetur*. Idem præſcribit Beneventana Provincialis Synodos ſub Hugone II. Guidardio, anno MCCCLXXIV. celebrata, Tit. IV. Cap. V. obi inter alia etiam edicit, ut ipſe Fons prius ab Epiſcopo ſit benedictus: *Caveant autem Sacerdotes*, inquit, *ut pro Baptiſmo in Eccleſiis ſuis, & infra eas habeant Fontem lapideam ab Epiſcopo primitus benedictum, ſi haberi commode poſſit; alioquin habeant aliud vas conveniens, ſolammodo ad baptizandi officium deputatam, & tali modo collocatum, quod extra Eccleſiam portari non poſſit.* Tum vero mox ſubjicit: *Dictam autem Fontem teneant bene mundum, & honeſto modo, alioquin durius punientur, ſi contrarium fecerint præmiſſorum.* Et iterum: *Lapidem autem Fontis, vel aliud vas ante omnia ab Epiſcopo benedici præcipimus, antequam aliquis ibidem baptizetur.* Sane inſtante mortis periculo, cum Baptiſmum in privatis ædibus conferri neceſſe eſt, infantes in vaſe ligneo baptizari permittunt memoratorum Antiſtitum Edmundi Cantuarienſis, & Richardi Sarum Conſtitutiones, ſed hujuſmodi vaſa, expleto Baptiſmo, igne comburi jubent. Verum quod baptizandis Regum Scotorum filiis olim inſerviebat, cuprcum erat, quod capto Edimburgo, in Eccleſiam S. Albani tranſtulit Richardus Lens Eques Auratus tempore Henrici VIII. Anglorum Regis, ut notat Martene Lib. I. Cap. I. Articulo II. num. XI.

XXII. Fontis figura fuit utplurimum rotunda, ſicut & Baptiſterium, de quo late jam ſuperius diximus. Atque ita S. Julianus primus Cenomanenſium Antiſtes *in quodam vaſculo lapideo in modum dolii* Defenſorem Principem cum Goda ejus uxore baptizaſſe refertur in Geſtis Epiſcoporum Cenomanenſium. Sed io Hiſpaniæ Provincia Luſitana *Piſcina ex marmore vario in modum Crucis habebatur*, teſte Gregorio Turonenſi, Lib. I. *De gloria Martyrum*, Cap. XXIII. Porro qua ratione conſtruendus ſit Baptiſmalis Fons, expoſuit S. Carolus in Concilio Provinciali IV. Mediolanenſi, Conſtitutionum Parte II. ubi agit de iis, quæ pertinent ad Sacramentum Baptiſmi: *Fons Baptiſmalis*, inquit, *e marmore, aut e ſolido lapide conſtet, qui, ſi præ rimulis, aliave ratione ejuſmodi eſt, ut inde aqua ſenſim effluat, lapis alius bene firmus, ſolidus, ac tutus quamprimum comparetur.* Et paulo poſt: *Habeat operimentum, vel ciborium ad ſacra Olea tuto, decenterque conſervanda, in eo ipſo Fonte accommodatam, niſi ubi ex Inſtructionibus noſtris aliter extruendam eſt.* Addit & alia, quæ io laudato ejuſdem Concilii Mediolanenſis Capite legi poſſunt. Sane Conciliis, Actiſque Eccleſiæ Mediolanenſis fere omnibus Rituale Romanum conſentit, præſertim vero io iis, quæ ad Baptiſterium ſpectant, de quo ita ſtatuit infra §. XXXII. *Baptiſterium ſit decenti loco, & forma, materiaque ſolida, & quæ aquam bene contineat, decenter ornatum, & cancellis circumſeptum, ſera, & clave munitum, atque ita obſeratam, ut pulvis, vel aliæ ſordes intro non penetrent, in eoque, ubi commode fieri poteſt, dipingatur imago S. Joannis Chriſtum baptizantis.*

XXIII. Reſtat, ut de Sacrario Baptiſterii dicamus, quod quidem, ut & ipſum *e marmore, ſolidove lapide prope Fontem conſtruatur ad præſcriptum Inſtructionam*, citato loco idem S. Carolus ſtatuit. Longum porro eſſet deſcribere quæ S. Antiſtes, Actorum Parte IV. Eccleſiæ Mediolanenſis Lib. I. Inſtructionum Fabricæ, & Supellectilis Eccleſiaſticæ, Cap. XIX. quod eſt de Baptiſterio tam more Romano, quam Ambroſiano, accurate, ſapienterque præſcripſit. Dicam dumtaxat, quod de prima Sacrarii forma docet ſequenti Capite XX. *Sacrarii prima forma*, inquit, *hæc ſit, ut vas ſcilicet e marmore, lapideve ſolido fiat, inſtarque Fontis baptiſmalis concavetur; longe patens ſit cubitum unum, late uncias ſexdecim, forma rotunda, vel ovata, vel quadrata, aliave, quæ minus ſitum impediat.* In-

medio fundo concavo foramen habeat forma quadrata, quod large ab omni parte pateat uncias circiter quinque. Suffulciatur columella quadrata, aliave pro ratione vaſis, ſuppoſita parvula baſi; itaut ab Eccleſiæ pavimento uſque ad ſummum ejus labrum alte extructum ſit cubitis duobus. Habeat ſub foramine parvulum tubulum, aquæductumve, in media columella effoſſum, ſculptumve; qui quadrata etiam forma, ample itidem pateat uncias quinque, ut per eum, quæ cineres, aliaque id generis, quæ effundentur, aut projicientur, deorſum effluant. Infra hunc tubulum, aquæductumve ciſterna ſuffodiatur, in quam quæcumque effuſa, projectave erunt, recipiantur. Id Sacrarium integumento operiatur, quod ex tabulis nuceis ſit, atque ejuſmodi, ut a parte ſuperiori ſenſim leni acclivitate, quaſi pyramidis inſtar emineat. Claudatur autem firmiſſimo peſſulo, ſera, & clave. Afferri & alia poſſent in variis Ritualibus, ac Synodis eandem in rem præſcripta, quæ non opus eſt hic recenſere.

§. V.

Si aqua benedicta tam imminuta ſit, ut minus ſufficere videatur, alia non benedicta admiſceri poteſt, in minori tamen quantitate.

COMMENTARIUS.

I. Ritum eſſe antiquiſſimum, ut ubi, nullo mortis periculo urgente, adminiſtretur Baptiſmus, adhibenda ſit aqua baptiſmatis benedicta Sabbato Sancto Paſchatis, vel Pentecoſtes, ejuſdem anni, in ſuperiori Commentario abunde fuit oſtenſum. Quod quidem adeo verum eſt, ut ex communi Theologorum ſententia mortaliter peccet Sacerdos, contra inſtitutionem Eccleſiæ, ſi non cum illa aqua baptizet. Cum tamen dari poſſit caſus, aquam benedictam in baptiſmali Fonte tam imminutam eſſe, ut minus ſufficere videatur, recte hic ſtatuit noſter §. aliam non benedictam admiſceri poſſe, *in minori tamen quantitate*; ut ſcilicet major pars trahat ad ſe minorem, & minor in majorem converti poſſit. Porro cum iſtud novæ aquæ augmentum periculoſum ſit, fieri omnino cum multa diligentia debet; nam ſi aqua benedicta uſque ad extremam guttam imminuta ſit, non puto aliam non benedictam poſſe illi admiſceri, tum potiſſimum, quod aquæ minima gutta non ſufficiat ad Baptiſmum, ſed opus eſt, ut ſit in tanta quantitate, ut ejus infuſione corpus hominis, vel ejus pars moraliter ablui dicatur, ut docent Theologi allati a Barboſa, Parte II. *De officio, & poteſtate Parochi*, Cap. XVIII. num. 45.

§. VI.

Si vero corrupta fuerit, aut effluxerit, aut quovis modo defecerit, Parochus in Fontem bene mundatum, ac nitidum, recentem aquam infundat, eamque benedicat ex formula, quæ infra præſcribitur.

COMMENTARIUS.

I. Perſpicua plane ſunt ea, quæ hic noſter §. mandat, ut nempe ſi aqua baptiſmalis benedicta, *corrupta fuerit, aut effluxerit, aut quovis modo defecerit, Parochus in Fontem bene mundatum, ac nitidum, recentem aquam infundat, eamque benedicat ex formula, quæ infra præſcribitur*, Capite nempe VII. hujus Tituli, quod inſcriptum eſt: *Benedictio Fontis Baptiſmi extra Sabbatum Paſchæ, & Pentecoſtes, cum aqua conſecrata non habetur*. Plura nos in hunc ritum ſuo loco dicemus, ſed abs re non erit hoc loco adnotare, quod in caſu, quem recenſet, deciditque noſter §. præſcripſit S. Carolus in ſuis, *De Baptiſmi adminiſtratione*, Inſtructionibus, ubi ſic inquit: *Quod ſi intra annum, præ temporis diuturnitate, aliave cauſa, illam corrumpi contigerit, in Sacrarium prope Fontem Parochus projiciet, ſtatimque & Fontem purgabit. Et vero ſi in Urbe eſt, ad Metropolitanam, ſi in Diœceſi, ad Plebanam Eccleſiam veniet, unde proprio vaſculo nitido aquam baptiſmalem accipiat, in Parochialemque Eccleſiam ſecreto ferat; ubi quamprimum in Fontem effundet, baptiſmalique aquæ allatæ tantum etiam aquæ puræ, nitidæ, & recentis addet, quantum ſatis erit. Hoc ipſum quoque præſtabit, ſi etiam aqua baptiſmalis per annum aliqua modo defecerit.* Tum vero mox addit: *Si vero in Eccleſia, vel Metropolitana, vel Plebana, ubi Fontis benedictionem fieri ſolemne eſt, aquam baptiſmalem corrumpi, aut deficere contigerit, tunc Archipresbyter, aut Præpoſitus, Rocheto, Cappa, & Stola violacea indutus, Fonte primum diligenter purgato, & aquæ puræ, mundæ, recentiſque pleno, Oleoque ſacro, quod aquæ immiſceri debet, parato, benedictionem, omiſſis cæteris cæremoniis, peraget, ut infra ſuo loco inter Benedictiones, adhibitis ſaltem duobus Clericis.*

II. Ex præſcripto itaque S. Caroli, ubi in propriæ Parochiæ Fonte corrupta ſit, aut quovis modo defecerit aqua baptiſmalis ſtatis temporibus benedicta, jam non alia benedicenda, ſed potius ex Fonte alterius Eccleſiæ ſumenda, ut nempe, quantum fieri poteſt ſervetur antiquum, probatumque Eccleſiæ inſtitutum baptizandi cum aqua Sabbato Sancto Paſchatis, aut Pentecoſtes benedicta. Hinc recte ſtatuit in Concilio Provinciali Mediolanenſi IV. Conſtitutionum Parte II. ubi agit de iis, quæ ad Sacramen-

tum

tum Baptiſmi pertinent, ut *ille, ubi nullus Fons baptiſmalis eſt, introductus in aliquot locis mos aquæ benedicendæ, conſecrandæve, quo tempore Baptiſmum miniſtrari oportet, tum Baptiſmo celebrato, in Sacrarium projiciendæ, tollatur inpoſterum omnino*. Ex quibus addiſcimus, quod ubi alibi, quam in Eccleſia Parochiali Baptiſmus adminiſtratur, niſi neceſſitas urgeat, adhibenda ſit aqua benedicta ex Fonte baptiſmali, non vero nova benedicenda, excepto caſu, de quo loquitur noſter §. cui ſtandum, niſi aliter præſcribant peculiares laudabiles, probatæque Eccleſiarum variarum conſuetudines, Conſtitutioneſque.

§. VII.

Sed ſi aqua conglaciata ſit, curetur, ut liqueſiat; ſin autem ex parte congelata ſit, aut nimium frigida, poterit parum aquæ naturalis non benedictæ calefacere, & admiſcere aquæ baptiſmali in vaſculo ad id parato, & ea tepefacta, ad baptizandum uti, ne noceat infantulo.

COMMENTARIUS.

1. Quod hic noſter §. ait, idipſum jam paſſim & Theologi docent, & Sacræ Synodi præſcribunt, inter quas Provincialis VI. Beneventana ſub Hugone II. Gnidardio habita anno MCCCLXXIV. Tit. IV. Cap. V. *Advertant*, inquit, Sacerdotes, *quod aquam calidam apponant, quia parvuli quandoque ita penetrantur frigore aquæ, quod contrahunt mortales infirmitates, & moriuntur*. Loquitur hic Concilium de aqua baptiſmali nimium frigida, cui aquam calidam apponendam inquit, ſed in longe minori quantitate, uti habet noſter §. *poterit*, inquit, *parum aquæ naturalis non benedictæ calefacere, & admiſcere &c.* Cæterum quod glacies, grando, nix ex communi Doctorum ſententia, non ſit apta materia ad baptiſmum, quia ſcilicet non eſt idonea ad abluendum, recte ait noſter §. ut *ſi aqua conglaciata ſit, curetur, ut liqueſiat*, modo ſcilicet præſcripto, ubi ex parte congelata ſit, aut nimium frigida. Atque hic audiendus eſt S. Carolus, qui in ſuis memoratis Inſtructionibus §. noſtrum egregie explicat hiſce plane verbis: *Quoniam interdum accidit, ut in ſumma hyeme, aqua baptiſmalis vi frigoris conglaciet, aut gelida nimis fiat, tunc ut aliquo calore liquefacta, uſui ad baptizandum infantem eſſe poſſit, cum animadverti debeat, ne illa gelida nimis ei noceat, aliam aquam vaſe mundo calefactam immiſceri licet; quæ aqua calefacta longe paucior ſit, quam illa, quæ benedicta eſt. Qua in re cavebit etiam Sacerdos, nequid aliud commiſceat, quam aquam puram, ac naturalem, quamvis calidam*. Similia legere eſt in variis Synodis, atque variarum Eccleſiarum Ritualibus, quorum loca deſcribere ſupervacanei eſſet laboris.

De forma Baptiſmi.

§. VIII.

Quoniam Baptiſmi forma his verbis expreſſa, *Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, omnino neceſſaria eſt, ideo eam nullo modo licet mutare; ſed eadem verba uno, & eodem tempore, quo fit ablutio, pronuncianda ſunt.

COMMENTARIUS.

I. Sicut circa materiam Baptiſmi, ita quoque circa ejus formam multiplex fuit error hæreticorum, uti notavit Jueninus, *De Sacramentis*, Diſſertatione II. Quæſtione IV. Capite I. Prioribus ſæculis in tribus Principiis, & in tribus Filiis, ac in tribus Paracletis nonnulli hæretici Catechumenos baptizarunt, uti addiſcimus ex Can. XLIX. vulgo Apoſtolorum, in quo illorum praxis damnatur. Damnat quoque praxim ipſam utpote nondum Sæculo VI. penitus extinctam Vigilius Papa in Epiſtola II. Cap. VI. ubi ſic loquitur: *Siquis Epiſcopus, aut Presbyter, juxta præceptum Domini non baptizaverit in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ſed in una Perſona Trinitatis, aut in duobus, aut tribus Patribus, aut in tribus Filiis, aut in tribus Paracletis, projiciatur de Eccleſia Dei*.

II. Marcitæ dicti a Marco Valentini diſcipulo, teſte S. Irenæo, Lib. I. adverſus hæreſes, Cap. XIX. ſic Baptiſmum conferebant: *In nomine ignoti Patris omnium, in veritate Matris omnium, & in nomine deſcendentis Jeſu ad unctionem, & redemptionem, & communionem virtutum*. Eandem Marcitarum formam in conferendo Baptiſmum refert Theodoretus Lib. I. hæreticarum fabulam, his verbis: *Tingentes autem eos, quos decipiunt, dicere ſolent*: In nomine ignoti Patris univerſorum, in veritatem matrem omnium, & in Jeſum, qui deſcendit ad unionem, & redemptionem, communionemque poteſtatum.

III. Nonnulli Cataphryges ita dicti, Montano adhærentes, eo quod in Phrygia præſertim emineret, Baptiſmi etiam formam corruperant, uti colligitur ex Canone VIII. Concilii Laodiceni, ubi hæc habet: *Eos, qui convertuntur ab hæreſi, quæ dicitur Cataphrygarum, ſeque in Clero conſtitutos exiſtimant, quamvis magni dicantur, hujuſmodi cum omni diligentia catechizari oportet, & baptizari, ab Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopis, & Presbyteris*. Itemque ex Canone

none VII. Concilii I. Conſtantinopolitani, quem nos explicuimus Tomo I. Conciliorum. Par credere eſt, aliquos ex iis hæreticis Baptiſmum contuliſſe in nomine Patris, & Filii, & Montani, quem Paracletum eſſe prædicabant. Id innuere videtur S. Gregorius Magnus, Libro IX. Epiſtola LXI. ad Quirinum Epiſcopum ſic ſcribens: *Hi hæretici, qui in Trinitatis nomine minime baptizantur, ſicut Bonoſiani, & Cataphrygæ, quia & illi Chriſtum Dominum non credunt, & iſti Spiritum Sanctum perverſo ſenſu eſſe pravum quemdam hominem Montanum credunt, quorum ſimiles multi ſunt, & alii tales, cum ad ſanctam Eccleſiam veniunt, baptizantur; quia Baptiſma non fuit, quod in errore poſiti, in Sanctæ Trinitatis Nomine minime perceperunt.*

IV. Paulianiſtæ a Paulo Samoſateno, qui Perſonas in Sancta Trinitate non diſtinguebat, ſic appellati, irrita, & vana quadam uſi ſunt & ipſi inter baptizandum formula, uti addiſcere licet ex Canone XIX. Concilii I. Niceni, a nobis Tomo I. Conciliorum explicato, ubi baptizati ab illis, iterum baptizari juſſi ſunt. Photinianos quoque in Baptiſmi formam peccaſſe, probant hæc verba Canonis XVI. alterius Concilii Arelatenſis: *Photinianos, ſive Paulianiſtas, ſecundum Patrum ſtatuta baptizari oportet.* Nonnullos Afros forma a Chriſto præſcripta minime uſos fuiſſe, ſupponere videntur Patres Concilii I. Arelatenſis, ubi Canone VIII. Decretum hoc ediderunt: *De Afris, qui propria ſua Lege utuntur, ut rebaptizent, placuit, ut ſi ad Eccleſiam aliquis de hæreſi venerit, interrogent eum Symbolum, & ſi perviderint, in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto eum eſſe baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum Sanctum.* Inter antiquos tandem hæreticos, peccaſſe, ut alios omittam, Eunomianos in ipſam formam Baptiſmi, tradit Theodoretus Lib. IV. hæreticarum fabularum, Capite III., ubi ſic de Eunomio, a quo dicti ſunt Eunomiani, loquitur: *Idem Sancti etiam Baptiſmatis Legem olim a Domino, & Apoſtolis traditam evertit, & contrariam ſanxit, non oportere dicens ter illum immergere, qui baptizatur, nec invocare Trinitatem, ſed ſemel baptizare in Chriſti mortem.*

V. Porro Baptiſmi formam in noſtro §. expreſſam docuit Apoſtolos Chriſtus Dominus, ac per eos univerſam Eccleſiam, cum mittens illos in Mundum univerſum, juſſit prædicare, & docere omnes, *baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; uti legitur Matthæi Capite XXVIII. Hinc Tertullianus in Libro, *De Baptiſmo*, Cap. XIII. inquit: *Lex tinguendi impoſita eſt, & forma præſcripta.* Ite, *inquit*, docete nationes, tinguentes eas in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. *Huic Legi collata definitio illa*: Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu, non intrabit in Regnum Cœlorum; *obſtrinxit fidem ad Baptiſmi neceſſitatem. Itaque omnes exinde Fideles tinguebantur.* Antiqua igitur Eccleſiæ conſuetudo fuit, & Lex a Chriſto accepta, & ad nos uſque derivata, univerſos cum his verbis ſemel prolatis baptizandi: *Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Quam quidem formam, quod ter, hoc eſt, ad ſingulas tinctiones ſemel repeterent olim Eccleſiæ Hiſpanicæ, vehementius in ipſas de ea re exarſit Alcuinus in Epiſtola CLXXXI. ad Paulinum Patriarcham.

VI. Ex illis Chriſti verbis Legem de Baptiſmo promulgantis Matthæi Cap. XXVIII. *baptizantes eos*, Catholica Eccleſia Divinitus edocta optime intellexit, in hujus Sacramenti forma actionem Miniſtri exprimendam eſſe; quod quidem fit, cum dicitur, *Ego te baptizo*; quæ tamen verba, ut teſtatur Martene Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. I. Articulo XIV. num. XIX. deſiderantur in ms. Rituali ad uſum Eccleſiæ Cameracenſis ab annis circiter CCCL. exarato; quod etiam ſe vidiſſe affirmat in Monaſterio S. Nicolai in Silva Vandagii Diœceſis Laudunenſis. Nam in utroque, & puerorum, & puellarum Ordine Baptiſmi, hæc tantum præſcribuntur: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.* Eodem modo proprium filium, cum congruè Sacerdos reperiri nequiviſſet, baptizavit olim homo quidam in Diœceſi Claramontana, ut teſtatur Petrus Epiſcopus in Epiſtola ad Mauricium Epiſcopum Pariſienſem, & Stephanum S. Evurcii Abbatem, qui poſtea Tornacenſi præfuit Eccleſiæ, ubi & hæc addit: *Eo hæc eſt peſſima conſuetudo in Terra noſtra, ut in talis neceſſitatis articulo dicant*, In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, *nec totam exprimant verborum formam, quæ debet exprimi in Baptiſmo, quod undejare vocant.* Interrogatus quid de tali Baptiſmo ſentiret Mauricius, reſpondit, nullum in ea tinctione extitiſſe Sacramentum. Contra vero Stephanus, qui ſuam ſententiam rationibus, & auctoritatibus non paucis tuetur; additque eos, qui literas ignorant, hoc ſolum dicere, cum undaizant parvulos: *In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

VII. Eadem fuit ſententia Hugonis Victorini, Petri Cantoris, & Præpoſitivi, quorum auctoritates adducit Morinus Lib. VIII. *De Pœnitentia*, Cap. XVI. §. XIX. & Jueninus, *De Sacramentis*, Diſſertatione II. Quæſtione IV. Cap. III. Articulo II. Sed & inter ea, quæ in Latinis redarguit Michael Cerularius, ad Petrum Antiochenum ſcribens, hoc unum eſt: *Sacrum Baptiſmum ita peragunt, ut eos, qui baptizantur, unica merſione baptizent*, In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, *dicentes*. Verum quicquid ſit de ea aliquorum ſententia, ac praxi, non eſt dubium, quin expreſſio ablutionis neceſſario requiratur in collatione Baptiſmi. Expreſſe id enim docet Alexander Papa III. in Capite, *Si quis, de Baptiſmo, & ejus effectu*, ubi ſic loquitur: *Si quis puerum ter in aqua merſerit*, In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen, *& non dixerit*, Ego te baptizo, *puer non eſt baptizatus*. Hinc merito ab Alexandro Papa VIII. die VII. Decembris anno MDCXC. inter alias damnata fuit & hæc propoſitio, num. XXVII. *Valuit aliquando Baptiſmus ſub hac forma collatus*: In Nomine Patris &c. *prætermiſſis illis*: Ego te baptizo. Porro Decretalis Alexandri Papæ III. paulo ſuperius a nobis allatæ meminit S. Thomas in IV. Sententiarum, Diſtinctione III. Quæſtione III. Articulo II. ubi eam opinionem refellit, quæ dicebat, valere Baptiſmum ſub ſola Trinitatis invocatione, nulla facta actus expreſſione: *Si ſubtrahatur aliquod, quod ſit de eſſentia formæ, certum eſt, quod non eſt Baptiſmus, & ille, qui baptizat, graviter peccat; quia apud omnes invocatio Trinitatis eſt de eſſentia formæ, ideo hoc nullo modo ſubtrahi poteſt. Sed quidam dicunt, quod expreſſio actus non eſt de ſubſtan-*

tia

Digitized by Google

tia formæ; unde ſi ſubtrahatur, facta ſola Trinitatis invocatione, erit Baptiſmus. Sed contra hoc eſt Decretalis Alexandri Papæ III. Quod ſiquis puerum in aqua merſerit, dicendo, In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; *ſi non dicat,* Ego te baptizo, *non eſt puer baptizatus. Oportet enim, quod per formam virtus Trinitatis invocatæ ad materiam propoſitam determinetur, quod fit in expreſſione actus.*

VIII. Quoniam vero præter Miniſtrum, tum illius perſonam, qui baptizatur, tum principalem cauſam, cujus virtute peragitur Sacramentum, ſignificare oportebat, iccirco prænumen *te*, & diſtincta Divinarum Perſonarum nomina adduntur, ut abſoluta Sacramenti forma iis verbis concludatur, *Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Pertinere ad ſubſtantiam formæ expreſſionem perſonæ baptizatæ, perſpicue docet S. Thomas loco citato: *Similiter expreſſio perſonæ baptizatæ eſt de ſubſtantia formæ, quia per eam determinatur actus ad hunc Baptiſmum; & ideo ſi ſubtrahatur, non erit Baptiſmus*. Tum vero de perſona Miniſtri baptizatis ſic ait: *Sed expreſſio perſonæ baptizantis, dicitur, quod non eſt de forma quantum ad neceſſitatem Sacramenti, ſed ex inſtitutione Eccleſiæ, ut intentio magis feratur ad actum illum; & ideo ſi omittatur, erit Baptiſmus, ſed peccat omittens*. Pertinet autem quammaxime & ad ipſam formæ ſubſtantiam diſtincta trium Divinarum Perſonarum expreſſio. Neque enim ſola Filii Perſona, de quo Joannes ait Cap. 1. *Hic eſt qui baptizat*, ſed ſimul omnes Sanctiſſimæ Trinitatis Perſonæ ad Baptiſmi Sacramentum operantur. Quod autem *in Nomine*, non *in nominibus* dictum eſt, hoc plane declarat unam Trinitatis Naturam, & Divinitatem. Etenim hoc loco *Nomen* ad Perſonas non refertur, ſed ad Divinam ſubſtantiam, virtutem, & poteſtatem, quæ una, & eadem eſt in tribus Perſonis ſignificata. Unde Sancti Patres, Athanaſius, Hilarius, Gregorius Nazianzenus, & alii ex Evangelicis illis verbis, quibus forma Baptiſmi conſtat, trium Perſonarum Divinitatem, æqualitatem, conſubſtantialitatem efficaciſſime probaverunt, ea præſertim ratione, quod in nullius unquam creaturæ nomine Baptiſmum conferri poſſe docuerit ſemper Eccleſia. Hinc Pelagius Papa in Confeſſione Fidei ſuæ miſſæ ad Childebertum Regem Francorum in Epiſtola XVI. ita ſcribit: *In Nomine, non Nominibus, ut & unum Deum per indiſtinctum Divinæ eſſentiæ Nomen oſtenderet, & Perſonarum diſcretionem ſuis demonſtratam proprietatibus edoceret. Quia dum tribus unum Deitatis Nomen eſt, æqualitas oſtenditur Perſonarum.*

IX. Cur explicita, & diſtincta trium Sanctiſſimæ Trinitatis Perſonarum invocatione conferendus Baptiſmus ſit ex Chriſti inſtitutione, variæ jam aſſignantur rationes; tum quia ſcilicet Baptiſmus Sacramentum Fidei eſt, cujus præcipuum objectum eſt Myſterium adorandæ Trinitatis; tum etiam quia per Baptiſmum fœdus, & ſocietatem inimus cum iiſdem adorandis Perſonis: *Ut ſocietas noſtra*, ait Apoſtolus, *ſit cum Patre, & Filio, & Spiritu Sancto*. Vide plura apud Natalem Alexandrum, Libro II. Theologiæ Dogmaticæ, & Moralis, in Tractatu, *De Baptiſmo*, Cap. 1. Articulo III. Irritum autum eſſe Baptiſmum, ſiquis baptizaret in Nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, tribus Perſonis expreſſe non invocatis; item ſiquis copulativa conjunctione in disjunctivam mutata, diceret, *Ego te baptizo in Nomine Patris, vel Filii &c.* itemque ſiquis baptizaret in Nomine Genitoris, & Geniti, & Spirati, ſeu ab utroque procedentis, communiter Theologi docent, viderique inter alios poteſt Eſtius in Libri IV. Sententiarum Diſtinctionem III. §. VI. qui inſcriptus eſt. *Quæ variatio formam Baptiſmi vitiet, & quæ non.* Ceterum quod forma ipſa corrupte per ignorantiam prolata abſque malitia, Baptiſmo non noceat, docet nos Zacharias Pontifex Maximus, qui Bonifacium Moguntinum Archiepiſcopum redarguit, quod baptizatos a Sacerdote quodam latini eloquii penitus ignaro cum his verbis, *Ego te baptizo in Nomine Patria, & Filia, & Spiritus Sancta*, iterum baptizari præcepiſſet. Legitur Zachariæ Epiſtola in Canone, *Retulerunt*, De conſecratione, Diſtinctione IV. & in Vita memorati Bonifacii, Auctore Othlono Sæculo III. Benedictino, Parte II. pag. 60.

X. Ad Quæſtionem quod attinet de Baptiſmo in Nomine Chriſti, abſque explicita Sanctiſſimæ Trinitatis invocatione collato, ut ajunt nonnulli, tempore Apoſtolorum; omiſſis variis Theologorum ſententiis, audiendus eſt Catechiſmus Romanus Parte II. *De Baptiſmi Sacramento*, num. XV. ubi hæc habet: *Quod ſi etiam aliquando tempus fuiſſe dicendum eſt, cum Apoſtoli in Nomine tantum Domini Jeſu Chriſti baptizarent; id quidem Spiritus Sancti afflatu eos feciſſe, exploratum nobis eſſe debet, ut initio naſcentis Eccleſiæ Jeſu Chriſti Nomine prædicatio illuſtrior fieret, Divinaque, & immenſa ejus poteſtas magis celebraretur. Deinde vera rem penitus introſpicientes, facile intelligemus, nullam earum partium in ea forma deſiderari, quæ ab ipſo Salvatore præſcriptæ ſunt; qui enim Jeſum Chriſtum dicit, ſimul etiam Patris Perſonam, a quo unctus, & Spiritum Sanctum, quo unctus eſt, ſignificat*. Sed notanda potiſſimum ſunt, quæ ſtatim ſubjicit num. XVI. *Quamquam dubium fortaſſe videri poteſt, an hujuſmodi forma Apoſtoli aliquem baptizaverint, ſi Ambroſii, & Baſilii ſanctiſſimorum, & graviſſimorum Patrum auctoritatem ſequi volumus, qui ita Baptiſmum in Nomine Jeſu Chriſti interpretati ſunt, ut dixerint, iis verbis ſignificari Baptiſmum, non qui a Joanne, ſed qui a Chriſto Domino traditus eſſet, tametſi a communi, & uſitata forma, quæ diſtincta trium Perſonarum nomina continet Apoſtoli non diſcederent. Atque hoc loquendi genere Paulus etiam in Epiſtola ad Galatas uſus videtur, cum inquit:* Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis; *ut ſignificaret, in Fide Chriſti, nec alia tamen forma, quam idem Salvator, & Dominus noſter ſervandam præceperat, baptizatos eſſe.*

XI. Formæ a Chriſto præſcriptæ, teſte Martene, Lib. 1. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Capite 1. Articulo XIV. num. XV. nonnulla verba addebant, ſeu interferebant Eccleſiæ Gallicanæ. Nam in antiquo Miſſali Gotico-Gallicano, quod vulgavit doctiſſimus, & religioſiſſimus Cardinalis Thomaſius, ita exprimitur Baptiſmi forma: *Baptizo te ill. in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti in remiſſionem peccatorum, ut habeas vitam æternam*. Ad quam formam alludere videtur Concilium Milevitanum anno Chriſti

ſti CDXVI. Can. II. ubi ſic inquit: *Item placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit, in remiſſionem quidem peccatorum eos baptizari, ſed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur; unde ſit conſequens, ut in eis forma Baptiſmatis, in remiſſionem peccatorum, non vere, ſed falſe intelligatur, anathema ſit*. Videtur itaque eſſe antiquus ritus, in aliquibus ſaltem Eccleſiis, ut ea verba, *in remiſſionem peccatorum*, in ipſa forma Baptiſmi adhiberetur. In veteri autem Miſſali Gallicano hæc extat Baptiſmi forma: *Baptizo te credentem in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, unam habente ſubſtantiam, ut habeas vitam æternam in ſæcula ſæculorum*. Ab hac parum diſcrepat illa, quæ habetur in antiquo item Miſſali Gallicano, quod publici juris fecit Mabillonius Tomo I. Muſei Italici, quæ ſic affertur: *Baptizo te in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, unam habente ſubſtantiam, ut habeas vitam æternam partem cum Sanctis*.

XII. Placuit hæc quidem ad eruditionem referre, nam alias tenenda eſt Regula a noſtro §. præſcripta, Baptiſmi ſcilicet formam his verbis expreſſam, *Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, omnino neceſſariam eſſe, ideoque illam nullo modo licere mutare; ſed ea verba uno, & eodem tempore, quo fit ablutio, eſſe pronuncianda; ab illo ipſo ſcilicet, qui aquam infundit; nam alias non valeret Baptiſmus, ſi unus infunderet aquam, & alius verba formæ proferret, uti recte docet S. Thomas Parte III. Quæſtione LXVI. Articulo VI. ad III. *Integritas Baptiſmi*, inquit, *conſiſtit in forma verborum, & in uſu materiæ; & ideo neque ille, qui tantum verba profert, baptizat; neque ille, qui immergit; & ideo ſi unus verba proferat, & alius immergat, nulla forma verborum poterit eſſe conveniens*. Ceterum quod uno eodemque tempore, quo fit ablutio, nulla interpoſita mora, pronunciari & forma debeat, intelligendum id plane eſt de mora notabili, alias enim ſiquis ſpuendi gratia non continuavit formam, Baptiſmus valeret, minimeque opus eſſet illum repetere, uti inter alios notavit Toletus, *Inſtructionis Sacerdotum*, Lib. II. Cap. XIX. n. 10. & dicemus nos infra latius.

§. IX.

Latinus Presbyter, Latina forma ſemper utatur.

COMMENTARIUS.

I. Formam Baptiſmi apud Latinos conſtare his verbis, *Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, in Commentario ſuperiori jam diximus. Ut hac forma utatur Latinus Presbyter, cum alicui Baptiſmum confert, mandat quidem hic noſter §. pervetuſtæ Latinæ Eccleſiæ diſciplinæ, & Eugenii Papæ IV. pro Armenorum inſtructione Decreto inhærens, qui formam ipſam omnino a Latinis ſervandam ſtatuit. Græci ſiquidem cum baptizant, ſub his terminis formam Baptiſmi enunciant: *Baptizetur ſervus*, vel *ſerva Dei N. in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen*. Atque hanc Græcorum formam in laudato ſuo Decreto pro Armenis probavit Eugenius IV. ſic inquiens: *Non tamen negamus, quin & per illa verba*, Baptizetur talis Servus Chriſti in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; *vel* Baptizatur manibus meis talis in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, *verum perficiatur Baptiſma, quoniam cum principalis cauſa, ex qua Baptiſmus virtutem habet, ſit ſancta Trinitas, inſtrumentalis autem ſit Miniſter, qui tradit exterius Sacramentum, ſi exprimitur actus, qui per ipſum exercetur Miniſtrum, cum ſanctæ Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum*.

II. Licet autem in recitato Decreto Eugenius Papa IV. utrumque modum, & imperativum, & indicativum adprobet, teſtatur tamen Petrus Arcudius, Presbyter Corcyræus, quem Cabaſſutius in Notitia Conciliorum Cap. XLIII. Dominicanum ex errore dicit, in Concordia Eccleſiæ Occidentalis, & Orientalis, Lib. I. Capite VIII. Græcos in exprimenda Baptiſmi forma, numquam vel uſos fuiſſe, vel uti modo imperativo, aut optativo, ſeu deprecativo, *Baptizetur Servus Dei*; ſed dumtaxat modo indicativo, *Baptizetur Servus Dei*, in cujus teſtimonium, & Græcum Euchologium, & Hieremiam Pſeudopatriarcham Conſtantinopolitanum in cenſura de præcipuis hæreticorum XVI. Sæculi dogmatibus, Cap. VII. tum etiam Opuſcula Scriptorum Græcorum, qui de Sacramentis ſcripſerint, & praxim Ruthenorum Græcorum cæremonias in Sacramentorum adminiſtratione ſervantium, citat. Quicquid ſit de duplici Græcorum forma, quam quidem validam eſſe fatemur, utramque probante Eugenio Papa IV. prætermittendum illud non eſt, Græcos adeo ſuæ adhærere formæ, ut Latinos ſugillare non ſint veriti, eoſque novas res molientes, vel in hac etiam re appellitaſſe, ut idem Petrus Arcudius ex Simone Theſſalonicenſi notat; teſtaturque Cardinalis Bellarminus Lib. I. *De Baptiſmo*, Capite III. hanc fuiſſe cauſam, quod Græci a Latinis baptizatos rebaptizarent; quos tamen merito reprehendit Innocentius Papa III. in Concilio Generali Lateranenſi IV. Cap. IV. in quod vide Commentarium noſtrum Tomo III. Commentariorum in Concilia Oecumenica.

III. Cum itaque a nobis Latinis forma Græcorum in collatione Baptiſmi probetur, opportune rogare quiſpiam poſſet, cur nempe illi perſonam Miniſtri in ea, qua utuntur Baptiſmi forma non exprimant. Rationem profecto eam docent eruditiores Theologi, ne ſcilicet Novatiani, quorum hæreſis plures pervaſerat Orientis regiones, ex Miniſtri in forma Baptiſmi expreſſione, impium, quod profitebantur, dogma concluderent, Miniſtri ſcilicet fidem requiri, ut Sacramentum ab eo collatum valeat. Nec cuiquam mirum videri debet, quod Patres Græci periculum illud timuerint, cum ritus vel ſanctiſſimos in ſui erroris patrocinium hæretici detorquere conentur; ut patet in Arianis, qui tempore

pore

pore S. Gregorii Magni Papæ triplici in baptizando immerſione abutebantur, ut triplicem in Divinis ſubſtantiam adſtruerent.

IV. Sed omiſſis Græcis, recte ſtatuit noſter §. ut *Latinus Presbyter Latina forma ſemper utatur*; non enim deſunt, qui negant, valere Baptiſmum, ſiquis Latinus Græca forma baptizaret, tametſi alii probabilius cenſeant, hujuſmodi Baptiſmum valere, ſed peccare tamen Sacerdotem Latinum, qui morem, præceptumque Eccleſiæ ſuæ minime ſervaret. Ita plane Toletus Libro II. *Inſtructionis Sacerdotum*, Cap. XIX. num. II. ubi etiam obſervandum monet, in forma Latina plura exprimi, quam in Græca. In Latina ſiquidem exprimitur cauſa principalis Baptiſmi, nempe S. Trinitas, & ſimiliter eadem invocatur. Exprimitur ſuſcipiens Baptiſmum, & Miniſter, & actus ipſe Baptiſmi; at Græci Miniſtrum ſubticent, ad tollendum forte eorum errorem, qui, ut ſuperius dictum eſt, putant Miniſtrum eſſe cauſam principalem. Latinus præterea utitur indicativo ad exprimendam præſentialitatem effectus; deprecativo Græcus, ad ſignificandum, quod a Deo eſt communicanda gratia. Sed his obiter notatis, utraque forma valida eſt, ſed unuſquiſque tamen ſervare debet ſuæ Eccleſiæ ritum.

§. X.

Cum Baptiſmum iterare nullo modo liceat, ſi quis ſub conditione, de quo infra, ſit baptizandus, ea conditio explicanda eſt hoc modo: *Si non es baptizatus, ego te baptizo in Nomine Patris &c.* Hac tamen conditionali forma non paſſim, aut leviter uti licet, ſed prudenter, & ubi, re diligenter perveſtigata, probabilis ſubeſt dubitatio, infantem non fuiſſe baptizatum.

COMMENTARIUS.

I. Unum eſſe ex tribus Sacramentis Baptiſmum, quæ imprimunt characterem in anima, hoc eſt, ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile, unde ea iterari non poſſunt, definit Concilium Tridentinum, Seſſione VII. *De Sacramentis in communi*, Can. IX. Eſſe hoc antiquum Catholicæ Eccleſiæ Dogma, probari ex S. Auguſtino poteſt, qui Libro VI. *De Baptiſmo*, Cap. V. ſic loquitur: *Satis eluxit Paſtoribus Eccleſiæ Catholicæ toto Orbe diffuſæ, per quos poſtea plenarii Concilii auctoritate originalis conſuetudo firmata eſt, ovem, quæ foris errabat, & Dominicum characterem a fallacibus deprædatoribus ſuis foris acceperat, venientem ad unitatis chriſtianæ ſalutem, ab errore corrigi, a captivitate liberari, a vulnere ſanari, characterem tamen Dominicum in ea agnoſci potius, quam improbari*. Atque hinc patet. I. pervetuſtum eſſe characteris nomen, quo nunc Eccleſia utitur. II. rem eo nomine ſignificatam admiſiſſe antiquitus Eccleſiam; allatus enim ex Auguſtino locus ſatis demonſtrat, Patres, qui rebaptizationem impugnarunt, ipſum characterem tanquam principium ſuppoſuiſſe.

II. Quod formam conditionalem ſpectat in Sacramentorum collatione, ac præſertim Baptiſmi, eam a Scholaſticis eſſe adinventam, & in Eccleſiam invectam, plerique Viri eruditi exiſtimarunt, ſed eos toto cælo aberraſſe, ſapientiſſime notavit Sanctiſſimus Dominus noſter BENEDICTUS XIV. Lib. VII. *De Diœceſana Synodo*, Cap. VI. probatque ex variis locis a Martene allatis Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Capite I. Articulo XVI. num. X. Siquidem longe ante Scholaſticos S. Bonifacius Archiepiſcopus Moguntinus in ſuis Statutis circa annum DCCXLV. conditis, & Tomo I. Spicilegii Dacheriani editis, Cap. XXVIII. hæc habet: *Si de aliquibus dubium ſit, utrum ſint baptizati, abſque ullo ſcrupolo baptizentur, his tamen verbis præmiſſis: Non te rebaptizo, ſed ſi nondum es baptizatus, ego te baptizo &c.* Idemque ac totidem fere verbis ſtatutum legimus Lib. VI. Capitularium, Cap. CLXXXIV. apud Baluzium Tomo I. pag. 954. e quibus idem Decretum excerpſit, ac ſuæ Canonum Collectioni ſub Tit. XI. Cap. XVII. inſeruit Iſaac Epiſcopus Lingonenſis apud Harduinum Tomo V. Collectionis Conciliorum, col. 447.

III. Porro quod hæc monumenta ſpectant ad Seculum VIII. obſervat Jueninus in Opere, *De Sacramentis*, Diſſertatione I. Quæſtione III. Cap. I. Articulo I. per ſeptem priora ſæcula formam ipſam conditionalem nunquam fuiſſe uſurpatam; quia ſcilicet Patres ſeptem priorum ſæculorum de iterando aliquo Sacramento agentes, rationem attulerunt, qua forma conditionalis prorſus excluditur. Aſſeruerunt quippe, non eſſe periculum iterandi Sacramentum, quamvis in dubio, an valeat, per formam abſolutam, conferatur. Inter illos Patres S. Leo Magnus in Epiſtola XXXVII. ſic loquitur: *Non poteſt in iterationis crimen devenire, quod factum eſſe omnino neſcitur*. Et in Epiſtola XCII. *In quibus quod non oſtenditur geſtum, ratio non ſinit, ut videatur iteratum*. Quæ quidem laudati Pontificis loca fuſius leguntur apud Gratianum in Canone, *Cum itaque*, & Canone, *Si nulla*, De conſecratione, Diſtinctione IV. Sic etiam S. Gregorius Magnus Lib. XII. Epiſtola XXXI. ad Felicem in Sicilia Epiſcopum de Baptiſmo, Confirmatione, & Eccleſiarum conſecratione dubiis: *Non monſtratur*, inquit, *iteratum, quod non certis indiciis oſtenditur rite peractum*.

IV. Quamquam vero jam longe ante annum Chriſti milleſimum introducta fuerit forma Baptiſmi conditionalis, non ubique tamen fuit ipſa apud Latinos recepta ante Sæculum XIII. quo Latinæ Eccleſiæ Jus Canonicum auctoritate Gregorii Papæ IX. promulgatum amplexæ ſunt. In eo autem Jure Lib. III. Tit. XLII. Cap. II. ita habetur: *De quibus dubium eſt, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmiſſis: Si baptizatus es, non te baptizo; ſed ſi nondum baptizatus es, ego te baptizo &c.* Eſt quidem hæc regula præſcripta ab Alexandro III. qui inauguratus fuit Pontifex Maximus anno MCLIX. Sed dicendum tamen, præſcriptam regulam minime

nime perveniſſe ad omnium Ecelesiarum notitiam; cum conſtet, nonnullos Theologos paulo ante Gregorium IX. formam ipſam conditionalem improbaſſe. Audiendus Petrus Cantor Doctor Pariſienſis, qui tunc temporis hæc ſcripſit: *In Confirmatione, vel in Baptiſmo, de qao dubitatur, an ſit collatus, non approbamus conditionem appoſitam ſic*: Si non es baptizatus &c. *quia Sacramenta non ſunt conditionaliter conferenda*. Ceterum quod nec Sæculo XIV. memorata Alexandri III. Conſtitutio recepta ubique eſſet, eam renovavit, confirmavitque Joannes Papa XXII. apud Odericum Raynaldum ad annum MCCCXXXIII.

V. Sed omiſſa tandem hae quæſtione, recte illud ſtatuit hic noſter §. ut nempe *conditionali forma non paſſim, aut leviter uti liceat, ſed prudenter, & ubi re diligenter perveſtigata, probabilis ſubeſt dubitatio, infantem non fuiſſe baptizatum*. Quanta cum cautela Baptiſmus ſub conditione adminiſtrandus ſit, docet Catechiſmus Tridentini Concilii, Parte II. *De Baptiſmi Sacramento*, num. LVI. his verbis: *Qua in re tamen diligenter a Paſtoribus aliqua prævidenda ſunt, in quibus fere quotidie non ſine maxima Sacramenti injuria peccatur; neque enim deſunt, qui nullum ſcelus admitti poſſe arbitrentur, ſi quemvis ſine delectu, cum adjunctione illa baptizent. Quare ſi infans ad eos deferatur, nihil prorſus quærendum putant, an is prius ablutus fuerit, ſed ſtatim ei Baptiſmum tribuunt. Quin etiam quamvis exploratum habeant, domi Sacramentum adminiſtratum eſſe, tamen ſacram ablutionem in Eccleſia, adhibita ſolemni cæremonia, cum adjunctione repetere non dubitant, quod quidem ſine ſacrilegio facere non poſſunt; & eam maculam ſuſcipiunt, quam Divinarum rerum Scriptores Irregularitatem vocant. Nam ea Baptiſmi forma ex Alexandri Papæ auctoritate in illis tantum permittitur, de quibus, re diligenter perquiſita, dubium relinquitur, an Baptiſptiſmum rite ſuſceperint; aliter vero numquam fas eſt etiam cum adjunctione Baptiſmum alicui adminiſtrare.*

VI. Quæ docet recitato hactenus loco Tridentini Concilii Catechiſmus, copioſius, clariusſque exponit Sapientiſſimus Dominus noſter BENEDICTUS XIV. citato ſuperius loco, pluribusſque Sacræ Congregationis Concilii Reſponſis confirmat Inſtitutione ſua LXXXIV. ubi non ſolum ex ejuſdem Sacræ Congregationis ſententia luculentiſſime oſtendit, non eſſe Baptiſmum ne ſub conditione quidem iterandum, cum nulla occurrit prudens ratio dubitandi de prioris Baptiſmi validitate, ſed etiam ab Irregularitate iterantibus Baptiſmum inflicta ab Alexandro III. in Capite, *Ex literarum*, *De Apoſtatis*, *& reiterantibus Baptiſma*, cujus idem Catechiſmus meminit, non eximi probat, qui ob ſolum apprehenſum prioris Baptiſmi vitium, nullaque præmiſſa veritatis indagatione, illum denuo ſub conditione conferunt, quibus certo ſciant jam ſemel antea fuiſſe collatum. Etenim quamquam plures Doctores iſtiusmodi, ſub conditione rebaptizantes, a gravi culpa, atque ab Irregularitate abſolvant, eo quod per adjectam conditionem ſatis conſultum exiſtiment reverentiæ debitæ Sacramento, ad quod conficiendum non aliter fertur intentio Miniſtri, niſi ſi rite confectum non fuerit illud antea adminiſtratum; hæc tamen ſententia rejicitur a Catechiſmo citato loco, ubi reprobantur aſſerentes, *nullum ſcelus admitti, ſi quemvis, ſine delectu, cum adjunctione illa*, conditionali ſcilicet, *baptizent*; eidemque opinioni ſuffragatur auctoritas S. Caroli in Inſtructionibus, *De Baptiſmi adminiſtratione*, ubi ſic inquit: *Qua forma utitur*, videlicet conditionali, *cum infans, aliusſque, qui Baptiſmo offertur, re diligenter perquiſita, dubium relinquitur, aut certe non apparet, eum baptizatum eſſe, ut de expoſitis, inventiſque parvulis dubitari, aut ignorari ſæpenumero ſolet. Quod ſi re accurate inveſtigata, exploratum habuerit, illum forma ſervata baptizatum eſſe, caveat omnino, ne hane ſub conditione baptizandi formam adhibeat, cum ſacrilegium committat, & illud impedimentum contrahat, quod Sacri Canones Irregularitatem vocant.*

VII. Supervacaneum denique eſt de eadem re fuſius differere, videri enim poteſt laudatus Pontifex Maximus BENEDICTUS XIV. in alia Inſtitutione ſua VIII. præſertim vero iſi citato Lib. VII. *De Diœceſana Synodo*, Cap. VII. ubi etiam Theologos magni nominis, & varias Synodos, ac Rituales Codices citat inſignium Eccleſiarum, qui dictis hactenus concinunt. Certe Eſtius in Libri IV. Diſtinctionem IV. §. XV. poſt recitatum Alexandri III. Decretum, quod ait uſque in hodiernum diem perpetua praxi in Eccleſia obſervari, ita ſtatim ſubjicit: *Ubi tamen ſciendum eſt, non quamcumque levem in contrarium ſuſpicionem, vel ſcrupulum debere ſufficere ad hoc, ut ſub conditione quis hoc pacto baptizetur, ſed requiri dubitationem probabilem, quemadmodum ex locis ſupradictis Leonis, & Innocentii patet. Ea autem probabilis dubitatio eſt, quæ, facta etiam diligenti indagine, diſcuti non poteſt, ita ut nec moralis certitudo facti haberi queat*. Concludit tandem, atque vituperabilem eſſe conſuetudinem ait quorundam, qui paſſim, ac ſine diſcrimine infantes ab obſtetricibus propter vitæ periculum baptizatos iterum ſub conditione baptizant, non aliam dubitandi cauſam habentes, quam quod muliercula forte, vel intentione deficere, vel in verbis proferendis hallucinari potuerit, cum tamen obſtetrix interrogata teſtetur, ſe rite totum Myſterium peregiſſe. Contra quem abuſum graviter etiam ſcribunt Dominicus Soto in Lib. IV. Diſtinctionem III. Articulo VI. Petrus de Palude Diſtinctione VI. Quæſtione IV. Sylveſter in Titulo, *Baptiſmus*, 4. num. 9. aliique Theologi inſignes Ordinis Prædicatorum recentiores ſanæ ſolidæque, atque a Summis Pontificibus ſemper commendatæ S. Thomæ Theologorum omnium Principis doctrinæ inhærentes.

§. XI.

Baptiſmus licet fieri poſſit, aut per infuſionem aquæ, aut per immerſionem, aut per aſperſionem, primus tamen, vel ſecundus modus, qui magis ſunt in uſu, pro Eccleſiarum conſuetudine retineantur, ut trina ablutione caput baptizandi perfundatur,

vel

vel immergatur in modum Crucis, uno, & eodem tempore, quo verba proferuntur & idem ſit aquam adhibens, & verba pronuncians.

COMMENTARIUS.

I. Ablutionem proximam eſſe Baptiſmi materia, nulli jam dubium eſt, eam enim Chriſtus in Evangelio Matthæi, Cap. XXVIII. expreſſe imperavit, ubi dixit: *Baptizantes eos &c.* Fieri poſſe ipſam ablutionem tribus modis, notat hic noſter §. eſtque hæc communis Theologorum ſententia, quæ variis rationibus, & pervetuſtis Apoſtolorum, & Patrum teſtimoniis, atque exemplis nititur. Ratio potiſſima eſt, quia immerſione, effuſione, aut aſperſione ablutio, quam Chriſtus præcepit, ſubſtantialiter non immutatur; neutrumque ex illis duobus abluendi modis Chriſtus in ſpecie determinavit. Utrumque Chriſti Diſcipulos adhibuiſſe, ex Actis Apoſtolicis addiſcere licet. Et quidem per immerſionem Philippum Diaconum Candacis Reginæ Eunuchum baptizaſſe, ex Actis citatis, Cap. VIII. colligitur: *Deſcenderunt uterque in aquam*. Et poſtea: *Cum autem aſcendiſſent de aqua*. Effuſione vero, vel aſperſione uſum fuiſſe aliquando Apoſtolorum Principem S. Petrum in Baptiſmate conferendo, colligi poteſt ex Cap. II. & III. eorundem Actorum, ex quibus conſtat, una die, aut tria, aut quinque hominum millia baptizaſſe. Vix enim alias potuiſſet tantum Judæorum numerum per ſolam immerſionem una & eadem die Baptiſmo initiare.

II. Traditione conſtanti Eccleſiæ niti modum baptizandi per effuſionem, ſive aſperſionem, Theologi paſſim docent. Sed negari tamen nequit, quin de ipſa infuſione, & aſperſione nonnulli olim dubitare viſi ſint, an ſcilicet pro valido, & legitimo Baptipſmo habenda ſit, cum Baptiſmus ex propria nominis ſignificatione immerſionem deſignet. Hinc ajunt, Cornelium Papam in Epiſtola ad Fabium Antiochenum Epiſcopum apud Euſebium, Lib. VI. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Cap. XLIII. ubi agit de Novatiano in mortis lectulo per effuſionem baptizato, ſic eſſe loquutum: *Dum jam jamque moriturus creditur, in ipſo, quo jacebat, lectulo, perfuſus Baptiſmum ſuſcepit, ſi tamen hujuſmodi Baptiſmum ſuſcepiſſe credendus eſt*. Eadem dubitatio Magni cujuſdam apud Africanos Epiſcopi animum ſubiiſſe videtur ex S. Cypriano, qui ab illo interrogatus, utrum illi, qui in infirmitate, & languore baptizati fuerant, qui propterea clinici vocabantur, habendi eſſent legitimi Chriſtiani, eo quod aqua ſalutari non loti eſſent, ſed perfuſi, ita in Epiſtola ſua LXXVI. reſpondit: *Nec quemquam movere debet, quod aſpergi, vel perfundi videntur ægri, cum gratiam Dominicam conſequuntur*. Legenda integra Cypriani Epiſtola, in qua pluribus Sacræ Scripturæ locis probat, valere ipſum Baptiſmum per effuſionem, ſive aſperſionem collatum.

III. At vero addubitari nequit, quin, licet immerſio apud veteres prævaluerit, plures per infuſionem vel primis ſæculis baptizarentur. Id probat S. Romani exemplum a S. Laurentio hoc modo baptizati. Cernitur etiamnum Romæ idem Baptiſmus in Atrio Baſilicæ S. Laurentii in Agro Verano depictus, ubi S. Levita Romanum nudum in pelvi exiſtentem dextra benedicit, ſiniſtra urceum aqua plenum ſuper ejuſdem caput effundit, qui etiam urceus ex ære, ibidem in Sacrario oſtenditur. Sed & Mabillonius in Itinere Italico pag. 73. exhibet delineatas cujuſdam Tumuli prope Neapolim reperti figuras duas, quibus repræſentatur Baptiſmus per immerſionem, & ſuperinfuſionem collatus ab homine laico, quamvis immerſionem in ea tabella non omnino deprehendam. Nam etſi baptizandi in pelvi, ſeu ſemidolio nudi appareant, in ea tamen pelvi nullum aquæ veſtigium conſpicitur; unde non immerito fortaſſis conjicere licet, quod jam alias notavit Martène Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. I. Articulo XIV. num. V. pelvim ipſam ad excipiendam, quæ ſuperfundebatur, aquam adhibitam fuiſſe, ne, ſi in terram decideret, totum Ædis ſacræ pavimentum cum adſtantium incommodo macularet. Sed hanc conjecturam peritioribus diſcutiendam relinquere malim.

IV. Probant præterea Baptiſmi uſum per effuſionem antiqua plura Acta Sanctorum, ac præſertim illa S. Gratiliani, in quibus Feliciſſima ab ipſo Chriſtianæ Religionis Myſteriis imbuta, urceum cum aqua, ut baptizaretur, ei obtuliſſe dicitur. Acta etiam S. Bacchi junioris, quæ publici juris fecit Combefiſius, Lauræ S. Sabbæ Præpoſitum deſcribunt tollentem manibus vivificam urnam ſuper caput ejus, atque immortalitatis ejus lavacrum in Nomine Sanctæ & conſubſtantialis Trinitatis effundentem. His adde & Acta S. Liudgeri Epiſcopi, qui in expulſione Servorum Dei e Friſia juſſit Berulenum hominem laicum per domos diſcurrere, *& perſuaſis matronis morituros baptizare illorum infantulos, benedicta ſimpliciter aqua in Nomine Domini intinctos, vel ſuperfuſos cum invocatione Sanctæ Trinitatis*. Sed & Stephanus Papa II. in Reſponſis, quæ, cum eſſet in Francia, in Cariſiaco Villa, dedit ad varia Conſulta, de quibus interrogatus fuerat, anno DCCLIV. ad XII. interrogationem, *ſi licet in neceſſitate cum concha, aut cum manibus infanti in infirmitate poſito aquam ſuper caput fundere, & ſic baptizare?* reſpondet: *Hoc Baptiſma, ſi in Nomine Sanctæ Trinitatis peractum fuerit, firmiter permanebit, præſertim cum & neceſſitas expoſcit, ut ille, qui ægritudine detentus eſt, hoc modo renatus, particeps Dei Regni efficiatur*. Cæterum abſque hujuſmodi neceſſitate infuſionem ipſam ſumma cum religione cavebant, uti ex variis Conciliis addiſcimus, ac præſertim ex Celichytenſi anni DCCCXVI. Can. XI. ubi ita inquit: *Sciant etiam Presbyteri, quando ſacram Baptiſma miniſtrant, ut non effuudant aquam ſuper capita infantium, ſed ſemper mergantur in lavacro, ſicut exemplum præbuit per ſemetipſum Dei Filius omni credenti, quando eſſet ter merſus in undis Jordanis. Ita neceſſe eſt ſecundum ordinem ſervari, & haberi*.

V. Notat & hæc laudatus Martene, additque mox, manifeſtum non eſſe, quandonam uſus infuſionis invalere cœperit. Conſtat enim per multa prorſus ſæcula paſſim immerſionem adhi-

bitam fuiſſe, & quidem trinam, juxta pervetuſtam Eccleſiæ diſciplinam, cujus meminit Tertullianus in Libro adverſus Praxeam, Cap. XXVI. in fine his verbis: *Et poſt reſurrectionem ſpondens miſſurum ſe Diſcipulis promiſſionem Patris, & noviſſime mandans, ut tinguerent in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, non in unum; nam nec ſemel, ſed ter ad ſingula Nomina in Perſonas ſingulas tinguimur*. Rurſus in Libro, *De corona militis*, Cap. III. ita ad rem ſcribit: *Deinter mergitamur, amplius aliquid reſpondentes, quam Dominus in Evangelio determinavit*. Ejuſdem diſciplinæ mentionem facit apud Latinos S. Hieronymus in Dialogo adverſus Luciferianos, & apud Græcos S. Baſilius Magnus in Libro, *De Spiritu Sancto*, Cap. XXVII. qui trinam Baptiſmi merſionem inter Traditiones Apoſtolicas recenſent. His conſentiunt S. Dionyſius Areopagita, ſive alius ejus nomine, in Libro, *De Cœleſti Hierarchia*, Capite II. S. Gregorius Nazianzenus in Oratione Catechetica, Cap. XXXV. & alii complures, itemque multæ Synodi, & univerſa Librorum Ritualium, ſeu Pontificalium caterva, quibus inhærens Catechiſmus Tridentini Concilii, Parte II. *De Baptiſmi Sacramento*, num. XVII. inter alia Paſtoribus, ſeu Parochis mandat, *ab eis breviter explicandum, communi Eccleſiæ more, & conſuetudine receptum eſſe, ut Baptiſmus uno aliquo ex tribus modis confici poſſe; nam qui hoc Sacramento initiari debent, vel in aquam merguntur, vel aqua in eos infunditur, vel aquæ aſperſione tinguntur. Ex his autem ritibus quicumque ſervetur, Baptiſmum vere perfici credendum eſt*. Atque hic notanda cenſeo verba noſtri §. qui poſtquam docuit, Baptiſmum fieri poſſe triplici modo jam explicato, nempe *aut per infuſionem aquæ, aut per immerſionem, aut per aſperſionem*; ſubdit mox, primum, vel ſecundum modum, qui magis ſunt in uſu, pro Eccleſiarum conſuetudine retinendum; *itaut trina ablutione caput baptizandi perfundatur, vel immergatur in modum Crucis, uno & eodem tempore, quo verba proferuntur*.

VI. Teſtis antiquæ hujus, & communis praxis eſt Theologorum omnium Princeps S. Thomas, qui Parte III. Quæſtione LXVI. Articulo VIII. hæc ſcribit, quæ vel ſui temporis uſum nos docent: *Communiter obſevatur in Baptiſmo trina immerſio, & ideo graviter peccaret aliter baptizans, quaſi ritum Eccleſiæ non obſervans*. Porro trinam ipſam immerſionem, nec fuiſſe antiquitus, nec eſſe modo ad Baptiſmum, neceſſitate medii, ut ajunt, aut præcepti Divini, neceſſariam, complures Sancti Patres, ac Summi Romani Pontifices nos docent. Certe S. Gregorius Magnus Lib. I. Epiſtola XLI. ad Leandrum Epiſcopum Hiſpalenſem quorundam Miniſtrorum in Hiſpania per unicam immerſionem baptizantium praxim probavit. Eum enim baptizandi modum uſurparunt Catholici Hiſpani, ne Arianis triplicem in Trinitate ſubſtantiam per trinam immerſionem adſtrui jactantibus adhærere viderentur. Sed audiamus ipſa S. Gregorii verba in citata Epiſtola ſic ajentis: *Sed quia nunc hucuſque ab hæreticis infans in Baptiſmate tertio mergebatur, fiendum apud vos eſſe non cenſeo, ne, dum merſiones numerant, Divinitatem dividant; dumque quod faciebant, faciunt, ſe morem veſtrum viciſſe glorientur*.

VII. Confirmantur hæc magis magiſque ex Concilio Toletano IV. anno DCXXXIII. habito, ex cujus Canone VI. plura addiſcimus, ac I. quidem non ſtatim in omnibus Hiſpaniæ Eccleſiis obtinuiſſe monitum, quod S. Gregorius dederat. II. aliquas ibidem Eccleſias, quæ unica merſione utebantur, male audiiſſe apud alias, quæ etiam multis poſt annis antiquo per triplicem immerſionem ritui adhærebant. III. ægre admodum id tuliſſe Synodum ipſam Toletanam, nec ferre potuiſſe, ut diſciplina, quam Magnus Gregorius probabat, ſuggillaretur; quinimo Canonem condidiſſe, quo imperatum eſt, ut ille ritus in omnibus Hiſpaniarum Provinciis executioni demandaretur: *De Baptiſmi Sacramento*, inquit Canon, *propter quod in Hiſpaniis quidam Sacerdotes trinam, quidam ſimplam merſionem faciunt, a nonnullis ſchiſma eſſe conſpicitur, & unitas Fidei ſcindi videtur; nam dum partes diverſæ in baptizando quaſi contrario modo agunt, alii alios non baptizatos eſſe contendunt. Proinde quid a nobis in Sacramenti diverſitate faciendum ſit, Apoſtolicæ Sedis informemur præceptis, non noſtram, ſed paternam inſtructionem ſequentes. Beatæ igitur memoriæ Gregorius Romanæ Eccleſiæ Pontifex, qui non ſolum partes Italiæ illuſtravit, ſed & longe exiſtentes Eccleſias ſua doctrina perdocuit, efflagitante Sanctiſſimo Leandro Epiſcopo de hac Hiſpaniæ diverſitate, quid potius eſſet ſequendum, inter cætera reſcribens ei ſic ait*: De trina vero merſione Baptiſmatis nihil reſponderi verius poteſt, quam quod ipſi ſenſiſtis, quia in una Fide nihil officit conſuetudo diverſa. Nos autem quod tertio mergimus, triduanæ ſepulturæ Sacramentum ſignamus, ut dum tertio ab aquis infans educitur, reſurrectio triduani temporis exprimatur. Quod ſiquis forte etiam pro veneratione Summæ Trinitatis æſtimet fieri, atque ad hoc aliquid obſiſtit baptizandum in aquis ſemel mergere, quia dum in tribus ſubſtantiis una ſubſtantia eſt, reprehenſibile eſſe nullatenus poterit, infantem in Baptiſmate, vel ter, vel ſemel mergere, quando & in tribus merſionibus Perſonarum Trinitas, & in una poteſt Divinitatis ſingularitas deſignari. Quod ſi nunc uſque ab hæreticis infans in Baptiſmate tertio mergebatur, fiendum apud vos eſſe non cenſeo, ne dum merſiones numerant, Divinitatem dividant, dumque quod ficbant faciunt, morem veſtrum ſe viciſſe glorientur.

VIII. Ergo recitata hucuſque S. Gregorii Papæ, & Apoſtolicæ Sedis auctoritate freti Patres Concilii IV. Toletani, citato Canone VI. decernunt, unicam ab omnibus in Baptiſmate faciendam eſſe merſionem: *Quapropter quia de utroque Sacramento, quod fit in ſancto Baptiſmo, a tanto Viro reddita eſt ratio, quod utrumque rectum, utrumque irreprehenſibile in ſancta Dei Eccleſia habeatur, propter vitandum autem ſchiſmatis ſcandalum, vel hæretici dogmatis uſum, ſimplam teneamus Baptiſmi merſionem, ne videantur apud nos, qui tertio mergunt, hæreticorum approbare aſſertionem, dum ſequuntur & morem*. Verum quod tanquam Catholicum, & ſanctum approbavit S. Gregorius Magnus, & poſt eum ſancivit Synodus Toletana, hoc idem ducentis, aut circiter, poſt annis veluti diabolicum damnare non trepidavit Alcuinus in Epiſtola ſua LXXXI. ſcribens ad Paulinum de quibuſdam hæreſibus Hiſpanicis hoc modo: *Hunc iterum antiquus ſerpens de dumis Hiſpanici ruris*,

ris, *&* *de ſpeluncis venenatæ perfidiæ contritum, non berculea, ſed Evangelica clava caput relevare conatur*, *&* *prioribus nequitiæ poculis nova maledictionis toxica immiſcere*, *ſed* *&* *frigidiſſimus aquilo ventus alio de latere ſolidum Eccleſiæ impellens parietem ſacri Baptiſmatis Catholicæ conſuetudinis regulam immutare nitens*, *&* *ſub invocatione Sanctæ Trinitatis unam aſſerentes merſionem fieri debere*. Similia fere habet in Epiſtola LXIX. ad Fratres Lugdunenſes; eundemque etiam baptizandi modum, ſed paulo modeſtius improbat Walfridus in Libro, *De rebus Eccleſiaſticis*, Cap. XXVI.

IX. At vero hunc Auctorum iſtorum zelum, uti jam notavit laudatus Martene citato loco, num. VIII. coercere tentavit Concilium Wormacienſe anni DCCCXVIII. Can. V. ubi ad tollendum omnem ſcrupulum, qui, *dum quaſi contrario modo agunt*, *alii alios non baptizatos eſſe contendunt*, integrum fere deſcribit præcitatum Concilii IV. Toletani Canonem cum S. Gregorii Papæ Reſponſo ad Leandrum Epiſcopum, declaratque, *utrumque rectum, utrumque irreprebenſibile* in Sancta Dei Eccleſia habendum eſſe, unicam ſcilicet, & trinam merſionem, idque variis probat rationibus. Et quidem quod trinam immerſionem ſpectat, S. Leo Magnus in Epiſtola IV. ad Siciliæ Epiſcopos, Cap. III. hoc in ea notavit myſterium: *In Baptiſmatis regula*, *&* *mors intervenit peccati*, *&* *ſepulturam triduanam imitatur trina demerſio*, *&* *ab aquis elevatio*, *reſurgentis ad inſtar eſt de ſepulchro*. Idem docet S. Gregorius itidem Magnus in recitata ſuperius ad Leandrum Epiſtola, ubi ſic inter alia inquit: *Nos autem quod tertio mergimus*, *triduanæ ſepulturæ ſacramenta ſignamus*, *ut dum tertio infans ab aquis educitur*, *reſurrectio triduani temporis exprimatur*. Contineri quoque in unica merſione myſterium, laudatus S. Pontifex docet: *In tribus merſionibus*, ait, *Perſonarum Trinitas*, *&* *in una poteſt Divinitatis ſingularitas deſignari*. Aliæ eiuſdem myſterii rationes a memorato Concilio IV. Toletano explicantur his verbis: *Unica merſio*, *&* *emerſio ſignificat unicam ad infernum Chriſti deſcenſionem*, *&* *reſurrectionem*; *item unitatem Divinitatis*; *dum tamen additur*: In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, *Trinitas Perſonarum exprimitur*. Significationi hujuſmodi robur mox addit ex iis Baptiſmi figuris, quas in Sacris Codicibus legere eſt: *Figuræ quoque Baptiſmi hanc unitatem patefaciunt*. *Nam populus Dei per mare rubrum*, *quod Baptiſmum ſignificat*, *ſemel tranſiit*, *præcedente Sanctiſſima Trinitate in igne*, *columna*, *&* *nube*. *Item populus Dei cum Arca ad Terram Promiſſionis properans*, *fluenta Jordanis ſemel trajecit*.

X. Siquis autem quærat, utrum Perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis invocarentur, dum baptizandus prima vice mergebatur, negant quidem doctiores Scriptores, ajuntque, Majores noſtros ita trinam merſionem peregiſſe, ut ad unamque merſionem, unius tantum Perſonæ Nomen exprimeretur. Meminit quidem pervetuſti iſtius moris laudatus ſupra Tertullianus in Libro adverſus Praxeam, citato Capite XXVI. iis verbis: *Mandans*, Chriſtus ſcilicet Diſcipulis, *ut tinguerent in Patrem*, *&* *Filium*, *&* *Spiritum Sanctum*, *non in unum*; *nam nec ſemel*, *ſed ter ad ſingula Nomina in Perſonas ſingulas tinguimur*.

Praxis hujus ritus teſtem habemus inter alios ms. antiquum Codicem Pontificalem Eccleſiæ Saliſburgenſis, in quo ad Sabbatum Sanctum poſt hæc verba, *Vis baptizari? Volo*, iſta conſequenter ſubjiciuntur: *Et ego baptizo te in Nomine Patris*, & intinguat; *&* *Filii*, & inferat ſecundo; *Et Spiritus Sancti*, & mergat tertio. *Sed* *&* *hoc in modum Crucis facere debet*, *primum in Orientalem plagam vertat caput infantis ſecundo Auſtralem*, *tertio in Aquilonarem partem*. Sed de hoc ritu alias. Unum eſt, quod præteriri nequit hoc loco, quod ſcilicet inter alias docet Beneventana Provincialis VI. Synodus anno Chriſti MCCCLXXIV. celebrata, Tit. IV. Capite V. ubi ſic inquit: *Circa autem immerſionem trinam*, *vel unam fiendam*, *attendi volumus Eccleſiarum conſuetudinem*. *Probabiliorem tamen reputamus illam*, *quæ ter immergit*, *quia ſignificat Fidem Trinitatis*, *&* *triduum ſepulturæ Chriſti*. *Hæc tamen ſignificatio non eſt de ſubſtantia Sacramenti*; *graviter tamen peccat*, *qui contra conſuedinem Eccleſiæ facit*.

XI. Triplicem baptizandi modum hucuſque explicatum, nempe per infuſionem, & immerſionem, aut per aſperſionem probat quidem hic noſter §. ſed primum tamen, ac ſecundum, qui magis ſunt in uſu, pro Eccleſiarum conſuetudine retineri mandat, *itaut trina ablutione caput baptizandi perfundatur*, *vel immergatur in modum Crucis*, *uno*, *&* *eodem tempore*, *quo verba proferuntur*, *&* *idem ſit aquam adhibens*, *&* *verba pronuncians*. Quibus verbis tria adhuc nos docet hic noſter §. Primum eſt, trina ablutione caput baptizandi perfundi, vel immergi debere in modum Crucis. Quod tamen intelligendum eſt de Baptiſmo extra neceſſitatem, ut ait Sylveſter in Summa verbo *Baptiſmus* V. num. 2. Atque huc facit, quod docet S. Thomas Parte III. Quæſtione LXVIII. Articulo XXI. ad IV. *Dicendum quod expectanda eſt totalis egreſſio pueri ex utero ad Baptiſmum*, *niſi mors immineat*. *Si tamen primo caput egrediatur*; *in quo fundantur omnes ſenſus*, *debet baptizari*, *periculo imminente*, *&* *non eſt poſtea baptizandus*, *ſi eum perfecte naſci contigerit*, *&* *videtur idem faciendum*, *quacumque alia pars egrediatur*, *periculo imminente*. *Quia tamen in nulla exteriorum partium integritas vita ita conſiſtit*, *ſicut in capite*, *videtur quibuſdam*, *quod propter dubium*, *quacumque alia parte corporis abluta*, *puer poſt perfectam nativitatem ſit baptizandus ſub hac forma*: *Si non es baptizatus*, *ego te baptizo* *&c*. Idem aſſerunt alii Theologi, & Epiſcopi in ſuis Synodis, præſertim vero S. Carolus in ſuis Inſtructionibus, *De Baptiſmi adminiſtratione*.

XII. Ad alterum, quod docet noſter §. ut nempe ablutio fiat *uno*, *&* *eodem tempore*, *quo verba proferuntur*, recte & ait Sylveſter citato loco, num. 3. hoc non eſſe *punctualiter* intelligendum, ſed ſufficere ſecundum Richardum in IV. Sententiarum, Diſtinctione VI. *quod verborum prolatio ante incipiat*, *quam terminetur ablutio*, *vel e converſo*. Sed neque obſtat Baptiſmi validitati, ſi dum ſit ablutio, modica verborum interruptio contigerit, *ſilentii*, *vel tuſſis*, *&* *hujuſmodi*, *quod intentionem non diſcontinuet*, ut docet idem Sylveſter in verbo *Baptiſmus* I. num. 5. poſt medium, ubi etiam valere Baptiſmum ait, *ſi incœpta forma*, *dicat*, Miniſter, *taccatis*, *vel hujuſmodi*, *&* *deinde proſe-*

quatur. Atque id etiam jampridem decidit Concilium Beneventanum Provinciale VI. anno Chriſti MCCCLXXIV. Tit. IV. Capite III. ubi ſic inquit: *Mora autem naturalis, & compendioſa, puta tuſſiendo, reſpirando, vel ſereando, non obeſt.*

XIII. Quod tandem tertium ſpectat, quod noſter §. docet, *ut idem ſit aquam adhibens, & verba pronuncians*, communis eſt quidem Theologorum ſententia, validum haud eſſe Baptiſmum, ſi unus aquam infundat, & alter verba formæ proferat. Ita plane docet, ut alios omittam, S. Thomas Parte III. Quæſtione LXVI. Articulo VI. ad III. ubi ita ait: *Integritas Baptiſmi conſiſtit in forma verborum, & in uſu materiæ, & ideo neque ille qui tantum verba profert, baptizat; neque ille qui immergit. Et ideo, ſi unus verba proferat, & alius immergat, nulla forma verborum poterit eſſe conveniens.* Et ſic, ut idem Angelicus Doctor tradit, quem ſequuti ſunt Sylveſter in Summa, verbo, *Baptiſmus* III. num. 9. Toletus *Inſtructionis Sacerdotum*, Lib. II. Cap. XX. num. 10. & alii paſſim Theologi, & Canonici Juris Interpretes, ſi convenirent duo, quorum unus eſſet mutus, non potens verba proferre, & alius carens manibus, non valens exercere actum, non poſſent ambo ſimul baptizare, uno dicente verba, & alio exercente actum. Ceterum ſingulare illud eſt, quod refert Anonymus Scriptor Tomo I. Hiſtoriæ Francorum, Odiliam nempe Aldrici filiam a duobus Epiſcopis baptizatam fuiſſe, ab Herardo ſcilicet Ratiſponenſi, & Hildolpho Trevirenſi.

§. XII.

Ubi vero Baptiſmus fit per infuſionem aquæ, cavendum eſt, ne aqua ex infantis capite in Fontem, ſed in Sacrarium Baptiſterii prope ipſum Fontem extructum defluat, aut in aliquo vaſe ad hunc uſum parato recepta, in ipſius Baptiſterii, vel in Eccleſiæ ſacrarium effundatur.

COMMENTARIUS.

I. DE Baptiſterio, ejuſque Fonte, ac Sacrario, jam late diximus ſupra in Commentario ad §. II. Quod hunc vero §. ſpectat, mandat is plane, ubi Baptiſmus fit per infuſionem aquæ, cavendum eſſe, ne aqua ex infantis capite in Fontem, ſed in Sacrarium Baptiſterii prope ipſum Fontem extructum defluat. Idem ſtatuunt variæ Synodi, ac præſertim Provincialis IV. Mediolanenſis, Conſtitutionum Parte II. Cap. *Quæ pertinent ad Sacramentum Baptiſmi*, ubi inter alia S. Carolus ſic inquit: *In Baptiſmali Fonte, ubi per infuſionem baptizatur, id plane caveatur, ut ne aqua capiti infantis infuſa, in eundem Fontem recidat, ſed in Sacrarium profluat; idque propterea Sacrarium e marmore, ſolidove lapide prope Fontem conſtruatur ad præſcriptum Inſtructionum*. Ratio hujus conſtitutionis ea eſt, quod non deceat, cum aqua illa, qua unus baptizatus ſit, alterum baptizari. Quod vero aqua ipſa benedicta ſolemniter fuerit juxta antiquum ritum jam a nobis alias explicatum, & ad Sacramentum Baptiſmi adminiſtrandum adhibita, jam nec decebat, ut in terram projiceretur, ideoque recte ſtatutum fuit, ut in Sacrarium effundatur. Ceterum quod in §. noſtro ſubjungitur, *aut in aliquo vaſe ad hunc uſum parato recepta, in ipſius Baptiſterii, vel in Eccleſiæ Sacrarium effundatur*, alludere videtur ad Baptiſmum, qui domi, vel in Eccleſia alia non Baptiſmali, ut aliquando fieri aſſolet, adminiſtratur; tunc enim aqua, quæ uſui Baptiſmi inſervit, in aliquo vaſe ad eum uſum parato recipi debet, & deinde in Baptiſterii, vel in Eccleſiæ Sacrarium effundi.

De Miniſtro Baptiſmi.

§. XIII.

Legitimus quidem Baptiſmi Miniſter eſt Parochus, vel alius Sacerdos a Parocho, vel ab Ordinario loci delegatus; ſed quoties infans, aut adultus verſatur in vitæ periculo, poteſt ſine ſolemnitate a quocumque baptizari in qualibet lingua, ſive Clerico, ſive Laico etiam excommunicato, ſive fideli, ſive infideli, ſive Catholico, ſive hæretico, ſive viro, ſive femina, ſervata tamen forma, & intentione Eccleſiæ.

COMMENTARIUS.

I. SOlos olim Epiſcopos fuiſſe ordinarios, & legitimos Sacramenti Baptiſmi Miniſtros, docet nos Tertullianus, pervetuſtus Eccleſiæ Scriptor in ſuo Libro, *De Baptiſmo*, Cap. XVII. *Supereſt*, inquit, *ad concludendam materiolam de obſervatione quoque dandi, & accipiendi Baptiſmum commonefacere. Dandi quidem habet jus Summus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus. Dehinc Presbyteri, & Diaconi, non tamen ſine Epiſcopi auctoritate, propter Eccleſiæ honorem, quo ſalvo, ſalva pax eſt; alioquin etiam laicis jus eſt.* Et mox: *Proinde & Baptiſmus æque Dei cenſus ab omnibus exerceri poteſt. Sed quando magis laicis diſciplina verecundiæ incumbit, cum ea majoribus competat, ne ſibi aſſumant dicatum Epiſcopis officium Epiſcopatus.* Et paulo inferius: *Petulantia autem mulierum, quæ uſurpavit docere, utique non etiam*

etiam tinguendi jus ſibi pariet. Ex recitato hactenus Tertulliani loco jam plura erui poſſunt. I. Epiſcopos primis ſæculis dictos fuiſſe Summos Sacerdotes, quinimo etiam Papas, eorumque Cathedras, Apoſtolicas Sedes appellitatas, ut docet Tomaſſinus, veteris, & novæ Eccleſiæ Diſciplinæ, Parte 1. Lib. 1. Cap. IV. II. ad ſolos olim Epiſcopos jus baptizandi pertinuiſſe. III. de Epiſcoporum licentia idem jus Presbyteris, & Diaconis conceſſum fuiſſe. IV. ipſis etiam laicis, ſi neceſſitas expoſtulaſſet, ideoque multo magis inferioribus Clericis. IV. mulieribus nullo unquam caſu baptizandi facultatem permittendam eſſe. De hæreticis autem, ac Paganis nullam mentionem facit, de quibus tamen, uti & de aliis in hoc noſtro §. memoratis differendum eſt.

II. Itaque in ſolis Epiſcopis jus baptizandi primum reſediſſe, conſtans eſt, & indubitata ſententia, licet negari haud poſſit, Diaconos Apoſtolorum ævo baptizare conſueviſſe, uti conſtat ex Actis Apoſtolicis Cap. VIII. ubi legitur, Philippum Diaconum Baptiſmum Eunucho Candacis Reginæ contuliſſe. Quod autem prioribus ſæculis Presbyteri nequirent conferre Baptiſmum, niſi ex licentia, aut permiſſu Epiſcopi, præter recitatum ſuperius Tertulliani teſtimonium, docet nos longe antiquior Tertulliano Scriptor S. Ignatius Martyr, tertius poſt S. Petrum Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus, in Epiſtola ad Smyrnenſes, ubi inter alia ſcribit, *non eſſe licitum ſine Epiſcopo, neque baptizare, neque agapes facere*. Cui concinit S. Hieronymus in Dialogo adverſus Luciferianos, ſic inquiens: *Unde venit, ut ſine Epiſcopi juſſione, neque Presbyter, neque Diaconus jus habeant baptizandi*; itemque S. Leo in Epiſtola LXXXVIII. ad univerſos Germaniæ, atque Galliæ Eccleſiarum Epiſcopos, ubi ita habet: *Sed neque coram Epiſcopo licet Presbyteris in Baptiſterium introire, nec præſente Antiſtite infantem tingere, aut ſignare, nec pœnitentem ſine præceptione Epiſcopi ſui reconciliare, nec eo præſente, ſine illo jubente, Sacramentum Corporis, & Sanguinis Chriſti conficere, nec eo coram poſito populum docere, vel benedicere, aut ſalutare, nec plebem utique exhortari.* Atque hanc diſciplinam viguiſſe etiam Sæculo VIII. ut ſoli nempe Epiſcopi eſſent ordinarii, & præcipui, Baptiſmi, aliorumque Sacramentorum, atque Eccleſiaſticorum munerum Miniſtri, conſtat plane ex variis Synodis, ac præſertim ex Vernenſi, Canone VIII. ubi decrevit, *ut omnes Presbyteri, qui in Parochia ſunt, ſub poteſtate Epiſcopi eſſe debeant, & de eorum ordine nullus Presbyter præſumat in illa Parochia baptizare, vel Miſſas celebrare ſine juſſione Epiſcopi*. Plura alia in hunc rem teſtimonia videri plane poſſunt apud Martene Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. I. Articulo III. n. II.

III. Hoc autem, quod dictum eſt, non ita accipiendum eſſe, quaſi ſolus Epiſcopus ſit proprius Baptiſmi Miniſter, inferioribus autem Paſtoribus ex ſola ſuperioris commiſſione miniſterium illud competat, recte admonet Eſtius in IV. Sententiarum, Diſtinctione V. §. I. Aliud enim eſt in re quapiam adminiſtranda cedere Superiori, eumque præſentem honorare, aliud in ea nihil habere præter commiſſionem, ſeu mandatum Superioris. Nam Diaconus quidem nudam habet hujus miniſterii commiſſionem, Epiſcopus vero, & Presbyter propriam ejuſdem miniſterii functionem, in qua tamen Epiſcopo tanquam primario Eccleſiæ Rectori cedere debet Presbyter. Sicut enim Presbyter jus habet Euchariſtiam conficiendi, atque etiam plebem exhortandi, & pœnitentes reconciliandi, ſi curam habeat animarum, neque tamen ea Sacri Canones patiuntur a Presbytero fieri, præſente, niſi jubente, Epiſcopo, ut apud laudatum ſuperius S. Leonem legitur, ſic & baptizandi jus idem habet cum Epiſcopo, ſed in eo tamen Epiſcopum Superiorem agnoſcere, eique deferre debet.

IV. Licet autem Epiſcoporum olim officium eſſet Baptiſmum adminiſtrare, ſequioribus tamen Sæculis, ſive ob multitudinem baptizandorum, ſive ob nimium laborem, Epiſcopi ipſi aliis Epiſcopalibus muniis intenti, curam illam baptizandi in Presbyteros, & Diaconos rejecere, duos, treſve baptizare contenti, uti videre eſt in antiquo VII. Romano Ordine, num. XI. apud Mabillonium, Tomo II. Muſei Italici, pag. 83. *Deinde Pontifex baptizat unum, aut duos, vel quantum ei placuerit de ipſis infantibus; cæterique a Diacono, cui ipſe juſſerit, baptizantur*. Concinit huic Ordini Ordo X. num. XXII. *Tribus baptizatis immantatus Manto ſupra Dalmaticam Pontifex vadit ad Chriſmarium, juniore Diaconorum Cardinalium, & Sacerdotibus Canonicis baptizantibus reliquos parvulos*. Atque hæc eadem diſciplina conſtat quoque ex Ordine Romano XII. Cap. XIV. num. 30. ubi ita legimus: *Pontifex ſurgit, & vadit ad Eccleſiam S. Joannis Evangeliſtæ, & aliquantulum requieſcit ibi. Deinde procedit ad Fontes, & benedicit eos. Hoc facto, revertitur ad eandem Eccleſiam, ibique exuit ſe de Pallio, & Planeta, & induit brachialia cerata, & revertitur ad Fontes, & baptizat tres parvulos, & junior Diaconus baptizat cæteros cum Canonicis Lateranenſibus*. Porro ſervatam fuiſſe hanc Romanæ Eccleſiæ diſciplinam in aliis Eccleſiis, præſertim vero Conſentina citerioris noſtræ Calabriæ Metropolitana, docet Lucas ejuſdem Conſentinæ Eccleſiæ Antiſtes in ſuo ms. Divini Officii Ordine.

V. Viguiſſe eam tum Romæ, tum alibi, adoleſcente Seculo XIII. diſciplinam, ut Romanus Pontifex Maximus, aliique Epiſcopi Sabbato ante Reſurrectionem Domini, & Sabbato ante Pentecoſten ſolemniter Baptiſmum adminiſtrarent, teſtatur Concilium Londinenſe anno MCCXXXVII. celebratum, Can. III. ubi Epiſcopos ſuggillans, quod memoratis temporibus minime Baptiſmum conferrent, hac utitur ratione: *Cum Summus Pontifex perſonaliter illud myſterium ſolemnizet, & diebus baptizet ſolemniter memoratis, & in aliis mundi partibus ſervet Eccleſia illud idem*. Ut autem alios omittam Romanos Pontifices, tenax certe fuit ejus diſciplinæ ſanctæ memoriæ Benedictus XIII. quem in prædictis Sabbatis Paſchatis, ac Pentecoſtes ſolemniter baptizantem vidimus Romæ parvulos æque, ac adultos, Hebræos præſertim, poſtquam hi ſcilicet Chriſtiana doctrina fuerant imbuti. Porro S. Carolus in Concilio IV. Mediolanenſi, Conſtitutionum Parte II. Capite, *Quæ pertinent ad Sacramentum Baptiſmi*, inter alia mandavit, ut ſiqui infantes intra alicujus Urbanæ Parochialis Eccleſiæ fines a Sabbato Sancto uſque ad Sabbatum in Albis, & a Sabbato item Vigiliæ Pentecoſtes uſque ad Sabbatum proximum nati, baptizandi ſunt, ad Cathedralem Eccleſiam, cui pro obſervantiæ officio,

cio, proque veteris inſtituti uſu, ſtatis illis hebdomadis hoc tribui debet, deferantur, ſi modo cuiquam ob mortis periculum, in Parochiali Eccleſia, quæ propius abeſt, Baptiſmum ſtatim miniſtrare neceſſe non ſit. Sane ad hoc antiquitatis veſtigium conſervandum, retinendumque motus videtur S. Carolus exemplo S. Ambroſii, eximii ejuſdem Mediolanenſis Eccleſiæ Antiſtitis, qui quanta ſollicitudine ſimul, ac pietate Baptiſmi Sacramentum adminiſtraret, teſtatur in ejus Vita Paulinus, ita de eo ſcribens: *In rebus etiam Divinis implendis fortiſſimus in tantum, ut quod ſolitus erat circa baptizandos ſolus implere, quinque poſtea Epiſcopi, tempore quo diſceſſit, vix implerent.*

VI. Quamquam vero ex dictis ſuperius conſtet, præter Epiſcopos potuiſſe olim Presbyteros baptizare, ſaltem ex eorum permiſſu, ubi erant præſentes, liquet id etiam ex vetuſto Auctore Apoſtolicarum Conſtitutionum Libro III. Cap. X. *Neque reliquis Clericis*, inquit, *poteſtatem baptizandi facimus, ut Lectoribus, Cantoribus, Janitoribus, aut Miniſtris, niſi tantum Epiſcopis, & Presbyteris, miniſtrantibus Diaconis*. Idipſum addiſcere licet ex Epiſtolis Summorum Pontificum Innocentii I. & Gelaſii I. quorum primus in celebri Epiſtola ad Decentium Eugubinum Epiſcopum, Cap. III. diſerte ait, licere Presbyteris, *ſeu extra Epiſcopum, ſeu præſente Epiſcopo*, baptizare. Alter vero in Epiſtola ad univerſos Epiſcopos per Lucaniam, Brutios, & Siciliam conſtitutos expreſſe mandans, ut *abſque Epiſcopo, & Presbytero, baptizare non præſumat Diaconus, niſi prædictis officiis longius conſtitutis, neceſſitas extrema compellit*, perſpicue oſtendit, poſſe Presbyteros Sacramentum Baptiſmi adminiſtrare. Id quod jam longe ante hunc Pontificem Illiberritana Synodus conſtituerat Can. LXXVII. his verbis: *Siquis Diaconus regens plebem, abſque Epiſcopo, vel Presbytero, aliquos baptizaverit, Epiſcopus eos per benedictionem perficere debebit*. Atque hoc Decretum innovaſſe videtur laudatus Pontifex Innocentius I. loco citato.

VII. Teſte Martene in memorato Libro I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. I. Articulo III. num. IV. cauſa concedendi Presbyteris, ut baptizare poſſent, jam alia nulla fuit, quam multitudo baptizandorum, quibus, præſertim in magnis Civitatibus, tingendis non ſuffeciſſet ſolus Epiſcopus; neque enim ubique reperire erat Ambroſios, qui circa baptizandos uni incunctanter explerent, quod vix quatuor, aut quinque præſtarent Epiſcopi. Hinc Romæ multæ fuerant vel olim Baptiſmales Eccleſiæ, ut ex antiquis Ordinibus Romanis addiſcimus; & in quibuſdam Eccleſiis noſtræ Italiæ, ac in Piſana præſertim plures in Baptiſterio erant Fontes, in quibus una cum Epiſcopis Presbyteri baptizabant. Perſeveravit Romæ veſtigium aliquod antiquæ diſciplinæ uſque ad Sæculum XII. & XIII. quibus Cardinales ipſi, qui Romæ Parochi erant, ut alibi dictum eſt, non baptizabant, niſi petita prius a Summo Pontifice licentia, ut palam fit ex Ordine Romano XI. Auctore Benedicto Canonico S. Petri, qui, uti notat Mabillonius ad ipſum Ordinem, ſcriptus fuit ante annum MCXLIII. Ejus verba num. 43. ubi agit de Sabbato Sancto, hæc ſunt: *Finito Officio, Dominus Pontifex deſcendit ad Fontem cum Diaconis, & Subdiaconis Regionariis cantando Litaniam. Primicerius cum ſchola cantando*, Sicut cervus, *uſque in porticum S. Venantii. Ibi præparato Faldiſtorio Pontifex ſedet. Cardinales autem, qui remanſerunt in Choro, exeunt per poſterulam poſt abſidem, & intrant per porticum Sancti Joannis, & vadunt in Eccleſiam S. Venantii. Tunc Archidiaconus præcipit duobus, ut eant ad oſtium S. Venantii. Qui obediunt, accipiunt Priorem Cardinalium per manus, addextrantes eum uſque ad Pontificem, omnes Cardinales ſequentes eum. Prior autem inclinat ſe, & dicit*: Jube Domne benedicere. *Pontifex benedicit eum. Progrediens parum facit ſimiliter, & benedicit. Tertia vice ſimiliter, & benedicit eum Pontifex, & dicit*: Ite baptizate omnes Gentes in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. *Cardinales vero induti cum equitibus revertuntur ad Titulos ſuos. Tunc Pontifex intrat in Baptiſterium &c.* Fiebat itaque Cardinalium miſſio ad baptizandum infantes in Eccleſiis Baptiſmalibus, quæ Romæ non paucæ erant, qualis in primis fuit Eccleſia S. Mariæ Majoris, de qua idem Ordo XI. loquitur infra num. 45. recitatoque hactenus Ordini concinit Ordo XII. Auctore Cencio, Capite XIV. Cæterum quod Cardinales dicantur reverti *cum equitibus*, idem eſt ac *cum equis*, more quorundam veterum, ut ibidem Mabillonius notavit.

VIII. Mirum itaque videri non debet, ſi in Concilio Vernenſi anni DCCLV. Can. VIII. ſancitum fuerit, *ut omnes Presbyteri, qui in Parochia ſunt, ſub poteſtate Epiſcopi eſſe debeant, & de eorum ordine nullus Presbyter præſumat in illa Parochia baptizare*; & ſi in Conventu apud Attiniacum anno DCCCLXXIV. *Epiſcopus Barcinonenſis ſe reclamavit, quod Tyrſus Presbyter Cordubenſis .... ſine illius licentia, Miſſas, & Baptiſteria in eadem Civitate præſumit celebrare*. Ad Epiſcopum enim baptizandi miniſterium, ut dictum ſuperius fuit, primum ſpectabat, & non niſi de ejus permiſſu ad Presbyterum. Multo magis forte mirabitur quiſpiam, Eduardum Henrici III. Anglorum Regis filium a Legato Pontificio non Presbytero ſacris undis regeneratum fuiſſe, ut teſtatur Matthæus Pariſius in Hiſtoria Anglorum ad annum MCCXXXIX. ubi ſic habet: *XVI. Calendas Julii nocte ſequenti apud Weſtmonaſterium natus eſt Regi filius ex Regina ſua Eleonora .... Carleolenſis vero Epiſcopus infantem catechizavit, Legatus eundem baptizavit, licet non eſſet Sacerdos. Archiepiſcopus autem Edmundus Cantuarienſis ipſum confirmavit*. Dubitat Martene, an Legati factum probaverit S. Edmundus, qui in ſuis Conſtitutionibus vetat, *ne Diaconi pœnitentias dare, & baptizare præſumant, niſi in iis caſibus, cum Sacerdos non poteſt, vel abſens eſt, vel ſtulte, vel indiſcrete non vult, & mors imminet puero, vel ægroto*. Quæ quidem S. Præſulis ſanctio fundamentum habet in Conſtitutionibus Apoſtolorum, in quibus paſſim, ſed præſertim Lib. VIII. cap. XLIV. & LII. Diacono baptizare fas non eſſe dicitur. Sed pace Martene, non erat quod de eo facto queri poſſet Edmundus; erat enim, qui baptizavit filium Regis, Diaconus quidem, ſed Cardinalis, & Legatus Summi Pontificis; notumque illi eſſe potuit, quod ſcribit de Cardinalibus S. Petrus Damiani Lib. I. Epiſtola XX. *Romanæ Eccleſiæ Cardinales Romanum Pontificem principaliter eligunt,*

gunt, & quibuſdam aliis prærogativis, non modo quorumlibet Epiſcoporum, ſed etiam Patriarcharum, atque Primatum jura tranſcendunt.

IX. Sed neque addobitari poteſt. quin vel naſcente Chriſtiana Religiune Diaconi baptizarent, docemurque ex Actibus Apoſtulorom Cap. VIII. Philippum Diacunum Candacis Reginæ Eunuehum baptizaſſe; itemque ex antiquiſſima Eccleſiæ Traditione, qua cunſtat, Diaconus inter Baptiſmi Miniſtros nomeratoa ſuiſſe. Certe Tertullianua, cujus teſtimunium iuitio hujus Commentarii deſcripſi, puſt Epiſcopum, & Presbyterum, Diacunia jus in Baptiſmum adſcribit. Atque hauc puto ſuiſſe cauſam, quod juxta veterem diſciplinam iu Eccleſiis Baptiſmalibus una cum Presbytero reſidere debebat unus ſaltem Diaconus. Fateor autem, non potuiſſe Diaconus, præſente Epiſcopo, aut Presbytero, qui baptizandi munus cummode obire poſſent, Baptiſmum ipſos adminiſtrare. Atque huc ſpectant loca illa ex S. Hieronymo, & Gelaſio Papa ſuperius a uobis allata, in quihus expreſſe dicitur, ouu poſſe Diaconum, abſque licentia Epiſcopi, vel Presbyteri, baptizare. Vide plura apud Thomaſſinum hanc in rem, Parte I. Lib. II. Cap. XXIX. ubi etiam nnm. XI. obſervat, quod licet apud Latinos fuerit Diacono prioribus ſæculis admiuiſtrandi Baptiſmi poteſtaa, accepta ſcilicet prius Epiſcopi liceutia, reſtrictionis id tamen adjecerit poſtea Gelaſiua, ſi cogeret oimirum ueceſſitas, & Presbyter abeſſet.

X. Sed nec hodie ipſi Presbyteri Baptiſmum ſolemniter, & extra caſom neceſſitatia couferre licite puſſunt, niſi poteſtate ab Epiſcopo accepta, & iu ipſus ex plenitudine Sacerdotii Epiſcopalis derivata, hac tamen modernam inter, & priſtinam diſciplinam, intercedente differentia, quod juxta moderoam Parochi accipiant quidem coram animarum ab Epiſcopo, & per eam jus adminiſtrandi Sacramenta, ſed illa accepta, illa tuuc independenter ab Epiſcopo, ac quaſi jure proprio, & ordinario, ideſt, jure ſui Officii, & Beneficii Parochialia adminiſtrent; ubi e contra juxta veterem diſciplinam, Preabyteri. quantumvis curam animarum exercentes, a juſſione Epiſcopi iu ipſa Sacramentorum adminiſtratione dependereot. Quapropter hodie Parochi, ſive Presbyteri Parochiales ſunt in ſuis reſpective Parochiia ordinarii Miniſtri Baptiſmatis, illudque jure proprio, & ordinario miniſtrant. Unde recte ait noſter §. qoem in præſenti explicamus: *Legitimus quidem Baptiſmi Miniſter eſt Parochus, vel alius Sacerdos a Parocho, vel ab Ordinario loci delegatus.* Quod tameo intelligendum eſt de Parocho, qui habet iu ſoa Parochiali Eccleſia Baptiſterium, quodque iccirco dixi, quod Romæ multæ Parochiales Eccleſiæ careant Baptiſteriis, infanteſqoe nati baptizari ſoleut io Baſilicis Lateranenſi, aut Vaticaoa ab ipſis earundem Parochis.

XI. Porro ex paulo ſuperius dictis jam uulli Presbytero, Diacono, aut Clerico, ſive ſæculari, aut Regolari, licet baptizare cum couſuetia cæremoniis, & extra caſnm oeceſſitatis iu aliqua Parochia, ſine licentia Parochi, aot Epiſcopi, quam tamen licentiam Epiſcopus, ut notat Vaneſpen, Parte II. *Juris Eccleſiaſtiei*, Titulo II. *De Baptiſmo*, Cap. II. nom. V. *in præjudicium Parochi nec dare ſolet, nec facile dare debet.* Sed cum nemini liceat ſalcem mittere in alienam meſſem, cautum jam illod etiam ſuit, ut nemo in alieoa Parochia ſubditos ſoos, aut in prupria alterius ſubditus baptizaret. Hanc euim in Eccleſia a primis Sæculis viguiſſe diſciplinam, addiſcere licet ex his S. Gregurii Nazianzeni verbis iu Oratione XL. quæ eſt de Baptiſmo: *Tibi unuſquiſque ad purgationem fide dignus cenſeatur, tantummodo ſit ex probatis, & non manifeſte damnatis, neque Eccleſiæ alienæ.* Idem inſequutis temporihus obtinuit, uti ex variia Conciliis liquet, vetuſque ſtatutum iunuvavit S. Carulus in Provinciali Couciliu IV. Mediolanenſi, Parte II. Conſtitutionum, Capite, *Quæ pertinent ad Sacramentum Baptiſmi*, ubi ita ſtatuit: *Videat Parochus, ubi primum infans Baptiſmi cauſa ad ſe delatus eſt, an ſuæ Parochiæ ſit, quem ſi alienæ eſſe norit, eum, niſi inſtante neceſſitate, ne baptizet, ſed ad Parochum proprium, a quo baptizetur, deferri jubeat.*

XII. Hia ſane concinit ooſter §. qui, poſtquam dixit, legitimum qoidem Baptiſmi Miniſtrum eſſe Parochum, in ſua ſcilicet propria Pachia, ſive aliom Sacerdotem a Parocho, vel ab Ordinario loci delegatum, addit, quod, *quoties infans, aut adultus, verſatur in vitæ periculo, poteſt ſine ſolemnitate a quocumque baptizari in qualibet lingua, ſive Clerico, ſive laico &c.* Et hæc quidem eſt vetuſtiſſima Eccleſiæ diſciplina, ac ſemper probata, ut, imminente neceſſitate, Baptiſmus ab omnihus adminiſtrari queat; expreſſe id enim tradit Tertullianus laudatus initio hujuſmodi Commentarii, ſic inquiens: *Proinde Baptiſmus aquæ Dei cenſus ab omnibus exerceri poteſt*; confirmatque eam traditiunem S. Hieronymus, ubi contra Luciferiaoos agens, ita ſcribit: *Baptizare, ſi neceſſitas urgeat, ſcimus etiam licere laicis*; & S. Auguſtinus apud Gratianum Can. XXI. *De conſecratione*, Diſtinctione IV. *In neceſſitate*, inqnit, *cum Epiſcopi, aut Presbyteri, aut quilibet Miniſtrorum non inveniuntur, & urget periculum ejus, qui petit, ne ſine iſto Sacramento hanc vitam finiat, etiam laicos ſolere dare Sacramentum, quo acceperunt, ſolemus audire.* Occidentis, imo totius Eccleſiæ numine, diſciplinæ, traditionique, de qua agimus, rubur addidit S. Gelaſius Papa, ubi in Epiſtola ſua ſuperius laudata, Cap. IX. de Bantiſmo in caſu neceſſitatia dato ſic inquit: *Quod & laicis fidelibus plerumque permittitur, ne quiſquam ſine remedio ſalutari de ſæculo evocetur.*

XIII. At vero, quod minime diſſimulandum eſt, diſciplinam, traditiouemque mox explicatam, non de omnibus laicis inſinoare videtor vetus Canon XXXVIII. Concilii Illiberritani, qui a miniſtrando Baptiſmo etiam in neceſſitate arcere videtur laicum, qui Baptiſmum iotegrum noo habet, aut bigamus eſt. Canonis verba hæc ſunt: *Peregre navigantes, aut, ſi Eccleſia in proximo non fuerit, poſſe Fidelem, qui lavacrum ſuum integrum habet, nec ſit bigamus, baptizare in neceſſitate infirmitatis poſitum Catechumenum, ita ut ſi ſupervixerit, ad Epiſcopum eum perducat, ut per manus impoſitionem proficere poſſit.* Ita plaoe Canon, qui quidam, ot intelligatur, notandom eſt, quod docet eruditiſſimos Albaſpinæus in Notis ad ipſum Canonem; per illa ſcilicet verba, *qui lavacrum ſuum integrum habet*, id indicari, *quod quis poſt lavacrum non peccarit, neque pœnitentiam ullam ſubierit, quod peccato poſt Baptiſmum commiſſo, omnium, ut ita lo-*

Digitized by Google

loquar, gratiarum, ac beneficiorum, quæ acceperat, jacturam faceret; ideoque Baptiſmum ejus, qui deliquiſſet, non integrum, aut incorruptam videri amplius, quod ex illo Divinæ gratiæ, qua inſtructus erat, quaſi gradu excidiſſet. Sicuti ergo juxta priſtinam Patrum diſciplinam nullus bigamus, aut pœnitens, hoc eſt, qui enormi peccato Baptiſmum violaſſet, ad Sacerdotium promoveri poterat, aut Sacerdotale officium exercere; ita nec laicum bigamum, aut pœnitentem, ad hujus muneris Sacerdotalis exercitium admittendum cenſent Patres Illiberitani, ut obſervat laudatus Albaſpinæus, & poſt illum Franciſcus le Roye in ſuis Inſtitutionibus Juris Canonici, Lib. II. Tit. III. *De Baptiſmo*; una etiam monentes, *nec illud ita intelligendum, quaſi ab eo laico Baptiſmus conferri non poſſit, qui ſolus etiam in neceſſitate occurrat bigamus, & pœnitens, ſed ut ex multis laicis ibi præſentibus ille ſolus baptizare poſſit, qui adhuc integrum lavacrum habeat, & non ſit bigamus.* Atque hic obiter nota, quod obſervavit memoratus Vaneſpen citato loco, num. VIII. in fine, quantam ſcilicet vitæ innocentiam Patres deſideraverint etiam in laico, ut vel neceſſitate quodammodo cogente aliquod Sacerdotale munus obire poſſet. Vide plura Tomo II. noſtræ novæ editionis Conciliorum Hiſpaniæ a Cardinale de Aguirre ordinatæ in Commentariis variorum Auctorum ad recitatum Canonem Illiberritanum.

XIV. Ad feminas quod attinet, eis ut docere, ita & baptizare in Eccleſia ſemper vetitum fuit, ut non uno in loco docet Tertullianus. Nam præter recitatum ejus teſtimonium initio hujus Commentarii, ex Libro, *De Baptiſmo*, Capite XVII. ubi ait: *Petulantia autem mulierum, quæ uſurpavit docere, utique non etiam tinguendi jus ſibi pariet*; ſic habet in Libro, *De velandis Virginibus*, Cap. IX. *Non permittitur mulieri in Eccleſia loqui, nec docere, nec tinguere*; & in Libro, *De præſcriptionibus*, Cap. XLI. redarguens temeritatem mulierum hæreticarum, ſic inquit: *Ipſæ mulieres hæreticæ, quam procaces, quæ audeant docere, contendere, exorciſmos agere, curationes repromittere, forſitan & tinguere.* Quod certe in eis non reprehendiſſet, ſi licitum eiſdem ex Eccleſiæ Legibus fuiſſet. In pervetuſtis quoque Apoſtolorum Conſtitutionibus, Lib. III. extat integrum Caput IX. *Quod non oporteat mulieres baptizare &c.* cautumque jam fuit ex Concilio IV. Carthaginenſi, Canone XCIX. & C. apud Gratianum Can. XIX. De Conſecratione, Diſtinctione IV. ut *mulier, quamvis docta, & ſancta, viros in conventu docere, vel aliquos baptizare, non præſumat.* Idem conſtat ex aliis Conciliis non paucis, ac Patribus, & præſertim ex S. Epiphanio, Hæreſi LXXIX.

XV. Sed notandum omnino eſt, in recitatis hactenus locis agi quidem de publica, & ſolemni adminiſtratione Baptiſmi extra caſum neceſſitatis; nam alias jampridem Gratianus ad memoratum Canonem Carthaginenſem adjecit hanc clauſulam: *niſi neceſſitate cogente*; remittens ulterius lectorem ad Canonem, *Super quibus*, Cauſa XXX. Quæſtione III. ubi refertur hoc ſub nomine Urbani II. Reſponſum Vitali Presbytero datum: *Hoc videtur nobis ex ſententia reſpondendum, ut & Baptiſmus ſit, ſi inſtante neceſſitate femina puerum in Nomine Trinitatis baptizaverit*; ideſt, in *Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; ut eſt certa, ac probata Baptiſmi formula. Jam ſupervacaneum eſt vetera monumenta afferre, quibus probatur, valide, liciteque conferri a femina Baptiſmum in caſu neceſſitatis; nam licet jam olim Joannes Moſchus in ſuo Prato ſpirituali, Cap. III. aſſeruerit, contra Canones eſſe, Diaconiſſas baptizare, excepit tamen ſtrictiſſimam cauſam neceſſitatis. Porro laudatum paulo ſuperius Urbani II. Reſponſum amplexa eſt Catholica Eccleſia, eique concinunt Eugenius IV. in Decreto pro Armenis, & Rituale Romanum in hoc præſenti §. ubi expreſſe inquit, quod, *quoties infans, aut adultus verſatur in vitæ periculo, poteſt ſine ſolemnitate a quocumque baptizari in qualibet lingua, ſive Clerico, ſive laico etiam excommunicato, ſive fideli, ſive infideli, ſive Catholico, ſive hæretico, ſive viro, ſive femina.*

XVI. Reſtat nunc, ut de excommunicatis, ac de aliis dicamus, quorum meminit noſter §. quos recte ait valide baptizare, ſi neceſſitas ſcilicet urgeat; hæc enim eſt communis Theologorum ſententia, quæ Patrum traditione, Conciliorumque auctoritate nititur. Et quidem valere Baptiſmum ab illis collatum, aſſerit S. Auguſtinus, Lib. V. *De Baptiſmo*, Cap. XX. *Si Deus*, inquit, *adeſt Sacramentis, & verbis ſuis, per qualeſcumque adminiſtrentur, Sacramenta Dei ubique recta ſunt.* Hæſitaſſe aliquando S. Doctorem in definienda ea quæſtione, docet nos ille, Lib. VII. *De Baptiſmo*, Cap. LIII. Propoſitæ enim ſibi quæſtioni, utrum approbandum ſit Baptiſma, quod ab eo, qui non accepit, accipitur, ita reſpondet: *Nobis tutum eſt in ea non progredi aliqua temeritate ſententiæ, quæ nullo in Catholico regionali Concilio cœpta, nullo plenario Concilio terminata ſunt.* Pergit S. Doctor, diſerteque ait, ſe in eam propendere ſententiam, quæ favet Baptiſmo: *Verumtamen ſiquis forte me in eo Concilio conſtitutum, ubi talium rerum quæſtio verſaretur, non præcedentibus talibus, quorum ſententias ſequi mallem, urgeret, ut dicerem quid ipſe ſentirem, ſi eo modo affectus eſſem, quo eram, cum iſta dictarem, nequaquam dubitarem, habere eos Baptiſmum, qui ubicumque, & a quibuſcumque* (excommunicatis ſcilicet, Schiſmaticis, & in aliis in §. noſtro recenſitis) *illum verbis Evangelicis conſecratum ſine ſua ſimulatione, & cum aliqua fide accepiſſent.* Atque hanc Auguſtini ſententiam confirmavit Sæculo IX. Nicolaus Papa I. in Reſponſione ad Conſulta Bulgarorum, qui de validitate Baptiſmi a Judæo, vel Pagano collati dubitabant, ut videre eſt apud Gratianum, qui Nicolai Reſponſum retulit in Can. XXIV. De conſecratione, Diſtinctione IV. Atque his adde, quod ait Eugenius Papa IV. in Inſtructione pro Armenis: *In caſu neceſſitatis etiam Paganus baptizare poteſt.*

XVII. De Gentilibus falſorum Deorum cultoribus paulo major eſt difficultas. Nam Gregorius II. ad S. Bonifacium ſcribens, ab ipſis baptizatos abſolute tingendos iterum eſſe aſſerit: *Eoſdem quoque, quos a Paganis baptizatos eſſe aſſeritis, ſi ita habetur, ut denuo baptizes in Nomine Trinitatis, mandamus.* Et Lib. VII. Capitularium ab Anſegiſo, & Benedicto Levita collectorum, num. CCI. in ſtatutum legimus: *Præcipimus, ut qui a Paganis baptizati ſunt, denuo a Sacerdotibus in Nomine Sanctæ Trinitatis baptizentur.* Et num. CDV. *Hi qui dubitant,*

utrum

utrum qui ſint baptiati, an non, qui vel a Presbytero Diis mactanti, vel immolatitiis carnibus veſcenti fuerint baptizati, ut baptizentur, præceptum eſt. Verum tam Reſponſum Gregorii Papæ II. quam iſta Capitularia, aut ſiqua hujuſmodi extant alia Decreta, intelligenda ſunt prorſus de baptizatis ſine debita forma, idque ſatis innuunt, cum a Chriſti Sacerdotibus *in Nomine Sanctæ Trinitatis*, baptizari præcipiunt. Nam certiſſimum eſt, quod & variæ Synodi, & Rituales Codices, & Theologi paſſim docent, ac præſertim Joannes de Raguſio Generalis Ordinis Prædicatorum Magiſter in Oratione habita in Concilio Baſileenſi: *In neceſſitatis articulo, mares, & feminæ, Pagani, & Judæi, & hæretici poſſunt baptizare, dummodo ſervent formam, & materiam, & intentionem*.

XVIII. Quantum ad Baptiſmum ab hæreticis collatum, nota profecto omnibus eſt celeberrima inter S. Cyprianum Carthaginenſem Epiſcopum, & S. Stephanum Papam controverſia, qua nimirum ille, damnato hæreticorum Baptiſmo, univerſos ab illis baptizatos rebaptizandos aſſerebat; Stephano e contrario univerſæ Eccleſiæ traditam ab Apoſtolis diſciplinam retinendam eſſe contendente; cujus definitionem quamplurima poſtmodum confirmavere Concilia, ac noviſſime etiam poſt Eugenii IV. Decretum in Inſtructione pro Armenis, Concilium Tridentinum Seſſione VII. *De Baptiſmo*, Can. IV. his verbis: *Siquis dixerit, Baptiſmum, qui etiam datur ab hæreticis in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, non eſſe verum Baptiſmum, anathema ſit*. Verum utique, ac validum, ſed non licitum, niſi inſtante urgentiſſima neceſſitate, uti ſuperius non uno in loco dictum eſt, & confirmari iterum poteſt auctoritate S. Auguſtini in Libro, *De Baptiſmo contra Donatiſtas*, Cap. II. ubi ſic inquit: *Siquem forte coegerit extrema neceſſitas, ubi Catholicum, per quem accipiat, non invenerit, & in animo pace Catholica cuſtodita, per aliquem extra unitatem Catholicam poſitum acceperit, quod erat in ipſa Catholica accepturus, ſi ſtatim etiam de hac vita migraverit, non eum, niſi Catholicum deputamus*. Porro de Baptiſmo ab hæreticis collato fuſe eruditeque diſſerit inter alios Jueninus in Opere, *De Sacramentis*, Diſſertatione II. Quæſtione III. per varios Paragraphos.

XIX. Unum reſtat, quod hic præteriri non debet, licet validus ſit Baptiſmus in qualibet lingua, & a quocumque adminiſtratus, ſervata ſcilicet forma, & intentione Eccleſiæ, de quibus ſuis locis diximus, niſi tamen urgeat neceſſitas, peccare quidem eum graviter, qui ab alio, quam a proprio Parocho baptizaretur, multoque magis, ſi ab illis, quos §. noſter recenſet, quique tunc ſolum baptizare poſſunt ſine ſolemnitate, quoties infans, aut adultus verſatur in vitæ periculo. Atque hæc eſt communis, ac certa Theologorum ſententia, qui etiam ſcite docent, peccare etiam ipſos Miniſtros, qui baptizarent. Ita plane docet, ut alios omittam, S. Thomas, Parte III. Quæſtione LXVII. Articulo V. in Corpore, ubi poſtquam dixit, in articulo neceſſitatis, poſſe quemcumque hominem etiam non baptizatum, alium baptizare, ita deinde ſubjicit: *Si vero extra articulum neceſſitatis hoc fieret, uterque graviter peccaret, ſcilicet baptizans, & baptizatus; & per hoc impediretur Baptiſmi effectus, licet non tolleretur ipſum Sacramentum*.

§. XIV.

Sed ſi adſit Sacerdos, Diacono præferatur, Diaconus Subdiacono, Clericus laico, & vir feminæ, niſi pudoris gratia deceat, feminam potius, quam virum baptizare infantem non omnino editum, vel niſi melius femina ſciret formam, & modum baptizandi. Quapropter curare debet Parochus, ut Fideles, præſertim obſtetrices rectum baptizandi ritum probe teneant, & ſervent.

COMMENTARIUS.

I. Eſt & hic antiquiſſimus Eccleſiæ ritus, ut in baptizando ordo ſervetur, ut nimirum dignores minus dignis præferantur; teſtiſque ejus ritus eſt quidem Tertullianus in Libro, De Baptiſmo, Cap. XVII. ubi ita inquit: *Supereſt ad concludendam materiolam de obſervatione quoque dandi, & accipiendi Baptiſmum commonefacere. Dandi quidem habet jus Summus Sacerdos, dehinc Presbyteri, & Diaconi, non tamen ſine Epiſcopi auctoritate, propter Eccleſiæ honorem, quo ſalvo, ſalva pax eſt; alioquin etiam laicis jus eſt*. Et mox: *Proinde & Baptiſmus æque Dei cenſus ab omnibus exerceri poteſt; ſed quando magis laicis diſciplinæ verecundiæ incumbit, cum ea majoribus competat, ne ſibi aſſumant dicatum Epiſcopi officium Epiſcopatus*. Quod aliquis etiam inter laicos, quibus in caſu neceſſitatis jus eſt ad baptizandum, ordo ſervari debeat, conjici poteſt ex eodem Tertulliano in citato loco, ubi loquens de eo argumento cum laico, ſic ait: *Sufficiat ſcilicet in neceſſitatibus, ut utaris, ſicubi, aut loci, aut temporis, aut perſonæ conditio compellit; tunc enim conſtantia ſuccurrentis excipitur, cum urget circumſtantia periclitantis*.

II. Veterum rituum tenax, & cuſtos S. Carolus, in ſuo Concilio Provinciali Mediolanenſi I. Conſtitutionum Parte II. eo Capite, *Quæ pertinent ad Baptiſmi adminiſtrationem*, poſtquam vetuit, baptizari infantem domi, ita mox ſubdit: *Permiſſa eſt tamen, ſi inſtet periculum, facultas baptizandi in privatis ædibus Sacerdoti, vel, ſi is abſit, alteri Sacris initiato, vel ſi non adfuerit, laicis, primo mari, aut demum feminæ, qui recte noverint veram Baptiſmi formam*, Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; *quibus verbis nihil prorſus ab ipſis addendum, vel detrahendum eſſe, crebro populum ſuum Parochus admoneat*. Cum ſæpe autem contingat, ut a laicis adminiſtretur Baptiſmus, in caſu ſcilicet neceſſitatis, hinc & ſæpe Sacræ Synodi, ac Epiſcopi id ipſum, quod a laudato I. Con-

Concilio Provinciali Mediolanenſi ſtatutum eſt, præſcripſere. Synodus Londinenſis anno Chriſti MCCXXXVII. habita, Cap. III. ita quidem ait: *Statuimus inſuper, ut Parochiales Presbyteri formam Baptiſmi firmiter addiſcentes, eam parochianis ſuis frequenter exponant in diebus Dominicis in vulgari, ut, ſi articulus neceſſitatis emergat, eam ſciant, & valeant obſervare; quæ utrum ſervata fuerit, inquirant poſtmodum diligenter*. Idem præſcribit Provincialis VI. Synodus Beneventana anni MCCCLXXIV. Tit. IV. Capite V. his verbis: *Diſtricte præcipimus, ut Presbyteri frequenter admoneant, & inſtruant plebem ſuam, ut, cum ex neceſſitate, ut prædictum eſt, aliquem baptizari contigerit, hanc formam in traditione ipſius Baptiſmi cum diligentia ſtudeant obſervare, ſcilicet ut infantem ter mergendo in aquam, baptizans dicat ſic*: Petre, *vel* Martine, *vel* Ugo, Ego baptizo te in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. *Si tamen una tantum immerſio facta fuerit, erit nihilominus baptizatus*. Sed de unica, vel trina in Baptizando immerſione jam ſuo loco abunde dixi. Ceterum nihil frequentius in Conciliis antiquioribus, recentioribuſque, atque in Epiſcoporum Statutis occurrit, quam ut Parochi ſubditos ſuos mares, ac feminas, ſedulo inſtruant de materia, & forma Sacramenti Baptiſmi materna lingua pronuncianda, uti videre eſt in editis anno MCCXVII. Conſtitutionibus Richardi Epiſcopi Sarum, Capite XVI. & in aliis plurimis, quas non opus eſt hic recenſere.

III. Obſtetrices præſertim baptizandi rationem docendas eſſe a Parochis, expreſſe mandat Concilium Provinciale Mediolanenſe II. Conſtitutionum Parte II. Capite, *Quæ pertinent ad Sacramentum Baptiſmi*, ubi ſic inter alia inquit: *Baptizandi formulam ipſe*, Parochus ſcilicet, *non ſolum, ut primo Provinciali Concilio juſſum eſt, populo generatim, ſed etiam privatim, ac præcipue obſtetricibus, in Eccleſia tamen, plane oſtendat, ac tradat; quam etiam an illæ recte teneant, aliquando eodem loco recte videat, ac diligenter quærat*. Rurſus in Concilio Provinciali V. ubi recenſet quæ ad Baptiſmum pertinent, hæc de obſtetrice ſtatuit: *Quæ autem probata eſt, cum baptizabit, curet, quoad ejus fieri poteſt, ut duæ ſaltem mulieres, ac mater præſertim, ſi poteſt, præſentes adſint, quæ in baptizando verba ab ea prolata audiant*. Tum vero mox: *Parochus vero, cum perquiret ex Decreto Provinciali, an infans baptizatus ſit, diligenter obſtetricem, & teſtes etiam de verbis prolatis interroget; ut ſibi conſtet, an Baptiſmi forma recte adhibita ſit, an vero ſecus, quamobrem oporteat infantem a ſe baptizari*. Sed de his paſſim loquuntur Acta Eccleſiæ Mediolanenſis a S. Carolo ordinata, ex quibus etiam addiſcimus, quod alias monent hic noſter §. & Catechiſmus Concilii Tridentini, Parte II. *De Baptiſmi Sacramento*, num. XXIV. obſtetricibus ipſis, quæ baptizare conſueverunt, formamque Baptiſmi tenent, neceſſitate urgente, baptizare permiſſum eſſe, *etiam præſente laico, qui hujus Sacramenti conficiendi plane ignarus, rudiſque ſit*. Atque hæc & alia ſcitu digna de obſtetricibus legere eſt in Actis laudatis, Parte IV. in Rubricis, ſeu Inſtructionibus, *De Baptiſmi adminiſtratione*.

IV. At vero, ut habet hic noſter §. obſtetrix, ſeu alia femina, non modo laico in baptizando, ubi neceſſitas urgeat, præfertur, & is neſciat Baptiſmi formam, verum etiam ubi *pudoris gratia deceat, feminam potius, quam virum baptizare infantem non omnino editum*. Porro quanta cautio olim in Baptiſmo adhiberetur, ne ſacri Miniſtri, vel ex conſpectu baptizandarum mulierum ignem conciperent, vetus Eccleſiæ diſciplina nos docet. Quodcumque enim officium in illius Sacramenti ſuſceptione obiri poterat, Diaconiſſis credebatur, præſertim nudatio, qualiſcumque demum ea eſſet, de qua re nonnihil diximus noſtro I. Tomo Conciliorum in Commentario ad Canonem XIX. Concilii I. Nicæni. Nec tantum ſeorſim a viris baptizantur feminæ, tum quoad tempus, ut diſerte habent antiqui Romani Ordines, primo mares, deinde feminas ſacro Baptiſmo luſtratas docens; tum etiam quoad locum, quandoquidem pars feminarum, ut S. Auguſtinus tradit Lib. XXII. *De Civitate Dei*, Cap. VIII. ideſt, pars, in qua feminæ baptizabantur, erat alia a parte virorum. Sed nec tantum hoc modo conſulebatur honeſtati in conferendo feminis Baptiſmo, quæ cautio etiam laicos ſpectare poterat, verum alia quoque ratione proprius pertinente ad ſacros homines, quam late, eruditeque enarrat Raynaudus in celebri Diſſertatione, *De ſobria alterius ſexus frequentatione per Sacros, & Religioſos homines*, Cap. VIII. ubi varias Patrum cautiones recenſet, quibus Sacramenta feminis adminiſtrabantur, ut ſacrorum hominum conſuleretur indemnitati.

§. XV.

Pater, aut mater propriam prolem baptizare non debent, præterquam in mortis articulo, quando alius non reperitur, qui baptizet; neque tunc ullam contrahunt cognationem, quæ Matrimonii uſum impediat.

COMMENTARIUS.

I. Quod in hoc §. ſtatuitur, jam olim in variis Conciliis, & Ritualibus fuerat præſcriptum, confirmatumque variis argumentis a Theologis paſſim, præſertim vero ab omnium Principe S. Thoma Aquinate, cujus doctrinam probavit inter alias Beneventana VI. Provincialis Synodus Tit. IV. Capite V. ubi hæc habet: *Si autem maſculi præſentes non fuerint, a circumſtantibus feminis baptizetur, etiam a patre, vel matre, ſi alii non fuerint, a quibus valeat baptizari; ſed quamdiu alii fuerint, a patre, vel matre nullatenus baptizetur*. Sed notatu digna ſunt, quæ mox ſubjicit, quibus quidem magiſque §. noſter explicatur: *Et ſi ex neceſſitate a patre proprio, vel a matre infans fuerit baptizatus, Matrimonio inter eos in ſua firmi-*

mitate manente, nulla propter hoc injungatur pœnitentia baptizanti, qui ex hoc debet potius commendari. Pergit Synodus aliaque docet, quæ cenſui hoc loco referre: *Si vere malitioſe pater, vel mater baptizaverit, vel in Catechiſmo, ſeu in Confirmatione tenuerit infantem proprium, vel infantem uxoris ſuæ ex alio viro procreatum, Matrimonio, ut dictum eſt, in ſuo robore permanente, ad nos mittatur, vel Epiſcopum ſuum, de tanto exceſſu pœnitentiam ſuſcepturus. Si autem caſu, vel ignorantia id acciderit, non ſunt in aliquo puniendi; ne forte propter imperitiam laicorum infans abſque forma debita baptizetur*.

II. Parentes non poſſe filium ſuum baptizare, niſi neceſſitas urgeat, & niſi alii præſentes ſint, qui apti eſſent ad Baptiſmum illi adminiſtrandum, monuit jam S. Carolus in Inſtructionibus, *De Baptiſmi adminiſtratione*, ſic inquiens: *Parentes autem omnino caveant, ne liberos ſuos baptizent abſque manifeſta neceſſitate, cum ſcilicet alii quoquo modo apti non adſint, & periculi urget neceſſitas*. Quod vero tandem edicit noſter §. nullam tunc contrahi a parentibus cognationem, quæ uſum Matrimonii impediat, deciſum jampridem fuit a Joanne Papa VIII. qui ita ſcripſit ad Epiſcopum Lemovicenſem, qui ſeparandum ab uxore judicaret virum, quod neceſſitatis cauſa filium ſuum baptizaſſet: *Dicimus, dimittendam non eſſe, & inculpabile judicandum, quod neceſſitas intulit. Nam hoc baptizandi opus laicis fidelibus juxta Canonem auctoritatem, ſi neceſſe fuerit, facere libere conceditur. Unde ſi ſupradictus genitor filium ſuum corpore morientem aſpiciens, ne animam perpetua morte pereuntem dimitteret, ſacri unda Baptiſmatis lavit, ut eum de poteſtate auctoris mortis, & tenebrarum eriperet, & in Regnum Chriſti jam regnaturum ſine dubitatione tranſmitteret, bene feciſſe laudatur; & idcirco ſuæ uxori ſibi jam legitime ſociatæ impune, quandiu vixerit, judicamus manere conjunctum*. Relata eſt hæc Reſponſio a Gratiano in ſuo Decreto in Canone *Ad limina*, Cauſa xxx. Quæſtione 1. & apud alios Canonum Collectores.

De baptizandis parvulis.

§. XVI.

Opportune Parochus hortetur eos, ad quos ea cura pertinet, ut natos infantes, ſive baptizandos, ſive baptizatos, quamprimum fieri poterit, & qua decet Chriſtiana modeſtia, ſine pompæ vanitate deferant ad Eccleſiam, ne illis Sacramentum tantopere neceſſarium nimium differatur cum periculo ſalutis, & ut iis, qui ex neceſſitate privatim baptizati ſunt, conſuetæ cæremoniæ, rituſque ſuppleantur, omiſſa forma, & ablutione.

COMMENTARIUS.

I. De Baptiſmo inſantium, ſeu parvulorum, ideſt, eorum, qui per ætatem ratione nondum utuntor, ut recte notavit Eſtius in IV. Sententiarum, Diſtinctione IV. §. XXIII. varii extiterunt, atque etiamnum hodie extant errores, aliis prorſus negantibus eos baptizari licere, aliis id permittentibus quidem, ſed negantibus, utilitatem aliquam inde parvulis accedere; aliis denique, licet utilitatem agnoſcant, neceſſitatem tamen ejus abnuentibus. Nam præter Anabaptiſtas, qui prorſus tollunt infantium Baptiſmum, atque eos etiam baptizatos in adulta ætate rebaptizant, Calviniſtæ eſſe neceſſarium negant. Pelagiani quidem valere parvulis Baptiſmum dixerunt, non ad vitam æternam, quam iis etiam abſque Baptiſmo promittebant, ſed ad Regnum conſequendum propter illud, quod ſcriptum eſt, Joannis Cap. III. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt intreire in Regnum Dei*. Fuerunt & alii perperam de Baptiſmo parvulorum ſentientes, ut Hierachitæ, qui omnem ſalutis ſpem parvulis etiam baptizatis adimebant, eo quod certare nequeunt, cum ſcriptum ſit: *Non coronabitur, niſi qui legitime certaverit*. De quibus vide S. Epiphanium Hæreſi LXVII. & Fidiani, qui in octavum uſque diem Judaico more Baptiſmum differri volebant; contra quos agit S. Cyprianus Epiſtola LIX. Teſte Bellarmino, Lib. I. *De Sacramento Baptiſmi*, Cap. VIII. Sociniani, qui Tranſilvaniam incolebant, *anno MDLXVIII. duos Libros ediderunt contra Trinitatem, & Incarnationem Domini, & in fine eorum Librorum addiderunt XXXVI. argumenta contra Baptiſmum parvulorum*.

II. His aliiſque id genus erroribus e diametro oppoſita eſt Fides Catholica, quæ docet, valere collatum parvulis, inſantibuſque, Baptiſmum. Infantes ſiquidem Regno Cæleſti percipiendo idonei ſunt, dicente Chriſto Domino Lucæ Cap. XVIII. *Sinite, parvulos venire ad me, & nolite vetare eos, talium eſt enim Regnum Cælorum*. Vox hæc *parvulos* myſtice ſumpta humiles quidem ſignificat, ſed ad literam de iis, qui ætate parvuli ſunt, intelligenda eſt. Vox hæc altera *venire*, ſtricte accepta, de iis tantum vera eſt, qui per ſe ipſos accedunt; at hic late ſumitur, diciturque de illis, quibus nondum erat ambulandi facultas, juxta illud ejuſdem Lucæ: *Offerebant autem & ad ipſum infantes*. Cum autem infantes ſine Baptiſmo Regnum Cæleſte conſequi non poſſint, juxta illud Chriſti Domini Oraculum apud Joannem, Cap. III. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*; hinc eſt, quod ipſi infantes, parvulique, æſtimati ſemper fuerint recipiendo Baptiſmo idonei, ut patet ex conſtanti Eccleſiæ Traditione, cujus inter alios teſtis eſt Origenes Scriptor ſecundi Sæculi Eccleſiæ, Lib. V. in Epiſtolam ad Romanos, ſic inquiens: *Eccleſia ab Apoſtolis traditionem ſuſcepit etiam parvulis Baptiſmum dare*. Quibus verbis nihil hanc in rem afferri luculentius poteſt.

III. Origeni ſuffragatur S. Cyprianus in Epiſtola LIX. ad Fidum, in qua probare volens, concedendam eſſe inſantibus regenerationis gratiam,

tiam, poſt adducta ex Actibus Apoſtolorum, Cap. x. illa S. Petri verba, *Dominus mihi dixit, neminem hominem communem dicendum, & immundum*, ita plane argumentatur pro infantibus baptizandis: *Ceterum ſi homines impedire aliquid ad conſecutionem gratiæ poſſet, magis adultos, & provectos, & majores natu poſſent impedire peccata graviora. Porro autem, ſi etiam graviſſimis delictoribus, & in Deum multum ante peccantibus, cum poſtea crediderint, remiſſa peccatorum datur, & a Baptiſmo, atque a gratia nemo prohibetur; quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus, nihil peccavit, niſi quod ſecundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit, qui ad remiſſam peccatorum accipiendam hoc ipſo facilius accedit, quod illi remittuntur, non propria, ſed aliena peccata?* Totum fere hunc locum deſcripſit S. Hieronymus in fine Libri III. adverſus Pelagianos, ut eorum errorem de Baptiſmo parvulorum refelleret; ſed apud Hieronymum legitur *remiſſio* pro *remiſſa*. Legenda integra Cypriani Epiſtola, in qua mentionem facit Concilii, quod habuit Carthagine de infantibus baptizandis, in ejuſque ſententiam LX. ex Epiſcopis in Concilium, cui ipſe præerat, coacti, unanimi voce conſenſerunt, eoque conſenſu non rem novam, ſed pcæcedenti uſu receptam probarunt.

IV. Ex ipſo Concilio & illud patet, quam longe a vero aberraverint Pelagiani, qui parvulis ad remiſſionem peccatorum, Baptiſmum nequaquam eſſe neceſſarium, ore ſacrilego contendebant; quos merito propterea anathemate percuſſit celebrata ineunte V. Sæculo Synodus Milevitana, Can. II. *Placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, anathema ſit*. Atque hoc Dogma, quod Milevitani Patres confirmarunt, S. Auguſtinus Libro X. *De Geneſi*, Cap. XXIII. ad Apoſtolorum, non inſtitutionem, ſed traditionem refert: *Conſuetudo*, inquit, *Matris Eccleſiæ in baptizandis parvulis nequaquam ſpernenda eſt, nec ullo modo ſuperflua deputanda, nec omnino credenda, niſi Apoſtolica eſſet traditio*. Tam altas autem ubique ea conſuetudo Sæculo ipſo V. radices egerat, ut Pelagiani, quamvis peccatum originale negarent, eam tamen accurate ſervari voluerint, ipſique ſervaverint. Cæterum hæreticorum veterum æque,ac recentiorum de ipſo infantium Baptiſmo errores noviſſime ſub diro anathemate damnavit Tridentina Oecumenica Synodus, Seſſione VII. *De Baptiſmo*, Can. XII. *Si quis dixerit, neminem eſſe baptizandum, niſi ea ætate, qua Chriſtus baptizatus eſt, vel in ipſo mortis articulo, anathema ſit*. Et Can. XIII. *Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, ſuſcepto Baptiſmo, inter Fideles computandos non eſſe, ac propterea, cum ad annos diſcretionis pervenerint, eſſe rebaptizandos, aut præſtare omitti eorum Baptiſma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in ſola Fide Eccleſiæ, anathema ſit*.

V. Circa infantium Baptiſmum in eo jam olim erravit memoratus ſuperius Fidus in Africa Epiſcopus, quod contenderet, *intra ſecundum, vel tertium diem, quo nati ſint, conſtitutos baptizari non oportere, & conſiderandam eſſe Legem Circumciſionis antiquæ, ut intra octavum diem eum, qui natus eſt, baptizandum, & ſanctificandum putaret*. Hoc fundamentum egregie ſubvertit S. Cyprianus ſcripta ad Fidum nomine Concilii Epiſtola LIX. in qua eam opinionem erroneam pluribus refellit; ejuſque Epiſtolæ non modo meminit S. Hieronymus, ut ſupra dictum eſt, verum etiam S. Auguſtinus in Libro, *De geſtis Pelagii*, Cap. XI. & Lib. IV. contra duas Epiſtolas Pelagianorum, Cap. VIII. & in Sermone CCXCIV. novæ editionis. Ceterum octavum diem ad baptizandos infantes cnmmendare videtur S. Ambroſius, non quidem propter neceſſitatem, & conſiderationem Legis Circumciſionis antiquæ, ut putavit Fidus, a S. Cypriano merito correctus, ſed propter myſterium. Scribens enim ad Horontianum Epiſtolam XLIV. novæ editionis, præſenti de argumento ſic loquitur: *Qui autem octavo die regenerationis ſortitur myſteria, conſecratur per gratiam, & ad hæreditatem Regni Cæleſtis vocatur*. Atque ita S. Gutlacus octavo nativitatis die baptizatus legitur apud Ordericum Vitalem Lib. IV. Hiſtoriæ. Teſte Allatio Lib. III. *De conſenſu Eccleſiæ Occidentalis, & Orientalis*, Cap. VIII. num. II. Græci infantes ſuos octavo ab ortu die baptizant.

VI. Protrahi quoque infantium baptiſmum uſque ad quadrageſimum diem, niſi ſcilicet mors immineat, a Chriſtianis Indiarum populis, ex teſtimonio Joſephi Indi docet Martene, Lib. I. *de antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. I. Articulo VIII. num. X. ubi etiam ex aliorum teſtimonio eum ritum ſervari ait a Moſcovitis, & in tota Chaldæorum Eccleſia, in qua infantium baptiſmus differtur quidem ad quadrageſimum diem, ſi ſint maſculi, ſi vero feminæ, ad octogeſimum. In Eccleſia etiam Latina ſervatam fuiſſe, alicubi ſaltem, hanc diſciplinam baptizandi infantem quadrageſimo die a nativitate, addiſcimus ex Vita S. Amandi Trajectenſis Epiſcopi, qui, ut ſcribit ejus Auctor Baudemundus Elnonenſis Monachus, Sigebertum Dagoberti Regis filium dies a nativitate non plus habentis, quam circiter quadraginta, baptizavit. Sed hæc, aliaque exempla dilati Baptiſmi infantium, niſi mors immineat, improbare non audemus, præſertim vero, ubi ex aliqua rationabili cauſa Eccleſiæ Paſtores eam dilationem permitterent. Porro notatu dignum cenſeo, quod de collato a S. Amando Baptiſmo Dagoberto in citata ejus Vita legitur, ſcilicet quod cum S. Amandus benedicens eum, Catechumenum faceret, & *finita oratione, nemo ex circumſtante multitudine reſpondiſſet*, Amen; *aperuit Dominus os pueri, atque, audientibus cunctis, clara voce reſpondit*, Amen.

VII. Sed hoc obiter dicto, S. Gregorius Nazianzenus auctor eſt quidem, ut citra periculum Baptiſmus infantium ad tertium annum differatur. Sic enim inquit in ſua Oratione in Sanctum Lavacrum: *Quid vero de infantibus, qui neque quid gratia, quidve ſit pœna, cognoverunt, num & eos baptizemus? Maxime quidem, ſi periculum aliquod imminet. De aliis vero conſilium do, ut triennium expectent, aut paulo minus, ſeu plus, ut & quid myſticum audire, & reſpondere poſſint, & ſi non perfecte, attamen figuraliter, intelligant, &c.* Atque ita S. Euthymius, teſte Cyrillo Scythopolitano, triennis ab Ottreo Melitinenſi Epiſcopo baptizatus eſt. Plura alia hujus rei monumenta afferre ſupervacaneum cenſeo, unumque illud hoc loco adnotandum velim, perperam niti hæreticos Anabaptiſtas monumentis ipſis

ſis

ſis, ut Catholicum dogma impugnent de Baptiſmo infantium; neque enim S.Gregorius Nazianzenus, aſſerit irritum eſſe Baptiſma infantibus datum, ex eo quod ſuaſerit, ut ad triennium, niſi tamen urgeret neceſſitas, differretur. Quicquid ſit de privata Nazianzeni opinione, varia argumenta, quibus probatur, recte baptizari infantes, recenſuit inter alios Catechiſmus Tridentini Concilii Parte II. *De Baptiſmi Sacramento*, Parte II. num. xxxi.

VIII. Porro nunc demum propter frequentia, que ex mora oriri ſolent, pericula, ſtatim ut orti ſunt parvuli, eodem, aut altero poſt, die ad Eccleſiam baptizandi deferuntur, extantque plures ea de re Leges Eccleſiaſticæ, quæ vetant, diutius Baptiſmum differri. Omiſſis variis Conciliis allatis a Martene Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap.I. Articulo VIII. num.XI. Concilium Provinciale VI. Beneventanum anni MCCCLXXIV. Tit. IV. Cap. V. ſic inter alia ſtatuit: *Puer igitur, quamcitius poterit, baptizetur, ad quod Sacerdotes populum inducant; & hoc propter tria. Primo propter imbecillitatem naturæ, quia de facili mori poſſet, & damnaretur. Secundo propter infeſtationes dæmonum, qui non habent tantas infeſtationes in pueris baptizatis, neque quantum ad nocumenta ſpiritualia, neque quantum ad nocumenta corporalia. Tertio, quia in pueritia facilius homo inducitur, & aſſueſcit in his, quæ ſunt Chriſtianæ Religionis, & fortius inhæret.* Ex noſtro §. nullus quidem præſcriptus eſt dies, quo infantes recens nati, baptizari debeant, ſed ſolum mandat, *ut, quamprimum fieri poterit*, baptizentur; ſtandumque cenſeo locorum conſuetudini ab Epiſcopis probatæ, vel eorum de ea re Statutis. Certe Concilium Provinciale I. Mediolanenſe, Conſtitutionum Parte II. in eo Capite, *Quæ pertinent ad Baptiſmi adminiſtrationem*, diſerte jubet, ut *natum infantem ii, quorum eſt ea cura, ante nonum diem ad ſuſcipiendum Baptiſmum in Eccleſiam deferendum curent; quod ſi neglexerint, excommunicationis pœnam ſubeant*. Ceterum in Diœceſibus Galliæ communiter prohibetur Baptiſmus ultra tres dies, ut teſtatur Genettus Tomo III. Theologiæ Moralis, Tractatu II. *De Sacramento Baptiſmi*, Cap. IV. Quæſtione IX. Et in Concilio Provinciali Beneventano anni MDCXCIII Tit. XXXVI. Cap. VIII. ac in aliis pluribus noſtræ Italiæ recentioribus ſtatutum eſt, ut Baptiſmus ultra tertium diem non protrahatur. Quod tamen intelligendum eſt, ſi id quidem ſine periculo fieri poterit.

IX. Sapientiſſime autem hic idem noſter §. ſtatuit, ut opportune Parochus hortetur eos, ad quos ea cura pertinet, ut natos infantes baptizandos, *qua decet, Chriſtiana modeſtia, & ſine pompæ vanitate deferant ad Eccleſiam*. Decet enim quammaxime, ut præſertim Baptiſmatis Sacramento, in quo ſæculi pompis ex pervetuſto Eccleſiæ ritu abrenunciari ſolet, debitus cultus Religionis Chriſtianæ a mundanis vanitatibus alienæ tribuatur. Cui diſciplinæ inhærens S.Carolus in ſuis, *De Baptiſmi adminiſtratione*, Inſtructionibus, inter alia Parocho mandat, ut *ſine ullo pompæ ornatu, ſed ſimplici amictu* infantem baptizandum deferri ad Eccleſiam præmoneat. Sed notandum potiſſimum eſt, quod mandat in Provinciali V.Concilio Mediolanenſi, Cap. *Quæ ad Baptiſmum pertinent*, ubi ſic inquit: *Quoniam in Baptiſmo unuſquiſque pie, ac religioſe pollicetur operibus ſatanæ renunciare, ejuſque pompas deſerere, id Parochus, cum uſuvenerit, populum doceat, præſertimque Baptiſmi tempore præmoneat, non ſolum quo modo, & quam ſimplici amictu ad illum infans deferendus ſit, ſed quam religioſa in Deum pietate, quam humili ſpiritu, & quanta etiam veſtitus moderatione compatres, commatreſve adeſſe debent*. Tum etiam mox ſubjicit: *Nec vero ullum, vel ornamentum, vel aliud quidquam, quod mundi hujus pompam præſeferat, adhiberi patiatur*. Cujus rei hanc notabilem rationem docet: *Cum minime conſentaneum ſit, in ipſo vitæ Chriſtianæ ingreſſu, ſtatim iis rebus ſtuderi, quibus potiſſimum ſolemni ſponſione renunciatur*. Teſte Barrufaldo in Commentario ad hunc §. num. 8. *in Civitate Ferrariæ baptizandus infans rheda ad Eccleſiam defertur, obſtetrice, & nonnullis feminis de familia puerperæ concomitantibus, & præcipue virginibus; ſi vero rheda de facili haberi non poſſit, infans inter ulnas puellæ virginis, defertur velo ſerico, vel lineo varicolori coopertus, juxta conſuetudinem, vel facultates parentum infantis; in quo caſu obſtetrices æmulatione pugnant, propria enim, & ditiori, ſeu pretioſiore ſupellectile utuntur in cooperiendis infantibus pauperum, tempore quo ad Eccleſiam deferuntur.*

X. Cautum eſt denique ex noſtro §. ut qui ex neceſſitate privatim baptizati ſunt domi, ad Eccleſiam etiam deferantur, ut iis conſuetæ cæremoniæ, ritusque ſuppleantur, omiſſa forma, & ablutione. Atque hæc eſt etiam pervetuſta Eccleſiæ diſciplina, ob quam Clinici, qui ita dicti ſunt, quod ægroti in lecto decumbentes baptizarentur, cum ex infirmitate convaleſcebant, Epiſcopo ſe ſe exhibere tenebantur, ut ea, quæ, cogente neceſſitate, prætermiſſa fuerant, ſupplerentur. Hinc Cornelius Papa in Epiſtola ad Fabium Antiochenum apud Euſebium Lib. VII. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Cap. XXXV. Novatum redarguit, *quod in lecto, in quo decumbebat aqua circumfuſus Baptiſmum accepit .... verum morbo tandem elapſus, neque cætera, quibus poſt Baptiſmum, ſecundum Eccleſiæ Canonem, imbui oportuerat, nequiſivit, neque Domini ſigillo ab Epiſcopo obſignatus fuit*. Et antiquus Scriptor in Libro de Baptiſmo hæreticorum adverſus S. Cyprianum, eidem antiquæ diſciplinæ adhærens, ſic inquit: *Si a minore Clero per neceſſitatem traditum fuerit*, nempe Baptiſma, *eventum expectemus, ut aut ſuppleatur a nobis, aut a Domino ſupplendum reſervemus*. Concinit autem præſcripto noſtri §. S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolanenſi I. Parte II. Conſtitutionum, Capite, *Quæ pertinent ad Baptiſmi adminiſtrationem*, ſic inter alia inquiens: *Quod ſi domi baptizatus poſtea vixerit, omnino intra nonum ab ortu diem, vel cum primum per valetudinem licuerit, eum in Eccleſia ſiſtant, ubi, ſi rectam Baptiſmi formam ſervatam eſſe conſtiterit, ei tantum ritus, ac cæremoniæ Baptiſmi adhibeantur*. Idem habet Parte IV. Actorum in Inſtructionibus, *De Baptiſmi adminiſtratione*. Quod vero cæremoniæ ipſæ a ſolo Parocho, aut de ejus, Epiſcopive licentia, ab alio Sacerdote, ſint adhibendæ, ſtatuit in Concilio Provinciali V. Capite, *Quæ ad Baptiſmum pertinent*, his plane verbis: *Nemo, niſi Parochus, aut is, cui ille, Epiſcopuſve, nominatim conceſſerit, in Baptiſmo miniſtrando ſtatas ſolemnes*

nes cæremonias adhibeat, etiamſi ob neceſſitatem miniſtret. Similia his plane ſtatuerunt & aliæ Synodi permultæ, tum Provinciales, tum particulares poſt S. Carolum celebratæ.

§. XVII.

Nemo in utero matris clauſus baptizari debet. Sed ſi infans caput emiſerit, & periculum mortis immineat, baptizetur in capite, nec poſtea, ſi vivus evaſerit, erit iterum baptizandus. At ſi aliud membrum emiſerit, quod vitalem indicet motum, in illo, ſi periculum impendeat, baptizetur; & tunc ſi natus vixerit, erit ſub conditione baptizandus eo modo, quo ſupra dictum eſt: *Si non es baptizatus, ego te baptizo in Nomine Patris &c.* Si vero ita baptizatus deinde mortuus prodierit ex utero, debet in loco ſacro ſepeliri.

COMMENTARIUS.

I. NOn poſſe infantem in utero matris baptizari, certa ſententia eſt, nec ei quidquam prodeſſe, quod nonnulli hæretici olim ſunt arbitrati, ſi ejus loco, matris corpus abluatur, quemadmodum Libro VI. contra Julianum diſerte tradit S. Auguſtinus relatus in Canone CXIV. de Conſecratione, Diſtinctione IV. & proſequitur S. Thomas, Parte III. Quæſtione LXVIII. Articulo XI. & noviſſime vero, ut alios Scriptores omittam, Sanctiſſimus Dominus noſter BENEDICTUS XIV. *De Synodo Diœceſana*, Lib. VII. Cap. V. ubi late, docteque diſputat de Baptiſmo collato infanti in matris utero latitanti, necnon infanti, qui aliquam ſui partem ex utero matris emiſit.

II. Mirum vero & illud eſt, quantum ſcilicet in ea Quæſtione varient Doctores, an reſerato materni uteri oſtio, quod puerperii initio contingit, valide baptizetur infans, cujus corpuſculum, etſi nulla ſui parte in lucem prodierit, aqua nihilominus per ſiphunculum tingi poteſt. Valide enim baptizari, jam multi Theologi affirmant, negantibus ex adverſo aliis, quorum longum profecto agmen, tam pro affirmativa, quam pro negativa opinione, adducit laudatus Pontifex BENEDICTUS XIV. citato loco, num. II. Opinioni affirmativæ, ejuſque argumentis, nimium confiſus Gabriel Gualdus in peculiari Opuſculo de hac re conſcripto, ac Patavii impreſſo anno MDCCX. & denuo anno MDCCXII. Cap. XII. num. 216. Epiſcopos hortatur, ut parvulos intra matris uterum adhuc occluſos, cum in vitæ diſcrimine verſantur, & obſtetricis manibus tractari queunt, omnino baptizari præcipiant. Verum quoniam ipſemet fatetur, ultimum hujus controverſiæ judicium a Sede Apoſtolica eſſe proferendum, recte ait idem BENEDICTUS Pontifex citato loco, num VI. tutius eſſe, ut Epiſcopus iſtud Apoſtolicæ Sedis judicium expectet, nec interim quidquam ſuis Conſtitutionibus inferat, quo implexæ iſtius Quæſtionis deciſionem ſibi arrogaſſe videatur. Ad Parochos vero pertinere inquit, obſtetrices inſtruere, *ut, cum caſu evenerit, in quo infantem, nulla adhuc ſui parte editum, mox deceſſurum prudenter timeant, illum baptizent ſub conditione, ſub qua pariter erit iterum baptizandus, ſi periculum evadat, & foras prodeat, quemadmodum poſt alios faciendum monet Turnely in ſuis Prælectionibus*, De Sacramento Baptiſmi, *Quæſtione* III. *Articulo* III.

III. Hæc de infante intra matris uterum totaliter abdito. Quid autem de illo dicendum, qui aliquam ſui partem ex utero emiſit, diſerte explicat hic noſter §. ſtatuitque primum, ut huic infanti, inſtante mortis periculo, ſi caput emerſerit, Baptiſmum conferendum in capite, nec illum iterum repetendum ſub conditione, ſi poſtea vivus prodierit: *Sed ſi infans caput emiſerit*, inquit, *baptizetur in capite, nec poſtea, ſi vivus evaſerit, erit iterum baptizandus*. Conſentiunt his plane tum Synodi, tum Rituales Codices, ac omnes Theologi. Certe Concilium Trevirenſe anni MCCCX. Cap. CXIV. apud Martene in Theſauro Anecditorum Tomo IV. col. 268. ſic habet: *Si, muliere in partu laborante, infans in ventre matris tantum caput emiſerit, & naſci queat, mox aliqua de obſtetricibus aquam ſuper caput infantis infundat, dicens*: Ego baptizo te &c. *& erit baptizatus*, Concilium Beneventanum Provinciale VI. anni MCCCLXXIV. Tit. IV. Cap. V. Idem iiſdem fere verbis decernit: *Muliere in partu laborante, ſi infans extra ventrem matris caput emiſerit tantum, & in tanta periculo infans poſitus commode haberi nequiverit, tunc infundat aliquis, vel aliqua, de circumſtantibus aquam ſuper caput infantis, dicens*: Creatura Dei, ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen; *& erit baptizatus*. Idipſum totidem verbis docent antiqua Statuta Eccleſiæ Rutinenſis Cap. VI. apud laudatum Martene Tomo IV. Anecditorum, col. 686.

IV. Addi & his poſſunt Rituale Sacramentorum a Cardinale Julio Sanctorio juſſu Gregorii XIII. Romæ evulgatum anno MDLXXXIV. & quod monuit S. Carolus in ſuis, *De baptiſmi adminiſtratione*, Inſtructionibus, ſic ad rem dicens: *Si in capite, quod primum ex utero prodiit, baptizatus eſt, forma recte ſervata, quando ſupervixerit, ad Eccleſiam deferatur, cui tantum reliquæ cæremoniæ adhibeantur, quæ ad ſolemnitatem Baptiſmi attinent*. Eandem doctrinam, ut alios omittam, diſerte tradit Theologorum Princeps S. Thomas Parte III. Articulo LXVII. Articulo XI. ubi hæc habet: *Ad quartum dicendum, quod expectanda eſt totalis egreſſio pueri ex utero ad Baptiſmum, niſi mors immineat; ſi tamen primo caput egrediatur, in quo fundantur omnes ſenſus, debet baptizari, periculo imminente, & non eſt poſtea rebaptizandus, ſi eum perfecte naſci contigerit*. Tum vero mox ſubjicit: *Et videtur idem faciendum, quæcumque alia pars egrediatur. Quia tamen in nulla exteriorum partium integritas vitæ ita conſiſtit, ſicut in capite, videtur quibuſdam, quod propter dubium, quacumque alia parte corporis abluta, puer poſt perfectam nativitatem ſit baptizan-*

zandus ſub hac forma : Si non es baptizatus, ego te baptizo &c.

V. Ex recitata S. Thomæ doctrina jam & illud habemus, quod ſecundo loco ſtatuit noſter §. *At ſi aliud membrum emiſerit, quod vitalem indicet motum, in illo, ſi periculum impendeat, baptizetur, & tunc ſi natus vixerit, erit ſub conditione baptizandus &c.* Huic Statuto inhæſit etiam S. Carolus loco citato, ſic inquiens: *Si fœtus ex utero matris, quæ in partu periculoſe laborat, vel manu, vel pede, vel aliqua parte extans, ob neceſſitatem in ea ipſa parte ab obſtetrice baptizatus eſt, cum ſuperſtes erit, ſub eadem conditione baptizetur, adhibitis cæteris Baptiſmi cæremoniis*. Jam longe ante S. Carolum Guillelmus Epiſcopus Biterrenſis in ſuis Statutis Synodalibus, num. x. apud Martene Tomo v. Anecdotorum col. 644. validum dixit Baptiſmum, non modo, cum caput, verum cum quæcumque alia corporis pars ex utero emerſit, aqua luſtratur: *Præcipimus*, inquit, *moneri populum, quod ſi in ipſo partu mulieris immineat grande periculum, ipſa muliere laborante in editione partus, & caput, manus, vel alia pars infantis appareat, quod in illa baptizetur, & cenſeatur baptizatus*. At vero citata antiqua Statuta Eccleſiæ Rutinenſis in Aquitania, ratum dumtaxat habent Baptiſmum in capite, non vero in alio quovis membro collatum: *Si vero non caput, ſed aliud membrum, & ſuper illud membrum aquam effundendo, prædicto modo fuerit baptizatus, & poſtea vivus natus fuerit, non judicamus, talem eſſe baptizatum.* Concilium Trevirenſe ſuperius laudatum afferi a quibuſdam ait, baptizari quidem valide infantem, *ſi major corporis pars, præter caput, appareat*; *ſecus, ſi minor, ſolus pes, vel ſola manus appareat*; *quod ſi fiat, nihil agitur*; aſſignatque hanc rationem: *Cum enim partus tunc non naſcatur, nec tunc etiam renaſci poteſt*. Concilium Beneventanum etiam ſuperius allegatum, fatetur quidem, a quibuſdam teneri, hujuſmodi infantem eſſe baptizatum, ſed diſerte ait, ſe talem minime eſſe baptizatum judicare; præcipit tamen, *ad cautelam, ut baptizetur eo modo, quo dictum eſt de illis, de quibus eſt dubium, an fuerint baptizati*.

VI. Quicquid ſit de varietate in hanc rem opinionum, Epiſcoporum, Theologorumque, curare id ſolum Epiſcopi debent, quod ſapientiſſime citato ſuperius loco admonet BENEDICTUS XIV. nempe, *ut Parochi, cæterique, quorum intereſt, illud exacte exequantur, quod in Romano Rituali præſcribitur*. Id quod optime animadvertit Girbertus Conſultationum Canonicarum Tomo II. Conſultatione XXII. *De Baptiſmo*, ubi Synodos affert Rituali Romano conformes, ejuſque veſtigiis inhærentes. Cæterum recte & illud decrevit noſter §. ut ſi infans non in capite, ſed in alio membro, quod emerſerit, baptizatus ſub conditione, ut dictum eſt, *deinde mortuus prodierit ex utero, debeat in loco ſacro ſepeliri*; quia ſcilicet, ut ad hunc noſtrum §. notavit Barruſaldus num. 21. *in dubio favorabilior pars eſt amplectenda, ſeu dubia in beniginiorem partem reſolvenda, ut docent communiter Doctores*. Opportune autem mox etiam ſubdit, quod in noſtro caſu licet Baptiſmus fuerit dubius, tanquam collatus in membro, quod non ſit caput, attamen ratio ſtat pro baptizato, qui non debet defraudari bono ſpirituali a ſepultura ſibi proveniente; ad quam ſacram ſepulturam jus cœpit habere tunc quando dignus factus fuit, ut ablueretur aqua Baptiſmali; aliter ad nihilum valeret illa ablutio, & fuiſſet fruſtranea, imo clare declararetur, hominem nullo modo baptizatum fuiſſe, ſi poſt talem Baptiſmum moriens, non fieret dignus Eccleſiaſtica ſepultura.

VII. Porro illud ſummopere attendendum, quod docet hic idem noſter §. neminem ſcilicet baptizari debere, niſi vitalem indicet motum, non enim mortui baptizari poſſunt, licet olim eo Presbyteros quoſdam Africæ pepulerit ignorantia, ut mortuos ipſos ſalutaribus aquis abluerent. Quod tamen merito damnarunt Patres Concilii Carthaginenſis III. anno CCCXCVII. Can. VI. *Cavendum eſt*, inquiunt, *ne mortuos baptizari poſſe Fratrum infirmitas credat*. Sive, ut habet Codex Canonum Eccleſiæ Africanæ, Cap. XVIII. *Ne jam mortuos homines baptizari faciat Presbyterorum ignavia*. Huic errori affinis fuit & ille, qui vel primis Chriſti Sæculis in Eccleſia invaluit, cum quidam, male intellecto illo Apoſtoli loco in Epiſtola 1. ad Corinthios, Cap. v. *Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgunt*, pro amicis ſuis ſine Baptiſmo defunctis denuo tingebantur, id in primis Tertulliano teſtante in Libro, *De reſurrectione carnis*, Cap. XLVIII. ſignantius vero Libro v. contra Marcionem, Cap. X. Quem errorem Cerinthianis tribuit S. Epiphanius Hæreſi XXVIII. Marcionitis Chryſoſtomus in Homilia XL. in 1. ad Corinthios, ubi quo ritu hunc Baptiſmum peragerent, his verbis deſcribit: *Cum quis apud ipſos non initiatus obit, unum aliquem ſub mortui lectum recondunt; mortuum circumſtant, alloquuntur, rogant, velitne baptizari. Deinde cum nihil reſpondeat, is qui ſubtus latet, pro illo reſpondet, baptizari velle. Eum deinceps pro mortuo baptizant, ſic, quemadmodum in ſcena fieri ſolet, ludentes*. Ceterum recitatum Apoſtoli locum de iis intelligit Eſtius, qui in ægritudine conſtituti baptizabantur, quibus ſcilicet cum breviſſima vita ſupereſſe videretur, baptizari petebant, ut ſibi poſt mortem prodeſſet Baptiſmus, quem pro ſeipſis mortuis potius, quam vivis, accipiebant. Atque hos in antiquis Pontificalibus Libris baptizari ad ſuccurrendum dictos fuiſſe, notavit Martene Lib. 1. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. 1. Articulo XIV. num. IV.

VIII. Obſoletis vero antiquis erroribus baptizandi vivos pro mortuis, vel mortuos ipſos, poſtremis hiſce temporibus jam alius abuſus invaluit, baptizandi infantes mortuos ſub quibuſdam falſis, ac procuratis reviviſcentiæ ſignis, de quibus loquitur Philippus Lingonenſis Epiſcopus in ſua Synodo, quam celebravit anno MCDLII. *Multoties*, inquit, *infantes, qui naſcuntur, & quibus non eſt vita, aut anima, per aliquot ignaros baptizantur, qui credunt, vitam, & animam habere, quia videntur moveri ad motum ignis, & propter calorem, qui ſolet fieri circa tales pueros in certis Eccleſiis, ſeu locis piis noſtrarum Civitatis, & Diœceſis, in quibus conſueverunt tales deferri, ſub ſpe, quod per interceſſionem, & merita Sanctorum, vitam, & animam recuperent. Statuimus, & ordinamus, quod de cætero nullus tales infantes præſumat baptizare, niſi conſtet per evidentia ſigna, quod infans de ſe ipſo moveatur, non autem propter calorem ignis, aut alterius accidentis*. Sane fuſius eandem

dem rem narrat Guido itidem Lingonenſis Epiſcopus, ubi in Synodo, quam habuit anno Chriſti MCDLV. prædeceſſoris Conſtitutionem renovans, abuſum iterum damnavit, ſic inquiens: *Conſtitutione noſtri prædeceſſoris renovantes damnamus, & penitus reprobamus abuſum illum, quo paſſim, & indifferenter temporibus retroactis fuerant infantuli ex utero matrum ſuarum ſuffocati, qui vulgariter dicuntur mortui nati, quorum etiam aliqui fuerunt ad Eccleſiam delati certis diebus, ac noctibus, coram Imaginibus Sanctorum appoſiti a principio frigidi, & tamquam baculus rigidi. Sed per ignem carbonum, & quandoque cereorum, ac lampadum accenſarum, molles effecti, in quibus color rubens ad tempus, & ſanguis fluens a naribus apparuit. Quorum etiam aliqui ſudare ſuper orificio ſtomachi viſi ſunt, & venas temporales, & frontis, ac circa collum aliquantiſper movere, alterum oculorum aperire, & claudere, flatum a naribus calidum emittere, a quo plumæ naſo impoſitæ aſſuffiantur. Perfuſi ſacri Baptiſmatis unda, deinde in Cœmeteriis Eccleſiaſticis fuerunt tumulati. Hos igitur, & ſimiles abuſus de cætero ſub excommunicationis pœna, & emendæ arbitrariæ per noſtram Civitatem, & Diœceſim diſtrictius fieri prohibentes. Inhibentes, ne Sacramentum aliquibus conferatur, nec etiam in Eccleſiaſtico Cœmeterio tumulentur aliqui, quos veriſimiliter conſtiterit vita naturali, aut miraculoſa caruiſſe.* Plura ſcitu digna adverſus hunc abuſum videri poſſunt apud BENEDICTUM Papam XIV. Lib. VII. *De Synodo Diœceſana*, Cap. VI. num. XI. & ſeqq. Ex quibus omnibus conſtat, quod & ex noſtro §. addiſcimus, illum dumtaxat valide, liciteque in caſu neceſſitatis abſque præſcriptis cæremoniis baptizari, qui vitalem indicet motum, ac naturalem.

§. XVIII.

Si mater prægnans mortua fuerit, fœtus quamprimum caute extrahatur, ac ſi vivus fuerit, baptizetur; ſi fuerit mortuus, & baptizari non potuerit, in loco ſacro ſepeliri non debet.

COMMENTARIUS.

I. Quod in hoc §. ſtatuitur de matre prægnante mortua, ut fœtus quamprimum caute extrahatur, ac ſi vivus fuerit, baptizetur, jam clarius, fuſiuſque explicatum habemus in variis Synodis, ac Ritualibus. Cum enim ſummum diſcrimen immineat proli ſine Baptiſmo obeundi, ſi mulier gravida, priuſquam pariat, moriatur, monuit jampridem Synodus Colonienſis anni MCCLXXX. Can. IV. *at ſi certum ſit, quod mulier prægnans moriatur, teneatur os ejus apertum, & cum magna cautela uterus ejus aperiatur, & ſi infans vivus fuerit, educatur, & baptizetur.* Hoc ipſum longe clarius præſcriptum legimus in Concilio Provinciali VI. Beneventano anni MCCCLXXIV. Tit. IV. Capite V. his verbis: *Quia frequenter contigit, mulierem in puerperio decedere, & partus in maternis viſceribus adhuc creditur eſſe vivus, tunc ex quo pro certo mulierem in puerperio decedere conſtiterit, ſi partum credant vivere obſtetrices, appoſito ſtatim & ſubito poſt mortem baculo in ore mulieris, ut ſic infans cito ſpiramen recipiat, aperiatur mulier mortua per aliquam partem ſine mora, ut partus, ſi vivus fuerit, baptizetur.* Ut vero quilibet ſe ſe ad hanc inciſionem peragendam promptiorem exhibeat, edicit mox, *ut quicumque aperiendo mulierem, partum procurabit baptizari, in remiſſionem ſibi proficiat peccatorum; & hoc per Eccleſias annis ſingulis publicetur.* Tum vero paulo poſt opportune, recteque admonet, ut *caveant quicumque, quod aliter, niſi mortua muliere, non fiat inciſio, ſeu aperitio, quantumcumque ſit periculum perdendi infantem, quia potius eſt infantem perire, quam homicidium in matre committere; non enim ſunt facienda mala, ut eveniant bona.* His plane concinit Synodus Lingonenſis anni MCDIV. quæ non modo eam inciſionem probat, verum etiam iis, qui ad tam pium opus incidendi mox mortuæ matris uterum, in quo infans moveri ſentitur, & ipſum extrahendi, & baptizandi conſilium, & juvamen præſtiterint, XL. dies de injunctis pœnitentiis relaxat.

II. Conſentit plane & noſtro §. S. Carolus Parte IV. Actorum, in Inſtructionibus, *De Baptiſmi adminiſtratione*, ubi agit de iis, quæ Parochus curet, cum timetur de partu, ſic inter alia ſtatuens: *Si quando autem mulier in partu obierit, hoc fieri admonebit, ut uterus aperiatur, indeque fœtus eductus, ſi vivit, quamprimum baptizetur; id vero magna cautione fiat, ut & is vivus ex utero extrahatur, & tunc imprimis, cum mater vere mortua eſt, ne pro ſalute filii mater occidatur.* Hoc idem præſcribunt, ut alia omittam, Rituale Cardinalis Sanctorii Lib. I. pag. 18. & Rituale a Cardinale de Rohan promulgatum, ubi agit de Baptiſmo, num. 5. docuitque jam pridem S. Thomas Parte III. Quæſtione LXVIII. Articulo XI. ad III. ubi ita ſcribit: *Si tamen mater mortua fuerit, vivente prole in utero, debet aperiri, ut puer baptizetur.* Porro qua cautione extrahendus ſit fœtus a matre prægnante mortua, ex ſuperius dictis addiſcere licet. Facienda eſt profecto inciſio, ſeu aperitio cum conſilio Phyſici peritiſſimi, qui, ut recte notat in Commentario ad hunc §. Barrufaldus, num. 22. aliquod temporis ſpatium præſtolabitur, aliaque experimenta tentabit, quibus certior fiat de morte prægnantis; facile enim contingere poteſt, ut illa adhuc vivens interficiatur, ſicut olim contigiſſe Andreæ Veſſalio Anatomico peritiſſimo, narrant M. de Thoo, & Antonius Theiſſier apud eundem laudatum Barrufaldum num. 23.

III. Jam non defuere, qui hujuſmodi inciſionem, ſectionemve, quam cæſaream appellant, reſpuerent, eamque veluti ſævam, & inutilem condemnarent, quia ſcilicet non pauci Auctores, Gaſpar Bahuinus, Rodericus de Caſtro, Merius, aliique de rebus anatomicis ſcribentes, fieri non poſſe aſſerant, ut fœtus poſt matris mortem, vel uno temporis momento vitam producat,

cat, cum is uua cum matre interire neceſſario debeat. At vero quicquid iſti ſenſerint, ſcripſerintque, ſolide, egregieque conſutati ſunt a Sanctiſſimo Domino noſtro BENEDICTO XIV. *De Synodo Diœceſana*, Lib. xi. Cap. vii. num. xii. & xiii. nbi non modo probat hujuſmodi inciſionem, verum etiam injungit, inculcatque, ut quoties mulier gravida decederet, quæ fœtum in utero vivum habere crederetur, is cum primum poſſet, per ſectionem cæſaream ab illius corpore extraheretur. Porro probat hanc ſententiam laudatus Pontiſex nou modo auctoritate S. Thomæ, ac Ritualium, quæ ſupra recenſuimus, verum etiam Juris Civilis, quum in Lege, *Vetat*, ff. *De mortuo inferendo*, ita ſcriptum ſit: *Vetat*, ſeu juxta aliam lectionem, *negat Lex Regia*, *mulierem*, *quæ prægnans mortua ſit*, *humari*, *antequam partus ei excidatur*. *Is qui contrafecerit*, *ſpem animantis cum gravida peremiſſe videtur*.

IV. Et ſane, uti etiam doctiſſimus Pontiſex notat, ubi, re vera mortua ſit mater, & vivus putetur ſœtus in illius utero incluſus, uullus gravis Auctor inveniri poterit, qui ſectionem cæſaream utpote crudelem, aut iuutilem damnet; præſertim quum plura exempla ſuppetant vivorum fœtuum e matrum defunctarum corporibus ea ratione extractorum, quorum aliqui tandiu vitalem ſpiritum duxerunt, donec Baptiſmi lavacro ad meliorem vitam regenerari potuerint, alii vero longius vixiſſe, & ad virilem ætatem, ac etiam ad ſenectutem perveniſſe dignoſcuntur. Notum, ac celebre quidem eſt hanc iu rem exemplum S. Raymundi, cognomento Nonnati, ita dicti, *quia præter communem naturæ legem*, *e mortuæ matris diſſecto latere in lucem eductus ſuit*; uti legitur in Breviario Romano ad diem xxxi. Auguſti. Plura autem videri poſſunt apud Theophilum Raynaudum, Tomo xiv. Operum, in Tractatu, cui Titulus, *De ortu infantium per ſectionem cæſaream*, Cap. II. Heiſterum Tomn iii. *Inſtitutionum Chirurgicarum*, Parte II. Sectione v. Cap. iii. editionis Neapolitanæ anuo MDCCXLIX. & apud Auctorem Lexici univerſalis rei medicæ, quod Anglica primum lingua conſcriptum in Gallicam translatum habetur, Tomo II. verbo, *Cæſaria ſectio*. Ad comprobandam vero magis, magiſque, utilitatem, & neceſſitatem ſectionis cæſareæ, quum præſertim defuncta matre, conjicere licet, illius prolem in utero extinctam non eſſe, peculiarem Librum edidit Franciſcus Emmanuel Cangiamila impreſſum Panormi anno MDCCXLV. in quo ſolidis argumentis, & multa eruditione ſuſceptam cauſam agere non prætermiſit. Ceterum opportune memoratus Pontiſex BENEDICTUS Epiſtolam citat Gregorii Papæ IX. quæ impreſſa legitur apud Raynaldum ad annum MCCXXVIII. num. 29. & ſeq. & apud Bulæum Tomo iii. Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis ad dictum annum, in quo magno zelo, & doctrina invehitur in eos, qui Philoſophicis ſubtilitatibus, & incertæ ſemper naturalium rerum ſcientiæ iunixi, poſitos a Patribus terminos transſerre, probataſque ſacris Paſtoribus, atque Theologis agendi regulas immutare præſumunt.

V. Reſtat nunc, ut de alia noſtri §. parte dicamus, qua edicitur, ut ſi fœtus e corpore matris extractus, *fuerit mortuus*, *& baptizari non potuerit*, *in loco ſacro ſepeliri non debeat*. Idem plane ſtatuit S. Carolus, Parte iv. Actorum in Inſtructionibus, *Ad funera ducenda*, Capite, *Quibus non liceat concedere Eccleſiaſticam ſepulturam*, ubi expreſſe ait, negandam etiam ſepulturam Eccleſiaſticam *infantibus mortuis abſque Baptiſmo*, *ſi de ventre matris mortuæ ſunt extracti*, *ſecus ſi non ſunt extracti*. Quod quidem alterum ſtatutum jampridem ſuit in variis Conciliis, ac præſertim in Provinciali Beneventano v. anni MCCCLXXIV. Tit. iv. Cap. v. §. *Et ut quilibet*, his verbis: *Sin autem partum cum matre ſimul mori contigerit ſine aperitione*, corporis ſcilicet defunctæ matris, *mulier in Cœmeterio Eccleſiæ tumuletur*. Atque id eſt, quod etiam in variis Ritualibus receutioribus præſcriptum legitur.

§. XIX.

Infantes expoſiti, & inventi, ſi, re diligenter inveſtigata, de eorum Baptiſmo non conſtat, ſub conditione baptizentur.

COMMENTARIUS.

I. EXtat in Codicis Theodoſiani Libro v. Titulus vii. qui inſcriptus eſt, *De expoſitis*. Expoſiti autem, ut ex ejuſdem Tituli Legibus diſcimus, ſunt pueri, puellæve, ſive ſervi, ſive liberi, projecti de domo, quos pater, vel dominus, recens natos domo abjecit, quique adeo quodammodo ad mortem expoſiti dicuntur. Legi in eas Leges poſſunt eruditiſſimi Jacobi Gothofredi Notæ, ac Commentarii, iu quibus etiam eam in rem varia Patrum, & Conciliorum loca citantur, atque explicantur. Quod autem noſtrum hunc §. ſpectat, in quo edicitur, ut *infantes expoſiti*, *& inventi*, *ſi*, *re diligenter inveſtigata*, *de eorum Baptiſmo non conſtat*, *ſub conditione baptizentur*, concinit quidem variorum Conciliorum, atque Epiſcoporum Statutis, ac Ritualibus. Concilium Beneventanum Provinciale vi. anni MCCCLXXIV. Tit. iv. Cap. v. §. *Cum vero*, ſic habet: *Si dubitetur*, *an puer ſit baptizatus*, *quia forte baptizans non recordatur ad plenum de verbis in Baptiſmo prolatis*, *vel circumſtantes diſcordant*, *vel forte infans expoſitus inventus juxta Eccleſiam*, *vel alibi*, *vel ad Hoſpitale*, *nec habetur certitudo*, *vel aliquod ſignum*, *utrum ſit baptizatus*, *vel non*, *in his caſibus faciat Sacerdos Catechiſmum*, *& baptizet ipſum ſub his verbis*: Si baptizatus es, uon te baptizo; ſed ſi baptizatus nnn es, ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. *Et in tali dubio ſtatur teſtimonio unius*.

II. Eadem plane eſt ſententia S. Caroli in Concilio Mediolanenſi Provinciali iii. expreſſa, Capite inſcripto, *De Baptiſmo infantum expoſitorum*, ubi ſic inquit: *Infans expoſitus*, *licet appenſam collo ſcriptum habeat*, *quo ille baptizatus ſignificetur*, *ſi tamen*, *re diligenter perqui-*

ſita, quemadmodum Catechiſmo Romano expreſſum eſt, adhuc dubium ſit, eum baptizatum eſſe, ea conditionis formula baptizetur &c. Idipſum confirmat in Diœceſana ſua Mediolanenſi III. Decreto XI. Atque his conſentiunt aliæ multæ poſteriores Synodi, inter quas Provincialis Toloſana anni MDXC. Parte II. Cap.II. ita decernit: *Cum projectis, expoſitiſque puerulis, licet affixa reperiatur ſchedula, quæ eos baptizatos eſſe teſtetur, in id tamen, an verum, fictumque ſit, Parochi diligenter inquirent; ſi certi nihil compererint in ſcriptæ chartulæ nomine, eos ſub conditione baptizabunt.* Quæ quidem omnia magis magiſque roborantur auctoritate BENEDICTI Papæ XIV. *De Synodo Diœceſana*, Lib. VII. Capite VI. num. V. ubi etiam recenſet deciſionem Sacræ Congregationis Concilii, quæ interrogata, an iterum baptizandi eſſent infantes, vulgo *expoſiti*, ad Hoſpitale Sancti Spiritus in Saxia de Urbe delati, etiamſi habeant collo appenſam ſchedulam atteſtantem, eos fuiſſe Baptiſmate ablutos, die XV. Januarii MDCCXXIV. reſpondit, eſſe denuo baptizandos ſub conditione, niſi certa habeatur notitia perſonæ, a qua ſchedula ſit exarata, aut aliunde indubitatum deſumatur indicium Baptiſmatis rite eiſdem collati. Quod idem Pontifex BENEDICTUS animadvertit in ſua Inſtitutione VIII. & videre eſt in Theſauro Reſolutionum Sacræ Congregationis Concilii, Tomo II, pag. 412. & Tomo III. pag. 2.

III. Quamquam vero ritus in noſtro §. expreſſus, ut ſcilicet infantes expoſiti, & inventi, ſi, re diligenter inveſtigata, de eorum Baptiſmo non conſtet, ſub conditione baptizentur, antiquus ſit, eique omnino hodie ſtandum, fateri tamen cogimur, eoſdem infantes antiquioribus Sæculis, ubi de eorum baptiſmate non conſtitiſſet, abſolute quidem, & abſque conditione baptizatos fuiſſe. Probari id poſſet multis teſtimoniis Patrum, ſed ſatis eſt duo proferre, unum ex Gregorio Papa II. alterum ex Concilio Carthaginenſi: *Parvulos, qui a parentibus ſubtracti ſunt, & an baptizati ſint, ignoratur, hos, ut baptizare debeas ſecundum Patrum traditionem, ſi non fuerit, qui teſtificetur, ratio poſcit.* Ita Gregorius II. in Epiſtola XIII. ad interrogata Bonifacii reſpondens, relatus in Canone, *Parvulos*, CIX. De conſecratione, Diſtinctione IV. Concilium autem Carthaginenſe V. anni CCCXCVIII. Can. VI. qui etiam citato loco legitur, Can. CX. ſic inquit: *Placuit de infantibus, quoties non inveniuntur certiſſimi teſtes, qui eos baptizatos eſſe, ſine dubitatione teſtentur, neque ipſi ſunt per ætatem idonei de traditis ſibi Sacramentis reſpondere, abſque ullo ſcrupolo eos eſſe baptizandos.* Sed invaluit ritus, cui ſtandum eſt, ut cum, re diligenter inveſtigata, de alicujus Baptiſmo non conſtet, is ſub conditione baptizetur. De qua re vide quæ diximus ſupra in noſtro ad §. X. Commentario.

§. XX.

In monſtris vero baptizandis, ſi caſus eveniat, magna cautio adhibenda eſt, de quo ſi opus fuerit, Ordinarius loci, vel alii periti conſulantur, niſi mortis periculum immineat.

§. XXI.

Monſtrum, quod humanam ſpeciem non præſeferat, baptizari non debet, de quo ſi dubium fuerit, baptizetur ſub hac conditione: *Si tu es homo, ego te baptizo &c.*

COMMENTARIUS.

I. DUos Paragraphos ad Baptiſma monſtrorum ſpectantes unico hoc Commentario explicare aggredimur, in quo concinnando ea potiſſimum pro more exponemus, quæ Concilia, ac Epiſcopi in peculiaribus Conſtitutionibus præſcripſere, & quæ Theologi inſignes docuere. Ergo ex præſcripto §. XX. in monſtris baptizandis, a mulieribus ſcilicet puerperis editis, non a beſtiis, licet aliquid habeant humani, ut notat Barrufaldus ad hunc §. ſi caſus eveniat, magna cautio adhibenda eſt, de quo ſi opus fuerit, Ordinarius loci, ſi adſit, vel alii periti conſulendi ſunt. Horum enim cura erit, cujuſnam naturæ monſtrum ſit, dignoſcere, & ſuper hoc pronunciare, an illi Baptiſmus conferri poſſit, cum nimirum id tempus ferat, & niſi mortis periculum immineat; tunc enim Baptiſmus ſub conditione, *ſi homo es*, laudabiliter illi adminiſtrari poteſt, ut idem Barrufaldus docet, num. 31. Atque hoc locum habet in monſtro, quod ſpeciem humanam præſefert; nam alias, ut habet noſter §. XXI. monſtrum, quod humanam ſpeciem non præſeferat, baptizari non debet, de quo tamen ſi dubium fuerit, baptizandum ait ſub hac conditione: *Si tu es homo, ego te baptizo &c.* Sed & de hujuſmodi monſtro expreſſe ſtatuit S. Carolus in Inſtructionibus, *De Baptiſmi adminiſtratione*, ut non baptizetur, niſi prius conſulto Antiſtite: *Monſtrum*, inquit, *quod hominis ſpeciem, non præſefert, non baptizetur, niſi primum Archiepiſcopus conſulatur.*

II. Porro humana ſpecies præcipue apparere debet in capite, in aliqua ſaltem parte, ut baptizari monſtrum poſſit. Atque hinc profecto, quod partem humani capitis præſeferret, baptizatam ait laudatus Barrufaldus, num. 33. fuiſſe ſuo ævo puellam nobili matrona Ferrarienſi ortam, *quæ medium os habebat vitulinum, bovinam ſpeciem in oculo, in nare, in pilis, in cornu, in lingua, & voce boatui ſimili.* Puellam ſubdit in Monaſterio fuiſſe incluſam, ibique tandem diem obiiſſe extremum. Ceterum non deſunt, qui aſſerant, monſtrum quantumvis deforme, etiamſi ex capite, & reliqua corporis parte appareat brutum, baptizare poſſe ſaltem ſub forma conditionali, *Si tu es homo, ego te baptizo &c.* quia ſcilicet monſtrum ex ſemine humano generatur, & originale peccatum, quod Baptiſ-

ptiſmo delendum eſt, ex ſemine humano traducitur. Ita plane inter alios ratiocinatur Poſſevinus, in Tractatu, *De officio Curati*, Cap. VI. ubi varias de Baptiſmo Quæſtiones reſolvit. Sed puto equidem, in hoc caſu, aliiſque id genus conſulendum omnino eſſe Epiſcopum, ſive potius Apoſtolicam Sedem, ad quam ſpectat de hujuſmodi graviſſimis caſibus validitatem potiſſimum Sacramentorum ſpectantibus judicare, atque definire.

§. XXII.

Illud vero, de quo dubium eſt, una ne, an plures ſint perſonæ, non baptizetur, donec id diſcernatur; diſcerni autem poteſt, ſi habeat unum, vel plura capita, unum, vel plura pectora; tunc enim totidem erunt corda, & animæ, hominesque diſtincti, & eo caſu ſinguli ſeorſum ſunt baptizandi, unicuique dicendo, *Ego te baptizo &c.* Si vero periculum mortis immineat, tempuſque non ſuppetat, ut ſinguli ſeparatim baptizentur, poterit Miniſter, ſingulorum capitibus aquam infundens, omnes ſimul baptizare, dicendo: *Ego vos baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Quam tamen formam in iis ſolum, & in aliis ſimilibus mortis periculis, ad plures ſimul baptizandos, & ubi tempus non patitur, ut ſinguli ſeparatim baptizentur, alias nunquam, licet adhibere.

§. XXIII.

Quando vero non eſt certum, in monſtro eſſe duas perſonas, ut quia duo capita, & duo pectora non habet diſtincta, tunc debet primum unus abſolute baptizari, & poſtea alter ſub conditione, hoc modo: *Si non es baptizatus, ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

COMMENTARIUS.

I. Quod ſpectat §. noſtrum XXII. & XXIII. explicatum utrumque habemus in Concilio Beneventano Provinciali VI. anni MCCCLXXIV. Tit. IV. Capite V. in fine, ubi ſic habet: *Et quia quandoque ordinat Divina Majeſtas, quod naſcitur, hoc eſt, puer cum duobus capitibus, vel alias, dicimus, quod ſi certum ſit, duas eſſe animas rationabiles, ut puta cum ſunt duo capita, & duo colla, & duo pectora, quia per conſequens erunt duo corda, in tali caſu baptizandi ſunt uti duo; & quoniam præſumitur, quod plures poſſunt ſimul baptizari, dicendo*, Ego baptizo vos &c. *tutius tamen eos baptizari ſigillatim*. Tum vero ſtatim: *Si vero eſt dubium, verbi gratia, ſi non ſint duo capita bene diſtincta, vel duæ cervices fundatæ in eadem nuce, tunc primo baptizandus eſt unus, & deinde, illo baptizato, poteſt alter dubie baptizari, dicendo*; Si non es baptizatus, Ego te baptizo &c. Similia habent & aliæ Synodi non paucæ. Sed præſtat audire S. Carolum, qui loco ſuperius citato rem, de qua agimus, egregie explicat, ſic inquiens: *Si quando præterea monſtrum humanum Baptiſmo offertur, videndum eſt, antequam baptizetur, an una perſona ſit, an vero duæ, tum maſculus ne ſit, an femina. Sique, re perſpecta, dubium eſt, an ſint duo, utpote quia duo capita non habet, nec pectora bene diſtincta, unus intentione certa, neque vaga, ſimpliciter baptizetur; alter vero, ſeu alii ſub conditione*: Si non es baptizatus &c. *Si vero quia duo capita, pectora duo, aut duo corpora etiam diſtincta in monſtro apparent, homines duos eſſe perſpicuum eſt, ſinguli ſimpliciter baptizentur. Quod ſi mortis periculum in mora erit, numero plurali baptizentur*: Ego vos baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. *Sin autem una perſona eſt, utpote unum tantum caput habens, tanquam unus baptizetur, etiamſi alia membra plura, geminatave habeat.*

De Patrinis.

§. XXIV.

Parochus, antequam ad baptizandum accedat, ab iis, ad quos ſpectat, exquirat diligenter, quem, vel quos Suſceptores, ſeu Patrinos elegerint, qui infantem de Sacro Fonte ſuſcipiant, ne plures, quam liceat, aut indignos, aut ineptos admittat.

COMMENTARIUS.

I. Præter Miniſtros, qui Baptiſmum conficiunt, de quibus non uno in loco dictum ſuperius fuit, aliud etiam Miniſtrorum genus ad ſacram, & ſalutarem ablutionem celebrandam, ex vetuſtiſſima Eccleſiæ conſuetudine adhiberi ſolet, qui nunc Patrini dicuntur, olim vero *Suſceptores*, *Sponſores*, ſeu *Fidejuſſores*, communi vocabulo a rerum Divinarum Scriptoribus vocabantur, ut docet Catechiſmus Concilii Tridentini, Parte II. *De Baptiſ-*

mi Sacramento, num. xxv. itemque, *Offerentes*, *Patres ſpirituales*, *Compatres*, aliiſque id genus nominibus, uti videre eſt apud Durantum, Lib. 1. *De ritibus Eccleſiæ Catholicæ*, Cap. xix. num. 16. & apud Martene, Lib. 1. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. 1. Articulo xvi. num. x. ubi etiam recte notat, horum inſtitutionem ad ipſa fere Eccleſiæ incunabula referendam eſſe, utpote cujus meminere Tertullianus in Libro, *De Baptiſmo*, Cap. xviii. S. Baſilius in Epiſtola cxxviii. & S. Auguſtinus multis in locis, ut alios interim plures omittam.

II. Horum inſtituendorum cauſa præſertim fuit, ut pro puero Fidem profiteantur, ac ejus nomine promittant, illum fideliter obſervaturum, quod promittit: *Vos ante omnia*, inquit S. Auguſtinus relatus in Canone civ. De conſecratione, Diſtinctione iv. *tam mulieres, quam viros, qui filios in Baptiſmo ſuſcepiſtis, moneo, ut vos cognoſcatis Fidejuſſores apud Deum extitiſſe pro illis, quos viſi eſtis de ſacro Fonte ſuſcipere; ideoque ſemper eos admonete, ut caſtitatem cuſtodiant, juſtitiam diligant, charitatem teneant*. Rationem ejus rei affert quidem Sanctus Thomas Parte iii. Quæſtione lx. Articulo v. in Corpore, quam exſcripſit memoratus Catechiſmus Tridentini Concilii citato loco, his verbis: *In primis vero explicare oportet, quæ cauſa fuerit, cur ad Baptiſmum, præter Sacramenti Miniſtros, Patrini etiam, & Suſceptores adjungerentur, quod quidem optimo jure factum eſſe, omnibus videbitur, ſi meminerint, Baptiſmum eſſe ſpiritualem regenerationem, per quam filii Dei naſcimur; de ea enim ita loquitur Divus Petrus*: Sicut modo geniti infantes rationabiles ſine dolo lac concupiſcite: *Ut igitur poſtquam aliquis in hanc lucem editus eſt, Nutrice, & Pædagogo indiget, quorum ope, atque opera educetur, ac doctrina, & bonis artibus erudiatur; ita etiam neceſſe eſt, ut qui ex Baptiſmi Fonte vitam ſpiritualem vivere incipiunt, alicujus fidei, & prudentiæ committantur, a quo Chriſtianæ Religionis præcepta haurire, ad omnemque pietatis rationem inſtitui poſſint, atque ita paulatim in Chriſto adoleſcere, donec tandem viri perfecti, juvante Domino, evadant, cum præſertim Paſtoribus, qui publicæ Parochiarum curationi præpoſiti ſint, tantum temporis non ſuperſit, ut privatam illam curam pueros in Fide erudiendi ſuſcipere poſſint*. Deſcribit mox idem Catechiſmus locum S. Dionyſii ex Libro, *De Eccleſiaſtica Hierarchia*, Cap. vii. Parte iii. a S. Thoma citato loco etiam allegatum: *Hujus autem vetuſtiſſimæ conſuetudinis præclarum teſtimonium a Divo Dionyſio habemus, cum inquit*: Divinis noſtris Ducibus, *ſic enim Apoſtolos vocat*, in mentem venit, & viſum eſt, ſuſcipere infantes ſecundum iſtum ſanctum modum, quod naturales parentes pueri eum cuidam docto in Divinis veluti Pædagogo traderent, ſub quo, ſicut Divino Patre, & ſalvationis ſanctæ Suſceptore reliquum vitæ puer degeret.

III. Magnum itaque, arduumque eſt Suſceptorum, Patrinorumve munus, recteque ait Ælias Metropolitanus Cretæ in Reſponſione ad Dionyſium Monachum de diverſis ejus interrogationibus Lib. iii. Juris Orientalis apud laudatum Durantum, num. 16. quod, *Suſceptores, ſi noſſent, quæ a magno Dionyſio definita ſunt, & quatenus curam, & ſolicitudinem habere debent ejus, qui per ſpiritale lavacrum regeneratur, & ab illis ſuſcipitur, vix quidem ad Suſceptorum munus prodirent, etiam ardentius acerſiti, ſeu invitati*. Ceterum quod minime expediat, cuipiam hominum generi tutelæ hujus ſpiritualis adminiſtrationem committi, ſapientiſſime hic noſter §. variorum Conciliorum, ac Patrum, Decretis, monitiſque inhærens, ad evitandas fraudes, & ſcandala etiam, quæ ex hujuſmodi compaternitatibus oriri ſolent, mandat, ut Parochus, antequam ad baptizandum accedat, ab iis, ad quos ſpectat, exquirat diligenter, quem, vel quos Suſceptores, ſeu Patrinos elegerint, qui infantem de Sacro Fonte ſuſcipiant, ne plures, quam liceat, aut indignos, vel ineptos admittat. Quinam vero indigni ſint, ac inepti ad obeundum Patrinorum munus, dicetur mox in ſequentibus Paragraphis. Unum eſt quod hoc loco omitti non debet, quod nempe S. Carolus inter alia mandat in laudatis toties ſuis Inſtructionibus, *De Baptiſmi adminiſtratione*, ubi ſic inter alia inquit: *Præmonebit autem accurate parentes paulo ante Baptiſmi adminiſtrationem, ut Compatres tales deligant, quales eos eſſe oportet, qui & vitæ exemplis, & Chriſtiana diſciplina, caſtiſque moribus alios inſtruere debent. Itaque in hoc delectu, non nobilitatis, aut divitiarum, non potentiæ, non auctoritatis, non poteſtatis, non amicitiæ, non cujuſvis alterius commodi, emolumentive rationem habebunt, ſed eos potius eligent, qui filiorum animæ magis conſulere, quam qui inopiæ ſubvenire poſſint*. Idem plane monitum in multis Ritualibus, ac Synodis legere eſt.

§. XXV.

Patrinus unus tantum, ſive vir, ſive mulier, vel ad ſummum, unus, & una adhibeantur ex Decreto Concilii Tridentini; ſed ſimul non admittantur duo viri, aut duæ mulieres, neque baptizandi pater, aut mater.

COMMENTARIUS.

I. Cum frequens olim eſſet adultorum Baptiſmus, ac toti pene nudi immergerentur, ideo viri viros, & feminæ feminas de Baptiſmo ſuſpiciebant, ut patet ex Canone xxii. vulgo Apoſtolorum ſic ajente: *Viri non teneant in Baptiſmo puellas, aut mulieres teneant maſculos; ſed potius mulieres teneant puellas, & viri teneant maſculos*. Idem colligitur ex antiquo Auctore Apoſtolicarum Conſtitutionum, Lib. iii. Cap. xvi. ubi ita ait: *Deinde, aut tu Epiſcope, aut Presbyter tuus, qui ſub poteſtate tua eſt, facta ſuper eos nominatim ſacra invocatione Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, baptizabis; ac virum quidem ſuſcipiat Diaconus,*

eonus, mulierem vero Diaconiſſa, ut honeſte, & a quibus decet, fiat ſignum infratium. Ex quibus verbis & illud licet addiſcere, unum duntaxat olim in Baptiſmo Suſceptorem fuiſſe, & maris quidem marem, feminæ autem feminam. Atque huic diſciplinæ inhæſit Concilium Metenſe anni DCCCLVIII. ubi Canone VI. decrevit, *ut infantem nequaquam duo, vel plures, ſed unus a Fonte Baptiſmatis ſuſcipiat, quia in hujuſmodi ſetta diabolo datur locus, & tanti miniſterii reverentia vileſcit. Nam unus Deus, unum Baptiſma, unus qui a Fonte ſuſcipit, debet eſſe pater, vel mater infantis*.

II. Plura jam, ſed duo præſertim ex citato Canone addiſcimus, ac I. quidem auctum jam fuiſſe Sæculo IX. ac etiam in ſequenti ævo Patrinorum numerum. Nato quippe Philippo Ludovici VII. Regis Francorum filio, alteroque a nativitate die a Mauritio Pariſienſi Epiſcopo baptizato tres Patrini dati ſunt, Hugo ſcilicet Abbas S. Germani Pariſienſis, qui puerum ſuper Fontem Baptiſmatis in ulnis ſuis tenuit, Herrejus Abbas S. Victoris, & Odo quondam Abbas S. Genovefæ, Conſtantia vero ſoror Regis Ludovici, uxor Raymundi Comitis S. Ægidii, & duæ viduæ Pariſienſes Matrinæ extiterunt, ut legere eſt in Hiſtoria Lodovici VII. Regis apud Cheſnium, Tomo IV. Sed tandem tanto Patrinorum numero aliquos limites a Conciliis præfigi oportuit, illum ad ternarium numerum reducentibus: *Ad elevandum puerum de ſacro Fonte tres tantum recipiantur*, inquit Concilium Bajocenſe an. MCCLXXX. Can. IV. Id quod ita capiendum, ut ad ſuſcipiendum maſculum duo mares, & una femina; ad puellam duæ feminæ cum uno viro deſignentur; uti explicant Conſtitutiones Richardi Epiſcopi Sarum in Anglia, Cap. XIX. Concilium Wigornienſe anni MCCXL. Can. V. & Exonienſe anni MCCLXXXVII. Can. II.

III. Alterum, quod ex recitato ſuperius Canone Metenſis Concilii addiſcimus, illud eſt, parentes olim proles ſuas præcipue parvulas ſolitos fuiſſe aliquando offerre. Id quod etiam conſtat ex S. Auguſtino in Epiſtola XCVIII. ad Bonifacium Epiſcopum ſic ſcribente: *Illud autem nolo te fallat, ut exiſtimes, reatus vinculum ex Adam tractum aliter non poſſe diſrumpi, niſi parvuli ad percipiendam Chriſti gratiam a parentibus offerantur. Sic enim ſcribens dicis, ut ſicut parentes fuerunt auctores ad eorum pœnam, per fidem parentum identidem juſtificentur; cum videas multos non offerri a parentibus, ſed etiam a quibuslibet extraneis, ſicut a dominis ſervuli aliquando offerantur*. Evidenter hic ſupponitur, ordinarie parentes ſolitos fuiſſe offerre ad Baptiſmum filios ſuos, alias inepta fuiſſet Bonifacii hæſitatio, & non ſatis congrua Auguſtini reſponſio. Porro clarioribus verbis eandem hanc diſciplinam expreſſit S. Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus Sæculo VI. Homilia XII. inter editas a Stephano Baluzio, ubi poſt expreſſam Profeſſionem Fidei, & renunciationem diaboli in Baptiſmo fieri conſuetam, ita ſubjicit: *Quod quia infantes per ſe minime poſſunt, parentes ipſorum pro eis Fidejuſſores exiſtunt*. Plurima veterum loca ad oſtendendam magis magiſque ipſam diſciplinam congeſſit Joſephus Vicecomes, Lib. I. *De antiquis Baptiſmi ritibus*, Cap. XXXIII. ubi etiam opportune obſervat, conſuetudinem ipſam nunc penitus eſſe abrogatam.

IV. Cauſam novæ hujus diſciplinæ ait laudatus Vicecomes ſe apud Patres minime reperiſſe, exiſtimatque ipſe, novam diſciplinam invaluiſſe, veteremque conſuetudinem abrogatam fuiſſe, *vel ut admonerentur Fideles, eam ſpiritualem educationem a carnali longe diſtare, vel ut myſteriorum Fidei Chriſtianæ peritioribus illa provincia demandaretur, cum parentes in maxima rerum Divinarum ignoratione verſari ſæpe contingat*. At vero inquit Vaneſpen Parte II. Juris Eccleſiaſtici, Cap. IV. num. XVIII. veroſimilius ſe credere, parentibus officium Patrini in Baptiſmo proprii filii fuiſſe interdictum, poſtquam cognatio ſpiritualis, atque ex ea reſultans impedimentum Matrimonii inter Patrinum & baptizati matrem inductum fuit, cujus cognationis, & impedimenti apud priſcos Auctores mentio nulla occurrit. Ceterum putat Jueninus in Opere, *De Sacramentis*, Diſſertatione X. Quæſtione VII. Cap. IV. Articulo III. §. IV. cœptum fuiſſe illud impedimentum ante finem ſæculi VII, probatque ex Epiſtola Deuſdedit Papæ ad Gordianum Hiſpalenſem Epiſcopum data, in qua dicitur, Julium Papam I. Innocentium I. ac Cœleſtinum pariter I. *eam Epiſcoporum plurimorum, & Sacerdotum conſenſu, in Eccleſia Apoſtolorum Principis, prohibentes talia*, præſcripſiſſe, & confirmaſſe, *ut nullo modo ſe in conjugia reciperent mulieres, ac viri quicumque aliqua ratione ſuſceperint natos proprios, ſed ſeparent, ne ſuadente diabolo tale vitium inoleſcat*.

V. Legitur hæc Epiſtola apud Gratianum Canone I. Cauſa XXX. Quæſtione I. quæ licet ab eruditis omnibus ſuppoſititia cenſeatur, ut ad ipſam Epiſtolam advertit Labbæus in Nota marginali, in ſua Collectione Conciliorum, non obſcure tamen indicat memorati impedimenti cognationis ſpiritualis aliquod ſaltem initium fuiſſe principio ſæculi VII. quo memoratus Pontifex Deuſdedit claruit. Atque hinc forte eſt, quod poſt ſæculum VII. videmus in Conciliis hujus impedimenti mentionem fieri, ac nominatim in Concilio Moguntino anni DCCCXIII. ubi Can. LV. ſtatuitur, ut *nullus proprium filium, aut filiam de Fonte Baptiſmatis ſuſcipiat, nec commatrem ducat uxorem filiolam, nec illam cujus filium, vel filiam, ad Confirmationem duxerit; ubi autem factum fuerit, ſeparentur*. Meminit & hujus ſpiritualis cognationis Nicolaus Papa I. in ſuis ad Bulgaros Reſponſis, Cap. II. apud Gratianum, Can. I. Cauſa XXX. Quæſtione III. viderique integer Titulus poteſt, *De cognatione ſpirituali*, Lib. IV. Decretalium. Ceterum addubitari nequit, quin Sæculo VI. in uſu fuerit iſtud impedimentum, utpote cujus meminit Juſtinianus Imperator in Lege XXVI. Cod. *De Nuptiis*, ubi ea perſona omnimodo venire ad nuptias prohibetur, *quam aliquis, ſive alumna ſit, ſive non, a ſacro ſuſcepit Baptiſmate &c.*

VI. Quicquid ſit de origine hujus impedimenti, de quo latius ſuo loco inferius dicendum erit, ſequutus eſt quidem hic noſter §. ſacra Conciliorum Decreta, ubi ſtatuit, ut a Patrinorum, Matrinarumve munere, baptizandi pater, & mater excluderetur; ob eam forte rationem, quam tradit Eſtius in Libri IV. Sententiarum Diſtinctionem VI. §. III. in fine, tum ut cogantur homines amicitiam ad alios propagare, tum quia melius providetur puero, dum præter parentem carnalem, qui jure naturæ tenetur ejus ſalutem pro-

procurare, & datur inſuper parens ſpiritualis, cujus id proprium munus fiat ex ſponſione. Atque hic illud etiam notandum, etiamſi deeſſet patrinus, nullo modo poſſe patrem, matremve, eo fungi munere in propriæ prolis Baptiſmo, licet in caſu neceſſitatis, ut alias dictum eſt, poſſint illi Baptiſmum adminiſtrare. Ratio autem diſparitatis eſt, quia perſona Patrini non eſt de neceſſitate Sacramenti.

VII. Sequutus præterea eſt noſter §. veterum Canonum ſtatuta, ubi & ſtatuit, ut Patrinus unus tantum, ſive vir, ſive mulier, vel ad ſummum, ūnus, & una adhibeantur ex Decreto Concilii Tridentini, cujus verba hæc ſunt Seſſione XXIV. *De reformatione Matrimonii*, Cap. II. *Volens itaque Sancta Synodus, huic incommodo providere, & a cognationis ſpiritualis impedimento incipiens, ſtatuit, ut unus tantum, ſive vir, ſive mulier, juxta Sacrorum Canonum inſtituta, vel ad ſummum, unus, & una baptizatum de Baptiſmo ſuſcipiant*. Certe extat in Decreto Gratiani, De conſecratione, Diſtinctione IV. Canon c. qui præcipit, ut *non plures ad ſuſcipiendum de Baptiſmo infantem accedant, quam unus, ſive vir, ſive mulier*. Tridentino Concilio plane conſentiunt Synodi omnes poſt ipſum celebratæ, ac Rituales Codices eodem Concilio poſteriores, præſertim vero S. Carolus, & Catechiſmus Romanus, qui etiam Concilium ipſum citat, atque egregie declarat, Parte II. *De Baptiſmi Sacramento*, num. XXIX. de Patrinorum numero ſic inquiens: *Plures quoque ne baptizatum de Baptiſmo ſuſcipiant, ſed ut unus tantum, ſive vir, ſive mulier, vel ad ſummum, unus, & una, Tridentino Concilio ſtatutum eſt; tum quia diſciplinæ, atque inſtitutionis ordo a multitudine magiſtrorum perturbari poterat, tum quia providere oportebat, ne inter plures, ejuſmodi affinitates conjungerentur, quæ impedirent, quo minus legitimo Matrimonii vinculo hominum inter homines ſocietas latius diffunderetur*.

VIII. Porro Concilium Beneventanum Provinciale VI. Tit. IV. Cap. V. inter alia præcepit, ut *in Catechiſmo, & Baptiſmo, & Confirmatione Epiſcopali, unus tantum ſit Patrinus, hoc eſt, unus in quolibet Sacramento*; ob eam ſcilicet rationem, *quia ex hoc inſurgit ſpiritualis cognatio, quæ impedit Matrimonium contrahendum, & quando pro Baptiſmo, vel Confirmatione provenit, dirimit jam contractum*. Sed notatu plane digna ſunt, quæ mox idem Concilium ſubjicit contra quaſdam ſui, & noſtri ævi compaternitates: *Hoc etiam in noſtris Conſtitutionibus Provincialibus, & Prædeceſſorum noſtrorum prohibitum eſt, propter multa enormia, & inconvenientia occulte, & publice hactenus propter tales compaternitates perpetrata, per quas arbitrarie in contrarium facientes ſunt puniendi*. Pergit Concilium, aliaque ſubdit, quæ & hic deſcribenda cenſuimus: *Per eaſdem quoque Conſtitutiones, quia nonnulli, tam Clerici, quam laici exquiſitis, & conceptis in corde fraudibus compaternitatem cum nonnullis contrahere satagunt, & cum relata occaſione, inhoneſta, & illicita exercere, ut ficta eorum machinatione ad fornicarias, & concubinas ſuas, quas in occulto detinent, ſeu detinere proponunt, facilior, & excuſabilior ipſis materia ſit, & via frequentius accedendi: ut omnis fornicandi, & delinquendi materia auferatur, ſub excommunicationis pœna mandatur, ſtatuitur, & ordinatur, quod nullus Clericus, ſive laicus noſtrarum Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Beneventanæ hujuſmodi fraudulentas, ſeu dictas compaternitates contrahat, ſeu contrahere præſumat*.

IX. Sed his omiſſis, explicandum nunc illud eſt, quod demum ſtatuit noſter §. ut ſcilicet *ſimul non admittantur duo viri, aut duæ mulieres*. Hic forte rogabit quiſpiam, eccur duo viri ſimul, duæve ſimul mulieres ad ſuſcipiendum infantem admitti non poſſint? Puto equidem cum Barruſaldo in Commentario ad hunc §. num. 9. rationem hujus Statuti deſumi poſſe ex S. Thoma, Parte III. Quæſtione LX. Articulo V. in Corpore, ubi ita docet: *Spiritualis regeneratio, quæ fit per Baptiſmum aſſimilatur quodammodo generationi carnali. In generatione autem carnali parvulus nuper natus, indiget Nutrice, & Pædagogo; unde & in ſpirituali generatione Baptiſmi requiritur aliquis, qui fungatur vice Nutricis, & Pædagogi, informando, & inſtruendo eum quaſi novitium in Fide de his, quæ pertinent ad Fidem, & vitam Chriſtianam &c.* Cum ergo in duobus viris, duabuſve feminis verificari non poſſit duplex iſta conditio, Pædagogi, ac Nutricis, ob eam forte cauſam ſtatuit noſter §. ut duo ſimul viri, duæve ſimul mulieres minime admittantur.

§. XXVI.

Hos autem Patrinos ſaltem in ætate pubertatis, ac Sacramento Confirmationis conſignatos eſſe, maxime convenit.

COMMENTARIUS.

I. ANtiqua eſt & illa Eccleſiæ diſciplina, ut *in Baptiſmate, vel in Chriſmate non poſſit alium ſuſcipere in filiolum ipſe, qui non eſt baptizatus, vel confirmatus*, ut loquitur Canon CI. De conſecratione, Diſtinctione IV. Poſſet & hæc diſciplina variis Conciliis comprobari, quibus non modo præcipitur, ut Patrini ſint confirmati, verum etiam ut pubertatem exceſſerint, natuque iccirco majores quatuordecim annis mares, feminæ vero duodecim. Ita plane ſtatuit Concilium Provinciale Mediolanenſe V. a S. Carolo habitum, Capite, *Quæ ad Baptiſmum pertinent*, ubi ſic inter alia inquit: *In Baptiſmo etiam compater ne ſit, qui ſacro Chriſmate confirmatus non eſt, eademque de commatre cautio ſit*. Ait mox, munus hoc Parochi eſſe, ſtudioſe de hoc ante perquirere, ſtatimque addit: *Ne præterea compater adhibeatur, neque in Sacramento Confirmationis item, qui minor natu ſit quatuordecim annis, ſed qui major, vel potius ætate ſit provectiori*. Rationem ſubjungit: *Ut non ore ſolum, ſed animo, atque ſe-*

ſeria ad interrogata, quæ in Baptiſmo fiunt, reſpondeat, ac plene intelligat ſuſcepti a ſe muneris partes. Rationem, cur Patrinus debeat eſſe confirmatus, hanc docet S. Antoninus Parte III. Tit. IV. Cap. III. *Naſcitur homo in eſſe ſpirituali per Baptiſmum, & vivit utique vita gratiæ, ſed adhuc eſt quaſi debilis in vita ſpirituali; ſed per Confirmationem, vel Chriſmationem confirmatur, quaſi perveniens ad ætatem robuſtam, ut poſſit bellare, & fortia agere. Unde ut debilis accedens baptizandus, ad hoc debet ſuſtentari ab alio, qui tamen debet eſſe chriſmatus. Nam debilis non eſt idoneus ad ſuſtentandum debilem, ne ambo ſimul cadant.*

II. Errat itaque Barboſa, Auctoreſque ab eo allegati Parte II. *De officio & poteſtate Parochi*, Cap. XVIII. num. 28. ubi ajunt, non oportere, *ut Patrini ſint majores, quia pueri cujuſcumque ætatis poſſunt eſſe Suſceptores legitimi, modo habeant uſum rationis.* Adverſatur namque hæc ſententia & noſtro §. & iis, quæ S. Carolus, & S. Antoninus ſacrorum Canonum, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ peritiſſimi ſapientiſſime docuerunt. Porro licet verbum *convenit*, obligationem minime importet, ex præſenti tamen §. puto equidem obligationem induci, præſertim cum ei verbo adverbium *maxime* adjunctum ſit; peccaretque idcirco Parochus, ſi ſineret, in Baptiſmo Patrinos adhiberi, qui ſaltem in ætate pubertatis, ac Sacramento Confirmationis conſignati non eſſent. Id enim & in multis Ritualibus, ac Synodis præſcriptum legimus, quod omittere nullatenus licet, uti recte docent Theologi, ac ritualium rerum Scriptores,

§. XXVII.

Sciant præterea Parochi, ad hoc munus non eſſe admittendos infideles, aut hæreticos, non publice excommunicatos, aut interdictos, non publice criminoſos, aut infames; nec præterea qui ſana mente non ſunt, nec qui ignorant rudimenta Fidei. Hæc enim Patrini ſpirituales filios ſuos, quos de Baptiſmi Fonte ſuſceperint, ubi opus fuerit, opportune docere tenentur.

COMMENTARIUS.

I. QUum Patrinorum munus ex repetitis Conciliorum Decretis, & Ritualium Statutis committendum iis non ſit, qui illud gerere, aut fideliter nolint, aut ſedulo, & accurate non queant, hinc ut recte notat Catechiſmus Tridentini Concilii, Parte II. *De Baptiſmi Sacramento*, num. XXVIII. *præter naturales parentes, quibus non licet eam curationem ſuſcipere, ut ex eo magis appareat, quantum hæc ſpiritualis educatio a carnali diſtet: hæretici inprimis, Judæi, infideles ab hoc munere omnino prohibendi ſunt, at qui in ea cogitatione, & cura ſemper verſentur, ut Fidei veritatem mendaciis obſcurent, atque omnem Chriſtianam pietatem evertant.* Atque hæc ſunt, quæ ſtatuta olim fuere in variis Synodis, quas in re tam clara, & egregie a Catechiſmo explicata, ſupervacaneum eſt hoc loco deſcribere.

II. Præſtat tamen S. Carolum audire, qui in Inſtructionibus, *De Baptiſmi adminiſtratione*, Capite, *De cæremoniis, quæ peracto Baptiſmo, ſervantur*, præter memoratos in hoc præſenti §. & alios in præcedenti recenſitos, ac in ſequenti nominandos, nonnullos alios etiam a Patrinorum munere excluſit. Sic enim ibi Parochum monet: *Ne excommunicatos, interdictos, publice criminoſos, infameſve, pueros natu minores quatuordecim annis, nec præterea qui ſana mente non ſunt, neque eos, qui in Paſcha communionem non ſumpſerint, nec vero Monachos, Regulares, Clericoſve ſæculares Sacris initiatos ad infantem de Baptiſmo ſuſcipiendum adhiberi ſinat.* Tum mox: *Nec præterea illos, quos putet ignorare Symbolum, Orationemque Dominicam, Salutationem Angelicam, rudimentaque Fidei Chriſtianæ; neque item eos, qui nondum Sacramentum Confirmationis ſuſceperint.* Et rurſus: *Eam quoque rationem cohortando habebit, ut ne peregrini, hoſpites, ignoti, & ii denique Compatres adhibeantur, quorum domicilium cum longe abſit, veriſimile non eſt, conſuetudinem inter baptizatum, eoſque ita futuram, ut ſuſcepti muneris functionem in eo inſtruendo præſtare poſſint.*

III. Sed ut de illis, qui in noſtro §. notati non ſunt, nonnihil dicamus, ex quibuſdam Conciliis non modo hæretici, verum etiam de hæreſi ſuſpecti, ab officio Sponſoris arcendi ſunt: *Quod ut vitare queat*, inquit Concilium Remenſe anni MDLXXXIII. *rogabit Sacerdos clara voce omnes, qui puerum baptizandum ad Eccleſiam comitati ſunt, vel ſaltim Patrinum, & Matrinam, numquid velint vivere, & mori in Eccleſia Catholica, Apoſtolica, & Romana, abnuenteſque ab officio ſuſcipiendi repellat.* Cautum quoque & illud a quibuſdam Conciliis fuit, ne ad Patrinorum munus admitterentur, de quibus certa poſſit eſſe ſuſpicio, eos munus illud ſuſcipere, ut ſecurius, & liberius cum Matrinis verſentur. Atque hunc veterem, recentemque abuſum evellere conata eſt Synodus VI. Provincialis Beneventana, Tit. IV. Cap. V. ubi Hugo II. Guidardius Archiepiſcopus Beneventanus ejus Concilii Præſes, Prædeceſſorum etiam Conſtitutiones confirmans, ſub excommunicationis pœna ſtatuit, ne Clericus, laicuſve fraudulentas, impuraſque compaternitates contrahat. Concilii verba attulimus ſupra in Commentario ad §. XXV.

IV. Ad criminoſos quod attinet, in Capitularibus Regum Francorum, Libro VI. Capite CLXXIX. removentur a Patrinorum numero etiam ii, *qui & Communione Canonica privati, & publicæ pœnitentiæ ſunt ſubacti, donec per pœnitentiam ſatisfactionis reconciliationem mereantur; vel etiam illi, qui tale peccatum commiſſum habent, pro quo publicæ pœnitentiæ plectendi, & ligandi ſunt.* Idem de publice pœnitentibus decernit Concilium Pariſienſe VI. ex quatuor Galliæ Provinciis anno DCCCXXIX. congregatum Lib. I. Cap. LIV. ubi etiam ſtatuit, *ut illi, qui alios*

de

Google

de ſacro Fonte ſuſcipiunt, quique ad percipiendum Sancti Spiritus donum coram Pontificibus pro aliis Patroni exiſtunt, intelligere debent & vim tanti Sacramenti. Porro dolet idem Concilium citato Lib. I. Cap. VII. quod *illi, qui in ſua ſponſione aliquos de ſacroſancto Fonte ſuſcipiunt, nec Fidei, nec Baptiſmatis Sacramento ſunt inſtructi, & iccirco eos, quos ſuſcipiunt, & ſecundum Sanctorum Patrum documenta docere debuerant, erudire nequeunt*.

V. Illud vero potiſſimum dolet Catechiſmo Tridentini Concilii Parte II. *De Baptiſmi Sacramento*, numero XXVII. quod Patrinorum munus *adeo negligenter in Eccleſia tractatur, ut nudum tantum hujus functionis nomen relictum ſit, quid autem ſancti in eo contineatur, ne ſuſpicari quidem homines videntur*. Tum opportune monet, ut *hoc igitur univerſe Suſceptores ſemper cogitent, ſe hac potiſſimum lege obſtrictos eſſe, ut ſpirituales filios perpetuo commendatos habeant, atque in iis, quæ ad Chriſtianæ vitæ inſtitutionem ſpectant, curent diligenter, ut illi tales ſe in omni vita præbeant, quales eos futuros eſſe ſolemni cæremonia ſpoponderunt*. Probat & id quidem Catechiſmus primum teſtimonio S. Dionyſii, qui in Libro, *De Eccleſiaſtica Hierarchia*, Cap. VII. Parte III. hæc Sponſoris verba exprimit: *Spondeo puerum inducturum, cum ad ſacram intelligentiam venerit, ſedulis adhortationibus meis, ut abrenuntiet contrariis omnino, profiteatur, peragatque Divina, quæ pollicetur*. Affert deinde idem Catechiſmus S. Auguſtini locum ſic ad rem noſtram ajentis: *Vos ante omnia tam viros, quam mulieres, qui filios in Baptiſmate ſuſcepiſtis, moneo, ut cognoſcatis, Fidejuſſores apud Deum extitiſſe pro illis, quos viſi eſtis de Sacro Fonte ſuſcipere*. Quæ autem filiis ſpiritualibus tradenda ſunt, paucis idem S. Doctor comprehendit, cum de hoc ipſo Suſceptoris officio loqueretur in Sermone CLXV. *De tempore*, cujus verba exſcripſit laudatus Tridentini Concilii Catechiſmus: *Debent eos admonere, ut caſtitatem cuſtodiant, juſtitiam diligant, charitatem teneant, & ante omnia Symbolum, & Orationem Dominicam eos doceant; Decalogum etiam, & quæ ſunt prima Chriſtianæ Religionis rudimenta*. Atque hunc Auguſtini locum jam olim exſcripſit memorata ſuperius Synodus VI. Pariſienſis Lib. I. Cap. VII. ubi ita demum concludit: *In hoc quippe facto, de quo agitur, quantum a Religione Chriſtiana digreſſum ſit, ignorari fas non eſt*.

VI. Ceterum licet prædictus Auguſtini Sermo in nova Operum illius editione in Appendicem tanquam ſpurius rejectus ſit, cujuſcumque tamen ſit, non minus certa, & vera eſt ipſa admonitio, quæ longe prolixior in prædictæ Appendicis Sermone CLXIII. habetur. Similia fere legere eſt apud S. Cæſarium, Sermone CCLXV. & CCLXVII. ejuſdem Appendicis. Sane recitat & eam S. Auguſtini ſententiam in laudatis toties, *De Baptiſmi adminiſtratione*, Inſtructionibus, S. Carolus, in quibus eadem fere legere eſt, quæ ex Catechiſmo exſcripſimus. Mandat nihilominus ille, ut Parochus ſpeciatim gravibus verbis eos Compatres commonefaciat officii ſui, quorum filiolos animadverterit Doctrinæ Chriſtianæ Scholas non frequentare, puerilibus ineptiis, ac vitiis deditos eſſe, aut rebus humanis, puta, in paſcendo grege ita occupatos, ut ne feſtis quidem diebus ad Miſſam accedant. In ms. autem Pontificali Eccleſiæ Antiſſiodorenſis annorum circiter CD. ut notat Martene, Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. I. Articulo XVI. num. XIV. poſt omnes Baptiſmi ritus ita legitur: *His omnibus completis, dicat Sacerdos*: Vos Patrini, & vos Matrinæ cuſtodite hunc infantem a periculo ignis, & aquæ, uſque ad ſeptem annos, & dicatis patri, & matri ejus, ut ipſum ſimiliter cuſtodiant, & docete eum Orationem Dominicam *Pater noſter*, & *Symbolum Apoſtolorum Credo in Deum*, & tunc ſignet eum, dicens: *In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen*. Similia habent vetus Miſſale Eccleſiæ Parienſis annorum circiter CDL. & Rituale Cenomanenſe S. Magdalenæ Bellilocenſis annorum circiter CCCL.

§. XXVIII.

Præterea ad hoc etiam admitti non debent Monachi, vel Sanctimoniales, neque alii cujuſvis Ordinis Regulares a ſæculo ſegregati.

COMMENTARIUS.

I. QUia Monachi vi ſtatus ſui ad magnam perfectionem comparandam adſtringuntur, & a cœno, quod affricare illis poſſet familiaritas cum feminis, abhorrere quammaxime debent, conſtituta ſpecialiter nonnulla vel olim fuere, quibus nitori, & bonæ famæ eorum hac in parte conſuleretur. Ergo inter alia ſtatuit jam Concilium Antiſſiodorenſe anni DLXXVIII. Can. XX. *non licere Abbati filios de Baptiſmo ſuſcipere, nec Monachis commatres habere*; non quidem baptizando, quod minorem ingereret familiaritatem, ut Gloſſa notavit in Can. *Non licet*, De Conſecratione, Diſtinctione IV. qui ex recitato Antiſſiodorenſi Canone deſumptus eſt, ſed levando a Sacro Fonte pueros earum. Id enim ad præcludendas familiaritates Monachorum cum mulieribus conſtitutum eſſe, conſtat ex S. Gregorio Lib. III. Epiſtola XL. ad Abbatem Valentinum data, ac relata in Can. *Pervenit*, Cauſa XVIII. Quæſtione I. ubi ita inquit: *Pervenit ad nos, quod in Monaſterio tuo paſſim mulieres aſcendant, &, quod adhuc eſt gravius, Monachos tuos ſibi commatres facere, & ex hoc incautam cum eis communionem habere. Ne ergo hac occaſione humani generis inimicus ſua eos, quod abſit, calliditate decipiat; ideo hujus te præcepti ſerie commonemus, ut neque mulieres tu Monaſterio tuo deinceps qualibet occaſione permittas aſcendere, neque Monachos tuos commatres ſibi facere. Nam ſi hoc denuo ad aures noſtras quocumque modo pervenerit, ſic te ſeveriſſimæ noveris ultioni ſubdendum, ut emendationis tuæ qualitate cæteri ſine dubio corrigantur*. Eadem prohibitio, ne Mona-

nachi haberent compatres, aut commatres, ex Libro Capitularium Regum Francorum refert Gratianus in Can. *Monachi*, De Conſecratione, Diſtinctione IV. ſed tamen cum aliquo additamento: *Monachi*, inquit, *ſibi compatres, commatreſve non faciant, nec oſculentur feminas*.

II. Extendendam eſſe eam prohibitionem ad quoſcumque Religioſos, etiamſi preſſe non dicantur Monachi, docent inter alios, Sanchez Lib. VI. in Decalogum, Cap. VI. num. 42. & Valentia, Parte III. Diſtinctione III. Puncto 3. male refragante Ægidio Coninch, uti recte obſervat eruditus Raynaudus in Diſſertatione, *De ſobria alterius ſexus frequentatione per Sacros, & Religioſos homines*, Cap. VIII. pag. 292. Sed non eſt opus interpretatione Doctorum, cum non modo Monachi, ſed etiam alii Religioſi, Religioſæve, a Patrinorum, Matrinarumve munere in ſequioribus ævi Conciliis paſſim excludantur: *Præcipimus etiam diſtricte*, inquit jam Synodus VI. Provincialis Beneventana anni MCCCLXXIV. Tit. IV. Cap. V. *ne in Patrinum Regularis aliquis admittatur, ut omnis familiaritatis ſuſpicio evitetur; inter quos intelligimus Religioſas, Abbatiſſas, ſeu Moniales, quas Monaſterio exire non licet, ſed peſſime audivimus obſervari*. Celebre eſt Decretum, quod hanc in rem edidit Concilium Provinciale VIII. Beneventanum ſub Corrado Capycio Archiepiſcopo, anni MCDLXX. Capite III. *Item ſtatuimus, præcipimus, & ordinamus, quod nullus Monachorum, & Fratrum debeat contrahere compaternitatem cum aliquibus, & ſi de facto præſumpſerint, ipſam compaternitatem ſic contractam decernimus, & declaramus de jure non ſubſiſtere, niſi eidem Monacho, vel Fratri hoc competat ex debito officii; mandanteſque nihilominus omnibus, & ſingulis Eccleſiarum Rectoribus, & eorum locum tenentibus in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis pœna, ut non debeant aliquem Monachorum, ſive Fratrum admittere ad ſuſcipiendam de Sacro Fonte aliquem puerum*. Regulares pariter excludunt ab officio Patrinorum Concilia Provincialia, Remenſe anni anni MDLXXXIII. Aquenſe MDLXXXV. Matiſconenſe II. anni MDLXXXVIII. & alia multa. Ceterum, ut Parochus *nec Monachos, Regulares, Clericoſve ſæculares Sacris initiatos ad infantem de Baptiſmo ſuſcipiendum, adhiberi ſinat*, ſtatuit S. Carolus in ſuis, *De Baptiſmi adminiſtratione*, Inſtructionibus. Idem mandat, ut alia omittam, Concilium Provinciale Beneventanum XIII. anni MDCLVI. Tit. XXXIX. num. 10. in quo etiam ſolo omnes recenſet, qui ad ſuſcipiendum Baptizatum admitti non debent: *Caveant Parochi, ne excommunicatos, vel eos, qui eo anno in Paſchate ex præſcripto Eccleſiæ peccata ſua confeſſi non fuerint, & ſacram Euchariſtiam non ſuſceperint, aut quoſcumque infames, & publice crimínoſos, aut Fidei rudimenta ignorantes ad ſuſcipiendum baptizatum de ſacro Baptiſmo admittant. Quod etiam Clericis omnibus, & Regularibus ad vitandam familiaritatis occaſionem prohibemus*.

III. Ex dictis hucuſque jam illud conſtat, peccare abſque dubio Parochos, ſi eos ad ſuſcipiendum de Baptiſmo infantes admittant, quos noſtrum Rituale Romanum, & propriarum Eccleſiarum Statuta ab eo munere excludant; itemque ipſos etiam Patrinos reos eſſe peccati, ſi ſe, niſi aliqui ſaltem eorum ignorantia excuſentur, ad obeundum munus illud intruſerint. Sed opportune tamen notandum hoc loco, quod monet inter alias Synodus Provincialis VI. Beneventana anni MCCCLXXIV. Tit. IV. Cap. V. his verbis: *Tamen ſi aliquis de prædictis Patrinus fuerit, non nocet aliquid baptizato*, Baptiſmi ſcilicet validitati. Atque id quidem legi non modo in variis Synodis, verum etiam in multis antiquis Ritualibus expreſſum, præſertim vero in Rituali antiquo Eccleſiæ Lemovicenſis, quod deſcripſit Martene, Libro I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. I. Articulo XVIII. Ordine XVII. ubi poſt recenſitos qui ad Patrinorum munus admitti non debent, ita ſtatim ſubdit: *Tamen ſi aliquis de prædictis fuerit Patrinus, non nocet Baptiſmo*. Id quod etiam Theologi communiter docent.

De tempore, & loco adminiſtrandi Baptiſmi.

§. XXIX.

Quamvis Baptiſmus quovis tempore, etiam Interdicti, & Ceſſationis a Divinis, præſertim ſi urgeat neceſſitas, conferri poſſit, tamen duo potiſſimum ex antiquiſſimo Eccleſiæ ritu ſacri ſunt dies, in quibus ſolemni cæremonia hoc Sacramentum adminiſtrari maxime convenit; nempe Sabbatum Sanctum Paſchæ, & Sabbatum Pentecoſtes, quibus diebus Baptiſmalis Fontis aqua rite conſecratur. Quem ritum, quatenus fieri commode poteſt, in adultis baptizandis, niſi vitæ periculum immineat, retineri decet, aut certe non omnino prætermitti, præcipue in Metropolitanis, aut Cathedralibus Eccleſiis.

COMMENTARIUS.

I. Duo vel primis Eccleſiæ Sæculis fuiſſe præcipua tempora conferendi ſolemni cæremonia Baptiſmum, Paſchatis ſcilicet, & Pentecoſtes, jam ſupra fuſe explicuimus in Commentario ad §. IV. Quamquam vero, ut plerique doctiſſimi Scriptores cenſent, Sæculo XIII. defecerit penitus, abrogataque fuerit ea diſciplina, nihilominus ex præſcripto noſtri hujus §. ipſum antiquum ritum, *quatenus fieri commode poteſt, in adultis baptizandis, niſi vitæ periculum immineat, retineri decet, aut certe non omnino prætermitti, præcipue in Metropolitanis, aut Cathedralibus Eccleſiis*. Certe Romæ ſervatum vidi non ſemel hunc ritum. Conſueverunt enim plerumque adulti ex Hebræis ad Chriſtianam Religionem converſi, & per aliquod tempus in Domo Catechumenorum præcipuis Fidei Catholicæ myſteriis inſtructi, Sabbatis Paſcha

ſcha, & Pentecoſten præcedentibus, vel ab ipſis Summis Pontificibus, ac præſertim a ſanctæ memoriæ Benedicto Papæ XIII. ſolemniter baptizari. Sed jam & olim retinendi priſtini ritus deſiderio Patres Concilii Redingenſis in Anglia anno MCCLXXIX. Capite IV. cenſuerunt, *declarandum, vel ſtatuendum, ut pueri per octo dies ante Paſcha, & per dies totidem ante Pentecoſten de matrum uteris nati, ſi abſque periculo reſervari valeant uſque ad illa tempora baptizandi.*

II. Veteris diſciplinæ cultor, ac tenaciſſimus S. Carolus Baptiſmum in Feſtis Paſchatis, & Pentecoſtes conferri, quantum ſine infantum periculo fieri poſſet, ſtatuit quidem in ſuo Provinciali IV. Concilio Mediolanenſi, Conſtitutionum Parte II. ubi agit de iis, quæ ad Sacramentum Baptiſmi pertinent, his verbis: *Siquis infantes intra alicujus Urbanæ Parochialis Eccleſiæ fines, a Sabbato Sancto uſque ad Sabbatum in Albis, & a Sabbato item Vigiliæ Pentecoſtes uſque ad Sabbatum proximum nati, baptizandi ſunt, ad Cathedralem Eccleſiam, cui pro obſervantiæ officio, proque veteris inſtituti uſu, ſtatis illis hebdomadis hoc tribui debet, deferantur, ſi modo cuiquam, ob mortis periculum in Parochiali Eccleſia, quæ propius abeſt, Baptiſmum ſtatim miniſtrare neceſſe non ſit.* Hæc S. Carolus, qui ibidem præſcribit, quod Fontis Baptiſmalis benedictio in Vigilia Paſchatis, & Pentecoſtes, frequenti Sacerdotum, & Cleri ad Eccleſiam Cathedralem conventu, & ſolemni ritu ſit peragenda. Hæc autem Fontis Baptiſmalis illis diebus benedictio veteris moris conferendi his diebus Baptiſmum veſtigium eſt; uti & lectio Prophetarum tunc fieri ſolita indicans Catechiſmum Catechumenorum, qui immediate ante Baptiſmum per lectionem Scripturarum inſtituebantur. Similiter orationes, quæ tempore Paſchali pro renatis Fonte Baptiſmatis ſpecialiter funduntur, ac præſertim, quod per totam octavam Paſchatis, & Pentecoſtes, in Canone Miſſæ, Sacerdos hodieque dicat, *pro his quoque, quos regenerare dignatus es ex aqua, & Spiritu Sancto*, manifeſta ſunt priſtinæ diſciplinæ relicta veſtigia, de qua late diximus ſupra in citato noſtro ad §. IV. Commentario.

§. XXX.

At licet urgente neceſſitate ubique baptizare nihil impediat, tamen proprius Baptiſmi adminiſtrandi locus eſt Eccleſia, in qua ſit Fons Baptiſmalis, vel certe Baptiſterium prope Eccleſiam.

COMMENTARIUS.

I. PRimis Eccleſiæ Sæculis, ut ſcitiſſime notavit Martene Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. I. Articulo II. cum nulla Chriſtianæ Religionis profitendæ libertas eſſet, nulla Fidelibus eſſent Templa, Oratoria nulla, nullus etiam ad tingendos Chriſti Diſcipulos deſignatus erat locus, ſed ubi primum occurriſſet aqua, ibi baptizabant. Id probat non modo Philippi Diaconi factum in Actibus Apoſtolorum Cap. VIII. relatum, ubi cum ſe obtuliſſet aqua, Eunuchus Reginæ Candacis baptizaſſe dicitur; verum etiam Juſtini Martyris teſtimonium in Apologia II. ad Antoninum Imperatorem, ubi ſic loquitur: *Quicumque perſuaſi fuerint, & crediderint, vera eſſe, quæ a nobis traduntur, & dicuntur, ac vivere ſe ita poſſe receperint, orare jejunantes, & petere a Deo priorum peccatorum remiſſionem docentur, nobis cum illis una orantibus, & jejunantibus. Deinde eo adducuntur a nobis, ubi eſt aqua, atque eo regenerationis modo, quo ipſi regenerati ſumus, regenerantur.*

II. Communiter tamen id in fluminibus, aut in ſtagnis præſtabant, uti ſcribunt Walafridus Strabo in Libro, *De rebus Eccleſiaſticis*, Capite XXVI. & Honorius Auguſtodunenſis in Lib. III. *Gemmæ animæ*, Cap. CVI. Et certe de Apoſtolis id diſertis verbis affirmat Tertullianus in Libro, *De Baptiſmo*, Cap. IV. *Nulla diſtinctio eſt, mari quis an ſtagno, flumine an fonte, lacu an alveo diluatur; nec quicquam refert inter eos, quos Joannes in Jordane, & quos Petrus in Tiberi tinxit.* Atque hic obiter nota, poſtremis his verbis, *& quos Petrus in Tiberi tinxit*, egregie refutari eorum calumniam, qui Petrum Romæ fuiſſe negant. Sed ut noſtram rem proſequamur, Paulinus Epiſcopus unus ex miſſis a Gregorio Papa cum Auguſtino in Angliam Diſcipulis, aliquando in fluvio *Trenta* baptizaſſe legitur apud Henricum Huntidonienſem, Lib. III. *Hiſtoriæ Anglicanæ*, & apud Bedam Lib. II. ejuſdem Hiſtoriæ, Cap. XVI. qui etiam Cap. XIV. addit fluvios *Gleni*, & *Sualica*; quia, ut inquit, *nondum Oratoria, vel Baptiſteria in ipſo exordio naſcentis ibi Eccleſiæ poterant ædificari*. Sanctus Victor Martyr Maſſilienſis converſos ad Chriſtum ſui carceris milites, *pro tempore diligenter inſtructos, adſcitis Sacerdotibus, ipſa nocte ad mare duxit, ibique baptizatos propriis manibus de Fonte levavit*; ut habent ejus Acta apud Ruinartium, & apud Adonem in Martyrologio ad diem XXI. Julii. Paſſus eſt Victor circa annum Chriſti CCC.

III. Verum ex omnibus fluviis, qui ad ſacræ regenerationis opus undas ſuas præbuerunt, nullus aliquando celebrior extit Jordane, qui cum ſanctificandi virtutem ex Chriſti Baptiſmate accepiſſet, hoc quamplurimis indidit deſiderium, ut in eo baptizari vellent; teſte inter alios Sancto Hieronymo, qui in Libro, *De locis Hebraicis*, ſic loquitur: *Bethbaara trans Jordanem, ubi Joannes in pœnitentiam baptizabat, unde uſque hodie plurimi de Fratribus, hoc eſt, de numero credentium ibi renaſci rapientes, vitali gurgite baptizantur.* Hoc deſiderio captus Conſtantinus Imperator ad finem uſque vitæ baptizari diſtulit, quod baptizari in Jordane deſideraret, ut docet Theodoretus, Lib. I. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Cap. XXX. his verbis: *Cumque incertum eſſe vitæ exitum animadverteret, Divini Lavacri gratiam ſuſcepit; quod quidem ad id uſque temporis diſtulit, cum in Jordane illud ſuſcipere deſideraret.* Id longe ante ſcripſerat Euſebius, Libro IV. *De Vita Conſtantini*, Capite

pite lxii. Quamquam vero hæc hodie ſit communis Eruditorum ſententia auctoritate Euſebii, aliorumque veterum Scriptorum nixa, quæ docet Conſtantinum in fine vitæ Nicomediæ baptizatum, non deſunt tamen Scriptores etiam recentiores, qui variis argumentis probant Conſtantinum ſacro Baptiſmate inſignitum fuiſſe Romæ a S. Silveſtro Papa. Atque hanc opinionem acerrime tuentur doctiſſimus Franciſcus Blanchinius in Notis ad Anaſtaſium in S. Silveſtri Vita, & eruditus Matthias Phurman Ordinis S. Pauli I. Eremitæ in peculiari Opere, quod inſcripſit, *De Romano Conſtantini Baptiſmo*.

IV. Quicquid autem ſit de hac controverſia, idem deſiderium, ut in Jordane baptizaretur, inſedit etiam S. Baſilio Magno, id atteſtante S. Amphilochio in ejus Vita, Cap. iv. ſi tamen quæ ſub ejus nomine edita eſt, S. Baſilii Vita, verus, & ſincerus ſit Amphilochii fœtus. Sed ut ut & ea res ſit, longe etiam poſtea Baptiſmum in Epiphania eo in flumine celebratum eſſe, probat laudatus Martene in Itinerario Antonini Martyris, cujus hæc ſunt verba: *Juxta Jordanem vero, ubi baptizatus eſt Dominus Jeſus, eſt tumulus cancellis circumdatus, & in loco, ubi redundat aqua de alveo ſuo, poſita eſt Crux lignea intus in aqua, & ex utraque parte rupes ſtrata marmore, & in Vigilia Theophaniæ magnus ibi ſit conventus populorum, & quarta, aut quinta vice gallo cantante, fiunt Vigiliæ. Completis Matutinis, primo diluculo ſurgentes procedunt ad ſacra miniſteria celebranda ſub dio, & Diaconi tenentes Sacerdotem, deſcendit Sacerdos in fluvium; & hora, qua cœpit benedicere aquam, mox Jordanis cum magno rugitu poſt ſe revertitur, & ſtat aqua ſuperior in ſe uſquedum Baptiſmus perficitur; inferior autem fugit in mare.*

V. Plerumque etiam privatis in domibus baptizabantur maxime ægroti, qui ipſo in lecto undis ſalutiferis perfundebantur, Clinici propterea dicti. Hi profecto ad Presbyterii gradum promoveri nequibant, vetante id inprimis Canone xii. Concilii Neoceſarienſis, quod celebratum volunt cccxiv. ubi ita inquit: *Siquis in ægritudine fuerit baptizatus, ad honorem Presbyterii non poteſt promoveri, quod non ex propoſito fides ejus, ſed ex neceſſitate deſcendit; niſi forte propter ſequens ſtudium ejus, & fidem, atque hominum raritatem, talis poſſit admitti.* Adhuc multos fuiſſe Sæculo ix. Clinicos, ob devictas a Carolo Magno multas infidelium nationes, notat Thomaſſinus, Parte II. *Diſciplinæ*, Lib. I. Cap. lxxxvi. Expoſtulabat tamen Concilium vi. Pariſienſe anni dcccxxix. Can. viii. quod perſæpe Canonicæ Leges infringerentur, collatis Ordinibus ei, qui tinctus eſſet inter periculoſæ ægritudinis diſcrimina: *Sicut in pleriſque, ita & in eo auctoritas a nonnullis ſæpe violatur Canonica, quando ſcilicet hi, qui in ægritudine, Baptiſmatis ſuſcipiunt Sacramentum, ad gradus Eccleſiaſticos contra ſat provehuntur. Is uſus, quia auctoritati Canonicæ reſultat, oportet, ut corrigatur, quoniam hujuſcemodi baptizatos, quos vulgaris ſermo Grabatarios vocat, Canonica auctoritas a gradibus Eccleſiaſticis patenter repellit.* Sane Grabatarii a Concilio Antiſſiodorenſi Canone xviii. ii dicebantur, *quibus mors vicina eſt*.

VI. His omiſſis, licuit quidem ferventis perſecutionis rabie, Catechumenos, qui in carceribus detinebantur, in ipſis carceribus baptizare. Id contigiſſe Rogatiano, teſtantur Acta SS. Fructuoſi, Eulogii &c. a Ruinartio edita. Idem de Donatiano referunt Acta SS. Montani & Lucii: *Et Donatianus Catechumenus, qui baptizatus in carcere ſtatim ſpiritum reddidit, ab aquæ Baptiſmo ad Martyrii coronam immaculato itinere feſtinavit*. Porro, qui defectu aquæ, aut quovis alio præpediente impedimento, tingi non poterant, hi proprio ſanguine mundabantur; atque hoc eſt, quod communiter Theologi, ſanguinis Baptiſma appellant. Id privilegii Martyrio conceſſum fuiſſe, docent Sancti Patres, quod non in figura, & Sacramento, ſed in veritate, Chriſti Domini Salvatoris mortem referant. Eo principio innixus S. Baſilius Lib. II. *De Spiritu Sancto*, Cap. xvi. ſic loquitur: *Si quidam in certamine pro pietate ſuſcepto, per veritatem, & non per imitationem, mortem pro Chriſto ſuſtinent, nihil indigent ſymbolis aquæ ad ſalutem, eo quod in proprio ſanguine baptizati ſint.*

VII. Reddita demum Eccleſiæ pace per Conſtantinum Imperatorem de Chriſtiana Religione optime meritum, cœperunt paſſim conſtrui Sacræ Ædes publicæ ad unum Baptiſmatis miniſterium deſignatæ, quæ *Baptiſteria*, aliiſque nominibus appellabantur, de quibus vide ſupra Commentarium ad §. iv. Quod ergo ait noſter §. quod nempe, *licet urgente neceſſitate, ubique baptizare nihil impediat, tamen proprius Baptiſmi adminiſtrandi locus, eſt Eccleſia, in qua ſit Fons Baptiſmalis, vel certe Baptiſterium prope Eccleſiam*, concinit quidem antiquis Synodis, præſertim Trullanæ, anni dcxcii. atque Meldenſi anni dcccxlv. quarum prima, Can. xxxi. ita ait: *Clericos, qui in Oratoriis, quæ ſunt intra domos Sacra faciunt, vel baptizant, hoc illius loci Epiſcopi ſententia facere debere, decernimus. Quare ſiquis Clericus hoc non ſervaverit, deponatur*. Meldenſis vero, Can. xlviii. ſic inquit: *Ut nemo Presbyterorum baptizare præſumat, niſi in vicis, & Eccleſiis Baptiſmalibus, atque temporibus conſtitutis; niſi cauſa ægritudinis, vel certæ neceſſitatis, ſicut Sacra Canonum docet auctoritas*. Si veterem diſciplinam ſpectemus, multiplicato Fidelium numero, jam etiam in una eademque Civitate plura Baptiſteria conſtrui cœpere, non tamen in omnibus Eccleſiis, ſed in principalioribus, aut prope eas, quas propterea Baptiſmales dixerunt ex Canone liv. & Canone lv. apud Gratianum Cauſa xvi. Quæſtione i. ad diſtinctionem earum Eccleſiarum, etiam Parochialium, quæ Baptiſterio carebant, quemadmodum etiamnum hodie in aliquibus Civitatibus, ac potiſſimum in Urbe Roma, plures enumerantur Eccleſiæ Parochiales Baptiſterio diſtitutæ.

VIII. Sequentibus Sæculis, quibus Parochi facti ſunt ordinarii Baptiſmi Miniſtri, illudque miniſterium pene totum ad illos fuit devolutum, tunc quoque contigit, ut omnes paſſim erectæ Parochiales Eccleſiæ Baptiſterium conſtruxerint, in quo omnes Parochiæ incolæ ſolemniter baptizarentur, & ſpiritualiter renaſcerentur, atque hoc titulo Eccleſiam ipſam Parochialem, tanquam Matrem, quæ in Chriſto eos genuit, recognoſcerent, & venerarentur. Recte itaque notat Joannes Baptiſta Gatticus in Libro, *De Oratoriis domeſticis*, Cap. xxviii. Parochum ipſum propria poteſtate abuti, ſi in privato Ora-

tario baptizare auderet, cum etiam Parocho præſcriptæ ſint Leges baptizandi in publico Baptiſterio, niſi gravis neceſſitas urgeret baptizandi infantem in privata domo. Atque huc ſpectat Decretum Concilii Oecumenici Viennenſis celebrati in Gallia ſub Clemente V. Pontifice Maximo, relatum in Clementina unica, *De Baptiſmo*, quod nos inferius referemus in Commentario ad ſequentem §. Juxta hanc Legem S. Carolus in ſuis, *De Baptiſmi adminiſtratione*, Inſtructionibus, ſic Parochum monet: *Neque autem in privatis ædibus, Oratoriis, aliove loco, præterquam in Eccleſia Parochiali, Baptiſmalive, ſolemniter baptizabit*. Hinc in Concilio Provinciali I. Mediolanenſi jam pridem ſtatuit, ut *ſingulæ Parochiales Eccleſiæ ſingulos Fontes habeant, in quibus diligenter totò anno ſervetur aqua Baptiſmalis, ſolemni ritu benedicta*. Ceterum in Concilio Provinciali III. inter alia edixit, ut *Fons Baptiſmalis ne uſquam in aliis Eccleſiis; quam in Parochialibus ſit; vel Epiſcopi conceſſu in illis locis, ubi propterea quod Parochialis Eccleſia longius diſtat, idem populi commodo magis conſulendum eſſe cenſuerit*.

IX. Quod tandem noſter §. inquit, locum adminiſtrandi Baptiſmum eſſe Eccleſiam, Parochialem ſcilicet, *in qua ſit Fons Baptiſmalis, vel certe Baptiſterium prope Eccleſiam*, explicatum a nobis jam fuit ſupra in Commentario ad §. IV. ubi late diſſeruimus de Baptiſteriis ab Eccleſiis ſeparatis, quæ erant etiam veluti Templa, in quibus, & Altaria erant erecta, & Sacræ Sanctorum Reliquiæ reconditæ, atque Imagines, præſertim vero illa S. Joannis Chriſtum baptizantis.

§. XXXI.

Itaque, neceſſitate excepta, in privatis locis nemo baptizari debet, niſi forte ſint Regum, aut magnorum Principum filii, id ipſis ita depoſcentibus; dummodo id fiat in eorum Capellis, ſeu Oratoriis, & in aqua Baptiſmali de more benedicta.

COMMENTARIUS.

I. Quamquam, ut in præcedenti §. dictum eſt, proprius Baptiſmi adminiſtrandi locus ſit Eccleſia, in qua ſit Fons Baptiſmalis, vel certe Baptiſterium prope Eccleſiam; nulluſque in privatis locis, neceſſitate excepta, baptizari debeat, ut ait hic noſter §. excipiuntur tamen ab hac regula *Regum, aut magnorum Principum filii*. Atque id quidem eſt, quod præſcriptum jam fuerat in Generali Concilio Viennenſi celebrato anno MCCCXI. cujus Decretum relatum extat in Clementina unica, *De Baptiſmo*, ubi Clemens V. Pontifex Maximus memorati Concilii Auctor, ac Præſes, ita ſtatuit: *Præſenti prohibemus Decreto, nequis de cætero in Aulis, vel Cameris, aut aliis privatis Domibus, ſed dumtaxat in Eccleſiis, in quibus ad hoc Fontes ſpecialiter ſunt deputati, aliquos, niſi Regum, vel Principum, quibus valeat in hoc caſu deferri, liberi extiterint, aut talis neceſſitas emerſerit, propter quam nequeat ad Eccleſiam abſque periculo propter hoc acceſſus haberi, audeat baptizare. Qui autem ſecus præſumpſerit, aut ſuam in hoc præſentiam exhibuerit, taliter per Epiſcopum ſuum caſtigetur, quod alii attentare ſimilia non præſumant*. Porro notat Gloſſa Juris Canonici in hunc locum, exceptionem, quæ ſit ibi de liberis Regum, & Principum, ut in privatis domibus baptizari poſſint, extendi ad nepotes, & alios deſcendentes, qui loquitur ſub nomine liberorum; ſecus autem ſi dixiſſet de filiis, quia filiorum appellatione, regulariter nepotes non comprehenduntur.

II. Sed ut explicemus nos hunc noſtrum §. conſtanter aſſerimus I. quod, cum ibi excipiuntur *Regum, aut magnorum Pricipum filii*, intelligi numquam debeant magnorum Principum nomine, innumeri fere noſtræ Italiæ, ac præſertim utriuſque Siciliæ Barones, qui licet ſpecioſis Comitum, Marchionum, Ducum, ac Principum etiam titulis gaudeant, ſunt tamen ipſi, ſicut & cæteri, vel de infima plebe, Regum, ac magnorum Principum ſubditi, eorumque Legibus, & coercitioni obnoxii. Quicquid enim nonnulli aſſentatores de ipſorum Baronum excellentia, ac poteſtate jactent, ridiculum, atque inane penitus cenſeri debet, quum magni Principes ii ſolum dicendi ſint, qui nullum ſuperiorem recognoſcentes, Leges condunt, aliaque facere poſſunt, a quibus abſtinere Barones omnino tenentur. Aſſerimus II. ex recitata ſuperius Clementina, licere quidem Regum, ac magnorum Principum liberos extra Eccleſiam, in eorum ſcilicet Palatiis baptizare, ſed, ut ait hic noſter §. *id ipſis ita poſcentibus*, ubi ſcilicet eam facultatem poſtularent, ab Ordinario nempe loci. III. *dummodo id fiat in eorum Capellis, ſeu Oratoriis*, privatis nimirum ipſorum Principum; nam alias ambigendum non eſt, quin in illis Capellis, ſeu Eccleſiis Palatinis, utpote quæ publicis Eccleſiis æquiparantur, & quandoque ſunt etiam Eccleſiæ Parochiales, poſſit, nulla habita privilegii ratione, de quo & citata Clementina, & §. noſter loquuntur, Baptiſmus adminiſtrari, ut ſcite notat doctiſſimus Joſephus Carafa Clericus Regularis, primum Epiſcopus Triventi, nunc Mileti, in celebri Opere, *De Capella Regis &c.* Capite VII. quod inſcriptum eſt, *De Baptiſmo Regum*, ubi etiam diſſerit de ſolemni ritu adminiſtrandi Baptiſmum filiis Regum, ac Principum in eorum Palatiis, IV. demum debere hujuſmodi Baptiſmum adminiſtrari *in aqua Baptiſmali de more benedicta*, ſtatis ſcilicet temporibus, Paſchatis, aut Pentecoſtes, ut alias dictum fuit; & accepta a Fonte Baptiſmali, ac delata in vaſculo mundo ad locum, ubi debet celebrari Baptiſmus; quo peracto, aqua ipſa, quæ ex capite baptizati infantis effluxit, recepta in alio vaſe, reportanda eſt ad Eccleſiam, ut in ejus Sacrarium effundatur, uti dictum etiam fuit in Commentario ad §. XII.

III. Ceterum conſueviſſe aliquando ipſos Principum filios, non in eorum Capellis, verum in Eccleſia præcipua Urbis baptizari, ex variis poſſet veteribus monumentis probari. Joannes Pa-

Paternione Archiepiſcopus Panormitanus io Allegatiooibus, quas edidit pro ſua Eccleſia Panormitana, inter alia privilegia receoſet, quod ibi Siculi Reges ſalutaribus aquis abluereotur. Cui adhærens Amatus Lib. III. Cap. I. ait, non io Capella Palatina, ſed in Metropolitana Eccleſia Regios pueros ſuiſſe ablutos; nullumque a Pirro io Notitia illius Capellæ indicari Regem, qui illic Baptiſmum acceperit, quos tamen in Cathedrali baptizatos, colligitur ex veteribus monumentis, & ex Chronico cujuſdam Anonymi Scriptoris, apud Martene Tomo III. Anecditorum, ubi ſic inter alia legitur; *Anno a Nativitate Domini MCCCV. Indictione III. die Mercurii in mane diei xiv. videlicet menſis Julii apud Parcum novum de tenimento Panormi natus fuit ex dicta Domina Alianora uxore dicti Domini Regis Friderici II. eidem Regi Friderico filius nomine Domp. Petrus, qui Domp. Petrus die Sabbati xxiv. ejuſdem baptizatus fuit in Fonte majoris Panormitanæ Eccleſiæ.* Vide plura apud laudatum Caraſam loco citato.

§. XXXII.

Baptiſterium ſit decenti loco, & forma, materiaque ſolida, & quæ aquam bene contineat, decenter ornatum, & cancellis circumſeptum, ſera, & clave munitum, atque ita obſeratum, ut pulvis, vel aliæ ſordes intro non penetrent, in eoque, ubi commode fieri poteſt, depingatur Imago S. Joannis Chriſtum baptizantis.

COMMENTARIUS.

I. DIximus, & quidem late de Baptiſterio, aliiſque ad ipſum ſpectantibus, ſupra Capite I. in Commeotario ad §. IV. ſed ne taciti hunc præſentem §. præterire videamur, adnotandum plaoe cenſuimus, quod in eo ſtatuitur, non modo in variis Ritualibus, verum etiam in permultis Synodis ſuiſſe ordinatum, atque explicatum, præſertim vero in Provinciali V. Mediolanenſi S. Caroli, ubi agit de iis, quæ pertioent ad Sacramentum Baptiſmi, & ab eodem Sanctiſſimo Antiſtite in Inſtructionibus Fabricæ Eccleſiaſticæ, Cap. XIX. quod, *De Baptiſterio*, ioſcriptum eſt, ubi plura ſcitu digna, & quæ loogum eſſet hoc loco deſcribere, ſtudioſus ſacrorum rituum inveniet. His itaque omiſſis, quod ſtatuit hic noſter §. ut in Baptiſterio *depingatur Imago S. Joannis Chriſtum baptizantis*, non modo S. Carolus, ſed & alii Epiſcopi in ſuis Synodis, ac Ritualibus ordioaruot. Sed audiamus Concilium Provinciale XII. Beneventanum Tit. XXI. Cap. unico, quo ea, quæ hoc noſtro §. ſtatuuntur, ſic explicaotur: *Fons Baptiſmalis pretioſo marmore, vel alio ſolido, ut melius in regione haberi poteſt, ſit. Opertum habeat pyramidalem decenti altitudine rubro panno, vel tela intrinſecus coopertum. Operimentum habeat vel ex marmore, vel tabulis, vel tela depicta; in cujus ſuperiori parte ædificetur cellula ad conſervanda ſacra Olea; coopertum autem corio picto, aut cerata tela. Os vero Fontis ſtamnea lamina operiant; ſemper clauſum maneat, niſi cum uſui eſt. Baptiſterium ligneis, aut lapideis cancellis ſepiatur. Imago S. Joannis Chriſtum baptizantis in pariete prope pingatur &c.*

II. Jam non modo Imagine S. Joannis baptizantis Chriſtum, verum etiam variis aliis picturis adornata ſuiſſe Baptiſteria, teſtatur S. Paulinus in Epiſtola XII. ad Severum, itemque Anaſtaſius in Vita Leonis Papæ III. ubi ait, quod *ipſum Baptiſterium diverſis in circuitu decoravit picturis*. Conſueviſſe autem potiſſimum ea depingi, quæ ad Baptiſmum pertinerent, teſtis eſt Ægidius Monachus Aureæ Vallis io Oberto Epiſcopo Ledienſi, Cap. XVIII. his verſibus.

Fontes fecit opere fabrili,
Arte vix comparabili,
Duodecim qui ſuſtinent
Boves, typum gratiæ continent.
Materia eſt de myſterio,
Quod tractatur in Baptiſterio.
Hic baptizat Joannes Dominum.
Hic gentilem Petrus Cornelium.
Baptizatur Craton Philoſophus,
Ad Joannem confluit populus.
Hoc quod Fontes deſuper operit,
Apoſtolos, & Prophetas exerit.

Afferri & alia teſtimonia poſſent veterum Scriptorum, quibus docemur, non modo Baptiſteria ornata ſuiſſe Imagine S. Joannis Chriſtum baptizantis, verum etiam Altaria in eiſdem erecta ſuiſſe cum ipſa Imagine, ſed videri ea poſſunt, quæ nos in citato noſtro ad §. IV. Commentario diximus.

De ſacris Oleis, & aliis requiſitis.

§. XXXIII.

Sacrum Chriſma, & Sanctum Oleum, quod & Catechumenorum dicitur, quorum uſus eſt in Baptiſmo, eodem anno ſint ab Epiſcopo de more benedicta Feria V. in Cœna Domini.

COMMENTARIUS.

I. INungi baptizandum ſacris Oleis, antiquiſſima eſt Eccleſiæ diſciplina, cujus teſtes ſunt pervetuſti Patres, ac Sacræ Synodi, ex quibus etiam addiſcimus, duplicem in Baptiſmo adhiberi unctionem, alteram ante Baptiſmum in pectore, & ſcapulis Oleo Sancto, quod dicitur Catechumenorum, alteram poſt Baptiſmum Oleo, quod Chriſma appellatur, in vertice, ut in-

infra ſuis locis dicemus. Eſt autem Chriſma Oleum balſamo mixtum, ab Epiſcopo, aſſiſtentibus Sacerdotibus duodecim, Diaconis ſeptem, totidemque Subdiaconis, Feria v. majoris hebdomadæ ſolemniter conſecratum. Oleum vero Sanctum, ſeu Catechumenorum, eſt Oleum ab Epiſcopo eadem die, ac ſolemnitate benedictum ad reddendum illo inunctum verum Chriſti athletam, luctamen hujus ſæculi luctaturum, ut Sanctus Ambroſius docet.

II. Olei Sancti, & Chriſmatis inſtitutionem ad uſum Baptiſmi, referendam eſſe ad ipſum Fidei Chriſtianæ initium, & Apoſtolicam traditionem, conſtanter aſſerunt ritualium rerum Scriptores, probantque ex Patribus, atque Conciliis. S. Baſilius in Libro, *De Spiritu Sancto*, Capite XXVIII. inter alios ritus, quos ex Apoſtolica traditione Eccleſia accepit, benedictionem ipſam Olei ad Baptiſmi uſum recenſet: *Benedicimus*, inquit, *aquam Baptiſmalis*, *& Oleum unctionis.* Mentionem Chriſmatis ad Baptiſmi uſum, facit inter alios vetuſtiores Patres S. Cyprianus in Epiſtola LXX. ad Januarium, & Epiſcopos Numidas, in qua etiam ait peractam fuiſſe ejus conſecrationem ad Altare, non ſecus ac Euchariſtiam: *Ungi quoque neceſſe eſt eum qui baptizatus ſit, ut accepto Chriſmate, ideſt unctione, eſſe unctus Dei, & habere in ſe gratiam Chriſti poſſet*. Et mox juxta Manutii emendationem: *Porro autem Euchariſtia eſt, unde baptizati unguntur Oleo in Altari ſanctificato*. Et quidem invocato Chriſti nomine, ut diſcimus ex Optato Milevitano, Lib. VII. adverſus Parmenianum, his verbis: *Oleum nominant illum liquorem, qui in nomine Chriſti conditur, quod Chriſma, poſtquam conditum eſt, nominatur*. Ex quibus colligi & illud poteſt, quam nempe immerito Theodorus Lector Lib. II. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, aſſerat, Petrum Fullonem inſtituiſſe, ut Sacrum Chriſma in Eccleſia coram omni populo conſecraretur.

III. Reſediſſe jus hujus benedictionis penes ſolos Epiſcopos, tradunt Libri Rituales, tam Latini, quam Græci omnes, itemque variæ antiquæ Synodi, tametſi illud ſibi auſu temerario uſurpare non ſemel tentaverint Presbyteri, de quibus cum conqueſtus fuiſſet Fortunatianus Epiſcopus in Concilio Charthaginenſi II. anni CCCXC. Can. III. *ab univerſis Epiſcopis dictum eſt: Chriſmatis confectio, & puellarum conſecratio a Presbyteris non fiat*. Quem Canonem non multo poſt renovavit Concilium Carthaginenſe III. anni CCCXCVII. Can. XXXVI. ſtatuens, *ut Presbyter, inconſulto Epiſcopo, Virgines non conſecret, Chriſma vero numquam conficiat*. Eundem abuſum gliſcentem in Hiſpania compeſcere conatum eſt Concilium Toletanum I. anni CD. edito Canone XX. *Quamvis*, inquit, *pene ubique cuſtodiatur, ut abſque Epiſcopo Chriſma nemo conficiat; tamen quia in aliquibus locis, vel Provinciis, Presbyteri dicuntur Chriſma conficere, placuit, ex hac die nullum alium, niſi Epiſcopum Chriſma facere, & per Diœceſim deſtinare*. Sed de hac re jam late ſcripſi in Commentariis ad Romanum Pontificale, viderique præ ceteris poteſt, quod eandem in rem docet Sanctiſſimus Dominus noſter BENEDICTUS XIV. Lib. VII. *De Synodo Diœceſana*, Cap. VIII.

IV. Porro licet olim ſacrorum Oleorum, & Chriſmatis benedictioni nulla primum ſtata, præfixaque dies fuerit, ſed, prout res exigebat, ad Epiſcopi arbitrium ea benedictio peragebatur, invaluit tamen poſtea diſciplina, ut ſacra ipſa Olea, & ſacrum Chriſma Feria v. in Cœna Domini benedicerentur. Morem Eccleſiæ antiquum innuit laudatum ſuperius Toletanum I. Concilium citato Can. XX. *Epiſcopo ſane certum eſt omni tempore licere Chriſma conficere*. Forte verba illa *omni tempore* reſtringi poſſunt ad ipſam Feriam v. in Cœna Domini, ut ex contextu ejuſdem Canonis licet addiſcere; dum inter alia mandat, *ut de ſingulis Eccleſiis ad Epiſcopum ante diem Paſchæ Diaconi deſtinentur, aut Subdiaconi, ut confectum*, ſive *confeſtim*, ut alias legitur, *Chriſma ab Epiſcopo deſtinatum ad diem Paſchæ poſſit occurrere*. Illud ſane pro certo haberi debet, multis ſacris Ritibus, qui tribus primis Sæculis, perſecutorum metu, clam, & quibus poterant diebus celebrabantur, data Eccleſiæ pace, ſua fuiſſe tempora aſſignata, præſertim vero ubi id aliqua myſtica ratio poſtulabat. Certe de confectione Chriſmatis præfixa Feriæ v. in Cœna Domini ſic ſcribit S. Iſidorus Epiſcopus Hiſpalenſis, Lib. I. *De Officiis Eccleſiaſticis*, Cap. XXVIII. quod, *de Cœna Domini*, inſcriptum eſt: *Qua die etiam Sanctum Chriſma conficitur, quia ante biduum Paſchæ Maria caput, ac pedes Domini unguento perfudiſſe perhibetur*.

V. Prædicta die quotannis tam apud Latinos, quam Græcos ex pervetuſto Eccleſiæ ritu peragendam eſſe ab Epiſcopo ſacrorum Oleorum, nempe Infirmorum, & Cathecumenorum, ac Chriſmatis benedictionem intra Miſſarum ſolemnia, expreſſe edicunt variæ antiquæ, ac recentiores Synodi, itemque Pontificales, ac Cæremoniales, Ritualeſve Libri omnes; ex quibus etiam illud præcipitur, quod & hic noſter §. ſtatuit, ut nempe *ſacrum Chriſma, & Oleum, quod & Catechumenorum dicitur, quorum uſus eſt in Baptiſmo, eodem anno ſint ab Epiſcopo de more benedicta Feria v. in Cœna Domini*. Neque enim fas eſt Epiſcopo alia, quam prædicta die, Chriſmatis, & memoratorum Oleorum benedictionem peragere, neque Parocho alio uti Chriſmate, ac Oleo Catechumenorum, quam illis, quæ eodem anno ſint ab Epiſcopo de more benedicta Feria v. in Cœna Domini, ut ex infra dicendis magis magiſque perſpicuum fiet.

§. XXXIV.

Curet Parochus, ut ea ſuo tempore quamprimum habeat, & tunc vetera in Eccleſia comburat.

COMMENTARIUS.

I. Chriſma, & ſacra Olea benedicenda eſſe ab Epiſcopo inter Miſſarum ſolemnia Feriæ v. in Cœna Domini, jam diximus in Commentario ad §. præcedentem. In præſenti autem §. edicitur, *curet Parochus, ut ea ſuo tempore quamprimum habeat*, a ſuo ſci-

licet

licet Epiſcopo, cui ſubditus eſt, non autem ab alieno, & ante ſolemnitatem Paſchatis, uti paſſim Sacræ Synodi mandant, inter quas Carthaginenſis IV. anni CCCXCVIII. Can. XXXVI. ita mandat: *Presbyteri, qui per Diœceſes Eccleſias regunt, non a quibuslibet Epiſcopis, ſed a ſuis, nec per juniorem Clericum, ſed aut per ſeipſos, aut per illum, qui Sacrarium tenet, ante Paſchæ ſolemnitatem Chriſma petant*. Vaſenſis Synodus anni CDXLII. Can. III. etiam jubet, ut *per ſingula territoria Presbyteri, vel Miniſtri, ab Epiſcopis, non, prout libitum fuerit, a vicinioribus, ſed a ſuis propriis per annos ſingulos Chriſma petant, appropinquante ſolemnitate Paſchali*. Sed aliis omiſſis variis temporibus celebratis Conciliis, in Concilio Provinciali Beneventano V. anni MCCCXXXI. Cap. XLIX. excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrere dicuntur, *qui recipiunt ſacrum Chriſma, Oleum Sanctum, & Oleum infirmorum ab alienis Epiſcopis, licentia non obtenta*, a ſuis ſcilicet propriis Epiſcopis, uti expreſſe habetur in Provinciali VI. Concilio itidem Beneventano anni MCCCLXXIV. Tit. III. Cap. III. §. *Sed ante*, ubi ſic inter alia inquit: *Ex Conſtitutionibus quippe noſtræ Beneventanæ Eccleſiæ excommunicati ſunt ipſo facto omnes, qui recipiunt ſanctum Chriſma, Oleum ſanctum, Oleum Infirmorum ab alienis Epiſcopis, licentia non obtenta a ſuis Epiſcopis*.

II. Quod alteram noſtri §. partem attinet, qua edicitur, ut Parochus vetera ſacra Olea, & Chriſma *in Eccleſia comburat*, poſtquam ſcilicet nova ab Epiſcopo ſuo benedicta in Feria V. Cœnæ Domini obtinuit, nititur Canone, *Literis*, De conſecratione, Diſtinctione III. deſumpto ex Epiſtola II. Fabiani Papæ ad Orientales Epiſcopos data, quæ, licet ſuppoſititia ſit, ſicut & aliæ ejuſdem Pontificis Epiſtolæ, antiquus eſt nihilominus ritus in citata Epiſtola præſcriptus, ut ſcilicet Chriſma *per ſingulos annos in jam dicta die ſit innovandum, & vetus in ſanctis Eccleſiis cremandum*; ejuſque ritus mentionem faciunt paſſim priſcæ Synodi, atque antiqui Rituales, & Pontificales Libri, uti notavimus Tomo III. noſtri Romani Pontificalis, Tit. IV. in Commentario ad §. XXIII. ubi etiam Decretum S. Caroli deſcripſimus, qui in Concilio Mediolanenſi Provinciali IV. Parte II. Conſtitutionum paulo poſt initium ita mandat: *Parochus ubi primum Olea ſacra nova acceperit, vetera ſtatim comburat in lampade, quæ ante Sanctiſſimum Sacramentum collucet, bombice in Sacrario plane exuſto*. Concinit quidem iis, quæ ſtatuit Romanum ipſum Pontificale citato loco ſic inquiens: *Vetus autem Chriſma, & Oleum Catechumenorum, & Infirmorum, ſi quod remanſerat in ampullis, ponitur in lampadibus Eccleſiæ ante Sacramentum, ut comburatur; reliquum autem, quod eſt in pyxidibus, ſive capſulis, cum bombice igni comburitur*. Porro, ut vetus Chriſma, & Oleum in lampadibus Eccleſiæ comburantur, conſtat ex ms. Pontificali Eccleſiæ Apamienſis in Syria anno MCCXIV. exarato, & ex ms. Pontificali Arelatenſis Eccleſiæ annorum circiter D. apud Martene, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina in Divinis celebrandis Officiis*, Cap. XXII. pag. 320. & 325.

III. Sed non deſunt tamen alii Codices antiqui Pontificales, ex quibus docemur, facta novi Chriſmatis conſecratione, quod ſupererat ex veteri, non quidem comburi, ſed cum recens benedicto miſceri conſueviſſe. Ita plane ſtatuit ms. Pontificale Bellovacenſe annorum circiter DCCC. apud Martene loco citato pag. 318. *Tunc Chriſma novum miſceatur cum veteri, ſiquid reſiduum ſit, ſimiliter & Oleum, & ita dividat Presbyteris*. Idem præſcribit Pontificale Conſtantinopolitanum, & Silvanectenſe apud laudatum Scriptorem citato Cap. XXII. §. IV. num. I. pag. 266. At vero Concilium Beneventanum VI. Provinciale anni MCCCLXXIV. Tit. III. Capite III. §. *Sed ante*, præſcripſit quidem, ut *effundatur vetus Chriſma intra Fontes Eccleſiæ Baptiſmales, & ibidem diligenter abluantur ampullæ, vel intra Eccleſiam vetus Chriſma, & Oleum conſerventur*. Ceterum illud advertendum eſt, quod alias non obſcure docet hic noſter §. ut tunc, & non prius, vetera Olea comburantur, quam recens benedicta habita fuerint, & ad Eccleſiam delata; contingere enim poſſet, ut urgente neceſſitate, & novis deficientibus Oleis Sacris, veteribus utendum ſit, ut in ſequenti Commentario dicemus.

§. XXXV.

Veteribus Oleis, niſi neceſſitas cogat, ultra annum non utatur; ac ſi deficere videantur, & Chriſma, aut Oleum benedictum haberi non poſſit, aliud Oleum de olivis non benedictum adjiciatur, ſed in minori quantitate.

COMMENTARIUS.

I. SAcris Oleis, & Chriſmate rite ab Epiſcopo benedictis Feria V. in Cœna Domini, & ad Eccleſias delatis, debere vetera comburi, & quidem juxta pervetuſtam Eccleſiæ diſciplinam, in Commentario ad ſuperiorem §. dictum jam fuit, non enim iis ultra annum uti licet, *niſi neceſſitas cogat*, ut in præſenti §. edicitur, quia nempe ob aliquem caſum haberi nova Olea benedicta non potuerunt. Quo caſu, ut idem noſter hic §. ait, *ſi deficere videantur*, vetera nempe Olea, *& Chriſma, aut Oleum benedictum haberi non poſſit, aliud Oleum de olivis non benedictum adjiciatur, ſed in minori quantitate*. Loqui videtur hic noſter §. de Oleis intra annum benedictis, ſi ipſa deficere viderentur, ſed puto eandem regulam ſervandam in veteribus Oleis, ubi recens benedicta, ob aliquam difficultatem, uti dictum eſt, haberi non potuiſſent, quia ſcilicet loco ab hoſtibus obſeſſo, vel peſte laborante, minime Parochus valuerit Eccleſiæ ſuæ de Oleis intra annum benedictis providere. Scio equidem, graviter Sacerdotem peccare, graviterque etiam puniri debere, qui veteri benedicto Oleo uteretur; ſed intelligendum hoc tamen eſt, ubi neceſſitas non cogeret ad id faciendum; urgente quippe neceſſitate, novo

Oleo

Oleo benedicto deficiente, recte adhiberi poſſe Oleum benedictum vetus, reſpondit Sacra Congregatio Epiſcoporum negotiis præpoſita die xx. Maji anni MDXC. apud Gavantum in Manuali Epiſcoporum, verbo, *Extrema unctio*; & docet, ac ſtatuit S. Carolus in Inſtructionibus, *De Baptiſmi adminiſtratione*, pag. 502. ſic inquiens: *Veteri autem, vel Oleo ſancto, vel Chriſmate non utetur*, Parochus ſcilicet, *niſi, antequam novum habeatur, neceſſitas illius utendi inciderit*. Atque hanc ſententiam probant paſſim Theologi, inter quos Diana coordinatus, Tomo II. Tractatu IV. Reſolutione VIII. §. I. ubi etiam varios Doctores citat, quibus adhærent Theologi Salmanticenſes Carmelitæ Diſcalceati apud Barruſaldum in Commentariis ad Rituale Romanum Tit. x. §. I. num. 9.

II. Porro, quod hic ait noſter §. ut, ſi ſacra Olea *deficere videantur, & Chriſma, aut Oleum haberi non poſſit, aliud Oleum de olivis non benedictis adjiciatur, ſed in minori quantitate*, conſentit quidem variorum Conciliorum, ac Ritualium Statutis; ſed adhibenda eſt tamen a Parochis ea diligentia, quam inter alias præſcripſit Provincialis VI. Synodus Beneventana anni MCCCLXXIV. Tit. III. Cap. III. ubi in fine ita ſtatuit: *Si forte contigerit, quod Oleum, & Chriſma deficiant, ſtatim mittant ad Archipresbyteros pro Chriſmate, & Oleo, & ſi ab eis haberi non poſſint, vel ſine periculo expectare, ſi aliquid reſidui fuerit, admiſceant illi reſiduo Chriſmatis, & illi reſiduo Olei Oleum olivarum non conſecratum, & eis unctiones faciant ſupradictas*. Deponendos mox etiam mandat Sacerdotes, qui veteri Chriſmate inungunt pueros in Baptiſmo, præterquam in mortis articulo. Sed audiamus S. Carolum, qui rem, de qua agimus, iterum iterumque explicuit juxta receptam probatamque in multis Ritualibus diſciplinam, ac praxim. Ergo in Concilio Provinciali Mediolanenſi IV. Parte II. Conſtitutionum, Capite, quod inſcriptum eſt, *Quæ ad Sacramentalia, vel ad Sacramenta communiter pertinent*, ita quidem habet: *Sacro Oleo deficiente, ſi tempus non patitur, ut aliunde haberi poſſit, illa ratio ineatur Canone præſcripta, ut cum Oleo conſecrato miſceatur non conſecratum; id vero non conſecratum guttatim ita infundatur, ut ſemper quod infunditur, minus ſit Oleo conſecrato, quod vel exiguum in vaſe reliquum eſt*. Idem repetit Parte IV. Actorum in Rubricis, ſeu Inſtructionibus, *De Baptiſmi adminiſtratione*, pag. 502. & ſeq. ubi ſic inquit: *Si vero Oleum ſacrum, Chriſmave intra annum deficere videtur, neque aliunde haberi poteſt in tempore aliud non benedictum, ut alio loco dictum eſt, ſenſim tantum infundet*, Parochus ſcilicet, *ut hoc minus ſit, quam illud, quod conſecratum, benedictumve eſt*.

§. XXXVI.

Chriſma, & Oleum ſacrum ſit in ſuis vaſculis argenteis, aut ſaltem ſtanneis bene obturatis; quæ vaſcula ſint inter ſe diſtincta, & propriam unumquodque inſcriptionem habeat majuſculis litteris inciſam, nequis error committatur.

COMMENTARIUS.

I. AD explicandum præſentem §. nihil puto afferri luculentius poſſe, quam quod de vaſculis ipſis pro aſſervandis ſacris Oleis in Parochiali Eccleſia, præſcripſit S Carolus Parte IV. Actorum Eccleſiæ Mediolanenſi in Inſtructionibus Supellectilis Eccleſiaſticæ, Lib. II. Parte II. pag. 636. & ſeq. his verbis: *Vaſcula Parochialis Eccleſiæ ad uſum ſacra Olea ſervandi, ubi præ inopia ex argento fieri non poſſunt, ex ſtanno puro, eoque nobiliori fient, tum perpolita, mundave omnino ſint. Tria autem parentur forma rotunda, atque ejuſmodi, quæ inter ſe nulla plane diſſimilitudine ſint, atque ſic quidem apte coagmentata, conjunctave, ut trianguli figuram exhibeant. Iis omnibus vaſculis ſimul contegendis, operculum unum ſolidum adhibeatur, ita confectum, ut & paululum vaſculorum contegendo undique capiat, & cum illa operiuntur, hoc non disjungatur, ſed in una parte filum hæreat, totumque vaſculorum opus operiatur. Id operculum etſi totum ſolidum, unumque eſt, triplici tamen circulo diſtinctum, triplicique concavitate ab inferiori parte conſtans, ruſus ab exteriori paululum eminens (quæ concavitas uſui ſit ad reponendum bombacium, quo ſacrum Oleum opertum eſt, cum illud poſtea ad miniſterium adhibeatur) & intrinſecus, & extrinſecus in unoquoque circulo literas aperte expreſſas habeat, quibus unicujuſque ſacri Olei vaſculum diſtincte internoſcatur. In primo vaſculo ſacrum Oleum Chriſmatis aſſervetur. In altero Oleum Catechumenorum. Operculum vaſculi ſacri Chriſmatis inſculpitur his literis*: CHR: *Alterum, quo vaſculum Olei Catechumenorum inſculpitur*: CATH. Plura de hujuſmodi vaſculis habet idem S. Antiſtes in Conciliis Provincialibus, Diœceſaniſque Mediolanenſibus, atque in Actis citatis; eademque fere præſcribunt & aliarum Eccleſiarum Libri Rituales, ac Synodi, quorum loca ſupervaçaneum eſt hic recenſere.

II. Sane ex præſcripto Provincialium Conſtitutionum Beneventanæ Eccleſiæ, ut teſtatur Provinciale Concilium VI. Beneventanum anni MCCCLXXIV. Tit. III. Cap. III. cautum & illud eſt, *ut vaſa, in quibus ſanctum Chriſma, & Oleum ſanctum reponuntur, ſint de ſtagno, vel alio metallo, ita quod de facili frangi non poſſint, nec liquores prædicti effundi*. Concilium Beneventanum Provinciale XIII. anni MDCLVI. Tit. XL. num. 9. abſolute edicit, ut *vaſcula dictorum Oleorum decenti conſtent materia, & forma cum inſcriptione eorum, ac perpolita, & munda perpetuo ſint, & ſacculo ſerico incluſa*. Optandum autem, ut hujuſmodi vaſcula eſſent argentea, ut præſcribere videtur noſter §. licet ſtannea permittat, quod forte præ inopia alicubi ex argento fieri non poſſint. Præter vaſcula argentea, ſtanneave, quæ noſter §. pro aſſervandis ſacris Oleis memorat, permitti non debent, ænea,

aut

aut vitrea, ſive fictilia, quia ſcilicet æs eruginem viridem producit, quæ Olea corrumpit; vitrea autem, fictiliave frangi facile poſſent, & Sacri Liquores effundi, uti recte admonet laudatum ſuperius Concilium Provinciale VI. Beneventanum. Nequis vero error committatur in adhibendis Sacris Oleis, recte & illud cautum eſt ex noſtro §. & ex Conciliis, ac Ritualibus paſſim, ut vaſcula ipſa ſint inter ſe diſtincta, & proprium unumquodque inſcriptionem habeat majuſculis litteris inciſam. Vide & quæ de vaſculis iſtis dicemus infra in Commentario ad §. XLII. & ſeqq.

§. XXXVII.

Ad uſum vero quotidianum minora habeantur vaſcula ex argento, ſi fieri poteſt, aut ſtanno, ſive ſeparata, ſive etiam conjuncta; apte tamen diſtincta, & bene cooperta, & cum ſuis inſcriptionibus, ut ſupra, ne Parochus aberret, & unum pro altero ſumat, quod cavere debet diligenter.

COMMENTARIUS.

I. PRæter vaſcula majora, de quibus loquitur præcedens §. mandat nunc §. præſens, ut *ad uſum quotidianum minora habeantur vaſcula ex argento, ſi fieri poteſt, aut ſtanno &c.* Late & de hujuſmodi vaſculis diſſerit quidem S. Carolus in Conciliis, atque in Actis Eccleſiæ Mediolanenſis. In Concilio Provinciali IV. Parte II. Conſtitutionum ſic habet: *Unaquæque Parochia duo vaſcula ſacrorum Oleorum, Chriſmatis, & Catechumenorum, vaſcula item duo Extremæ Unctionis habeat, quæ confecta, & ornata ſint ad formam in Libro Inſtructionum præſcriptam.* Tum vero mox: *Iíque ut die ſacro Cœnæ Domini illa vacua diligenter ante abſterſa, ac bene parata, nec vero ampullæ, aut alia ejuſmodi ad Olea ſacra recens conſecrata ferenda adhibeantur; aliaque rurſus retineantur ad aſſervandum quod reliquum eſt Oleum vetus, quod uſui eſſe poſſit, ſi in ſua Parochiali cura opus eſſet, dum illa recens apportantur.* Eadem repetit Parte IV. Actorum, Lib. II. Inſtructionum Supellectilis Eccleſiaſticæ, pag. 606. & 619. ubi diviſim agit de Supellectile Eccleſiæ Cathedralis, & Parochialis, quæ ſcilicet ad cultum, & adminiſtrationem Sacræ Euchariſtiæ, aliorumque Sacramentorum uſui eſt: *Vaſa duo*, inquit, *ſacrorum Oleorum, Chriſmatis, & Catechumenorum, eaque duplicia cum ſuis ſacculis, & cotylis, ob cauſam ſupra enarratam in Supellectili Baſilicæ Cathedralis*; quæ illa quidem cauſa eſt, quam nos ſuperius ex Concilio IV. Provinciali Mediolanenſi deſcripſimus.

II. Notanda vero illa potiſſimum ſunt, quæ hic noſter §. de eiſdem vaſculis mandat, ut nempe, ſive ſeparata, ſive etiam conjuncta habeantur, ſint *apte tamen diſtincta, & bene cooperta, & cum ſuis inſcriptionibus, ut ſupra, ne Parochus aberret, & unum pro alio ſumat, quod cavere debet diligenter.* Peccaret enim graviter ſi in ea re negligenter ſe gereret, unumque Oleum pro alio acciperet, & adhiberet. Siquis autem hic quærat, quid tunc agendum ſit, referam plane illud, quod eam in rem præſcripſit Concilium Provinciale VI. Beneventanum anno Chriſti MCCCLXXIV. Tit. III. Cap. III. in fine, his verbis: *Et ſi forte negligentia, vel errore, loco Olei, cum Chriſmate puer inunctus fuerit, vel infirmus, non fiat ulterius inunctio Olei, quia cum Chriſmate jam eſt facta, cum Chriſma ex Oleo & balſamo componatur. Quando vero inunctio eſt facienda cum Chriſmate, & fit cum Oleo per errorem; vel illa, quæ eſt facienda cum Oleo Infirmorum, fiat cum Oleo Catechumenorum, vel e converſo, ſuppleatur adhuc Chriſmatis, vel Olei inunctio, quæ incaute fuerat prætermiſſa.* Concludit tandem, aitque: *Caveant ergo Presbyteri a tali errore, alioquin graviter punientur.* Sed de hac quæſtione vide eruditum Sarnellium Tomo VI. Epiſtola XX. præſertim vero S. Carolum in ſuis Inſtructionibus.

§. XXXVIII.

In ea igitur ex majoribus vaſculis Chriſmatis, & Olei, quod ſufficiat, infundatur; atque, ut effuſionis periculum caveatur, commodum erit in his vaſculis bombacium, ſeu quid ſimile habere, Oleo Sacro, & Chriſmate ſeparatim perfuſum, in quæ pollex, cum opus eſt, ad inungendum immittatur.

COMMENTARIUS.

I. UBi ex majoribus vaſculis Chriſmatis, & Olei, quod ſufficiat, in vaſcula minora infunditur, recte monet hic noſter §. ad evitandum effuſionis periculum, commodum eſſe, *in his vaſculis bombacium, ſeu quid ſimile habere.* Idipſum plane cautum fuit ex variis Ritualibus Libris, ac multis Synodis præſertim recentioribus, inter quas Diœceſana Mediolanenſis XI. quam celebravit Sanctus Carolus anno Chriſti MDLXXXIV. in Monitis executionis Decretorum, quæ ad Sacramentalia, & Sacramenta pertinent, ſic inquit: *Vaſcula ſacri Chriſmatis, & Oleorum ſacrorum ita bumbucio intrinſecus munita ſint, ut nequid ſacri Olei inde effluere ullo modo poſſit, cum circumferuntur.* Sane cum noſter §. in prædictis vaſculis ad munienda ſacra Olea adhiberi poſſe dicat *bombacium, ſeu quid ſimile*, recte notat ad hunc §. Barruſaldus, num. 22. quid ſimile bombacio eſſe linum, ſericum diſſolutum, vel parvam ſpongiam, tota enim

enim materia hæc eſt apta ad ebibendum Oleum, & ad illud reddendum, ſeu exprimendum ad omnem levem compreſſionem pollicis, qui digitus in ſacris unctionibus ſemper adhibendus eſt ex Rubricarum præſcripto, uti ſcite docent Auctores, qui eaſdem interpretantur.

§. XXXIX.

Hæc vaſcula ita parata in loco proprio, honeſto, ac mundo, ſub clave, ac tuta cuſtodia decenter aſſerventur, ne ab aliquo, niſi a Sacerdote, temere tangantur, aut eis ſacrilege quiſquam abuti poſſit.

COMMENTARIUS.

I. SÆpe jam a Sacris Conciliis, & a Pontificalibus, atque a Ritualibus cautum fuit, ut vaſcula cum ſacris Oleis, *loco proprio, honeſte, ac mundo, ſub clave, ac tuta cuſtodia decenter aſſerventur*, in Eccleſia ſcilicet, ac proprie in ejus Baptiſterio, ut non uno in loco edixit S. Carolus, præſertim vero in Concilio Provinciali Mediolanenſi III. Capite inſcripto, *Quæ ad Sacramentalia, & Sacramenta generatim pertinent*, ubi inter alia ſtatuit, ut *ſancti Chriſmatis, & ſacri Catechumenorum Olei vaſcula ne alibi, ſed in Eccleſia religioſe aſſerventur in Ciborio, aliove ejuſdem Eccleſiæ certo conſtituto loco, quem Epiſcopus comprobarit*. Quod hic inquit Ciborium, jam non intelligitur Tabernaculum, in quo Sacra Euchariſtia aſſervatur, ſed *operimentum, ſeu Ciborium ad ſacra Olea tuto, decenterque conſervanda, in eo ipſo Fonte accomodatum*, ut idem S. Carolus explicat in Concilio Provinciali IV. Conſtitutionum Parte II. Capite, *Quæ pertinent ad Sacramentum Baptiſmi*, ubi tractat de Fonte Baptiſmali, ſeu Baptiſterio. Nam alias in eodem ipſo Concilio, citata Parte II. Capite, *Quæ ad Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum pertinent*, expreſſe ſtatuit, ut Tabernaculum, in quo Sanctiſſima Euchariſtia aſſervatur, vacuum ſit ab hujuſmodi vaſculis, & *ut omnino Sacra Euchariſtia cum ſuo vaſe in eo dumtaxat conſervetur, aliud præterea nihil*.

II. Quod tandem in noſtro §. edicitur, ut vaſcula ipſa cum ſacris Oleis *ſub clave, ac tuta cuſtodia decenter aſſerventur, ne ab aliqua, niſi a Sacerdote, temere tangantur, aut eis ſacrilege quiſquam abuti poſſit*, concinit non modo variis antiquis Ritualibus, atque Pontificalibus, verum etiam Synodis. Moguntina quidem anni DCCCXIII. Can. XXVII. & Arelatenſis VI. ejuſdem anni Can. XVIII. diſerte jubent, ut *Presbyteri ſub ſigillo cuſtodiant Chriſma, & nulli ſub prætextu medicinæ, vel maleficii donare inde præſumant*. Statimque addunt: *Quod ſi fecerint, honore priventur*. Idipſum præſcriptum in aliis Concilium legimus, indiciumque eſt, variis in locis, atque temporibus, execrandum hunc abuſum viguiſſe, ad quem penitus evertendum, ita inquit Concilium IV. Lateranenſe Oecumenicum anni MCCXV. Can. XX. *Statuimus, ut in cunctis Eccleſiis Chriſma, & Euchariſtia ſub fideli cuſtodia clavibus adhibitis conſervetur, ne poſſit ad illa temeraria manus extendi ad aliqua horribilia, vel nefaria exercenda. Si vero is, ad quem ſpectat cuſtodia, ea incaute reliquerit, tribus menſibus ab officio ſuſpendatur; & ſi per ejus incuriam aliquid nefandum inde contigerit, graviori ſubjaceat ultioni*. Vide quæ ſcripſi Tomo III. Conciliorum in Commentario ad hunc Canonem XX. memorati Concilii Oecumenici IV. Lateranenſis.

III. Fateri autem cogimur, adeo invaluiſſe abuſum ſurripiendi ſacrum Chriſma, ac ſancta Olea, eaque ad nefarios uſus adhibendi, ut etiam poſt memorati Lateranenſis IV. Concilii Decretum, coacti fuerint Epiſcopi in aliis ſuis particularibus Synodis Decretum ipſum repetere, & confirmare. Certe Oxonienſis Synodus anni MCCXXII. habita, Can. XXIV. ſic inquit: *Provideant Archidiaconi, quod diligenter juxta formam Concilii Generalis* (nempe IV. Lateranenſis, quod per antonomaſiam Generale appellari ſolitum fuit) *Euchariſtia, Chriſma, & Oleum Sanctum, ſalva ſub clavibus recondantur, fideli cuſtodiæ deputata*. Rurſus Concilium Ravennatenſe anni MCCCXI. Rubrica VII. ita habet: *Statuimus, quod Euchariſtia, Viaticum, ſive Corpus Chriſti, Chriſma, Oleum ſanctum, & Oleum Infirmorum, ſic devote, tute, & ſecrete cuſtodiantur, & reponantur, in locis, aut Sacriſtiis ad hoc deputatis, & aptis, quod ad ea non poſſit manus nefaria accedere, ſeu ſacrilega, & maxime mulierum*. Beneventanum quoque Provinciale VI. anni MCCCLXXIV. Tit. III. Cap. III. ſic inter alia ſtatuit: *Item præcipimus, ut Euchariſtia, Chriſma, Oleum ſacrum, & Fontes, Baptiſmales ſcilicet, ſub fideli cuſtodia clavibus adhibitis conſerventur, ne manus temeraria ad aliqua poſſit extendi, & nequis ſine expreſſis licentia, & permiſſu ejus, ad quem ſpectat cuſtodia prædicta, accipere valeat*. Eadem plane hæc ſunt, quæ in citato IV. Lateranenſi Concilio ſancita jam fuerant, ut ex ſequentibus hiſce verbis conſtat: *Si vero, is, ad quem ſpectat cuſtodia, ea incaute reliquerit, tribus menſibus ab officio ſuſpendatur; &, ſi nefandum aliqued per ejus imperitiam inde contigerit, gravius puniatur*. Sed nec omittendum, quod & mox ibidem ſubjicitur: *Secundum Conſtitutiones autem hujus Eccleſiæ Beneventanæ, tam receptores, quam præſumentes, & permittentes excommunicationis vinculo ſunt innodati*.

IV. Præterea quod illa & olim vigeret ſuperſtitio, ut plerique criminum rei ſacro inuncti Chriſmate, aut potati, putarent, ſe nullo examine deprehendi poſſe, cautum icciroo ex ſacris Conciliis fuit, ut ſub ſigillo ipſum ſacrum Chriſma cuſtodiretur. Huc ſpectat antiqua Gerardi Turonenſis Epiſcopi Conſtitutio, Cap. XXII. ubi ita inquit: *Ut Chriſma pro ſubvertendis judiciis nemini detur, & ut ſub ſigillo cuſtodiant*. Ex Libri III. Capitularium Caroli Magni Capite LV. *Si Presbyter Chriſma dederit, ab Epiſcopo degradetur, & poſtmodum a Judice manum per-*

perdat, ſi propter judicium ſubvertendum hoc ſecerit. Quid ſit ſubverſio judicii, explicant Patres Concilii III. Turonenſis anni DCCCXIII. Canone XX. ſic ajentes: *Item Presbyteris injungendum eſt, ne ſacrum Chriſma foras concluſive dimittant, ubi a quolibet contingi poſſit. Nam criminoſos eodem Chriſmate unctos, aut potatos, nequaquam ullo examine deprehendi poſſe, a multis putatur.* Sacrilegia multa fieri cum Oleo Baptiſmali, eoque abuti conſueviſſe maleficos, notavit jam inter alios Martinus del Rio in ſuo Magicarum Diſquiſitionum Tractatu. Ceterum quod ait noſter §. de vaſculis ſacrorum Oleorum, *ne ab aliquo, niſi a Sacerdote, temere tangantur,* ſacrilegum quidem tactum ſpectat, illumque dumtaxat, qui temere fieret a perſonis laicis, ut illis ſacrilege abuterentur; nam alias in caſu neceſſitatis, incendii ſcilicet, incurſionisve barbarorum, non addubito, quin poſſint laici ipſi, & teneantur ea tangere, ac etiam alio aſportare.

V. Quamquam denique nullam ejus mentionem §. noſter hic fecerit, qui clavem loci, cuſtodiæve prædictorum vaſculorum tenere debeat, certum eſt, clavis iſtius cuſtodiam ad Parochum ſpectare; id enim expreſſe mandant & Ritualia Eccleſiarum, atque Concilia, præſertim vero Provinciale IV. Mediolanenſe, Parte II. Conſtitutionum, Capite, *Quæ ad Sacramentalia, vel ad Sacramenta communiter pertinent,* ubi inter alia S. Carolus ita ſtatuit: *Et Tabernaculi, ubi Sacratiſſimum Corpus Domini aſſervatur; & armarii item, ubi ſacra Olea ſtatis vaſculis incluſa cuſtodiuntur; & Fontis præterea Baptiſmalis claves, Rector Eccleſiæ, animarumve Curator diligenter, cauteque apud ſe cuſtodiat, ac ne Clerico quidem miniſtro illas ullo modo committat.* Sed ſubdit mox tamen, non prohiberi Parochum, *quo minus eaſdem muneris alicujus præſtandi cauſa aliquando Sacerdoti committat, quem in officii Parochalis cura coadjutorem habet.* Idipſum edicit in Synodo Diœceſana Mediolanenſi IV. Decreto IX. & in Inſtructionibus, *De Baptiſmi adminiſtratione*, pag. 497. col. I. ubi ſic inquit: *At vero ne temeraria manus abutatur aqua Baptiſmali ad ſuperſtitionem, & perniciem, Sacerdos Fontem ex præſcripto bene communitum, ſera etiam, clavique claudet, quam ne Clerico quidem committens, apud ſe cuſtodiet perpetuo.* Sed de hac re nos etiam alibi diximus.

§. XL.

Parochus, quantum fieri poteſt, curet, ne per laicos, ſed per ſe, vel per alium Sacerdotem, vel ſaltem per alium Eccleſiæ Miniſtrum hæc Olea deferantur; caveat item, ne de iis quicquam ulli unquam tribuat cujuſvis rei prætextu.

COMMENTARIUS.

I. Facta novi Chriſmatis, Oleorumque ab Epiſcopo benedictione, Feria V. Cœnæ Domini, uti dixi in Commentario ad §. XXXIII. quo vero ritu fieret eorum diſtributio, explicat Concilium Rotomagenſe anni MLXXII. Can. III. his verbis: *Chriſmatis, & Olei diſtributio a Decanis ſumma diligentia, & boneſtate fiat, itaut interim dum diſtribuerint, Albis ſint induti, & talibus vaſculis diſtribuatur, ut nihil inde aliqua negligentia pereat.* Juxta pervetuſtam Eccleſiæ diſciplinam abſentes Parochi, aut per ſe ipſos, aut ſaltem per Diaconos, aut Subdiaconos, numquam per ſimplices Clericos, multoque minus per laicos, accipi, ac deferri Sacra Olea debebant, uti ex veterum Conciliorum teſtimoniis egregie oſtendit Martene in Libro, *De antiqua Eccleſiæ Diſciplina in Divinis celebrandis Officiis*, Cap. XXII. §. IV. num. III. Concilium Carthaginenſe IV. anno Chriſti CCCXCVIII. Can. XXXVI. ita quidem ſtatuit: *Presbyteri, qui per Diœceſes Eccleſias regunt, non a quibuslibet Epiſcopis, ſed a ſuis, nec per juniorem Clericum, ſed aut per ipſos, aut per illum, qui Sacrarium tenet, ante Paſchæ ſolemnitatem Chriſma petant.* Concilium Vaſenſe in Gallia habitum anno CDXLII. Can. III. idipſum confirmat, ac rationem etiam aſſignat, ſic inquiens: *Per ſingula territoria Presbyteri, vel Miniſtri, ab Epiſcopis, non, prout libitum fuerit, a viciníoribus, ſed a ſuis propriis per annos ſingulos Chriſma petant, appropinquante ſolemnitate Paſchali, nec per quemcumque Eccleſiaſticum, ſed, ſiqua neceſſitas, aut Miniſtrorum occupatio eſt, per Subdiaconum; quia inhonorum eſt inferioribus ſumma committi. Optimum autem eſt, ut ipſe ſuſcipiat, qui in tradendo uſurus eſt. Siquid obſtat, ſaltem is, cujus officii eſt Sacrarium diſponere, & Sacramenta ſuſcipere.*

II. Confirmatur magis magiſque hæc diſciplina Canone VI. Concilii Antiſſiodorenſis, quod celebratum fuit anno DLXXVIII. ex quo etiam addiſcimus, qua reverentia ipſum Chriſma deferri ſoleret: *Ut a media Quadrageſima Presbyteri Chriſma petant; & ſiquis infirmitate detentus venire non potuerit, ad Archidiaconum ſuum, vel Subarchidiaconum tranſmittat, ſed cum Chriſmario, & linteo, ſicut Reliquiæ Sanctorum deportari ſolent.* Concilium Wormacienſe in Germania habitum anno DCCCLXVIII. Can. LX. Canonem Concilii Vaſenſis deſcribit, cum illo tamen additamento, ſeu clauſula ex Antiſſiodorenſi Concilio recitata: *Et ſicut Reliquiæ Sanctorum deportari ſolent, ita deportet.* Atque hæc omnia, ut alias Synodos mittam, confirmat Montanus Epiſcopus Toletanus in Epiſtola ad Fratres territorii Palentini: *An forſan Sanctorum Patrum regulas, & conſtitutiones Synodicas ignoratis, quibus præcipiuntur Parochienſes Presbyteri, ut non per viliores perſonas, ſed, aut per ſemetipſos, aut per Rectores Sacrariorum annuis vicibus Chriſma a præſidente ſibi Epiſcopo petant.* Et Capitula demum Regum Francorum Lib. V. Cap. CCXIX. & apud Reginonem Libro I. Cap. LXXVI. de Presbyteris, qui accipiendi gratia Chriſmatis ad Civitatem in Cœna Domini venire ſoliti erant, ſancitum ajunt, *ut de his, qui longe poſiti ſunt de octo, vel decem, unus ab Epiſcopo eligatur, qui acceptum Chriſma, ſibi, & ſo-*

ciis diligenter perferut; hi vero, qui non longius a Civitate, quam quatuor, aut quinque millibus habitant, more ſolito ad arripiendum Chriſma per ſe veniant.

III. Ex dictis hucuſque illud jam patet, munus Presbyterorum fuiſſe, ideſt, Parochorum, qui olim Presbyterorum nomine appellitabantur, ut ipſi per ſemetipſos ſacra Olea peterent, ac deferrent, aut per Rectores Sacrariorum, ideſt Sacriſtas, ſive per Diaconos, ut habet Concilium Toletanum I. Can. XX. numquam per Subdiaconos, niſi neceſſitate urgente; nullatenus vero per Clericos inferiores, quia ſcilicet ea Sacrorum Oleorum delatio, veluti res ſumma reputabatur, adeoque inferioribus Clericis minime committenda. Porro ſequioribus Sæculis permiſſum & ipſis fuit, ut Sacra Olea ab Epiſcopis accepta ad Eccleſias ſuas deferrent. Sic enim inquit Provinciale VI. Beneventanum Concilium anni MCCCLXXIV. Tit. III. Cap. III. *Præcipientes, ut ſingulis annis in die Jovis ſancta Cœnæ Domini, Presbyteri Parochiales per ſe ipſos, aut Clericos, adultos tamen, Chriſma novum, & Oleum novum Catechumenorum, quod exhibetur pueris baptizandis, & Oleum novum Infirmorum, quod exhibetur infirmis, a nobis in noſtra Diœceſi, ſeu Suffraganeis noſtris in eorum Diœceſibus, vel Archipresbyteris noſtris ſuſcipiant, ſicut eſt conſuetum.* Sed correctum id tamen fuit in Concilio Beneventano XIII. Provinciali, Tit. XI. num. I. ubi expreſſe præcipit, ut *quotannis mittatur Sacerdos aliquis, aut ſaltem aliquis in Sacris conſtitutus, qui nova accipiat.* Olea ſcilicet in Feria V. Cœnæ Domini conſecrata. Porro ut non aliis, quam iis, qui ſacris Ordinibus initiati ſunt, poſſit cura committi deferendi ſacra ipſa Olea ad Parochos, ſtatuit non ſemel S. Carolus, & quidem in Concilio Provinciali Mediolanenſi II. Decreto IX. & in Diœceſana II. Synodo, Decreto XIV.

IV. Conſtat præterea ex dictis, excluſos ſemper laicos fuiſſe ab ipſa Sacrorum Oleorum geſtatione, idque expreſſe vetat noſter §. ubi mandat, ut *Parochus, quantum fieri poteſt, curet, ne per laicos, ſed per ſe, vel per alium Sacerdotem, vel ſaltem per alium Eccleſiæ Miniſtrum hæc Olea deferantur*. Quis Miniſtri nomine hic intelligi debeat, jam non omnes conveniunt. Puto equidem, Diaconum, Subdiaconumve intelligi, cum ii potiſſimum, ac paſſim in Rubricis Eccleſiaſticorum Librorum Miniſtri appellitentur. Sed quicquid ſit de hac quæſtione, negari non poteſt, vel ex noſtri §. contextu, quin uti Parochus ſenio confectus, aliaſque impeditus poſſit non modo inferiorum Clericorum, verum etiam laicorum opera ad deferenda ſacra Olea, ubi ei Clericorum copia deeſſet, uti accidit in Parochiis ruralibus, pauperioribuſque, in quibus ob reddituum inopiam vix queunt ſe Parochi ſuſtentare. Atque hinc eſt, quod §. noſter non abſolute laicos ab ea delatione excludit, ſed potius in aliquo caſu illos admittit, ubi ait: *Parochus, quantum fieri poteſt, curet, ne per laicos, ſed per ſe, vel per alium Sacerdotem, vel ſaltem per alium Eccleſiæ Miniſtrum hæc Olea deferantur.*

V. Cavendum certe Parocho illud omnino eſt, quod ait mox noſter §. *ne de iis*, ſacris nemine Oleis, *quicquam ulli unquam tribuat cujuſvis rei prætextu*. Quam diſtricte id a ſacris Canonibus vetitum ſit, jam late diximus in Commentario ad §. XXXIX. ubi varia Conciliorum Decreta deſcripſimus, quibus addi poteſt, quod eandem in rem ſancivit Concilium Provinciale XIII. Beneventanum anni MDCLVI. Tit. XLIX. qui eſt, *De officio Parochi*, num. 35. ſic inquiens: *Neque Olea ſacra laicis ullo modo concedat, ne illis abutantur; alioquin laici ipſo facto ſint excommunicati; Clerici vero beneficiati ſuſpenſione, Beneficiorum privatione, ac etiam exilio a Civitate, & Diœceſi multentur; non Beneficiati carceris annalis, ac deinde eandem exilii pœnam incurrant.*

§. XLI.

Sal, quod in os baptizandi immittendum eſt, ſit benedictum ſua peculiari benedictione, quæ infra præſcribitur; neque utatur ſale exorcizato ad benedicendum aquam; ſitque prius bene confractum, & attritum, ſiccum, ac mundum. Sal item benedictum nemini tradatur, neque etiam iis, qui benedicendum attulerint, reddatur, ſed ad alios baptizandos ſervetur, aut in Sacrarium abjiciatur.

COMMENTARIUS.

I. Salis uſus antiquiſſimus eſt in adminiſtratione Baptiſmi, ejuſque ritus haud obſcure meminit Origenes Homilia VI. in Ezechielem, ubi exponens illud Prophetæ, *Non es aqua lota in ſalutem, nec ſale ſalita, nec pannis involuta*, ſic inter alia inquit: *Peccatrix Hieruſalem non eſt involuta pannis. Obſerva quod dicimus: Anima renaſcens, & primum in lavacro edita, involvitur pannis. Ipſe Dominus meus Jeſus pannis involutus eſt, ut ſcriptum refertur in Evangelio ſecundum Lucam. Oportet ergo, eum qui renaſcitur, utique in Chriſto renaſcentem rationabile, & ſincerum lac deſiderare; & priuſquam rationabile, & ſine dolo lac deſideret, debet ſale ſaliri, & pannorum involucris colligari, ne dicatur ad eum: Sale non es ſalitus, & pannis non es involutus.* Antiquiſſimum quoque apud Latinos fuiſſe hunc ritum immittendi ſal in os baptizandi, perſpicuum fit teſtimonio S. Auguſtini, qui Lib. I. *Confeſſionum*, Cap. XI. ad ritum ipſum alludens, ita ſcribit: *Audieram enim ego adhuc puer, de vita æterna nobis promiſſa ... & ſignabar jam ſigno Crucis ejus, & condiebar ejus ſale.* Plura alia Patrum loca de ſalis uſu in adminiſtratione Baptiſmi, ac de ejus ſignificatione videri poſſunt apud Durantum Lib. I. *De ritibus Eccleſiæ Catholicæ*, Cap. XIX. num. 25. & apud Martene, Libro I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. VI. num. XIV.

II. Ritum eſſe præterea antiquum, ut ſal ipſum peculiari prius benedictione ſanctificaretur, docent nos etiam antiqui Patres, ac Ritua-

les

Digitized by Google

les Codices, præſertim vero Romani Ordines, & Liber Sacramentorum S. Gregorii Papæ, in quibus, ut obſervat laudatus Durantus, eadem, qua nunc utimur, legitur ſalis benedictio ad uſum Baptiſmi. Atque huc ſpectare videtur, quod tradit Leidradus Epiſcopus Lugdunenſis in ſuo ad Carolum Magnum Libro, *De Baptiſmo*, Capite I. ſic inquiens; *Æſtimant quidam, quod etiam apud quoſdam gentilium antiqua erat conſuetudo, ut qui fidelitatem Regi promittebant, ſalem adjuratum, vel conſecratum in præſentia eorumdem Regum, quibus fidem promittebant, comederent. Unde in Libro Eſdræ ſcriptum eſt, quod Principes Samaritanorum Regi Perſarum, cum de accuſatione Judæorum ſcriberent, dixerint: memores ſumus ſalis, quem in Palatio comedimus*. Ubi nota, ſal ipſum, quod comedebant gentiles fidelitatem Regi promiſſuri, fuiſſe prius adjuratum, conſecratumve in præſentia ejuſdem Regis, cui fidem ſpondebant. Atque hic eſt ritus, ab omni plane ſuperſtitione alienus, qui ſancte, religioſeque in Eccleſia ſervatur, ut baptizandi, Chriſto nomen dantes, ac fidelitatem promittentes, ſal prius benedictum guſtent, & Fidelium nomine glorientur.

III. Pergit noſter §. de ſale diſſerere, præcepitque Parocho, ne in adminiſtratione Baptiſmi *utatur ſale exorcizato ad benedicendum aquam*, quia ſcilicet diverſa eſt benedictio, ut ex Ritualibus conſtat; atque hinc eſt, quod, ut alios omittam, S. Carolus in ſuis Inſtructionibus, *De Baptiſmi adminiſtratione*, Capite inſcripto, *De iis, quæ Parochus ipſe ſervet, & paret, anteaquam Baptiſmum miniſtret*, ſic inter alia ſtatuerit pag. 503. *Illud vero*, ſal nempe, *ſpeciatim benedicet ad uſum ejus, qui tum baptizandus eſt; neque ſale utetur diebus Dominicis exorcizato ad aquæ benedictionem*. Rurſus quod ait noſter §. ut ſcilicet ſal *ſit prius bene confractum, & attritum, ſiccum, & mundum*, præſcriptum etiam fuit ab eodem Sanctiſſimo Antiſtite loco citato, ubi vult, *ut purum ſit, candidum, nec vero commiſtum, ne præterea non humidum, ſed ſiccum*. Atque hic illud potiſſimum advertendum eſt, ut ſal ipſum ſit naturale, non artefactum, qualia ſunt a Chymicis confecta, & variis nominibus appellata; candidum quoque, ut habet S. Carolus, non tamen refert, ſi ex ſale nigro per decoctionem ſit factum album, ut Romæ fieri ſolet; vere enim iſtud ſal naturale eſt, cum illa decoctio nihil aliud operetur, quam depurationem veri purique ſalis a terreis particulis, adeo ut quod remanet, vere ſit ſal naturale.

IV. Mandat inſuper noſter §. ut ſal ipſum benedictum ad uſum Baptiſmi *nemini tradatur, neque etiam iis, qui benedicendum attulerint, reddatur, ſed ad alios baptizandos ſervetur, aut in Sacrarium abjiciatur*. Concinit & his S. Carolus citato loco, ubi cavendum ait Parocho, ut *ſiquid ſalis ſupererit, ne alio aſportetur, ſed in Sacrarium, aut in aquæ benedictæ labrum projiciatur*. Ceterum diſtricte vetat S. Antiſtes, ſal domo infantis, qui baptizandus eſt, aſportari, ſed mandat quidem, ut Parochus bene paratum habeat ſal in vaſculo, quod vaſi Chriſmatis adjungatur. Inſuper quod iſto ſale benedicto, ſicut & ſacris Oleis, abuti ad ſuas ſuperſtitiones peragendas perditi homines, ac mulierculæ præſertim, ſoliti eſſent, merito noſter §. variorum etiam Conciliorum Decretis inhærens, ſtatuit, ut nemini tradatur, ſed ad alios baptizandos ſervetur, aut in Sacrarium abjiciatur.

§. XLII.

Cum igitur Baptiſmi Sacramentum jam adminiſtrandum eſt, hæc in promptu eſſe debent.

§. XLIII.

Vaſcula ſacri Olei Catechumenorum, & Chriſmatis.

COMMENTARIUS.

I. EXplicanda nobis in hoc, & ſequentibus Commentariis ſunt, quæ præparari debent ad Baptiſmum ſolemniter, & continuate abſque ulla mora ad finem uſque adminiſtrandum. Ut cum ordine res peragatur, in promptu eſſe debent, ut edicitur in §. XLIII. *Vaſcula ſacri Olei Catechumenorum, & Chriſmatis*; argentea ſcilicet, vel ſtannea, non autem ex ære, vel auricalcho, neque ex vitro, aut creta figulari, quia illa æruginem viridem producunt, quæ Olea corrumpit, & amarorem gignunt; iſta autem frangi facile poſſent, uti jam dictum ſuperius fuit in Commentario ad §. XXXVI. Porro vaſculi Chriſmalis mentionem facit Ivo Carnotenſis Epiſcopus in Epiſtola III. Chriſmalis item ampullæ meminit Optatus Milevitanus Lib. II. adverſus Parmenianum, ubi & inſigne miraculum memoriæ mandavit his plane verbis: *Ampullam quoque Chriſmatis per feneſtram, ut frangerent, jactaverunt, & cum caſum adjuvaret abjectio, non defuit manus Angelica, quæ ampullam, ſpiritali ſubvectione deduceret projecta, caſum ſentire non potuit, Deo muniente, illæſa inter ſaxa conſedit*. Conſueviſſe olim ſacra Olea in ampullis poni, conſtat ex Concilio Meldenſi, Capite I. apud Burchardum Wormacienſem Epiſcopum, Libro IV. Decretorum, Capite LXXV. & apud Ivonem, Parto I. Capite CCLXVIII. ubi conſtitutum legitur, tres ampullas a Presbytero Feria V. in Cœna Domini deferri, unam ad Oleum Catechumenorum, alteram ad Chriſma, tertiam ad Oleum Infirmorum. Verum ſtatuit inter alios S. Carolus in Concilio Provinciali IV. Mediolanenſi, Parte II. Conſtitutionum, ut vaſcula, non vero ampullæ ad ſacra Olea deferenda, continendave, adhibeantur. Atque id etiam mandant varii Rituales Codices recentiores, ac ſacræ Synodi, quarum multæ S. Caroli Concilia, Actaque ejus Eccleſiæ deſcripſere.

Google

§. XLIV.

Vaſculum cum ſale benedicendo, vel jam, ut dictum eſt, benedicto.

§. XLV.

Vaſculum, ſeu cochleare ex argento, vel alio metallo nitidum, ad aquam Baptiſmi fundendam ſupra caput baptizandi; quod nulli præterea alii uſui deſerviat.

COMMENTARIUS.

I. DEbet præterea eſſe in promptu, ut ait §. XLIV. *Vaſculum cum ſale benedicendo, vel jam, ut dictum eſt, benedicto*, de quo dixi in Commentario ad §. XLI. iterumque dicturus infra Cap. II. in Commentario ad §. V. & VI. Ergo paratum eſſe debet, ut ait hic mox ſequens §. XLV. *Vaſculum, ſeu cochleare ex argento, vel alio metallo, nitidum ad aquam Baptiſmi fundendam ſupra caput baptizandi*. Atque hic eſt antiquus ritus, ut ubi Baptiſmus per infuſionem adminiſtrabatur, non quidem manus, ſed vas ob eam cauſam paratum adhiberetur. Cernitur etiamnum Romæ Baptiſmus S. Romani in Atrio Baſilicæ S. Laurentii in agro Verano depictus, ubi S. Levita Romanum nudum in pelvi exiſtentem dextra benedicit, ſiniſtra vero urceum aqua plenum ſuper ejuſdem caput effundit, qui quidem urceus ex ære ibidem in Sacrario oſtenditur. Confirmant ritum, de quo agimus, mſs. Statuta Synodalia Eliæ Epiſcopi Uticenſis apud Martene Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. I. Articulo XIV. num. X. *Si tanta copia aquæ haberi non poteſt, ut infans totaliter in ea mergi poſſit, cum ſcutella, vel ſcypho, vel alio vaſe, aliqua quantitas aquæ ſuper infantem effundatur*. Eadem legere eſt in Concilio Provinciali Beneventano VI. anno Chriſti MCCCLXXIV. Tit. IV. Cap. V. §. *Idem dicimus*; & in aliis permultis, quæ hic omittimus. Huic diſciplinæ, quæ variorum Conciliorum, & Ritualium auctoritate confirmari poſſet, inhærens S. Carolus in ſuis, *De Baptiſmi adminiſtratione*, Inſtructionibus, Capite, *De modo miniſtrandi Baptiſmi*, pag. 498. expreſſe edicit, ut *ad aquæ Baptiſmalis infuſionem, non manus, ſed vas ob eam cauſam paratum adhibeatur*. Vas iſtud eſt quidem cochleare, de quo ita habet idem Sanctus Antiſtes Lib. I. Inſtructionum Fabricæ Eccleſiæ, *De Baptiſterio*, Cap. XIX. pag. 578. *Cochleare argenteum ad aquam infantis, qui baptizatur, capiti infundendam adhibeatur, idque e ſuperiori vaſe manubrio a ſumma parte paululum adunco appendatur. Ejuſmodi ſit, ut ab illius ore e parte ſiniſtra labrum paulo contractius inſtar parvuli canalis exiſtat, unde in infantis caput aqua tenuiter effundatur*.

§. XLVI.

Pelvis, ſeu bacile ad excipiendam aquam ex capite defluentem, niſi ſtatim in Sacrarium defluat.

§. XLVII.

Goſſopium, alio nomine bombacium, ſeu quid ſimile ad abſtergenda loca ſacris Oleis inuncta.

COMMENTARIUS.

I. CUm vero, ut alias dictum eſt, aqua baptiſmalis, quæ alicujus Baptiſmo inſervivit, non debeat pro alio baptizando adhiberi, recte ait noſter §. XLVI. parandam eſſe *pelvem, ſeu bacile ad excipiendam aquam ex capite defluentem, niſi ſtatim in Sacrarium defluat*; ubi ſcilicet in Baptiſterio extet canaliculus, per quem aqua defluens ex baptizati capite ad Baptiſterii Sacrarium perducatur. Ceterum ſi hujuſmodi canaliculus non extet, adhibenda eſt pelvis in citato §. præſcripta, de qua ſic habet S. Carolus in Concilio Provinciali Medilanenſi V. Capite, *Quæ ad Baptiſmum pertinent*, inſcripto: *Ad aquam baptiſmalem, quæ capiti illius infunditur, eamve excipiendam, qua Sacerdotis manus ſacro Oleo illitæ abluuntur, pelvis ne adhibeatur, quæ Eccleſiæ tantum uſui addicta non ſit*. Parandum quoque goſſopium eſt, alio nomine bombacium, ſeu quid ſimile ad abſtergenda loca ſacris Oleis inuncta, ut ait §. XLVII. Quod quidem bombacium parandum mandat S. Carolus in citatis Inſtructionibus, *De Baptiſmi adminiſtratione*, pag. 503. *in pelvicula decenti, in eadem reponendum poſt abſterſionem*, infantis ſcilicet partium Oleo, & Chriſmate Sacro linitarum. Ad abſtergendos autem Sacerdotis digitos iiſdem ſacris Oleis inunctos, cum manus lavat, ex præſcripto noſtri §. XLIX. parari debet *medulla panis, & vas pro manuum lotione poſt Baptiſmum, quod nulli præterea alii uſui deſerviat*. Quod quidem etiam merito ſtatuit S. Carolus, ut ex recitato loco paulo ſuperius liquet. Porro in aliquibus Eccleſiis ad abſtergendas manus Oleis ſacris linitas utuntur Parochi farina ex amygdalis tritis, quæ & ipſa facultatem abſtergendi habet, ſed puto adhibendam potius eſſe medullam panis, ut præſcribit noſter §. Mirum autem videri debet, quod in tot noſtris

Pa-

Paragraphis, in quibus deſcribuntur quæ parari pro adminiſtratione Baptiſmi debeant, nulla facta ſit mentio mappulæ, ſeu mantilis, tobaliævæ, quæ quidem neceſſaria eſt ad abſtergendas manus poſt lotionem. Meminit vero & hujus S. Carolus in laudatis Inſtructionibus pag. 503. col. 1.

§. XLVIII.

Stolæ duæ, ubi commode haberi poſſunt, una violacea, & altera alba, ut infra notatur, mutanda, ſin minus, una ſaltem adhibeatur.

COMMENTARIUS.

I. EXplicandum nunc nobis eſt quod in præſenti §. edicitur, ut parentur *Stolæ duæ, ubi commode haberi poſſunt, una violacea, & altera alba, ut infra notatur, mutanda; ſin minus, una ſaltem adhibeatur*. Occurrit plane hic noſter §. extremæ Eccleſiarum Parochialium paupertati, non habentium duas Stolas diſtinctas, violaceam unam, atque alteram albam pro adminiſtratione Baptiſmi. Verum cum incredibilis ſit tanta paupertas, arguendi profecto ſunt Parochi, qui certe non propter Stolarum penuriam varii coloris, una Stola in Baptiſmi adminiſtratione utuntur, violacea ex una parte, & alba ex alia, ſed potius propter commodum proprium, quippe qui, ut notat Barrufaldus ad hunc §. num. 41. *nimium tempus inſumere credunt, dum unam Stolam deponunt, & aliam aſſumunt*. Porro, ut alios omittam, duas diſtinctas Stolas præſcribit S. Carolus loco citato ſic inquiens: *Parochus, Sacerdoſve, infante ad Baptiſmum oblato, lavat manus, Superpelliceo, Stolaque violacea in exorciſmis, catechiſmiſque utitur; cum ad baptizandum accedit, illa depoſita, aliam albi coloris ſumit.* Sed de hac re etiam infra a nobis dicendum erit; non enim unam Stolam adhibendam cenſeo, quæ utrumque colorem præſeferat, violaceum ex una parte, ex altera vero album.

§. XLIX.

Medulla panis, qua inuncti Sacerdotis digiti, cum manus lavat, abſtergantur, & vas pro manuum lotione poſt Baptiſmum, quod huic tantum uſui deſervire decet.

COMMENTARIUS.

I. PAucis hic me expedio, quod enim hunc §. ſpectat, in quo edicitur, ut paretur medulla panis, qua inuncti Sacerdotis digiti, cum manus lavat, abſtergantur, explicatum a nobis fuit in Commentario ad §. XLVI. & ſequentem. Quod vero in hoc eodem §. jubetur de vaſe parando pro manuum lotione poſt Baptiſmum, quod huic tantum uſui eſſet, explicatum quoque a nobis alibi invenies, itemque in Actis Eccleſiæ Mediolanenſis a S. Carolo, & a variis Epiſcopis in eorum Conciliis, ac Ritualibus, quorum loca non opus eſt hic referre.

§. L.

Alba veſtis in modum pallioli, ſeu linteolum candidum, infantis capiti imponendum.

COMMENTARIUS.

I. ALba veſtis, de qua loquitur hic noſter §. paranda *in modum pallioli, ſeu linteolum candidum infantis capiti imponendum*, ritus profecto & iſte antiquiſſimus eſt in Eccleſia, ejuſque paſſim meminere Patres, Synodi, ac Rituales Codices omnium Eccleſiarum, qui etiam varias hujus ritus myſticas ſignificationes explicuerunt, quas nos infra opportuniori loco deſcribemus. S. Carolus in citatis Inſtructionibus, Capite, *De iis, quæ Parochus, antequam infans in Eccleſiam ad Baptiſmum deferatur, curet, ac præmoneat*, pag. 502. qualitatem hujus veſtis deſcribit, eamque e domo parentum infantis baptizandi deferri inquit: *Veſtem etiam candidam parvulam inſtar pallioli, e tela linea, aliove genere, non ſerico tamen, albi coloris confectam, quæ collo annecti poſſit, e domo parentum infantis portari ſignificabit;* Parochus ſcilicet, ut ex recitati Capitis titulo conſtat. Huc revocare licet, quod ſcribit Paulus Papa I. in Epiſtola ad Pippinum Regem Francorum, qui linteamen, quod ſabanum vocat, cum quo ſuſcepta de Baptiſmo fuerat ipſius Regis filia, ad Summum ipſum Pontificem tranſmiſerat: *Præfatus nempe ſodalitatis veſtræ illuſtris miſſus pretioſiſſimum nobis ſupernæ gratiæ munus attulit, ſabanum videlicet, in quo noſtra ſpiritualis filia ſacratiſſimo lavacro abluta ſuſcepta eſt &c.* Ceterum licet veſtis hæc candida deferri ſoleat utplurimum ab iis, qui infantem baptizandum ad Eccleſiam portant, paratam tamen habere hujuſmodi veſtem Parochus debet, pro infantibus expoſitis, ac iis etiam qui inopes ſunt, ut ſcite notat Barrufaldus ad hunc §. num. 45. & ſeq. ubi etiam diſerte ait, non poſſe Parochum de jure hoc linteolum petere.

§. LI.

Cereus, ſeu candela cerea baptizato ardens tradenda.

COMMENTARIUS.

I. PArandus eſt quoque, ut hic §. monet, *cereus, ſeu candela cerea baptizato ardens tradenda*; quia ſcilicet ritus & ipſe in Eccleſia eſt antiquiſſimus, ut candela, ſeu cereus ardens, poſt veſtem candidam, baptizatis præberi non ſine myſtica ſignificatione, de qua opportuniori loco infra dicemus, ſolitus eſſet. Tenentur profecto baptizandi infantis propinqui, niſi paupertate excuſentur, cereum iſtum ad Parochum deferre, qui nec immutari ab illo debet, nec eſſe extinctus, cum accendendum Rubrica præcipit. Cum autem non ſine myſterio introductus ſit in Eccleſia hic ritus, tenetur certe Parochus cereum ipſum præbere in expoſitorum infantum, & miſerabilium Baptiſmo. Nec enim queri, aut dolere Parochus poteſt, quod ſua candela tantiſper ardeat, & conſumetur in Baptiſmo pauperum, cum alias, & cereos multos, & emolumenta non pauca ex cæterorum Baptiſmo conſequi ſoleat.

§. LII.

Hic denique Ritualis Liber ſit paratus, & item Liber Baptiſmalis, in quo baptizati deſcribuntur.

COMMENTARIUS.

I. CAutum eſt inſuper ex hoc §. ut *hic Ritualis Liber ſit paratus, & item Liber Baptiſmalis, in quo baptizati deſcribuntur*. Ritualem hunc Librum præ manibus habere Parochus debet in functionibus Eccleſiaſticis peragendis, ac omnino legere, ne erret, aut periculo errandi ſe exponat. Sane licet Rituale, quo hodie utimur, ſacros ritus comprehendat a Parochis, Sacerdotibuſque inferioribus peragendos, antiquitus tamen quæcumque functio Eccleſiaſtica peculiari Libro continebatur. Hinc Liber, in quo ritus Baptiſmi, & orationes deſcribuntur, dictus fuit *Ordo ad baptizandum*, & alio nomine, *Baptiſterium*, uti videre eſt apud eruditum Carolum Dufreſne in ſuo mediæ & infimæ Latinitatis Gloſſario, verbo, *Baptiſterium*, ubi varia ad eam rem probandam veterum Scriptorum loca deſcribit, præſertim vero illud ex Capite VII. Capitulorum Caroli Magni Imperatoris anni DCCLXXXIX. ubi edicitur, *ut audiant Epiſcopi Baptiſterium Presbyterorum, ut ſecundum Romanum morem baptizent*. Capitula quoque Guilberti Epiſcopi, Cap. III. mandant, *ut unuſquiſque Baptiſterium ſuum babeat, ut recte baptizet*. Quibus adde quod ait S. Bonifacius Moguntinus in ſuo Capitulari, Cap. XVI. *Ut unuſquiſque Epiſcopus in ſua Parochia diligenter diſcutiat ſuos Presbyteros, quid in illo Baptiſterio unumquodque verbum, vel ſententia ſignificet*. Conſtat itaque ex recitatis hactenus locis, & ex aliis multis, quæ ex antiquis Ritualibus, atque Conciliis afferri poſſent, Librum, in quo ritus Baptiſmi, & orationes notantur, appellatum etiam fuiſſe *Baptiſterium*. Quod vero tandem ſpectat Baptiſmalem Librum in hoc noſtro §. notatum, de quo ſuo loco infra in fine Operis dicemus, Tit. X. Cap. III. una cum ipſo paratum eſſe debet atramentarium cum calamo apto ad ſcribendum, ut in eo baptizati nomen deſcribat juxta formam citato Cap. III. expreſſam.

§. LIII.

Omnibus igitur opportune præparatis, Sacerdos ad tanti Sacramenti adminiſtrationem, lotis manibus, Superpelliceo, & Stola violacea indutus accedat; Clericum unum, ſeu plures, ſi poteſt, ſecum adhibeat Superpelliceo pariter indutos, qui ſibi miniſtrent.

COMMENTARIUS.

I. EXplicatis hactenus iis, quæ ad Baptiſmi adminiſtrationem parari debent, ac in promptu eſſe, mandat nunc hic noſter §. ut *Sacerdos ad tanti Sacramenti adminiſtrationem, lotis manibus, Superpelliceo, & Stola violacea indutus accedat*. Idem præſcribunt Inſtructiones S. Caroli, *De Baptiſmi adminiſtratione*, pag. 503. col. 1. his verbis: *Parochus, Sacerdoſve, infante ad Baptiſmum oblato, lavat manus, Superpelliceo, Stolaque violacea in exorciſmis, catechiſmiſque utitur*. Lotio manuum ex quodam naturæ inſtinctu Sacris obeundis præmiſſa vel ab ipſis ethnicis fuit, & adeo quidem, ut illud Heſiodi in axioma tranſierit: *Illotis manibus Sacra tractare eſt nefas*. Probabile ait Joannes Bona Cardinalis Lib. II. *Rerum Liturgicarum*, Cap. I. num. IV. ab Hebræis morem illum ad Chriſtianos fluxiſſe, ut canthari, & luteres aqua pleni, vel etiam fontes ante fores Templorum collocarentur, quatenus Sacra, vel preces oblaturi, puras ad Deum manus levarent, ſicut Apoſtolus ſcripſit in Epiſtola I. ad Timotheum, Cap. III. & externa lotione, internæ puritatis admonerentur: *Quæ ratio*

tio eſt, ait Tertullianus in Libro, *De oratione*, Cap. XI. *manibus quidem ablutis, ſpiritu vero ſordente orationem obire*. Decet autem quammaxime, ut eam etiam ob cauſam Sacerdos ante adminiſtrationem Baptiſmi lavet manus, quod ſacra Olea tacturus ſit, iiſque infantem non jam ſemel uncturus.

II. Lotis manibus, Baptiſmum adminiſtraturus Sacerdos, ex præſcripto noſtri §. ac omnium Ritualium, Superpelliceum, & Stolam violaceam induit, numquam enim licitum fuit, citra perſecutionis tempus, & unam neceſſitatis urgentis cauſam, uti obſervat Martene, Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. I. Articulo IV. num. V. in vulgari, atque prophano habitu Baptiſmi Sacramentorum adminiſtrare; probatque egregio ea de re argumento, quod ſuppeditat Theodoretus Lib. II. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Capite XXVII. ubi, referente Acacio, aſſerit, *Cyrillum vendidiſſe ſacram veſtem, quam Conſtantinus omni laude celebrandus ad exornandam Hieroſolymorum Eccleſiam Macario ejus loci Epiſcopo donaverat, ut ea indutus Divini Baptiſmi miniſterium perageret*. Quæ quidem veſtis, ut ibidem additur, *aureis filis contexta erat*. Sed invaluit jam plurimis ab hinc ſæculis ritus, ut citra neceſſitatem in Baptiſmi adminiſtratione Sacerdos Albam, ac Stolam adhiberet, uti nos docet Concilium Rotomagenſe in Gallia celebratum anno MLXXII. Can. V. ubi mandat, ut *nullus Sacerdos baptizet infantem, niſi jejunus, & indutus Alba, & Stola, niſi neceſſitate*. Noſtris vero temporibus Albæ vicem tenet Superpelliceum, quo ad minus, & Stola Miniſter Sacerdos debet eſſe indutus, ut habet antiquum Rituale Eccleſiæ Lemovicenſis. Porro ſtatuit & idem noſter §. ut Sacerdos ipſe, qui eſt adminiſtraturus Baptiſmum, *Clericum unum, ſeu plures, ſi poteſt, ſecum adhibeat Superpelliceo pariter indutos, qui ſibi miniſtrent*. Id quod etiam præſcripſit S. Carolus in citatis Inſtructionibus, ſic inquiens: *Habebit etiam unum, aut plures, ubi fieri poteſt, Clericos paratos, Superpelliceis indutos, ſibi opportune miniſtrantes*.

§. LIV.

Ita paratus accedat ad limen Eccleſiæ, ubi foras expectant, qui infantem detulerunt.

COMMENTARIUS.

I. Statuit quidem hic noſter §. ut Sacerdos *ita paratus accedat ad limen Eccleſiæ, ubi foris expectant, qui infantem detulerunt*. Eſtque hic ritus in variis Ritualibus præſcriptus, quem egregie explicat S. Carolus in memoratis ſuis Inſtructionibus, Capite, *De Cæremoniis, quæ, priuſquam Baptiſmus miniſtratur, adhibentur*, pag. 499. ubi ſic inquit: *Ante fores Eccleſiæ, qui Baptiſmo initiandi ſunt, offeruntur, propterea quod indigni ſint, qui more Fidelium, Domum Dei, antequam Chriſto Domino ſe addixerint, ingrediantur*. Clariora ſunt quæ eundem in ritum docet Tridentini Concilii Catechiſmus, Parte II. *De Baptiſmi Sacramento*, num. LX. §. *Poſt aquæ*, ſic dicens: *Afferuntur enim, vel etiam adducuntur, qui Baptiſmo initiandi ſunt ad Eccleſiæ fores, atque ab ejus introitu omnino prohibentur, quod indigni ſint, qui Domum Dei ingrediantur, antequam a ſe turpiſſimæ ſervitutis jugum repulerint, & totos ſe Chriſto Domino, ejuſque juſtiſſimo imperio addixerint*. Atque huc ſpectat quod ajunt Tertullianus in Lib. *De Corona Militis*, Cap. III. & Sanctus Cyrillus Hieroſolymitanus in ſua Catecheſi VIII.

§. LV.

Interroget, niſi de his bene ſibi conſtet, an ſit ſuæ Parochiæ, maſculus, an femina, an ſit domi baptizatus, & a quo, & quam rite, & qui ſint Compatres, qui infantem teneant, pro eoque reſpondeant; quos pie, ac decenter aſſiſtere, prout opus fuerit, pro baptizando ad interrogationes reſpondere admoneat.

COMMENTARIUS.

I. Quæ in hoc ſtatuuntur §. præſcribunt paſſim Sacræ Epiſcoporum Synodi, ac Rituales Libri omnes, præſertim vero S. Carolus in laudatis toties Inſtructionibus, *De Baptiſmi adminiſtratione*, pag. 503. ubi enarrans Ordinem Baptiſmi parvulorum, ita primum inquit: *Infans ſub veſtibulo Eccleſiæ præ foribus a Compatre, aut Commatre brachio dextro illum, vel illam ſuſtentante, ita offertur, ut e conſpectu Parochi ſit; qui Superpelliceo, & Stola violacea indutus in limine oſtii Eccleſiæ ſtans, primo interroget, an ſuæ Parochiæ; tum maſculus ne ſit, an femina; poſt, an domi baptizatus. Ubi vero baptizatus non ſit, ita ut infra ordine, riteque interrogat, & advertat, ut genus in pronunciando ſemper mutet, ſi femina fuerit, ut in Rubricis dictum eſt*. Porro quod falcem, alienam in meſſem mittere vetitum ſit, vetitum etiam ſemper fuit, aut in aliena Parochia ſuos baptizare, aut in propria alterius ſubditos, uti oſtendimus Tit. I. in Commentario ad §. XIV. Parochia quippe dicitur locus certis finibus limitatus ſuum territorium habens ſeparatum, ac diviſum, ut docet Barboſa, *De Parochi officio, & poteſtate*, Parte I. Capite I. num. 19. & 21. Ex quo infertur, quod quiſque baptizandus ſit in ſua, cui ſubeſt, Eccleſia, niſi ſit peregrinus, vel certum non habeat domicilium, ut zingari, ac vagi, ex allegatis ab eodem Barboſa, Cap. XVIII. num. 7. ubi etiam num. 11. ſubjungit, peccare quidem mortaliter Sacerdotem, ſed non tamen incurrere excommu-

municationem, aut irregularitatem, ſi infantem alterius Parochiæ ſolemniter baptizaverit ſine licentia proprii Parochi.

II. Recte quoque & illud admonet noſter §. ut nempe interroget Parochus, an baptizandus, maſculus ſit, an femina; ut nempe formula apta utatur, & illi propria verba accommodet. Jam non defuerunt Auctores apud Barrufaldum in Commentario ad hunc noſtrum §. num. 61. qui dubitarint, an validus eſſet Baptiſmus, ſiquis per errorem baptizaret feminam, credens eſſe maſculum, vel e contra. Sed hanc quæſtionem decidit jam Concilium Provinciale VI. Beneventanum anni MCCCLXXIV. Tit. IV. Cap. V. §. *Pueris*, ubi valere hujuſmodi Baptiſmum docet: *Si baptizato oblivione non imponatur nomen, vel forte errore, maſculo nomen feminæ, vel e converſo, imponitur, tenet Baptiſmus, nec propter hoc iteratur, & nomen in Confirmatione frontis denuo imponetur*. Atque hæc eſt communis Theologorum, & Canonici Juris Interpretum ſententia, inter quos Sylveſter in Summa, verbo, *Baptiſmus* III. num. 13. Hoſtienſem ſequutus dicit, quod putans ſe baptizare puerum, imponens ei nomen Petrus, & baptizat puellam, ſi intendat baptizare perſonam cujuſcumque ſexus, eſt baptizatus, ſi vero marem tantum, non eſt baptizata; ſi autem ſimpliciter baptizet, non cogitans de mare, aut femina, eſt baptizata, quia ſcilicet intendebat ipſe baptizare perſonam, quæcumque ea eſſet. Atque huic opinioni concordare etiam ait S.Thomam ajentem in IV. Sententiarum, Diſtinctione XXX. Quæſtione I. Articulo I. ad tertium, quod ſiquis baptizet Joannem, credens ſe baptizare Petrum, Joannes ſit vere baptizatus. Cetera, quæ in hoc noſtro §. continentur, jam non opus eſt hoc loco explicare, cum ſatis ſuperque de iis ſuis locis ſuperius dixerimus, ac præſertim de Compatribus, ſive Patrinis, qui infantem tenent, pro eoque, quod uſu rationis careant, & loqui neſciant, reſpondent; quique, ut ait hic noſter §. admonendi a Parocho ſunt, ut pie, ac decenter aſſiſtant, ac, prout opus fuerit, pro baptizando ad interrogata reſpondeant. Atque id eſt etiam, quod & Rituales Libri, & ſacræ Synodi mandant.

§. LVI.

Et quoniam iis, qui baptizantur, tanquam Dei filiis in Chriſtum regenerandis, & in ejus militiam adſcribendis nomen imponitur, curet, ne obſcœna, fabuloſa, aut ridicula, vel inanium Deorum, vel impiorum ethnicorum hominum nomina imponantur, ſed potius, quatenus fieri poteſt, Sanctorum, quorum exemplis fideles ad pie vivendum excitantur, & patrociniis protegantur.

COMMENTARIUS.

I. JUxta antiquum Eccleſiæ ritum, peracto Catechumenatus tyrocinio, qui ex Catechumenis Baptiſmalis gratiæ participes eſſe cupiebant, hi aliquibus ante Paſcha diebus, tabulis Eccleſiaſticis inſcribendum nomen ſuum dabant, ut videre eſt paſſim apud Sanctos Patres, qui dandi nominis ante Baptiſmum, non uno in loco meminere: *Date mihi nomina, ut ego ea inſcribam Libris ſenſibilibus*, inquit S. Gregorius Nyſſenus in Oratione adverſus eos, qui differunt Baptiſma. Hanc viguiſſe olim in Orientali Eccleſia diſciplinam, ut ante Baptiſmum nomen ſuum baptizandi darent, teſtis eſt etiam S. Cyrillus Hieroſolymitanus in Præfatione ad ſuas Catecheſes, num. 11. ubi hæc habet: *Hactenus nomina dediſtis &c.* Ad quæ verba multa ſcitu digna adnotavit Cyrilli illuſtrator doctiſſimus Antonius-Auguſtinus Touttee Monachus Benedictinus Congregationis S. Mauri, qui etiam recte obſervat, nihil notius hac nominum deſcriptione a baptizandis facta, cujus idem Cyrillus meminit num. IV. his verbis: *Intraſti, admiſſus es, nomen tuum inſcriptum eſt*. Rurſus Catecheſi III. num. 11. ſic ad rem ait: *Ne contingat nunc, quemquam eorum, qui nomina dederunt, illud audire* (Matthæi Capite XXII.) *Amice, quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem?* Eandem fuiſſe diſciplinam Eccleſiæ Latinæ, conſtat ex Concilio Carthaginenſi IV. anni CCCXCVIII. Can. LXXXV. *Baptizandi nomen ſuum dent*; & ex S. Auguſtino, Libro IX. Confeſſionum, Cap. VI. num. 1. *Ubi tempus advenit, quo me nomen dare oporteret, relicto rure, Mediolanum remeavimus*; itemque ex ejuſdem Sancti Doctoris Sermone CXXXC. *Ecce Paſcha eſt, da nomen ad Baptiſmum*.

II. Jam vero ſiquis reſcire deſiderat, quonam præciſe tempore baptizandi nomen darent, dicam, non idem in omnibus Eccleſiis dandi nominis tempus præſcriptum fuiſſe. Conſtat, in Africa datum ſaltem ante Symboli traditionem, hoc eſt, duabus, tribuſve hebdomadis ante Baptiſmum, uti patet ex S. Auguſtini Sermone CCXIII. qui eſt ſecundus in Symboli traditione, in cujus Capite VII. ſic inquit: *Eccleſia, ſi non parit filios, quomodo dedimus nomina noſtra, ut de ejus viſceribus naſceremur*. In vulgato etiam Romano Ordine præſcribitur, ut Feria IV. hebdomadæ tertiæ Quadrageſimæ infantium, & Suſceptorum eorum nomina ſcribantur. Sed in Epiſtola Jeſſe Ambianenſis Epiſcopi ad ſuos Parochianos, in Gellonenſi antiquo Libro Sacramentorum, in veteri Eccleſiæ Pictavienſis ab annis circiter DCCCC. exarato Codice, & in ms. Pontificali Eccleſiæ Saliſburgenſis, id Feria II. injungitur. Idem legitur in antiquo Codice Eccleſiæ Noviomenſis annorum circiter CM. & in Regio ejuſdem ætatis, ut & in Ordine Gelaſiano, in quibus tamen legitur Miſſa in Dominica tertia, cujus in Canone infra actionem nomina electorum recitari jubentur; quod quidem ſignum eſt, jam antea ſcriptis in tabulis fuiſſe relata. Et re vera in Epiſtola Siricii Papæ ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum, Cap. III. habetur, quod *ſolis per annum diebus*, Paſchæ, & Pentecoſtes, *ad Fidem confluentibus generalia Baptiſmatis tradi convenit Sacramenta his dumtaxat electis, qui ante quadraginta, vel eo*

amplius dies nomen dederint. Quod quidem tempus a Græcis etiam obſervatum eſſe, colligi poteſt ex citata S. Cyrilli Hieroſolymitani Præfatione ad Catecheſes, num. IV. ubi ſic inter alia inquit: *Intraſti, admiſſus es, nomen tuum inſcriptum eſt, &c.* Tum infra: *Non parvam habes temporis intercapedinem; pœnitentia dierum quadraginta tibi datur.*

III. Tradit hæc quidem doctiſſimus Martene, Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. I. Articulo X. num. II. ubi etiam mox obſervat, aliquando profitendis nominibus longius præſtitutum fuiſſe ſpatium temporis, probatque ex Epiſtola III. S. Clementis Papæ, qua decernitur, ut *accedat qui vult ad Sacerdotem ſuum, & ipſi det nomen ſuum, ut tribus menſibus jam conſumptis, in die feſto poſſit baptizari*. Scio, ab eruditis ſuppoſititiam cenſeri hanc Epiſtolam, ſed negari non poteſt, quin ea ſit alicujus antiqui Auctoris. Quicquid autem de ea re ſit, quod nos dicimus, probari poteſt ex iis, quæ ſcripſit S. Ambroſius in Evangelium Lucæ Lib. IV. n.76. *Nemo adhuc nomen ſuum dedit*. Et paulo poſt: *Miſi jaculum vocis per Epiphaniam, & adhuc nihil cepi*. Huc adhuc referri poteſt locus Siricii Papæ ſuperius deſcriptus, dum ait, *iis ſolis Baptiſma dari, qui ante dies quadraginta, vel eo amplius nomen dederint*. Ceterum ex hac nominum inſcriptione, ut notat Martene loco citato, num. III. nonnulli & illud inferunt, nomina olim non in Baptiſmo, ut nunc fit, ſed longe ante impoſita fuiſſe. Ita cenſet Menardus in Notis ad Librum Sacramentorum S. Gregorii Papæ, pag. 99. ubi probat, moris fuiſſe apud veteres Francos die nono ab ipſo natali die maribus, octavo feminis nomen imponere; putatque antiquos Chriſtianos in nominibus imponendis ſua conſuetudine uſos fuiſſe, poſita omni ſuperſtitione paganica. Et certe cum tardius olim, nec niſi provectioribus ætate ſoleret Baptiſmus adminiſtrari, tanto tempore ſine nomine manſiſſe, haud quaquam probabile videtur.

IV. Licet autem ita ſe res haberet, jam nihil obſtat, quo minus antiquiſſima ſit in Baptiſmo nominis imponendi conſuetudo. Nam qui ex Paganis ad Chriſtum convertebantur, nomine gentili abjecto, novum aſſumebant; qui vero ex Chriſtianis parentibus progeniti erant, hi aut nullum nomen ante Baptiſmum habebant, aut inditum mutabant, vel etiam aliquando retinebant, uti addiſcere licet ex variis Actis, & Hiſtoriis Sanctorum. Ita in Actis Sanctorum Hyppoliti, Euſebii, & Sociorum, quæ tanquam ſincera vulgavit Baronius ad ann. Chriſti CCLIX. num. XI. S. Stephanus Papa I. Adriam, & Paulinam baptizans, *vocavit puerum Neonem, puellam Mariam*. In Actis ejuſdem S. Stephani ibidem, num. XXII. S. Pontifex Nemeſii filiam baptizatam, *Lucillam vocavit, quam ipſe elevavit de Fonte*. Ita S. Petrus Balſamus a Severo Præſide de nomine interrogatus, reſpondit: *Nomine paterno Balſamus dicor, ſpirituali vero nomine, quod in Baptiſmo accepi, Petrus dicor.* Ita apud Socratem Lib. VII. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Cap. XXI. cum Theodoſius junior Imperator Athenaidem ductus eſſet uxorem, hanc *Atticus Epiſcopus Chriſtianam fecit, & in Baptiſmo pro Athenaide Eudociam nominavit*. Ita apud Gregorium Turonenſem, Lib. VIII. *Hiſtoriæ Francorum*, Cap. XXII. Waldo quidam Diaconus *in Baptiſmo Bertchramnus vocitatus eſt*. Eodem teſte Auctore in Libro, *De Vitis Patrum*, Cap. VIII. S. Nicetius, qui poſtea Lugdunenſis Epiſcopus fuit, a matre nomen in Baptiſmo accepit.

V. Longum eſſet alia id genus exempla afferre, quæ paſſim in Actis Sanctorum veterum occurrunt, quorumque mentionem inter alios faciunt Joſephus Vicecomes, & Edmundus Martene, ubi antiquos Baptiſmi ritus recenſent. Exemplis itaque aliis omiſſis, circa nominis impoſitionem ex laudatis Scriptoribus nonnulla ſunt hoc loco obſervanda. Primum eſt, ipſum nomen aliquando ab Epiſcopis, aliquando a parentibus, aliquando a Suſceptoribus, ſeu Patrinis impoſitum fuiſſe. Sane, ut jam ſuperius notavimus, Stephanus Papa I. in Actis SS. Hyppolyti, Euſebii, & Sociorum, Adriam baptizatum a ſe Neonem, & Paulinam Mariam nominavit. Teſte Beda Lib. V. Hiſtoriæ Anglorum, Capite VII. *Cum Cedulla Rex Occidentalium Saxonum hoc ſibi gloriæ ſingularis deſideraret adipiſci, ut ad Limina Beatorum Apoſtolorum Fonte Baptiſmatis ablueretur .... & illo perveniens, Pontificatum agente Sergio, baptizatus eſſet die ſancto Sabbati Paſchalis anno DCLXXXIX. ei tempore Baptiſmatis Papa memoratus Petri nomen impoſuit*. Simile exemplum proferunt Annales Francorum apud Cheſnium, Tomo II. pag. 22. & Tomo III. pag. 138. his verbis: *Anno DCCLXXXI. perrexit Carolus Rex Romam, & baptizatus eſt ibi filius ejus, qui vocabatur ei Carlomanus, quem Adrianus Papa mutato nomine vocavit Pippinum*. Sed & hodie apud Moſchovitas, nomen imponit Sacerdos, non tamen in Baptiſmo, ſed ipſo nativitatis die, ut teſtatur Sigiſmundus Liber in Libro, *De rebus Moſchoviticis*, Capite inſcripto, *De Baptiſmo*, his verbis: *Nato infante, mox accerſitus Sacerdos, ante januam habitationis, in qua eſt puerpera, certas ſtando recitat orationes, pueris nomen imponit, deinde quadrageſimo communiter die, niſi forte puer ægrotet, defertur in Templum, & baptizatur*. Porro conſueviſſe utplurimum parentes nomen filiis imponere, teſtatum ex praxi habemus, cujus mentio paſſim fit in Hiſtoria ſacra, & profana. Quod vero ab ipſis etiam Suſceptoribus aliquando nomen daretur, docet Gregorius Turonenſis in Hiſtoria Francorum, Lib. X. Cap. XXVIII. ubi loquens de Baptiſmo Chlotarii II. diſerte ait, quod illum *excipiens Chlotarium vocitari voluit*.

VI. Sanctiſſime autem illud ex noſtro §. cautum eſt, ut curet Parochus, *ne obſcœna, fabuloſa, aut ridicula, vel inanium Deorum, vel impiorum ethnicorum hominum nomina imponantur, ſed potius, quantum fieri poteſt, Sanctorum &c.* Eſt hæc quidem vetus Eccleſiæ diſciplinæ, uti ex variis Conciliis conſtat, ac præſertim Nicæno, in Canone ſcilicet XXX. Arabico ejuſdem Concilii, ubi ſic inquit: *Fideles nomina gentilium filiis ſuis ne imponant, ſed potius omnis natio Chriſtianorum ſuis nominibus utatur, ut gentiles ſuis utuntur*. Idem præſcribunt ſequioris ævi Synodi multæ, ac Rituales Codices, quibus inhærens S. Carolus in Concilio Provinciali IV. Mediolanenſi, Conſtitutionum Parte II. Capite inſcripto, *Quæ pertinent ad Sacramentum Baptiſmi*, ſic inter alia ſtatuit: *Curet idem*, Parochus ſcilicet, *ut infantibus proprio nomine in* Ba-

Baptiſmo appellandis eu nomina non imponantur, quæ turpia, aut ridicula, quæve gentilium, atque adeo impiorum, & impurorum hominum memoriam referant, ſed illorum, qui ob veræ pietatis, ac ſanctæ religionis, virtutiſque Chriſtianæ laudem, Sanctorum numero adſcripti ſunt; ut & in ipſo vitæ ingreſſu, eum ethnicis ne nomen quidem commune Fideles habere velle proteſtentur, & ipſi infantes etiam cum ætate proceſſerint, nominum ſimilitudine, ad eorum, a quibus illa accepta ſunt, imitationem excitentur; & præterea, quos imitari ſtudeant, eoſdem quoque frequentius precentur; ac ſperent, eos potiſſimum ſibi ad ſalutem tum animi, tum corporis advocatos fore. Similia ſunt, quæ docet Tridentini Concilii Catechiſmus, Parte II. *De Baptiſmi Sacramento,* num. LX. in fine, ubi de nominis impoſitione agens ſic ait: *Ad extremum vero nomen baptizato imponitur, quod quidem ab aliquo ſumendum eſt, qui propter excellentem animi pietatem, & religionem in Sanctorum numerum relatus eſt; ita enim facile fiet, ut quivis nominis ſimilitudine, ad virtutis, & ſanctitatis imitationem excitetur; ac præterea quem imitari ſtudeat, eum quoque precetur, & ſperet ſibi advocatum ad ſalutem tum animi, tam corporis defendendam venturum eſſe.* Pergit, additque mox num. LXI. *Quare reprehendendi ſunt, qui gentilium nomina, & eorum præcipue, qui omnium ſceleratiſſimi fuerunt, tam diligenter conſectantur, & pueris imponunt; cum ex eo intelligi poſſit, quanti Chriſtianæ pietatis ſtudium faciendum exiſtiment, qui impiorum hominum memoria tantopere delectari videntur, ut velint Fidelium aures hujuſmodi prophanis nominibus undique circumſonare.* Viget hodieque iſte abuſus, quem multæ recentiores Synodi evellere conatæ ſunt.

VII. Alieni ab hoc abuſu jam multi ex antiquis Chriſtianis fuere, quos memorat Nicephorus Lib. VI. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ,* Cap. XXII. ubi ait, quod *multi propter ſuam in Apoſtolos propenſionem, & affectionem nomina eorum liberis ſuis imponebant.* Inter Apoſtolos vero SS. Petri, & Pauli, atque Joannis nomina præ ceteris placuiſſe primis Chriſtianis, teſtem omni exceptione majorem habemus Dionyſium Alexandrinum apud Euſebium, Lib. VII. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ,* Cap. XXV. Antiquam quoque fuiſſe Eccleſiæ Mediolanenſis praxim, ut tribus pueris, quos in Vigilia Paſchæ baptizare ſolebat Archiepiſcopus, uni Petri, alteri Pauli, tertio Joannis nomen imponeretur, ex Cæremoniali Beroldi docet eruditus Vicecomes. Poſt SS. Apoſtolorum nomina, nulla primis ſæculis acceptiora fuiſſe, quam SS. Martyrum, tradit etiam Theodoretus Sermone VIII. *De Græcarum affectionum curationibus,* ſic inquiens: *Naſcentibus filiis Martyrum nomina imponere ſtudent, ſecuritatem inde ipſis, telumque comparantes.* Atque ea extitit cauſa, cur B. Gregorii Nyſſeni ſoror Macrinæ nomen ſortita ſit, ut ipſe docet in ejus Vita num. II. ſic dicens: *Macrinæ Virgini nomen erat, ſic a parentibus appellatæ, quod olim inſignis quædam in noſtra familia Macrina fuerat, patris noſtri videlicet mater, quæ tempore perſecutionum pro Chriſti confeſſione pugnaverat.*

VIII. Jam non defuere olim, qui parentum, aut avorum, aliorumve illuſtrium virorum prophana nomina ambirent; quam tamen conſuetudinem merito S. Joannes Chryſoſtomus improbavit Homilia XXI. in Geneſim, ubi auditores ſuos hortatur, ut Sanctorum potius hominum, qui Chriſtianis virtutibus fulſerunt, liberis ſuis nomina imponant, ut eorum exemplo & ipſi ad virtutem Chriſtianam incendantur. Quamobrem laudat inprimis Cives Antiochenſes, qui, ſpretis parentum nominibus, Meletii eorum quondam Epiſcopi appellationem præferrent. Sic enim in encomio, quod de eo ſcripſit, inquit: *Cum enim a principio in Civitatem ingreſſum excipiſſetis, unuſquiſque filium ſuum appellabat ab illius appellatione, per appellationem exiſtimans, in domum ſuam Sanctum illum introducere, patreſque, avos, & proavos, ac matres prætereuntes, Beati Meletii nomen imponebant liberis, quos pepererant.* Atque ex his, & aliis Patrum teſtimoniis, quæ afferri huc poſſent, ſatis jam patet, quod notat eruditus Martene, Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus,* Cap. I. Articulo X. num. VII. quam longe ſcilicet aberrarint a puriori Eccleſiæ diſciplina noſtri ſæculi heterodoxi, qui abjectis Sanctorum Novi Teſtamenti appellationibus, nomina Teſtamenti Veteris affectant, quos merito carpit Concilium Provinciale Burdigalenſe anni MDLXXXII. his verbis: *Nomina Sanctorum Patrum Veteris Teſtamenti affectare, hæreticum eſt.* Non quidem præciſe propter affectata Sanctorum antiquæ Legis nomina, nam de quinque Ægyptiis Martyribus, qui Heliæ, Hieremiæ, Samuelis, Iſaiæ, & Danielis nomina aſſumſerant, id narrat Euſebius in Libro, *De Martyribus Palæſtinæ,* ſed quod ea in odium debitæ Sanctis venerationis accipere affectent.

IX. Quamquam denique ex variis Conciliis permiſſum jam fuerit, acceptum in Baptiſmo nomen, in Confirmatione mutare, præſertim vero ubi quis in Baptiſmo turpe, ridiculumve nomen fuerat ſortitus, ut ex variis Conciliis docet Martene, citato Lib. I. Cap. II. Articulo III. num. XII. merito nihilominus Concilium Provinciale VI. Beneventanum anni MCCCLXXIV. Tit. IV. Capite V. §. *Pueris,* reprehendit ſuperſtitioſam nominis illam mutationem *immediate reverſis de Baptiſmo ad domum pueris* factam, quod ea *mutatio dicebatur proficere contra potiones, aut incantationes magicas.*

§. LVII.

His igitur expeditis, & accepto nomine baptizandi, poſiti, ſi infans fuerit, ſuper brachium dextrum illius, qui eum defert, Parochus ad Baptiſmum procedat, in hunc modum nominatim interrogans.

COMMENTARIUS.

I. PErſpicuum eſt, quod in hoc §. edicitur, *accepto,* inquit, *nomine baptizandi, poſiti, ſi infans fuerit, ſuper brachium dextrum illius, qui eum defert, Parochus ad Baptiſmum procedat;* paratus ſcilicet Superpelliceo, & Stola violacea, in Limine Eccleſiæ ſtans, ubi ſo-

foris ſtant, qui infantem detulerunt, uti jam diximus in Commentariis ad ſuperiores Paragraphos. Accipitur autem tunc a Parocho nomen baptizandi, ut nominatim interroget illum, & ſciat quomodo latino idiomate pronuncietur, latino enim ſermone interrogari debet in proprio caſu vocativo, ut ex ſequentibus Paragraphis liquet. Quod tandem in præſenti §. dicitur, baptizandum infantem poſitum eſſe debere *ſuper brachium dextrum, qui eum defert*, ſtatutum eſt etiam in variis Ritualibus, ac præſertim in Actis Eccleſiæ Mediolanenſis non uno in loco. Ceterum notat Barruſaldus in Commentario ad hunc §. num. 70. ad commodiorem uſum præcipi, ut ſuſcipiatur infans ſuper brachium dextrum, quia hoc modo Parochus miniſtrans Baptiſmum facilius operatur, & quia etiam pars dextra eſt nobilior ſiniſtra.

C A P U T II.

Ordo Baptiſmi Parvulorum.

§. I.

N. *Quid petis ab Eccleſia Dei.* Patrinus reſpondet: *Fidem.* Sacerdos: *Fides quid tibi præſtat?* Patrinus reſpondet: *Vitam æternam.* Sacerdos: *Si igitur vis ad vitam ingredi, ſerva mandata. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & proximum tuum, ſicut teipſum.*

COMMENTARIUS.

I. Quamquam non eo ordine, quo in hoc noſtro Rituali Romano præſcripti ſunt ritus Baptiſmi, in omnibus olim Eccleſiis adhiberentur, omnes tamen, imo & alii complures, ac in ipſo Romano Rituali notantur, adamuſſim obſervabantur. Haud dubium eſt, quin juxta antiquum morem peracta diaboli renuntiatione, & corporis inunctione, ſequeretur ſtatim interrogatio de Fide, ejuſdemque profeſſio. Porro ex ms. Codice Bibliothecæ S. Genovefæ Pariſienſis annorum circiter ccc. in quo nonnulli ritus Eccleſiæ Laudenſis in Italia continentur, apud Martene, Libro I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. I. Articulo XVIII. Ordine XV. ſtatutum eſt quidem, ut *inprimis cum infans ductus fuerit ad Eccleſiam, Sacerdos ſtans ante fores Eccleſiæ exufflet tribus vicibus in ore infantis in modum Crucis, poſtea dicat*: Per iſtam inſufflationem, & Dei benedictionem exeat a te ſpiritus malignus, & ingrediatur in te Spiritus Sanctus, & totum permaneat in æternum. *Deinde Sacerdos interroget, quod nomen infans habere debet, dicendo*: Quid petis ad Eccleſiam? ℞. Fidem. *Iterum dicit Sacerdos*: Fides quid tibi præſtat? ℞. vitam æternam. *Poſtea dicit Sacerdos*: Hæc eſt autem vita æterna: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis, & proximum tuum, ſicut teipſum. In his duobus mandatis univerſa Lex pendet, & Prophetæ.

II. Eſſe antiquum præterea ritum, ut hujuſmodi inſtructio a Sacerdote baptizante fieret ſtante in Limine Eccleſiæ, baptizando extra Limen manente, docent nos tres mſs. Libri Pontificales apud eundem Martene, Conſtantinopolitanus annorum circiter DC. Aquenſis D. & Romanus CD. in quibus ita legitur: *Stans in Eccleſiæ Limine Sacerdos catechizandum ſitum foris Limen interrogat, ita dicens*: Joannes, quid petis ad Eccleſiam Dei? ℞. Fidem. *Interrogatio*: Fides quid tibi præſtat? ℞. Vitam æternam. *Ait ei Sacerdos*: Si vis habere vitam æternam, ſerva mandata: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & proximum tuum, ſicut teipſum. In his duobus mandatis tota Lex pendet, & Prophætæ. Fides autem eſt, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Unitate venereris; neque confundendo Perſonas, neque ſubſtantiam ſeparendo. Alia eſt enim Perſona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti; ſed horum trium una eſt, & non niſi una Divinitas. Exeat ergo de te ſpiritus malignus, & ingrediatur Spiritus bonus per eum, qui venturus eſt.

III. Illud vero in hoc noſtro §. non modo, ſed & in aliis Ritualibus præſcriptum legitur, ut infantes baptizandi proprio appellati nomine a Sacerdote inrerrogentur, ſed reſpondeant tamen pro ipſis Patrini. Eſtque hæc antiquiſſima Eccleſiæ diſciplina a Sanctis Patribus, & a ſacris Conciliis comprobata. Certe S. Auguſtinus, Lib. IV. *De Baptiſmo*, Cap. XXIV. relatus in Canone LXXVI. *De conſecratione*, Diſtinctione IV. ſic docet: *Cum pro parvulis alii reſpondent, ut impleatur erga eos celebratio Sacramenti, valet utique ad eorum conſecrationem; quia ipſi pro ſe reſpondere non poſſunt. At ſi pro eo, qui reſpondere poteſt, alius reſpondeat, non itidem valeat. Ex qua regula illud Evangelii dictum eſt, quod omnes, cum legitur, naturaliter monet: Ætatem habet, ipſe pro ſe loquatur.* S. Auguſtino conſentit Sanctus Iſidorus, Libro II. *De officiis*, Capite XXIV. relatus & ipſe in Canonem LXXIII. loco citato: *Parvuli*, inquit, *alio profitente, baptizantur, quia adhuc loqui, vel credere neſciunt; ſicut etiam ægri, muti, & ſurdi, quorum vice alius profitetur, ut pro eis reſpondeat, dum baptizantur.* Atque ex his addiſcimus, excludi mutum, ſurdumve a miniſterio Patrini, quia Patrinus ſcilicet audire verba Sacerdotis debet, eique verbis expreſſis, illiſque præciſis a noſtro Rituali Romano in hoc & ſequentibus Paragraphis præſcriptis, reſpondere. Quod quidem ex variis Ritualibus, ac Synodis permultis demonſtrari latius poſſet, ſed ſupervacaneum eſt eorum loca in re perſpicua, ac ſatis probata, referre.

§. II.

§. II.

Deinde ter exſufflet leniter in faciem infantis, & dicat ſemel: *Exi ab eo*, vel *ab ea*, *immunde ſpiritus, & da locum Spiritui Sancto Paraclito.*

COMMENTARIUS.

I. Ritum in §. præſenti præſcriptum, eſſe antiquiſſimum, docent SS. Patres paſſim, tum Latini, tum Græci, ex quibus etiam addiſcimus, non modo exorciſmum, ſed & exſufflationem in faciem baptizandi fieri jam olim conſueviſſe. Notandus in primis locus ex Epiſtola cxciv. S. Auguſtini ad Sixtum, num. 46. ubi peccatum originale probat adverſus Pelagianos ex inſufflatione, & exorciſmis, qui ſuper infantes ante Baptiſmum fiunt: *Non inveniunt*, inquit, *quid ad hoc reſpondeant, quod exorcizantur, & inſufflantur infantes. Hoc enim procul dubio fallaciter fit, ſi diabolus eis non dominatur; ſi autem dominatur, & ideo non fallaciter exorcizantur, & inſufflantur; per quid dominatur, niſi per peccatum, princeps utique peccatorum?* Huc ſpectat quod idem S. Doctor ſcribit Lib. 1. *De Symbolo ad Catechumenos*, Capite v. ubi hæc habet: *Sicut vidiſtis hodie, ſicut noſtis, & parvuli exſufflantur, & exorcizantur, ut pellatur ab eis poteſtas iniqua, quæ decepit hominem.* Multa in rem ipſam laudati S. Auguſtini teſtimonia congeſſit inter alios Stephanus Durantus Lib. 1. *De ritibus Eccleſiæ Catholicæ*, Cap. xxx. num. 22. ubi & alia plurima aliorum SS. Patrum, & pervetuſtorum Scriptorum loca recenſet, præſertim vero Tertulliani, S. Cypriani, ac S. Dionyſii in Libro, *De Eccleſiaſtica Hierarchia*, Cap. II. Parte II. ubi expreſſa trinæ inſufflationis mentio habetur, quæ quidem ab ipſo baptizando, ſi adultus erat, fiebat: *Deinde cum illum*, Catechumenum, *Occidentem verſus attendentem, manuſque porrigentem, ad eandem regionem collocavit, tum eum jubet*, Sacerdos ſcilicet, *tertio Satanam, ut ita dicam, inſufflare, & præterea quæ defectionis, & abrenuntiationis ſunt, profiteri.*

II. Communiter quidem fiebat ipſa exufflatio ab eo, qui conferebat Baptiſmum, ab Epiſcopo ſcilicet, vel Presbytero, ſed negari tamen non poteſt, quin aliquando a Diaconis fieret, ut patet ex Actione I. Concilii II. Conſtantinopolitani; aliquando ab Exorciſtis, ut habet Joannes Belethus in ſua Divinorum Officiorum explicatione, Cap. xc. aut a ſimplicibus Clericis, ſive Acolythis, uti addiſcere licet ex Gennadio in Libro, *De Eccleſiaſticis Dogmatibus*, Cap. xxxi. ubi ſic loquitur: *Illud etiam, quod circa baptizandos in univerſo Mundo Sancta Eccleſia uniformiter agit, non otioſo contemplemur intuitu, cum ſive parvuli, ſive juvenes ad regenerationis veniunt Sacramentum, non prius Fontem vitæ adeant, quam exorciſmis, & exſufflationibus Clericorum, ſpiritus ab eis immundus abigatur.* Atque hic illud etiam nota, ritum ſcilicet exſufflationis, & exorciſmorum in Baptiſmo, jam olim in univerſo Mundo ab Eccleſia ſancta uniformiter peragi conſueviſſe. Et certe eundem in Eccleſia Orientali uſum obſervatum fuiſſe, patet ex Concilio Generali Conſtantinopolitano I. Canone VII. his verbis: *Primo quidem die ipſos Chriſtianos facimus, ſecundo Catechumenos, deinde tertio exorcizamus, ſive adjuramus ipſos, ter ſimul in faciem eorum, & aures inſufflando.* Quæ verba repetuntur in Concilio VI. Generali Conſtantinopolitano III. eiſque ſuffragatur Nicetas Choniates in Libro II. Orthodoxæ Fidei, ſic dicens: *Sacerdos cum illum denuo in Templum ducit, & inſufflans ter in faciem ejus, & aures ejus, tandem etiam exorciſmorum orationes adjiciens, eum rurſus ſigno Crucis munitum a ſe dimittit.* Sed ut alios omittam, audiamus tandem S. Cyrillum Hieroſolymitanum, qui de eiſdem ritibus ita ſcribit in Catecheſi Myſtagogica: *Inſufflationes Sanctorum, & Nominis Dei invocatio, tanquam vehementiſſima quadam flamma urit dæmonas, & in fugam convertit.*

III. Quamquam vero ex dictis hactenus conſtet, inſufflationes apud Græcos factas fuiſſe non modo in faciem, verum etiam in aures, ut tamen nos Euchologium docet, in adultorum Baptiſmo Sacerdos primum inſufflat ter in faciem Catechumeni, & iterum poſt tertium exorciſmum idem Sacerdos inſufflat in os, frontem, & pectus ejuſdem Catechumeni, & poſt abrenunciationem, jubet eum inſufflare, & conſpuere ſatanam. Sed quicquid ſit de ritu Græcorum, inſuflationem apud Latinos in ſolam faciem factam fuiſſe, docent nos omnes Libri Rituales, quos ſe ait conſuluiſſe Martene, Libro 1. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. 1. Articulo VI. num. XII. Atque his inhærens noſtrum Rituale Romanum in præſenti §. ita præſcribit: *Deinde ter inſufflet leniter in faciem infantis, & dicat ſemel:* Exi ab eo &c.

IV. Eſſe autem antiquum ritum, ut in ipſa inſufflatione, ea verborum formula in noſtro §. præſcripta diceretur, probari plane poſſet ex plurimis Patrum, ac Ritualium locis. Certe Optatus Milevitanus, Libro IV. contra Parmenianum, loquens de excludendo diabolo ante ſalutare lavacrum, poſtquam dixit, hoc Baptiſmum operari, *per quem ſpiritus immundus depellitur, & fugatur*, ita mox ſubdit: *Vos baptizando exorcizatis hominem fidelem, & dicitis: Maledicte exi foras.* Ex duobus mſs. Libris Sacramentorum inſignis Eccleſiæ Turonenſis annorum circiter CM. & alio Majoris Monaſterii annorum DCCC. atque ex Rituali S. Salvatoris de Villa-Inpe annorum DC. ita præſcriptum eſt: *Primitus diſcooperiat Sacerdos caput infantis, ſi coopertus fuerit, & inſufflet tribus vicibus in faciem ejus, dicens:* Inſufflo te, diabole, in Nomine Patris, ut exeas, & recedas ab hoc famulo Dei, quem tua fraude decepiſti. Inſufflo te, diabole, in Nomine Filii, ut exeas, *ut ſupra.* Inſufflo te, diabole, in Nomine Spiritus Sancti &c. *ut ſupra.* Ex ms. Pontificali S. Luciani Bellovacenſis annorum circiter DCCC. inſufflat ter Sacerdos baptizandum, dicens: *Recede ab hac imagine Dei increpatus ab eo, & da locum Spiritui Sancto.* Ex ms. Miſſali Romaricenſi annorum

rum circiter DCC. Sacerdos baptizans inſufflabat in ora ſingulorum baptizandorum, & poſtquam dixerat ter: *Accipite ſignaculum Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, ſubdebat mox: *Exi ab eo Satan, da honorem Deo vivo, & vero. Da honorem Jeſu Chriſto Filio ejus, & Spiritui Sancto, & recede ab hoc famulo Dei ill.*

V. Longum eſſet alios Codices Rituales referre, quos legere eſt apud laudatum Martene. Plura autem de exſufflationibus, & exorciſmis, eorumque formulis tradit S. Severus Patriarcha Alexandrinus in Libro, *De ritibus Baptiſmi*, & alii plures tum Græci, tum Latini Patres, ac Sacræ Synodi, quibus inſignis Calviniſtarum impudentia detegitur, qui exorciſmorum, & exſufflationum in Baptiſmo ritum ab ipſis Apoſtolis uſque ad hæc tempora in univerſo Mundo una voce, unaque mente conſervatum irridere non erubeſcunt, Julianum illum impurum Apoſtatam imitantes, qui, Auctore S. Gregorio Nazianzeno in Oratione adverſus eundem Julianum, ſufflationes ſymbolicas in Baptiſmo in calumniam, & riſum trahebat. Porro ex dictis jam conſtat, cur exſufflatio, atque exorciſmus ſuper baptizandum fiat, *ad expellendum* ſcilicet *diabolum, ejuſque vires frangendas & debilitandas, ſacris, & religioſis verbis, ac precationibus*; inquit Tridentini Concilii Catechiſmus, Parte II. *De Baptiſmi Sacramento*, num. LX. §. *Sequitur*. Sed audiendus hic iterum S. Auguſtinus relatus in Can. *Sicut noſtis*, De conſecratione, Diſtinctione IV. ubi hæc habet: *Parvuli exſufflantur, & exorcizantur, ut pellatur ab eis diaboli poteſtas inimica, quæ decepit hominem, ut poſſideret homines.* Notandum vero quod ſubdit: *Non ergo creatura Dei in infantibus exorcizatur, aut exſufflatur, ſed ille, ſub quo ſunt omnes, qui ſub peccato naſcuntur.*

VI. Juxta antiquum ritum, poſt exſufflationem dabat Sacerdos baptizando pacem cum oſculo, hoc eſt, Sacerdos Baptizandum oſculabatur, dicens: *Pax tibi*. Quod quidem ex S. Cypriano colligere licet, qui in Epiſtola LIX. ad Fidum de infantibus baptizandis, ſic eum ritum exprimit: *Nam etſi adhuc infans a partu novus eſt, non ita eſt tamen, ut quiſquam illum in gratia danda, atque in pace facienda horrere debet oſculari, quando in oſculo infantis unuſquiſque noſtrum pro ſua religione, ipſas adhuc recentes Dei manus debeat cogitare, quas in homine modo formato, & recens quodam modo oſculamur, quando id, quod Deus fecit, amplectimur.* Recitat hunc locum Stephanus Durantus, Libro I. *De ritibus Eccleſiæ Catholicæ*, Cap. XIX. num. 24. aitque ritum ipſum oſculandi infantem, in deſuetudinem abiiſſe. Martene autem Libro I. Cap. I. Articulo XV. num. I. locum ipſum Cypriani intelligit de oſculo, non ante, ſed poſt Baptiſmum infanti exhibito; additque, peculiarem fuiſſe eum ritum Africanæ Eccleſiæ, quod præter Cyprianum, Auctorem nullum, qui illius meminerit, repererit. Sed puto utrumque lapſum fuiſſe, Martene, ac Durantum, ut dicemus infra in Commentario ad §. VI.

§. III.

Poſtea pollice faciat ſignum Crucis in fronte, & in pectore infantis dicens: *Accipe ſignum Crucis tam in fronte ✠, quam in corde ✠, Sume Fidem cæleſtium præceptorum, & talis eſto moribus, ut Templum Dei jam eſſe poſſis.*

Oremus.

Preces noſtras, quæſumus Domine, clementer exaudi, & hunc electum tuum N. Crucis Dominicæ impreſſione ſignatum perpetua virtute cuſtodi, ut magnitudinis gloriæ tuæ rudimenta ſervans, per cuſtodiam mandatorum tuorum ad regenarationis gloriam pervenire mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

COMMENTARIUS.

I. Signum Crucis baptizandis imprimi, antiquiſſimi eſt inſtituti, cujus non uno in loco meminit inter alios Patres S. Auguſtinus, præſertim vero Libro II. *De Symbolo ad Catechumenos*, Cap. I. quos ſic alloquitur: *Nondum quidem adhuc per ſacrum Baptiſmum renati eſtis, ſed per Crucis ſignum in utero Eccleſiæ jam concepti eſtis.* Varios Patres tum Latinos, tum Græcos idipſum aſſerentes citat Durantus Lib. I. *De ritibus Eccleſiæ Catholicæ*, Cap. XIX. num. 28. ubi inter alios recenſet S. Baſilium, in Libro, *De Spiritu Sancto*, Cap. XXVII. ubi inter conſuetudines, quæ non ſcripto, ſed traditione proditæ ſunt, enumerat eam, qua ſigno Crucis eos, qui ſpem collocarunt in Chriſtum, ſignamus. Plura de Crucis ſigno in Baptiſmo docent memoratus Auguſtinus variis in locis, S. Joannes Chriſoſtomus contra Gentiles, & in Oratione, *Quod Chriſtus ſit Deus*, S. Hieronymus in Epiſtola ad Heliodorum, S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi IV. & alii plures.

II. Jam vero quod ſpectat ad partes Cruce ſignandas, non una fuit Eccleſiarum omnium conſuetudo. In Rituali Ambroſiano, & in Laudenſi mss. unica dumtaxat conſignatio deſignatur in fronte. In antiqua Liturgia Gallicana, quam ex ms. Codice Bobienſi ante annos M. exarato edidit Cl. Mabillonius, Tomo I. Muſæi Italici, duplex, *in fronte, & in corde*. In ms. Pontificali Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, & Eccleſiæ A.·uenſis, triplex, *in fronte, in pectore, & in fronte & pectore ſimul*. In Miſſali Gothico, quod publica luce donavit doctiſſimus, religioſiſſimuſque S. R. E. Cardinalis Thomaſius, quatruplex, *in oculis, in auribus, in naribus, & in corde*. Septuplex tandem in Enchiridio Chriſtianæ Inſtitutionis in Concilio Colonienſi anni MDXXXVI. editæ, *in fronte, in oculis, in auribus, in naribus, in pectore, in ſcapulis, & in ore*. Quarum omnium myſticas rationes affert, his verbis: *Deinde ſignum Crucis ſit principio in fronte ad ſignificandum, quod baptizandus nomen dat Chriſto* Cru-

Crucifixo, in quo confidat, & quem pollicitus confiteri, nunquam erubeſcat. Super oculos dein, ut intelligamus, baptizandum præparari ad videndam claritatem Dei. Super aures quoque, ut intelligamus, eum conſecrari, ut audiat verbum veritatis Dei. Super nares etiam, ut percipiat ſuavitatem odoris Dei. Signatur quoque pectus, ut credat in eo, quod corde creditur ad juſtitiam. Scapulæ quoque, ut ſuſcipiat ſignum ſervitutis Dei, juxta Chriſti præceptum. Tollite jugum meum ſuper vos. *Os denique, ut confiteatur illi, quia ore confeſſio fit ad ſalutem.* De hujuſmodi ſignis loquitur etiam Tridentini Concilii Catechiſmus, Parte II. *De Baptiſmi Sacramento*, num. LX. ubi explicans varias Baptiſmi cæremonias, ſic inter alia inquit: *Obſignatur præterea ſigno Crucis frons, oculi, pectus, humeri, aures, quæ omnia declarant, Baptiſmi myſterio ſenſus baptizati aperiri, ac roborari, ut Deum excipere, præceptaque ejus intelligere, ac ſervare poſſit.*

III. Præter prædictas ſeptem conſignationes, ex memorato Concilio Colonienſi allatas cum precibus, myſticis ſupra explicatis rationibus reſpondentibus, duæ aliæ ſuperadduntur in antiquo Rituali Leodienſis Eccleſiæ, una ſcilicet in fronte, altera in pectore; nimirum duæ iſtæ corporis partes bis ſignandæ præſcribuntur, ſemel initio, & ſemel poſt ſeptimam conſignationem. Fiebant præterea & aliæ conſignationes tam inſufflando, quam inungendo, aut benedicendo Catechumenos, quas longo agmine affert Martene, loco citato. Fiebat autem potiſſimum olim ſignum ipſum Crucis in fronte baptizandi, teſte Auguſtino in Pſalmum XXX. ſic ajente: *Non ſine cauſa ſignum ſuum Chriſtus in fronte nobis figi voluit, tanquam in ſede pudoris, ne Chriſti opprobrio Chriſtianus erubeſcat.* Sed nec omittendum, quod tradit Alcuinus in Epiſtola ad Carolum Magnum de Baptiſmo, nempe, quod *illud ſignum faciunt in frontibus eorum Presbyteri, Clerici, Patrini, & Matrinæ.* Ex ms. Codice Gemmeticenſi tempore Theodorici Abbatis, qui obiit anno MXXXII. exarato, duo addiſcimus, quæ & hic adnotanda cenſuimus. Primum eſt, quod poſtquam Presbyter fecit Crucem in fronte infantis, & dixit Orationem, *Deus Abraham &c.* cum aliis tribus Orationibus ſuper maſculos, & tribus ſuper feminas dicendis, ac una ſuper utroſque, *faciens Crucem cum pollice infra palmam dextram*, dicebat, *Trado ſignaculum Domini noſtri Jeſu Chriſti in manu tua dextera, ut te ſignes, & te de adverſa parte repellas, & in Fide Catholica permaneas, & vivas eam Domino ſemper in ſæcula ſæculorum. Amen.* Alterum vero, quod *inde cum ipſa manu infantis* ſignabat *ipſum infantem*, & dicebat, *Signo te ſignaculo Domini noſtri Jeſu Chriſti de manu tua dextera, ut te conſervet contra adverſarios tuos, ut habeas vitam æternam, & vivas in ſæcula ſæculorum. Amen.*

IV. Sed ut aliquas Orationes deſcribamus hoc loco, quæ antiquitus ſuper baptizandum dici a Sacerdote ſolebant, dum illi ſignum Crucis faceret, ex Miſſali Gothico a laudato Cardinale Thomaſio edito hæc primum Oratio dicebatur: *Domine dignare benedicere hujus infantiæ famulo ill. quoniam nec conditione quiſquam, nec ætate depellitur, dicente dilectiſſimo Filio tuo Domino noſtro:* Nolite prohibere, infantes venire ad me. *Hi enim, Domine, antequam bonum, aut malum ſciant, Crucis tuæ ſigillo ſignentur, & qui indigent deitatem* (lege pietatem) *ad ſacri Nominis tui Baptiſmum percipere mereantur.* Tum vero ſequitur: *Accipe ſignaculum Chriſti, ſuſcipe verba Divina, illuminare verbo Domini, quia hodie confeſſus es a Chriſto. Per Dominum.* Itemque ſtatim: *Signo te in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; oculos, ut videas claritatem Dei; aures, ut audias vocem Domini; nares, ut odores ſuavitatem Chriſti; converſus ut confitearis Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum; cor, ut credas Trinitatem inſeparabilem. Pax tecum. Per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit &c.* Itaque juxta hunc antiquum Miſſalem Codicem Crucis ſignum fiebat in variis partibus corporis baptizandi, atque ex hac Oratione myſticas ſignificationes variarum conſignationum Concilium Colonienſe ſuperius laudatum accepit.

V. Juxta mſs. Sacramentorum Libros Gellonenſem, Remenſem S. Remigii, Anglicanum Monaſterii Gemmeticenſis, Noviomenſem Beatæ Mariæ, Pictavienſem, Regium, Colbertinum, & Moiſacenſem apud Martene Lib. I. Cap. I. Articulo VIII. Ordine III. exſufflabat primum Sacerdos in faciem baptizandi; tum Crucem ei faciebat in fronte, & imponens manum ſuper caput ejus, hanc proferebat Orationem: *Accipe ſignum Crucis tam in fronte, quam in corde, ſume fidem cæleſtium præceptorum. Talis eſto moribus, ut templum Dei eſſe jam poſſis, ingreſſuſque Eccleſiam Dei, evaſiſſe te laqueos mortis, lætus agnoſce. Horreſce Idola, reſpue ſimulacra, cole Deum Patrem Omnipotentem, & Jeſum Chriſtum Filium ejus, qui vivit cum Patre, & Spiritu Sancto, per omnia ſæcula ſæculorum.* Sequitur deinde & hæc alia Oratio: *Te deprecamur, Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, ut huic famulo tuo, qui in ſæculi hujus nocte vagatur incertus, & dubius, viam veritatis, & agnitionis tuæ jubeas demonſtrare; quatenus, reſeratis oculis cordis ſui, te unum Deum Patrem in Filio, & Filium in Patre cum Spiritu Sancto recognoſcat, atque hujus confeſſionis fructum, & hic, & in futuro ſæculo percipere mereatur. Per.* Spectant hæc quidem ad gentiles homines cum baptizantur, ſed multa tamen habent memorati Codices, quibus & hic præſens noſter §. concinit.

VI. Omiſſis aliis Orationibus, quæ in variis mſs. antiquis Ritualibus extant, Oratio, *Preces noſtras &c.* quæ in hoc noſtro præſenti §. deſcripta eſt, nonnullis mutatis, legitur quidem in duobus mſs. Libris Sacramentorum inſignis Eccleſiæ Turonenſis annorum circiter CM. itemque in alio Majoris-Monaſterii, & in ms. Pontificali S. Luciani Bellovacenſis annorum DCCC. in Miſſali ms. Romaricenſi annorum DCC. in tribus Libris mſs. Pontificalibus Conſtantinopolitano annorum DC. Aquenſi D. Romano CD. & aliis pluribus recentioribus. Prædictæ autem Orationis verba in citatis mſs. Codicibus hæc ſunt: *Preces noſtras, quæſumus Domine, clementer exaudi, & hunc electum tuum N. Crucis Dominicæ, cujus impreſſione eum ſignamus, virtute cuſtodi, ut magnitudinis gloriæ rudimenta ſervans, per cuſtodiam mandatorum tuorum ad regenerationis gloriam pervenire mereatur. Per.*

§. IV.

Deinde imponat manum ſuper caput infantis, ac dicat:

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, reſpicere dignare ſuper hunc famulum tuum N. quem ad rudimenta Fidei vocare dignatus es, omnem cæcitatem cordis ab eo expelle; diſrumpe omnes laqueos Satanæ, quibus fuerat colligatus; aperi Domine januam pietatis tuæ, ut ſigno ſapientiæ tuæ imbutus, omnium cupiditatum fœtoribus careat, & ad ſuavem odorem præceptorum tuorum lætus tibi in Eccleſia tua deſerviat, & proficiat de die in diem. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. FUit & ille pervetuſtus ritus, ut manuum Sacerdotis impoſitio baptizandis adhiberetur. Teſtatur id quidem S. Dionyſius Areopagita, vel alius ejus nomine Auctor, in Libro, *De Eccleſiaſtica Hierarchia*, Cap. II. Parte II. *Sciſcitatur*, loquitur de Sacerdote baptizante, *an ita velit deinceps vivere*, baptizandus, *quod ubi ille pollicitus fuerit, imponit capiti ejus manum, conſignanſque illum, Sacerdotibus mandat, ut virum, Suſceptoremque deſcribant*. Huc facit, quod ait S. Auguſtinus, Libro II. *De peccatorum meritis*, Cap. XXVI. *Non uniuſmodi eſt ſanctificatio, nam & Catechumenos ſecundum quemdam modum ſuum per ſignum Crucis, & orationem, manus impoſitione puto ſanctificari*. Qui locus æqualiter facit, & pro ſigni Crucis impreſſione, & pro Oratione, & pro manus impoſitione, de quibus omnibus hucuſque diximus. Repeti vel olim conſueviſſe manuum impoſitionem Sacerdotis ſuper caput baptizandi in Baptiſmi adminiſtratione, ex iis, quæ inferius dicemus, patebit. Videri autem de eo ritu poſſunt Stephanus Durantus Lib. I. *De ritibus Catholicæ Eccleſiæ*, Cap. XIX. n. 26. & Martene Lib. I. Cap. I. Articulo VI. num. VII. itemque Rituales varii antiqui mſs. Codices ab eodem Martene allati, in quibus paſſim occurrit ipſa manuum impoſitio in adminiſtratione Baptiſmi.

II. Quod Orationem ſpectat in §. noſtro deſcriptam, extat illa in vetuſtis Ritualibus, quorum in Commentario ſuperiori meminimus; in duobus nempe mſs. Libris Sacramentorum inſignis Eccleſiæ Turonenſis annorum circiter CM. & in aliis multis ſequioris ætatis; ex quorum præſcripto dicebatur ipſa Oratio ſtatim per inſufflationem ante aliam, quæ juxta præſcriptum noſtri Romani Ritualis dicitur poſt factum ſignum Crucis in fronte, & in pectore baptizandi infantis, uti conſtat ex præcedenti §. III. Porro quod & iſta Oratio, *Omnipotens ſempiterne Deus, Pater Domini noſtri &c.* dicenda ſit a baptizante *manum ſuper caput infantis tenente*, præſcribunt ms. Pontificale S. Luciani Bellovacenſis, annorum circiter DCCC. Miſſale Romaricenſe annorum DCC. Pontificale Conſtantinopolitanum DC. Aquenſe D. & alia complura.

§. V.

Deinde Sacerdos benedicit Sal, quod ſemel benedictum alias ad eundem uſum deſervire poteſt.

Benedictio Salis.

Exorcizo te creatura ſalis in Nomine Dei Patris Omnipotentis ✠, *& in charitate Domini noſtri Jeſu Chriſti* ✠, *& in virtute Spiritus Sancti* ✠. *Exorcizo te per Deum vivum* ✠ *per Deum verum* ✠ *per Deum ſanctum* ✠ *per Deum* ✠ *qui te ad tutelam humani generis procreavit, & populo venienti ad credulitatem per ſervos ſuos conſecrari præcepit, ut in Nomine Sanctæ Trinitatis efficiaris ſalutare Sacramentum ad effugandum inimicum. Proinde rogamus te, Domine Deus noſter, ut hanc creaturam ſalis ſanctificando ſanctifices* ✠, *& benedicendo benedicas* ✠, *ut fit omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in viſceribus eorum, in Nomine ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos, & mortuos, & ſæculum per ignem.* ℟. *Amen.*

§. VI.

Deinde immittet modicum Salis benedicti in os infantis, dicens: *N. accipe Sal ſapientiæ; propitiatio ſit tibi in vitam æternam.* ℟. *Amen.* Sacerdos: *Pax tecum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

Deus Patrum noſtrorum, Deus univerſæ conditor veritatis, te ſupplices exoramus, ut hunc famulum tuum N. reſpicere digneris propitius, & hoc primum pabulum ſalis guſtantem non diutius eſurire permittas, quominus cibo expleatur cæleſti, quatenus ſit ſemper ſpiritu fervens, ſpe gaudens, tuo ſemper Nomini ſerviens. Perduc eum, Domine quæſumus, ad novæ regenerationis lavacrum, ut cum fidelibus tuis promiſſionum tua-

rum æterna præmia conſequi mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

Exorcizo te immunde ſpiritus, in Nomine Patris ✠, *& Filii* ✠, *& Spiritus Sancti* ✠, *ut exeas, & recedas ab hoc famulo Dei N. Ipſe enim tibi imperat, maledicte, damnate, qui pedibus ſuper mare ambulavit, & Petro mergenti dexteram porrexit.*

Ergo maledicte diabole recognoſce ſententiam tuam, & da honorem Deo vivo, & vero, da honorem Jeſu Chriſto Filio ejus, & Spiritui Sancto, & recede ab hoc famulo Dei N. quia iſtum ſibi Deus, & Dominus noſter Jeſus Chriſtus ad ſuam ſanctam gratiam, & benedictionem, Fontemque Baptiſmatis vocare dignatus eſt.

COMMENTARIUS.

I. SAlis uſus in Baptiſmi, ſicut antiquus eſt in Eccleſia, uti jam oſtendi ſupra, Capite I. in Commentario ad §. XLI. ſic & ejus benedictio, quæ extat in Sacramentario S. Gregorii Papæ, & in Ordine Romano VII. num. I. ubi ritus in duobus noſtris Paragraphis V. & VI. deſcriptus, ſic refertur: *Poſtea benedicat ſal hoc modo:* Exorcizo te creatura ſalis &c. *& mittit in ore infantium de ipſo ſale per ſingulos, ita dicendo:* Accipe ill. ſal ſapientiæ propitiatus in vitam æternam; *& dicat poſt datum ſal hunc benedictionem:* Deus Patrum noſtrorum &c. Similia leguntur in multis aliis antiquis mſs. Ritualibus Libris, ac præſertim in ms. Codice Parthenonis B. Mariæ Calenſis annorum circiter CM. in ms. Codice Bibliothecæ Colbertinæ, qui fuit olim Monaſterii S. Germani a Pratis, ejuſdem ætatis, in ms. Gemmeticenſi tempore Theoderici Abbatis, qui obiit anno MXXXII. & in aliis multis deſcriptis a Martene, Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. I. Articulo XVIII. in quibus eandem, qua nunc utimur in adminiſtratione Baptiſmi, ſalis benedictionem legimus.

II. Porro ad hunc ritum alluſiſſe videtur Origenes Homilia VI. in Ezechielem, ubi Catechumenos alloquitur, hortaturque, ut ſe præparent ad hoc, ut fiant ſal Domini, & non baptizentur, quemadmodum Simon ille magus, neque in aquis terrenæ Jeruſalem, quæ non fuerat ſale ſalita, neque digna ſale Dei. Quibus verbis innuit, ſal in Baptiſmo adhibitum habere ſpiritualem ſignificationem, quæ intelligi poteſt ex deſcriptis Orationibus in §. V. & VI. atque ex Catechiſmo Romano, ſive Concilii Tridentini, Parte II. *De Baptiſmi Sacramento*, num. LX. ubi ſic inquit: *Nam cum ſal in illius os, qui ad Baptiſmum adducendus eſt, inſeritur, hoc ſignificari perſpicuum eſt, eum Fidei doctrina, & gratiæ dono conſequuturum eſſe, ut a peccatorum putredine liberetur, ſaporemque bonorum operum percipiat, divinæ ſapientiæ pabulo delectetur.* Eandem ipſius ritus explicationem totidem verbis dat Sanctus Carolus in ſuis Inſtructionibus, *De Baptiſmi adminiſtratione*, Capite inſcripto, *De cæremoniis, quæ, priuſquam Baptiſmus miniſtratur, adhibentur*, pag. 500. col. I. & 2.

III. Meminit & ejus ritus inter alios Patres S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus Lib. II. *De officiis Eccleſiaſticis*, Cap. XX. ubi etiam ita eum explicat: *Sales autem in miniſterio Catechumenis dandos, a Patribus ideo eſt inſtitutum, ut eorum guſtu condimentum ſapientiæ percipiant, neque diſſipentur a ſapore Chriſti, nec ſint fatui, & retro reſpiciant, ſicut uxor Loth, ne malum exemplum dantes, ipſi remaneant, & alios condiant, quemadmodum illa, quæ cum liberaretur a Sodomis, in via poſita retro reſpexit, ibique remanſit facta ſtatua ſalis. Quo ſigno condiuntur hi, qui per Fidem mundo, & actibus, deſideriiſque ejus renunciant, ut affectionis priſtinæ non recordentur, neque ad ſæculi illecebras revocentur; quia ſecundum Salvatoris ſententiam, ponens manum ad aratrum, & reſpiciens retro, Regno Cælorum aptus eſſe non poteſt.* Quod ait de uxore Loth verſa in ſtatuam ſalis, legitur Cap. XIX. Geneſis. Sententia vero Salvatoris, Lucæ Cap. IX. Breviter eundem ritum exponit Magnus Senonenſis Archiepiſcopus in Libello, *De Myſterio Baptiſmatis*, juſſu Caroli Magni edito: *Salem*, inquit, *accipiunt in Baptiſmatis Sacramento, ut guſtu ejus percipiant ſapientiæ condimentum, neque deſipiant a ſapore Chriſti, & inſulſi, & fatui ſint.*

IV. Omiſſis aliis ejus ritus ſignificationibus, certum illud eſt, ritum ipſum antiquiſſima Eccleſiæ conſuetudine confirmari, utpote cujus mentionem etiam fecit S. Auguſtinus Lib. I. *Confeſſionum*, Cap. XI. num. I. his verbis: *Audieram enim ego adhuc puer de vita æterna nobis promiſſa per humilitatem Domini Dei noſtri deſcendentis ad ſuperbiam noſtram, & ſignabar jam ſigno Crucis ejus, & condiebar ejus ſale jam inde ab utero matris meæ.* Catechumenis etiam adultis in die Paſchæ, uti habetur in Concilio III. Carthaginenſi anni CCCXCVII. Can. V. loco Euchariſtiæ ſal conſecratum dari conſuevit, ad ſignificandum, eos nondum capaces eſſe Euchariſtiæ, ſed adhuc debere in ſapientia proficere, juxta notata a Stephano Duranti Lib. I. *De ritibus Eccleſiæ Catholicæ*, Cap. XIX. num. 25. Sed audiamus citati Canonis verba: *Item placuit, ut etiam per ſolemniſſimos Paſchales dies Sacramentum Catechumenis non detur, niſi ſolitum ſal, quia ſi fideles per illos dies Sacramentum non mutant, nec Catechumenis oportet mutari.* Puto equidem, ſic eſſe intelligendum Canonem, quod cum per octo dies illos Paſchales non offerretur a Fidelibus, niſi panis, & vinum, quibus in Chriſti Corpus, & Sanguinem mutatis, pro Euchariſtico Sacramento reficiebantur, ſic Catechumeni contenti eſſent uti *ſale ſolito*, quod illud facile ex aliis oblatis reſervari poſſet; hæ quippe omnes oblationum ſpecies benedictione peculiari præſtantes, *quamvis non eſſent Corpus Chriſti*, ut loquitur S. Auguſtinus, *De peccatorum meritis*, Lib. I. Cap. VI. *hoc ſanctum eſt tamen, & ſanctius, quam cibi, quibus alimur*; ideoque Sacramentum potuerunt appellari, & præcipue ſal, quod Catechumenis Euchariſtiæ loco, & in ſpiritualis alimoniæ ſymbolum præbebatur, cujus benedicendi morem, ac ritum & antiqui Romani Ordines, & Rituales priſci

Co-

Codices referunt, uti jam ſupra notavimus.

V. Sal benedictum ad uſum Baptiſmi, ad eundem uſum deſervire poſſe, edicit quidem noſter hic §. v. nequaquam vero ad alium uſum, uti jam diximus ſupra Cap. I. in Commentario ad §. XLI. Quod tandem vero poſt immiſſum in os baptizandi infantis ſal, & recitatam eam verborum formulam, *N. accipe ſal ſapientiæ &c.* Sacerdos, ut in §. VI. ſeq. edicitur, dicat, *Pax tibi*, eique reſpondeatur, *Et cum ſpiritu tuo*, ritus eſt in variis antiquis Ritualibus, & Pontificalibus præſcriptus, præſertim vero in Pictavienſi annorum CM. Conſtantinopolitano DC. Aquenſi D. atque Romano CD. in quibus tamen non *Pax tecum*, ſed *Pax tibi* legitur. Itaque vel juxta antiquos Codices Rituales, quibus hic noſter Romanus concinit, ante collationem Baptiſmi dabatur oſculum pacis infantibus baptizandis, lapſuſque iccirco videtur Stephanus Duranti citato loco num. 24. ubi poſt allatum de eo ritu S. Cypriani teſtimonium, ſubdit morem iſtum oſculandi infantem in deſuetudinem abiiſſe. Lapſus etiam videtur Martene, ubi Lib. I. Articulo XV. n. I. loqui ait Cyprianum de oſculo non ante Batiſmum, ſed poſt Baptiſmum exhibito. Addit mox etiam Martene ritum ipſum peculiarem fuiſſe Eccleſiæ Africanæ, quod præter Cyprianum, qui illius meminerit, Auctorem nullum repererit. Vide Commentarium noſtrum ad §. II. ubi locum ipſum Cypriani deſcripſimus.

§. VII.

Hic pollice in fronte ſignat infantem, dicens: *Et hoc ſignum ſanctæ Crucis ✠ quod nos fronti ejus damus, tu maledicte diabole nunquam audeas violare. Per eumdem Chriſtum Dominum noſtrum.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Crucis ſignum jam non ſemel fieri ſolitum fuit baptizandis, uti plane conſtat ex variis pervetuſtis Ritualibus Libris, longo agmine ab Edmundo Martene allatis; ex quibus etiam docemur, poſt immiſſum ſal in os baptizandi infantis, & recitatas poſt ſalis immiſſionem Orationes, ſignum Crucis in fronte ejuſdem infantis fieri conſueviſſe a Sacerdote dicente hanc Orationem: *Deus Abraham, Deus Jacob, Deus, qui Moyſi famulo tuo in monte Sinai apparuiſti, & Filios Iſrael de Terra Ægypti eduxiſti, deputans ei Angelum pietatis tuæ, qui cuſtodiret eos die ac nocte. Te quæſumus Domine, ut mittere digneris Sanctum Angelum tuum, ut ſimiliter cuſtodiat & hunc famulum tuum, & perduc eum ad gratiam Baptiſmi tui.* Tum vero mox: *Ergo maledicte diabole recognoſce ſententiam tuam, & da honorem Deo vivo, & vero; da honorem Jeſu Chriſto Filio ejus, & Spiritui Sancto, & recede ab hoc famulo Dei, quia iſtum ſibi Deus, & Dominus noſter Jeſus Chriſtus ad ſuam ſanctam gratiam, & benedictionem, Fontemque Baptiſmatis vocare dignatus eſt; & hoc ſignum Sanctæ Crucis, quod nos fronti ejus damus, tu maledicte diabole nunquam audeas violare.* Ita plane legitur in duobus Libris mſs. Sacramentorum inſignis Eccleſiæ Turonenſis annorum circiter CM. & aliis a Martene allatis, Lib. I. Cap. I. Articulo VII. Ordine IV. & ſeqq. in quibus aperte dicitur, ſignum Crucis, quod iterum fit in fronte baptizandi, fieri a Sacerdote deſcriptam Orationem recitante. Ceterum verba illa noſtri hujus §. *Et hoc ſignum ſanctæ Crucis &c.* ut vides, excerpta ſunt a prædicta prolixa Oratione antiquorum Codicum Sacramentorum.

II. Juxta Romanum Ordinem VII. in quo ritus Baptiſmi infantium refertur, varia a variis, qui Baptiſmo aſſiſtebant, in eorum frontibus Crucis ſigna peragebantur. Ita enim inquit prædictus Ordo num. 2. *Item dicit Diaconus*: Signate illos, accedite ad benedictionem. *Et ſignent illos infantes in frontibus eorum Patrini, vel Matrinæ de pollicibus ſuis, dicentes*: In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. *Tunc venit Acolythus iterum faciens Crucem in frontibus ſingulorum, dicendo*; In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. *Et imponit manum ſuper eos, dans Orationem ſuper eos excelſa voce, his verbis*: Deus Abraham. *Qua expleta, vertit ſe ad feminas, & faciens Crucem in frontibus ſingularum, ut ſuperius, imponit manum ſuper capita ſingularum, dicendo*: Deus Cæli, Deus Terræ. *Et adnunciat Diaconus, dicens*: Orate electæ; *& reliqua, ſicut ſuperius, & ſignant Patrini, ut prius. Et ſequitur Acolythus ſuper maſculos faciens Crucem, ſicut primus fecit, & imponet manum ſuper eos, dicens*. Audi maledicte Satanas. *Item ſuper feminas, ſimiliter faciens Crucem, & imponens manus ſuper eas, dicendo*: Deus Abraham, Deus Iſaac. *Item dicit Diaconus, ut orent electi, & reliqua, ut prius, & ſignant Patrini, ſicut prius. Inde tertius Acolythus facit Crucem in frontibus puerorum, ſicut anterior facit, & imponet manum ſuper capita puerorum, dicendo*: Exorcizo te immunde ſpiritus. *Iterum admonet Diaconus*: Orate, *& reliqua, ſicut antea, & ſignent Patrini, ſicut prius.*

III. Ex recitato hactenus loco addiſcimus, plures olim ſuper infantibus baptizandis, in eorum ſcilicet frontibus, Cruces factas fuiſſe, & quidem *pollice*, ut ait etiam hic noſter §. itemque manuum impoſitiones, atque exorciſmos; nihilque icciro in hoc recentiori Rituali Romano inveniri, quod olim ſolemnius non fuerit peractum, & quidem non modo in Eccleſia Romana, verum etiam in aliis paſſim, ut ex earum Ritualibus liquet, & ex priſcis Patribus, qui in variis Provinciis claruerunt, ut Synodos complures omittam, in quibus hujuſmodi ritus recenſentur. Viguiſſe etiam hunc ritum in Eccleſia Orientali, addiſcere licet ex Rituali Græcorum a doctiſſimo Jacobo Goar Notis illuſtrato, in Orationem cum obſignatur puer ſuſcipiens nomen octavo poſt nativitatem die, ubi ad eum probandum ritum multa affert veterum Patrum loca,

§. VIII.

Mox imponit manum ſuper caput infantis, & dicit.

Oremus.

Æternam, ac juſtiſſimam pietatem tuam deprecor, Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, Auctor luminis, & veritatis, ſuper hunc famulum tuum N. ut digneris illum illuminare lumine intelligentiæ tuæ; munda eum, & ſanctifica; da ei ſcientiam veram, ut dignus gratia Baptiſmi tui effectus, teneat firmam ſpem, conſilium rectum, doctrinam ſanctam. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Ecce & hic nova alia manus impoſitio fieri ſolita ſuper caput baptizandi infantis cum Oratione, *Æternam, ac juſtiſſimam &c.* cujus ritus meminit laudatus ſuperius Ordo Romanus VII. num. 2. Præter hanc Orationem, quæ paſſim occurrit in antiquis Ritualibus, variæ aliæ ſuper maſculos, & feminas baptizandos Orationes recitabantur, quas longum eſſet hoc loco deſcribere. Unum illud notabimus nos, frequentem ſcilicet fieri apud veteres mentionem manuum impoſitionis ſuper baptizandos, præſertim vero apud S. Auguſtinum Lib. II. De peccatorum meritis, Cap. XXVI. ubi ſic inquit: *Non uniuſmodi eſt ſanctificatio; nam Catechumenos ſecundum unum ſuum quemdam modum per ſignum Chriſti, & orationem, manus impoſitione puto ſanctificari.* Sancto Auguſtino alii quoque Patres conſentiunt.

§. IX.

Poſtea Sacerdos imponit extremam partem Stolæ ſuper infantem, & introducit eum in Eccleſiam, dicens: *N. ingredere in Templum Dei, ut habeas partem cum Chriſto in vitam æternam.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Præſcriptum eſt quidem ex variis mſs. Ritualibus, & Pontificalibus Codicibus, ac præſertim ex Conſtantinopolitano, Aquenſi, & Romano, quos ſupra non uno in loco memoravimus, ut exorciſmis, aliiſque ritibus extra Eccleſiæ Limen ſuper baptizandum peractis, Sacerdos *introducat eum in Eccleſiam ita dicendo: Ingredere in Sanctam Eccleſiam Dei, ut accipiat benedictionem cæleſtem a Domino Jeſu Chriſto*. Diverſa eſt quidem hæc formula ab illa in noſtro §. præcripta, cui tamen fere concinit illa mſ. Codicis Bibliothecæ S. Genoveſæ Pariſienſis annorum circiter CCC. in quo etiam nonnulli ritus Eccleſiæ Laudenſis in Italia continentur. Sic autem hic Codex apud Martene in citato Lib. 1. Cap. 1. Articulo XVIII. Ordine XV. inquit: *Invocat Sacerdos nomen infantis, & ipſum introducit in Eccleſiam cum ſigno Crucis, ſic dicendo*: Joannes, *vel* Maria, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. Intra in Eccleſia Dei per manum Sacerdotis, ut partem habeas cum Chriſto in vitam æternam, Amen.

II. Unum eſt, quod hic omitti non debet, ritum nempe illum in noſtro hoc §. præſcriptum, ut Sacerdos imponat extremam partem Stolæ ſuper infantem, ubi introducturus eſt eum in Eccleſiam, in nullo antiquo Rituali inveniri. Quinimo in Rituali Ambroſiano juſſu Cæſaris Montii Cardinalis, & Archiepiſcopi Mediolanenſis edito, ubi Ordinem Baptiſmi parvulorum recenſet, poſt immiſſionem ſalis in os baptizandi, & recitatas binas Orationes in Limine ſcilicet Oſtii Eccleſiæ, ubi & aliæ multæ cæremoniæ peractæ ſunt, quæ juxta noſtrum Rituale Romanum fieri poſt ingreſſum ad Eccleſiam debent, ſtatuitur quidem, ut eo loco *Parochus exuat Stolam violaceam, & induat albi coloris aliam, qua non infantem tangens, ſed nutu ſignificans, ut introeat, præeundo illum introducat in Eccleſiam, dicens*: Ingredere fili in Domum Dei, audi Patrem tuum docentem te viam ſcientiæ. Idem legitur Parte IV. Actorum Eccleſiæ Mediolanenſis, in Inſtructionibus, *De Baptiſmi adminiſtratione*, Capite inſcripto, *Ordo Baptiſmi parvulorum*, pag. 504. col. 2. Atque hic nota, formulam diverſam, & quod potiſſimum eſt, expreſſe Parochum admoneri, ut ubi cum baptizando ingredi in Eccleſiam debet, ne Stola quidem baptizandum tangat, ſed nutu ſignificet, Patrino ſcilicet, qui brachio dextro illum ſuſtentat, ut Eccleſiam introeat.

§. X.

Cum fuerint Eccleſiam ingreſſi, Sacerdos procedens ad Fontem cum Suſceptoribus conjunctim, clara voce dicit: *Credo in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem Cæli, & terræ. Et in Jeſum Chriſtum, Filium ejus unicum, Dominum noſtrum; qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine; paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus; deſcendit ad inferos; tertia die reſurrexit a mortuis; aſcendit*

ad Cælos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis; inde venturus eſt judicare vivos, & mortuos. Credo in Spiritum Sanctum, Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem, carnis reſurrectionem, vitam æternam. Amen.

Pater noſter, qui es in Cælis; ſanctificetur Nomen tuum; adveniat Regnum tuum; fiat voluntas tua, ſicut in Cælo, & in terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie; & dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem; ſed libera nos a malo. Amen.

COMMENTARIUS.

I. EXpleta Oratione, *Æternam, ac juſtiſſimam pietatem &c.* ſupra in §. VIII. deſcriptam, ex variis priſcis Sacramentorum Libris, ac duobus præſertim Eccleſiæ Turonenſis annorum CM. & aliis allatis a Martene Lib. I. Cap. I. Articulo VII. Ordine IV. & ſeqq. accipiebat Sacerdos manum dextram infantis, tenenſque eum, dicebat, *Pater noſter*, *Credo in Deum &c.* Symbolum ſcilicet Apoſtolorum, ſive, *Credo in unum Deum &c.* quod eſt Nicæni Concilii Symbolum, & ſignabat deinde ipſum infantem, dicens: *Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti veniat ſuper te, & ad vitam perducat æternam. Per &c.* At vero ex mſ. Sacramentorum Codice Monaſterii Gelloneſis annorum circiter M. apud eundem Martene, Articulo XVIII. Ordine VII. prædicta Oratione, *Æternam &c.* abſoluta, dicebat Sacerdos, *Dominus vobiſcum*, eique reſponſo, *Et cum ſpiritu tuo*, recitabat Evangelium ſecundum Matthæum: *In illo tempore reſpondens Jeſus, dixit: Confiteor tibi Domine Pater Cæli, & terræ &c.* uſque, *onus leve*, Additque mox: *Poſtmodum tenet manum ſuper caput infantis, dicit Symbolum, & poſtea dicit Orationem Dominicam.*

II. Ex mſ. autem Miſſali Romaricenſi annorum occ. & aliis Ritualibus non paucis Evangelium erat quidem ſecundum Matthæum, ſed iſtud: *In illo tempore oblati ſunt Jeſu parvuli, ut manus eis imponeret, & oraret. Diſcipuli autem increpabant eos. Jeſus vero ait illis: Sinite parvulos venire ad me, & nolite prohibere eos. Talium eſt enim Regnum Cælorum; & cum impoſuiſſet eis manus, abiit inde.* Porro ex Rituali Cadomi anno MDCXIV. edito poſt immiſſum in os infantis ſal, & recitatam Orationem, *Deus Patrum noſtrorum, Deus univerſæ conditor veritatis &c.* dicit Sacerdos prædictum Evangelium, *Oblati ſunt Jeſu &c.* introducit infantem in Eccleſiam, omneſque tunc dicunt, *Pater noſter*, & *Credo in Deum*, & ponunt infantem in pavimento. Qui quidem ritus ponendi in pavimento infantem mox baptizandum, ita plane præſcriptus legitur in Rituali Ambroſiano juſſu Cæſaris Montii Cardinalis, & Archiepiſcopi Mediolanenſis edito: *Infans apud ſacrum Fontem humi collocatur pedibus verſis ad Baptiſmalem Fontem, & Sacerdos ad Altare ſpectans una cum Compatre, Commatreve dicit*, Credo in Deum &c. & Pater noſter. Meminit & hujus ritus S. Carolus Parte IV. Actorum Eccleſiæ Mediolanenſis in Inſtructionibus, *De Baptiſmi adminiſtratione*, Capite inſcripto, *De cæremoniis, quæ, priuſquam Baptiſmus miniſtretur, adhibentur*, pagina 500. col. 2. ſic inquiens: *Iis peractis, infans in Eccleſiam introducitur, ubi primum apud Sacrum Fontem humi collocatur. Qui ritus cum ſupplicem ejus petitionem, qui ſe baptizari poſtulat, oſtendit, cum proſtrati humi olim Baptiſmum peterent; tum ſignificatio eſt ſanctæ humilitatis, quam Chriſtianus profiteri debet.* Et mox: *Tum Sacerdos una cum eo, qui baptizandus eſt, aut ſi infans, cum Compatre, Commatreve dicit Symbolum Apoſtolorum, & Orationem Dominicam. Quæ res indicat Fidei profeſſionem, quam Chriſtianum publice præſtare oportet.*

III. Sed omiſſo hoc Mediolanenſis Eccleſiæ ritu, qui, ut recte notavit S. Carolus, veteri diſciplinæ conſentit, de qua nos infra opportunius dicemus, ubi de adultorum Baptiſmo tractabimus, in eo quidem Rituales Libri omnes conveniunt, ut ſi adultus eſſet baptizandus, is, & Sacerdos Eccleſiam ingreſſi, Fidei Symbolum, & Orationem Dominicam recitarent, ſi vero infans, Sacerdos procedens ad Fontem conjunctim cum Suſceptoribus ipſum Symbolum Fidei, & Dominicam Orationem clara voce pronunciarent. Atque hoc poſtremum, quod hic noſter §. ſtatuit, veſtigium eſt antiqui ritus, recitandi publice, ac ſolemniter ipſum Symbolum ante Baptiſmi ſuſceptionem per modum cujuſdam profeſſionis Fidei. Perſpicuum ritus hujus exemplum habemus quidem apud S. Auguſtinum Lib. VIII. *Confeſſionum*, Cap. II. num. 4. ubi loquitur de Victorino nobili Rethore Romano, qui cum primo ſe Chriſtianum eſſe occulte Simpliciano Epiſcopo Mediolanenſi intimaſſet, ſed palam profiteri erubeſceret, tandem hortatu dicti Epiſcopi, depoſito timore, ſubitoque, & inopinato ait Simpliciano, ut ipſe narrabat: *Eamus in Eccleſiam, Chriſtianus volo fieri. At ille non ſe capiens lætitia, perrexit cum eo. Ubi autem imbutus eſt primis inſtructionum ſacramentis, non multo poſt etiam nomen dedit, ut per Baptiſmum regeneretur, mirante Roma, gaudente Eccleſia.* Poſt hæc ſubjicit Auguſtinus num. 5. *Denique ut ventum eſt ad horam profitendæ Fidei, quæ verbis certis conceptis, retentiſque memoriter, de loco eminentiori in conſpectu populi fidelis Romæ reddi ſolet ab iis, qui acceſſuri ſunt ad gratiam tuam, oblatum eſſe dicebat Victorino a Presbyteris, ut ſecretius redderet, ſicut nonnullis, qui verecundia trepidaturi videbantur, offerri mos erat, illum autem maluiſſe ſalutem ſuam in conſpectu ſanctæ multitudinis profiteri.* Hæc ergo Symboli redditio erat quædam publica Fidei profeſſio, de qua etiam idem Auguſtinus loquitur Sermone LVIII. & LIX. ultimæ editionis.

IV. Ad infantes quod attinet, de quibus loquitur hic noſter §. etſi ipſi per ætatem, nec credere, nec omnino ſalutem expetere poſſint, Baptiſmi tamen, ac proinde etiam ſalutis capaces ſunt, ut allatis variis Scripturæ, ac Patrum teſtimoniis, probat inter alios Eſtius in Libri IV. Diſtinctionem IV. §. XXIII. & duobus ſequentibus. Et certe ut S. Auguſtinus ait Lib. IV. contra

tra Donatiſtas, Capite XXIV. *ſicut in adultis, quod in Sacramento deeſt, complet omnipotentis benignitas, quia non ſuperbia, vel contemptu, ſed neceſſitate deeſt; ſic in infantibus baptizatis eadem gratia omnipotentis implere credenda eſt; quod non ex impia voluntate, ſed ex ætatis indigentia, nec corde credere ad juſtitiam poſſunt, nec ore confiteri ad ſalutem. Ideo cum alii pro eis reſpondent, ut impleatur erga eos celebratio Sacramenti, valet utique ad eorum conſecrationem, quia ipſi reſpondere non poſſunt &c.* Eadem docet S. Doctor aliis locis, ejuſque doctrinæ conſentit inter alios S. Bernardus Sermone LXVI. in Cantica, & Epiſtola LXXVII. Dicitur autem infans credere in Suſceptore, ſeu in illo, qui Fidem in ejus Baptiſmo profitetur, quia Fides Eccleſiæ, cujus perſonam ille geſtat, ad hoc prodeſt parvulo, ut in Baptiſmo regeneretur.

V. Quod autem non modo Suſceptorum, ſed totius Eccleſiæ caritas infantium ſaluti cooperetur in Baptiſmo, plenius idem Sanctus Auguſtinus declarat in Epiſtola XCVIII. juxta editionem PP. Benedictinorum S. Mauri, ad Bonifacium: *Offeruntur*, inquit, *parvuli ad percipiendam ſpiritalem gratiam, non tam ab eis, quorum geſtantur manibus, quamvis, & ab ipſis, ſi & ipſi boni fideles ſunt, quam ab univerſa ſocietate Sanctorum, atque Fidelium. Ab omnibus namque offerri recte intelliguntur, quibus placet, quod offeruntur, & quorum ſancta, atque individua caritate ad communicationem Sancti Spiritus adjuvantur. Tota hoc ergo Mater Eccleſia, quæ in Sanctis eſt, facit, quia tota omnes, tota ſingulos parit.* Atque hæc doctrina Scripturis ſacris eſt valde conformis, in quibus legimus ſæpe numero, iis, qui ætate, vel alia infirmitate impediti propriam Fidem, vel nullam, vel exiguam habuerunt, ſuccurriſſe Fidem aliorum ad impetranda Dei beneficia. Ita enim Dominus paucorum hominum portantium paralyticum Fidem reſpiciens, ait illi, Lucæ V. *Remittuntur tibi peccata tua*. Sic etiam Centurio, Cananæa, pater lunatici ſua Fide aliis propriam Fidem non habentibus, Chriſti beneficium impetrarunt. Sic denique mortui aliorum precibus, & interceſſione ad vitam redierunt etiam parvuli, uti habetur Lib. III. Regum, Capite XVII. & Lib. IV. Cap. IV.

VI. Reſtat, ut & de Dominica Oratione nonnihil dicamus, quod & ipſa una cum Symbolo in Baptiſmo infantium a Sacerdote, & Suſceptoribus conjunctim recitari ſolita fuit ex Ritualium præſcripto, quorum nonnulla ſupra allegavimus. Rationem ejus ritus docet nos plane ms. Codex inſignis Eccleſiæ Viennenſis in Gallia apud Martene, Lib. I. Capite I. Articulo XII. Ordine IV. ſive potius pervetuſtus Romanus Ordo VII. apud Mabillonium Tomo II. Muſæi Italici; quia ſcilicet, *hæc nos Oratio commendat Chriſto, reconciliat Deo, Angelorum inſerit numero, ut Chriſti faciat eſſe Fratres, & Dei conſtituat hæredes*. Plura de utilitate, ac neceſſitate hujus Orationis, videri poſſunt apud Patres, ac præſertim apud S. Cyprianum, qui peculiarem Librum, *De Oratione Dominica*, ſcripſit. Ceterum quod alicubi Symbolum non modo, & Oratio Dominica, verum etiam Angelica Salutatio, nempe, *Ave Maria &c.* dici in infantium Baptiſmo a Patrinis, & Matrinis debuerit, antequam illi ſacro lavacro abluerentur, addiſcere licet ex antiquo Rituali Lemovicenſi apud Martene, Articulo XVIII. Ordine XVII.

§. XI.

Ac deinde, antequam accedat ad Baptiſterium, dicat:

Exorciſmus.

Exorcizo te omnis ſpiritus immunde in Nomine Dei Patris omnipotentis ✠, *& in Nomine Jeſu Chriſti Filii ejus Domini, & Judicis noſtri* ✠, *& in virtute Spiritus Sancti* ✠, *ut diſcedas ab hoc plaſmate Dei N. quod Dominus noſter ad Templum ſanctum ſuum vocare dignatus eſt, ut fiat Templum Dei vivi, & Spiritus Sanctus habitet in eo. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, qui venturus eſt judicare vivos, & mortuos, & ſæculum per ignem.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. NOtatum jam alias fuit, conſtatque ex priſcis Synodis, ac Patribus, Libriſque Ritualibus, repetitos fuiſſe vel olim baptizandorum exorciſmos. Iterum iterumque de eiſdem agit S. Auguſtinus, præſertim vero in Libro, *De Eccleſiaſticis dogmatibus*, Cap. XXXI. *Illud etiam*, inquit, *quod circa baptizandos in univerſo Mundo Sancta Eccleſia uniformiter agit, non otioſo contemplamur intuitu, cum ſive parvuli, ſive juvenes ad regenerationis veniunt Sacramentum, non prius Fontem vitæ adeant, quam exorciſmis, & exufflationibus Clericorum, ſpiritus ab eis immundus abigatur.* Exorciſmus autem, uti docet S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus Lib. II. *De Officiis Eccleſiaſticis*, Cap. XX. *Sermo increpationis eſt contra immundum ſpiritum, in Energumenis, ſive Catechumenis factus; per quem ab illis diaboli nequiſſima virtus, & inveterata malitia, vel violenta incurſio expulſa fugetur. Quod ſignificabat lunaticus ille, quem increpavit Dominus Jeſus, & exiit ab illo dæmonium.* Et mox: *Poteſtas autem diaboli exorcizatur, & inſufflatur in eis, ut ei renuncient; atque eruti a poteſtate tenebrarum in Regnum ſui Domini per Sacramentum Baptiſmatis transferantur.*

II. Conſentiunt hæc quidem exorciſmo in hoc noſtro §. deſcripto, qui etiam totidem verbis in Ritualibus a Martene allatis refertur. Ad ipſum autem potiſſimum alludit Magnus Senonenſis Archiepiſcopus in Libello, *De myſterio Baptiſmatis*, juſſu Caroli Magni edito, ubi ſic inter alia inquit: *Exorciſmus Græce, Latine vero conjuratio, ſive ſermo conjurationis eſt contra*

tra

tra diabolum; ideoque exorcizatur unuſquiſque veniens ad Sacrum Baptiſmum, ut Dei vivi Templum efficiatur, qui effectus erat templum diaboli per originale peccatum, ſive additum per naturam ſuam; & diabolo recedente per exorcizationem Sacerdotis, Chriſtus ingrediatur, & habitaculum Dei efficiatur. Plura de hujuſmodi exorciſmis in Baptiſmi adminiſtratione videri poſſunt apud Stephanum Duranti, Lib. I. *De ritibus Eccleſiæ Catholicæ*, Cap. XIX. num. 22.

§. XII.

Poſtea Sacerdos digito accipiat de ſaliva oris ſui, & tangat aures, & nares infantis; tangendo vero aurem dexteram, dicat: *Ephpheta, quod eſt adaperire*. Deinde tangit nares, dicens: *In odorem ſuavitatis. Tu autem effugare diabole, appropinquabit enim judicium Dei*.

COMMENTARIUS.

I. INter ritus, qui Baptiſmum præcedunt, eſt ſalivæ tactus in nares, & aures, cujus mentionem faciunt paſſim antiqui Sacramentorum Libri, ac pervetuſti Eccleſiæ Patres. Notat Durantus Lib. I. *De ritibus Eccleſiæ Catholicæ*, Cap. XIX. num. 30. ad hanc cæremoniam alluſiſſe Tertullianum in ſuo ad Scapulam Libro, Cap. II. ubi de exorciſmo loquens ait: *Dæmones autem non tantum reſpuimus, verum & revincimus, & cottidie traducimus, & de hominibus expellimus, ſicut plurimis notum eſt*. Verbum enim illud *reſpuo* non poteſt ſignificare, niſi vel reprobare, vel ſputo deteſtari. Non ſignificat autem eo loco reprobare, tum quod de exorciſmo agit, tum etiam quia Chriſtiani non negabant eſſe dæmones; ideoque deteſtationem ibi ſignificat, quæ ſputo fiebat. Sed quid opus eſt hujuſmodi teſtimonium mendicare, cum de ipſa cæremonia ad Baptiſmi ritus pertinente, diſertiſſimis verbis mentionem fecerit S. Auguſtinus Tractatu XLIV. in Joannem, ubi agens de cæco nato, quem ſputo, & luto inunctum, & in Piſcinæ Siloe lotum Chriſtus ſanitati reſtituit, ſic loquitur: *Si ergo quando eum in ſeipſo quodammodo baptizavit, tunc illuminavit, quando inunxit*, ſputo ſcilicet oris ſui, *fortaſſe Catechumenum fecit*.

II. Idem innuit S. Ambroſius in Epiſtola LXXX. editionis PP. Benedictinorum S. Mauri, ad Bellucium, in qua ſimiliter tractat de illuminatione cæci nati: *Simul*, inquit, *& Divinitatem, & ſanctificationem ejus adverte. Quaſi lux tetigit, & lumen infudit; quaſi Sacerdos per figuram Baptiſmatis myſteria gratiæ ſpiritualis implevit. Expuit, ut adverteres, quia interiora Chriſti lumen ſunt*. Et S. Petrus Chryſologus Sermone LII. *Hinc eſt*, ait, *quod veniens ex gentibus, impoſitione manus, & exorciſmis ante a dæmone purgatur, & aperitionem aurium percipit, ut Fidei capere poſſit auditum, ut poſſit ad ſalutem, proſequente Domino, pervenire*. Nam aperitionem aurium percipere, & tangi ſaliva in aures præſenti hoc in negotio idem ſonant, ut obſervat Martene Lib. I. Articulo VI. num. XVI. Porro ad exemplum Chriſti, in quibuſdam Eccleſiis, una cum ſputo adhibebatur etiam lutum, ut patet ex Manuali Joannis Jacobi Archiepiſcopi Saliſburgenſis, & ex Auctore Tractatus, *De Sacramentis*, qui S. Ambroſio tribuitur, Lib. III. Cap. II. his verbis: *Quando dediſti nomen tuum, tulit lutum, & linivit ſuper oculos tuos*. Idem docent Haymo Alberſtadenſis in Sermone de Dominica XIII. poſt Pentecoſten, & Leidradus Epiſcopus Lugdunenſis in Tractatu, *De Baptiſmo*, Cap. II. Hoc autem a Feria quarta hebdomadæ quartæ Quadrageſimæ deſumtum eſt, quo die cæremonia aperiendi aures peragebatur, & legebatur Evangelium cæci nati, quando Jeſus Chriſtus lutum de ſputo fecit, & linivit oculos cæci.

III. Sed omiſſo hoc Eccleſiarum peculiarium ritu, probatur magis magiſque ritus in §. noſtro præſcriptus ex innumeris pene Ritualibus antiquis, recentibuſque, præſertim vero ex Libro Sacramentorum Gelaſii Papæ a Venerabili Cardinale Thomaſio edito ex ms. Codice annorum circiter mille: *Tanges*, inquit, *ei nares, & aures de ſputo, & dicis ei ad aurem Ephpheta, quod eſt, adaperire, in odorem ſuavitatis. Tu autem effugare diabole, appropinquavit enim judicium Dei*. Eadem habent Sacramentarium S. Gregorii Papæ, ms. Codex Bibliothecæ Colbertinæ, alter Bibliothecæ Regis Gallorum, & Noviomenſis ejuſdem citatæ ætatis; itemque Gellonenſis, & alii multi Rituales, atque Pontificales Codices apud Martene, Articulo XVIII. Quinimo ex ipſo Gellonenſi, qui eſt Ordo VI. apud laudatum Martene, *tangit Presbyter per ſingulos nares, & aures, de ſputo oris ſui, dicens*: effeta, effeta, *quod eſt, adaperire, in odorem ſuavitatis*. Antiquum autem Rituale Eccleſiæ Lemovicenſis, quod apud eumdem Auctorem eſt Ordo XVII. ita eum ritum præſcribit: *Mox expuat Presbyter in ſuam palmam ſiniſtram, tangenſque aures, & nares infantis de ſputo ſuo cum pollice dextro in modum Crucis ad dextram aurem primo, dicendo*: Quid vocaris? ℞. N. Epheta, quod eſt adaperire. ℞. Epheta; *poſtea ad nares, dicens*: In odorem ſuavitatis. ℞. Epheta. *Similiter ad ſiniſtram aurem, dicendo*: Tu autem effugare, diabole, appropinquabit enim judicium Dei. ℞. *Ephpheta*. Et benedictio Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus Sancti deſcendat ſuper, & maneat ſemper. In Nomine Patris ✠, & Filii ✠ & Spiritus ✠ Sancti. Amen. Porro licet in ipſo exorciſmo, *Tu autem effugare diabole*, juxta multos Rituales Codices legatur, *appropinquabit enim &c.* in tempore futuro, ut in noſtro §. habetur, communiter tamen in Ritualibus omnibus antiquis legitur in tempore præterito, *Appropinquavit enim &c.*

IV. Quicquid autem ſit de hac varietate, quæ quidem magni momenti non eſt, antiquiſſima certe eſt ipſa formula, ſicut & cæremonia tangendi cum ſaliva aures, & nares baptizandi infantis. Itaque antiquæ huic, probatæque Eccleſiæ diſciplinæ inhærens religioſiſſimus Cardinalis de Tournon, ut in Sinenſi Imperio cæremo-

monia ipſa in conferendo Baptiſmo adhiberetur, diſtricte celebri ſuo Decreto præcepit, ſic inter alia inquiens: *Diſtricte prohibemus, ne in baptizandis, tam pueris, quam adultis cujuſcumque ſexus, & conditionis, omittantur Sacramentalia, ſed omnia palam adhibeantur, & ſignanter ſaliva, ſal, & inſufflatio, quæ ex Apoſtolica traditione Catholica Eccleſia recepit, ac ob recondita in his ſacris cæremoniis Divinæ erga nos bonitatis myſteria, ſancte, & inviolabiliter cuſtodivit.*

V. Cæterum cum de hoc præcepto propoſitum Dubium fuiſſet in Congregatione Sancti Officii die XXI. Januarii anno MDCCXXXIII. Cardinales dixerunt, *confirmandum eſſe Decretum Eminentiſſimi Cardinalis de Tournon, ſed conſulendum Sanctiſſimo, quod Miſſionariis Regnorum Madurenſis, Mayſſurenſis, & Carnatenſis diſpenſationem concedat ad decennium duraturam, omittendi in collatione Baptiſmi ſalivam, & occulte utendi inſufflationibus, in caſibus tamen particularibus, & in quibus gravis, & proportionata neceſſitas urgeat, ſuper qua conſcientia Miſſionariorum oneratur; dummodo non laborent errore habendi ſalivam, & anhelitum, tanquam materiam ineptam, vel incapacem ad inſerviendum pro Sacramentalibus cæremoniis in Baptiſmo, utpote omnino incapaces Baptiſmi; eiſque Miſſionariis injungendum, ut debitam inſtructionem, aliaſque omnes poſſibiles diligentias adhibeant, ut averſio populorum a ſaliva, & inſufflatione amoveatur, & de inſtructione, aliiſque diligentiis adhibitis Sanctam Sedem intra tempus decennii certiorent.* Vide hujuſmodi Decreta apud doctiſſimum Raulin in Hiſtoria Eccleſiæ Malabaricæ, pag. 473. & ſeq.

VI. Mirum autem illud videri debet, quod alias obſervat Martene citato loco, num. XVII. Græcos ea ſalivæ in Baptiſmo cæremonia carere, cum nulla apud illorum Auctores, ſed neque in Euchologio cæremoniæ iſtius mentio habeatur. Sed quicquid ſit de eorum ritu, illud plane in antiquis æque ac in noſtro Rituali Romano præſcriptum eſt, ut Sacerdos infantem baptizans, digito accipiat de ſaliva oris ſui, & tangat aures, & nares infantis, tangendo vero aurem dextram, & ſiniſtram, dicat: *Ephpheta, quod eſt adaperire.* Atque hoc unum antiquæ inſtructiones omnes, quæ Catechumenis in Quadrageſima fiebant, ſpectabant, ut cor, & ſpiritum illorum aperirent, nequis ignoraret quid interroganti reſpondendum eſſet; & S. Joannes Chryſoſtomus Homilia II. in Epiſtolam II. ad Corinthios, orat pro Catechumenis, ut illis cordis aures aperiantur, quæ clauſæ ſunt, quia nondum de ineffabilibus Myſteriis audierant loqui; atque etiam in antiqua Oratione pro iis in Paraſceve dicitur, *ut Deus & Dominus noſter adaperiat aures præcordiorum ipſorum, januamque miſericordiæ, ut per lavacrum regenerationis, accepta remiſſione omnium peccatorum, & ipſi inveniantur in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Itaque, ut obſervat Grancolas in Commentario hiſtorico in Breviarium Romanum, Lib. II. Capite LXIX. hujuſmodi verba, *Ephpheta*, & *adaperire*, eo tendebant ſolummodo, ut ſpiritualis ſurditas ſanaretur, & internæ Catechumenorum aures aperirentur.

VII. Myſticæ utriuſque ritus ſignificationes, cur nempe aures, nareſque baptizandi, ſaliva Sacerdotis tangantur, variæ a Scriptoribus afferuntur, inter quos memoratus Leidradus ſic ad rem inquit: *Sanctificatio aurium ſignificat, ut omnes extra diſciplinam ſermones quaſi doctrinæ Chriſti obloquentes averſentur fideles, & fugiant, ſeque ad ſola Dei verba audienda convertant, quia auditum ſuum Chriſti eloquio conſecrarunt. Nares quoque ſimili tactu ſanctificantur, ut hi, qui ad Baptiſmum veniant, admoneantur tanti myſterii Sacramentum uſque ad mortem inviolatum, atque integrum cuſtodire, ut quamdiu ſpiritum vitæ hujus naribus ſuis attrahunt, a Chriſti Domini noſtri cultura, & ſervitute non recedant.* Tum vero mox: *Sed adhuc ſubtilior intellectus in hac narium ſanctificatione ſignatur. Ille enim tactus ad odoratum fideles provocat ſpiritualem, ut non corporis, ſed mentis ſenſibus Chriſtum inæſtimabili ſuavitate ſentire poſſint, & dicere ei: Poſt te in odorem unguentorum tuorum curremus &c.* Similia habet Magnus Senonenſis Archiepiſcopus in Libello, *De Myſterio Baptiſmatis*, juſſu Caroli Magni edito, ſic dicens: *Tanguntur aures, & nares de ſputo, & dicitur*, Ephpheta, ideſt, adaperire. *Tanguntur nares, ut quamdiu vita comes, & flatus vitæ in naribus, & olfactus permanſerit, in Chriſti ſervitio jugiter perdurent. Tanguntur & aures ſimiliter, ut ſalutarem doctrinæ Chriſtianæ Religionis, & Fidei ſemper auſcultent, & videant intente, cunctaſque ridiculoſas reſpuant dæmonis perſuaſiones.*

VIII. Longum eſſet alias myſticas hujus antiquiſſimi inſtituti cauſas, & rationes afferre, quas videre licet apud Alcuinum, Theodulphum Aurelianenſem, Jeſſe Ambianenſem, Rabanum, Hugonem Victorinum, Durandum, & alios plures, qui de Sacris Eccleſiæ ritibus tractarunt. Non omittendum tamen, quod ea de re Catechiſmus Tridentini Concilii docet, Parte II. *De Baptiſmi Sacramento*, num. LX. his verbis: *Poſtea vero illi*, baptizando ſcilicet, *nares, & aures ſaliva liniuntur, ſtatimque ad Baptiſmi Fontem mittitur, ut quemadmodum cæcus ille Evangelicus, quem Dominus juſſerat oculos luto illitos Siloes aqua abluere, lumen recuperavit, ita etiam intelligamus, ſacræ ablutionis eam vim eſſe, ut menti ad cæleſtem veritatem perſpiciendam lumen afferat.* His tandem lubet adjungere Sancti Caroli explicationem in Inſtructionibus, *De Baptiſmi adminiſtratione*, Capite inſcripto, *De cæremoniis, quæ, priuſquam Baptiſmus miniſtratur, adhibentur*, pag. 500. col. 1. ubi ſic loquitur: *Poſtea ſaliva oris ſui Parochus tangit infantis aures, & nares, prolatis Chriſti Domini verbis, quibus aures, & linguam ſurdi, & muti tangendo uſus eſt*: Ephata, hoc eſt adaperire. *Celebratur enim myſterium aperitionis aurium, ut aperiantur nares ad accipiendum odorem notitiæ Dei, & pietatis æternæ; & ad diſcernendum bonum odorem a malo, ſanam doctrinam a corrupta. Aures autem ad audiendum mandata Dei, ut doctrina, quæ de ore Altiſſimi fluxit, per ejus aures intret, & ei ſuaviter oleat.* Statimque ſubjicit: *Tum ſequitur exorciſmus ad expellendum diabolum, ejuſque vires frangendas, & debilitandas ſacris illis, & religioſis verbis.* Sed de hoc ritu, cujus hic meminit S. Carolus, jam late nos ſupra explicuimus, occurritque paſſim ille in antiquis Ritualibus ab erudito Martene deſcriptis.

§. XIII.

§. XIII.

Poſtea interrogat baptizandum nominatim, dicens: *N. abrenuntias Sathanæ?* Reſpondet Patrinus: *Abrenuntio. Et omnibus operibus ejus?* ℟. *Abrenuntio. Et omnibus pompis ejus?* ℟. *Abrenuntio.*

COMMENTARIUS.

I. Quam antiquus ſit iſtius abrenunciationis in Baptiſmo ritus, docent nos pervetuſti Auctores Conſtitutionum Apoſtolicarum, &, *De Eccleſiaſtica Hierarchia*, ubi ajunt, abrenunciationem ipſam ab Apoſtolica fluxiſſe traditione. Meminit & ejus ritus Origenes Homilia x. in Librum Numerorum his verbis: *Recordetur unuſquiſque Fidelium, cum primum venit ad aquas Baptiſmi, cum ſignacula Fidei prima ſuſcepit, & ad Fontem ſalutaris acceſſit, quibus ibi tunc uſus ſit verbis, & quid denunciaverit diabolo, hoc eſt, ſe non uſurum pompis ejus, neque operibus ejus.* Meminit quoque non uno in loco Tertullianus, & quidem in Libro, *De corona militis*, Cap. III. his verbis: *Aquam adituri, ibidem, ſed & aliquanto prius in Eccleſia ſub Antiſtitis manu conteſtamur, nos renunciare diabolo, & pompæ, & angelis ejus.* Item in Libro, *De ſpectaculis*, Capite IV. *Cum aquam ingreſſi Chriſtianam Fidem in Legis ſuæ verba profitemur, renunciaſſe nos diabolo, & pompæ, & angelis ejus, ore noſtro conteſtamur.* Similia habet & aliis locis, quæ longum eſſet hic recenſere, ſicut & aliorum Patrum teſtimonia, qui de eo ritu peculiares etiam Tractatus ſcripſerunt, ac præſertim S. Ephrem Syrus Edeſſæ Diaconus, cujus extat de hujuſmodi abrenunciatione Tractatus. Non omittendus tamen S. Baſilius, qui in Libro, *De Spiritu Sancto*, Cap. XXVII. diſerte affirmat, ritum ipſum abrenunciationis, de quo in præſenti Commentario agimus, ex traditione Apoſtolica ad nos eſſe derivatum: *Ter immergi hominem*, inquit, *unde traditum? Riliqua item, quæ fiunt in Baptiſmo, veluti renuntiare Satanæ, ex qua Scriptura habemus? nonne ex privata, & arcana traditione?* Quin & S. Hieronymus dilucide ait, ejuſdem ritus meminiſſe Apoſtolum in ſua Epiſtola I. ad Timotheum, Cap. VI. his verbis: *Apprehende vitam æternam, in qua vocatus es, confeſſus bonam confeſſionem coram multis teſtibus.* Quæ verba exponens laudatus S. Doctor, ſic habet: *Confeſſus es bonam confeſſionem in Baptiſmo, renunciando diabolo, & pompis ejus, coram multis teſtibus, coram Sacerdotibus, vel Miniſtris, Virtutibuſque cæleſtibus.*

II. Ea itaque abrenunciatio, vel a naſcente Chriſtiana Religione, *coram multis teſtibus* fieri ſolita erat, triplicique hoc modo exprimebatur. *Abrenuncias Satanæ?* ℟. *Abrenuntio. Et omnibus operibus ejus?* ℟ *Abrenuntio. Et omnibus pompis ejus?* ℟. *Abrenuntio.* Atque hæc abrenunciationis formula in omnibus paſſim Ritualibus antiquis æque, ac recentibus reperitur, ejuſque inter alios priſcos Auctores meminit etiam Beda in Cap. VIII. Tobiæ. At S. Ambroſius duplicem tantum abrenunciationem deſignare videtur in Libro, *De myſteriis*, Cap. II. ubi hæc habet: *Poſt hæc reſerata ſunt tibi Sancta Sanctorum, ingreſſus es regenerationis Sacrarium, repete quid interrogatus ſis, recognoſce quod reſponderis; renunciaſti diabolo, & operibus ejus, Mundo, & luxuriæ ejus.* Clarius idem Ambroſius, vel qui eſt Auctor Librorum, *De Sacramentis*, qui ſub ejus nomine circumferuntur, Lib. I. Cap. II. ita inquit: *Quando te interrogavit, Abrenuncias diabolo, & operibus ejus? Quid reſpondiſti? Abrenuntio. Abrenuntias ſæculo, & operibus ejus? Quid reſpondiſti? Abrenuntio. Memor eſto cautionis tuæ.* Duplicem tantum etiam nunc adhibet Eccleſia Ambroſiana, uti conſtat ex Rituali Ambroſiano juſſu Cæſaris Montii Cardinalis, & Archiepiſcopi Mediolanenſis edito. Duplicem quoque abrenunciationem exhibet ms. Liber antiquus Sacramentorum Monaſterii Moiſacenſis, quippe qui poſtquam præſcripſit, ut Sacerdos baptizandorum pectus, & ſcapulas oleo exorcizato inungat, ita mox ſubdit: *Et vocatis nominibus, ſingulis dicat: Exi immunde ſpiritus, & da locum Spiritui Sancto. Abrenuncias Satanæ?* ℟. *Abrenuntio. Fuge immunde ſpiritus, da honorem Deo. Et omnibus pompis ejus?* ℟. *Abrenuntio. Et ego linio te oleo ſalutis &c.*

III. At vero Lib. VII. Apoſtolicarum Conſtitutionum, quæ S. Clementi Papæ tribuuntur, Cap. XLI. baptizandus ſemel dumtaxat abrenuntiat hoc modo, profiteturque: *Abrenuntio Satanæ, & operibus ejus, pompis, cultui, angelis, & machinationibus ejus, & omnibus, quæ ſub Cælo ſunt.* In Libello etiam Pirmini Abbatis, quem Tomo IV. Analectorum vulgavit Mabillonius, unica reperitur abrenuntiatio: *Fratres*, inquit, *ad memoriam veſtram reducimus, quale pactum in ipſo Baptiſterio cum Deo fecimus, verbi gratia cum interrogati ſinguli nomen noſtrum a Sacerdote fuimus, quomodo diceremur, reſpondiſti autem tu, ſi jam poteras reſpondere, aut certe qui pro te fidem fecit, qui te de Fonte ſuſcepit, & dixit: Joannes dicitur, aut aliud nomen. Et interrogavit Sacerdos. Joannes abrenuntias diabolo, & omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus? Reſpondiſti: Abrenuntio.* Rurſus in antiquo Miſſali Gallicano, quod publici juris fecit doctiſſimus Vir Venerabilis Cardinalis Thomaſius, baptizandus tantum ſemel interrogatur: *Abrenuntias Satanæ, pompis ſæculi, & voluptatibus ejus?* Et reſpondet ſemel: *Abrenuntio.* His concinit S. Cæſarius in Sermone CCLXIV. Appendicis Tomi V. Operum S. Auguſtini, ubi ſic loquitur: *Conſideret ergo unuſquiſque, ſicut jam dictum eſt, quod in Baptiſmi Sacramento promiſit, & quia pactum cum Domino fecit, videat, ſi id nulla ea parte violavit. Quando enim interrogatus eſt:* Abrenuncias diabolo, pompis, & operibus ejus? *Tunc ei Sacerdos ſubſcribendum pactum obtulit. Quando autem reſpondit:* Abrenuntio, *tunc ſubſcripſit.*

IV. E contrario autem S. Cyrillus Hieroſolymi-

lymitanus in Catecheſi myſtagogica I. ad eos, qui baptizati ſunt, quatruplicem innuit factam fuiſſe abrenunciationem. Hæc ejus verba: *Quid igitur unuſquiſque veſtrum ſtans dicebat? Renuntio tibi Satana.* Et paulo poſt; *Doceris mox & alteram renunciationis partem addere: Et omnibus tuis operibus.* Et inferius: *Poſtea dicis: Et omni pompæ tuæ.* Et poſt nonnulla: *Dicis præterea: Et omni cultui tuo.* Quæ omnia pie, & eleganter explicat idem S. Antiſtes, in quæ etiam videri poſſunt egregiæ Notæ Editoris ejuſdem Operis P. Antonii-Auguſtini Touttee Monachi Benedictini Congregationis S. Mauri. Atque huc facere videtur, quod ſcribit S. Ambroſius Lib. I. Exameron Cap. IV. *Deſerit qui abluitur intelligibilem illum Pharaonem Principem iſtius Mundi, dicens: Abrenuntio tibi diabole, & angelis tuis, & operibus tuis, & imperiis tuis.* Niſi forte quis dicat, hæc omnia ſimul uno contextu ab eo, qui regenerandus erat, dicta fuiſſe, & Ambroſium ad uſum aliarum Eccleſiarum potius reſpexiſſe, quam ſuæ, in qua duplex dumtaxat, ut dictum eſt ſupra, abrenuntiatio fiebat. Eodem plane modo videtur intelligendus locus Salviani Lib. V. *De providentia*, ubi ita inquit; *Quæ in Baptiſmo ſalutari Chriſtianorum prima confeſſio? Quæ ſcilicet, niſi ut renuntiare ſe diabolo, ac pompis ejus, atque ſpectaculis, & operibus proteſtetur.* Nam paulo poſt ſubdit; *Abrenuntio, inquis, diabolo, pompis, ſpectaculis, & operibus ejus.*

V. At vero in Ordine Baptiſmi Severi Alexandrini Patriarchæ ſex præſcribuntur renunciationes, tres nimirum a Sacerdote, & tres a baptizando, aut a Sponſoribus ejus faciendæ. Sic enim habet: *Et tunc abſolvit eum Sacerdos ad Occidentem, & profert ipſe Sacerdos pro baptizatis hanc renunciationem tribus vicibus, Sponſoribus ter, ut ipſe, reſpondentibus:* Abrenuntio Satanæ ego talis N. qui baptizor, & omnibus operibus ejus, & omnibus angelis ejus, & omnibus ejus viribus, & omni ejus militiæ, & omni timori ejus, & omni ejus ſuperbiæ, & omni ejus errori mundano, & cuilibet ei conſentienti, & eum ſequenti. *Poſtquam autem abrenunciaverunt, convertit eos ad Orientem, & ait tribus vicibus;* Conſentio tibi Chriſte Deus, ego talis N. qui baptizor, & omni doctrinæ, quæ revelata eſt a te Divinitus per Prophetas, Apoſtolos, & Sanctos Patres. Confiteor quoque, & credo, & baptizor in te, & in Patre tuo, & in Sancto Spiritu tuo nunc &c.

VI. Notat hæc eruditus Martene Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. I. Articulo XIII. num. V. VI. & VII, obſervatque mox ſequenti num. VIII. ex memorato Severi Alexandrini Patriarchæ teſtimonio & illud addiſci, qualis nempe olim fuerit renuntiantium diabolo corporis ſitus; eos nimirum ſtantes ante renunciationem ad Occidentem, eaque pronunciata, converſos fuiſſe ad Orientem. Hunc ritum tam apud Latinos, quam apud Græcos longo tempore obtinuiſſe, docet idem Martene loco citato. Et quidem de Latinis inſignia habemus Sanctorum Ambroſii, & Hieronymi teſtimonia, quorum primus in Libro, *De myſteriis*, Cap. II. ſic loquitur: *Ingreſſus es igitur, ut adverſarium tuum cerneres, cui renunciandum in os putaris, ad Orientem converteris. Qui enim renuntiat diabolo, ad Chriſtum convertitur.* Alter vero in Caput VI. Prophetiæ Amos, ſic habet: *Unde & in myſteriis primum renunciamus ei, qui in Occidente eſt, nobiſque moritur cum peccatis; & ſic verſi ad Orientem, pactum inimus cum Sole juſtitiæ, & ei nos ſervituros eſſe promittimus.*

VII. Ad Græcos quod attinet, non obvolvebantur modo ad Occidentem, ſed manus inſuper extendebant in altum, quaſi Satanam, cui renuntiabant, a ſe longe, proculque repulſuri. Teſtem ejus ritus habemus quidem laudatum S. Cyrillum loco citato; *Primum ingreſſi eſtis in Domum porticus Baptiſterii, & ſtantes verſus Occidentem, mandari vobis audiſtis, ut protenſa manu tanquam præſenti Satanæ renuntiaretis.* Et paulo poſt: *Verumtamen audi, quod nutu manus tanquam ad præſentem dicitur: Renuntio tibi Satanæ.* Deinde explicat, quam ob cauſam converſus ad Occidentem baptizandus diabolo renuntiavit. Sed audiamus S. Gregorium Nazianzenum, qui Oratione XL. in Sanctum Baptiſma, ejuſdem ritus extendendi ſcilicet manum in ea Satanæ renunciatione, Occidentem verſus fieri ſolita in Baptiſmo, his plane verbis meminit: *Cognoſces porro, & ex ipſo habitu, ac rerum ſpecie, & ex verbis, quod Satanæ renuntias, & Chriſto conjungeris. Non enim oratione dumtaxat, ſed etiam habitu ipſo, hoc eſt, veſtibus nudatus, corporeque ad Occaſum inverſus, ac manibus extenſis Satanam adjurabis.* His conſonant pervetuſtus Auctor Operis, *De Eccleſiaſtica Hierarchia*, quod S. Dionyſii Areopagitæ nomine circumfertur, ubi agit de Baptiſmo, & Nicolaus Cabaſilas in expoſitione Liturgiæ, Cap. I. *Eos*, inquit, *qui baptizandi ſunt, & calceos, & veſtes oportet exuere, & ad Occidentem reſpicientes, manus extendere, & exſufflare;* itemque Iſaacus Armenus Catholicus, qui ut oſtenderet, quam male ab exemplo Chriſti poteſt argumentum trahi, inter alia hæc habet: *Chriſtus cum baptizandus eſſet, non eſt converſus ad Occidentem, nec eo ſitu renunciavit diabolo, ac eum inſufflavit, neque iterum converſus ad Orientem, fœdus cum Deo pepigit, quippe qui ipſe Deus verus eſſet. Ergo nec ipſi rem ejuſmodi illis, qui ab ipſis baptizandi ſunt, faciant.*

VIII. Notatu dignus eſt hic alius ritus, quem Moſcovitæ in prædicta Satanæ renuntiatione obſervant; ipſi enim diabolo renuntiantes, in terram expuunt, ut teſtatur Alexander Guagninus in deſcriptione Sarmat. Europ. *Fidejuſſores*, inquit, *vel Suſceptores infantis, quoties circa Baptiſmum Sacerdoti interroganti, an diabolo infans renuntiet, correſpondent, toties in terram expuunt.* Et Sigiſmundus Liber Baro, *De rebus Moſcoviticis*, Cap. *De Baptiſmo*, his verbis eundem ritum recenſet: *Suſceptores ex voluntate parentum aſſumuntur, & quoties, præeunte certis verbis Sacerdote, diabolo renuntiant, toties in terram expuunt.* Quicquid autem de hoc ritu ſit, notandum illud eſt, apud Latinos, ex præſcripto complurium veterum Ritualium, abrenuntiationis cæremoniam fieri conſueviſſe, dum Sacerdos de Oleo ſancto inungeret baptizandi pectus, & inter ſcapulas. Hujus plane ritus meminit ms. Liber Sacramentorum Gelaſii Papæ, a Venerabili Cardinale Thomaſio editus ex ms. Codice annorum circiter mille. Ex eo namque cautum eſt, ut Sacerdos tangat baptizando *pectus, & inter ſcapulas de Oleo exorcizato,*

nato, *& vocato nomine*, *ſingulis dicat*: *Abrenuntias Satanæ?* ℞. *Abrenuntio*. *Et omnibus operibus ejus?* ℞. *Abrenuntio*. *Et omnibus pompis ejus? Abrenuntio*. Idem legitur in aliis multis mſs. Libris Sacramentorum ejuſdem fere ætatis, ac ſequioris ævi, quos recenſet Martene Libro I. Cap. I. Articulo XVIII. Ordine V. & aliis quibuſdam ſequentibus, ac præſertim Ordine XIII. ex mſ. Gemmeticenſi Codice, tempore Theodorici Abbatis, qui obiit anno Chriſti Domini MXXXII. deſcripto.

IX. Reliquum eſt, ut explicemus nunc formulam ipſam abrenuntiationis ex pervetuſto, & generali Eccleſiæ ritu in Baptiſmo fieri ſolitæ, juxta Patrum doctrinam, & præſertim S. Cyrilli Epiſcopi Hieroſolymitani, qui in citata Catecheſi I. Myſtagogica ſingulas partes memoratæ formulæ in §. noſtro deſcriptæ, ac ritus ſuperius notatos, ita exponit: *Verum tibi præcipi audis, ut extenſa tanquam ad præſentem manu, dicas*: Abrenuntio tibi Satana. *Volo & cujus rei gratia ad Occidentem ſteteritis, edicere; neceſſe eſt enim. Quoniam ſenſibilem tenebrarum locus eſt Occidens, ille vero in tenebris imperium habet, cum ipſe ſit tenebræ; iccirco ad ſervandam Symboli rationem, ad Occaſum reſpicientes, tenebroſo illi, & caliginoſo principi abrenunciatis. Quid igitur ſtans dixit veſtrum unuſquiſque?* Abrenuntio tibi Satana; *tibi maligno, ac duriſſimo tyranno. Non amplius, ais, vim tuam formido; hanc enim diſſolvit Chriſtus, ſanguinis, & carnis mecum particeps factus, ut per hæc mortem morte aboleret, ut ne perpetuo obnoxius eſſem ſervituti*. Abrenuntio tibi, *callido, & vaferrimo ſerpenti*. Abrenuntio tibi, *qui inſidiator es, & omnem ſimulatione amicitiæ iniquitatem peperiſti, primiſque noſtris parentibus defectionem inſpiraſti*. Abrenuntio tibi Satana, *cujuſvis improbitatis, & authori, & adminiſtro*.

X. Pergit S. Antiſtes, alteramque abrenuntiationem, quæ eſt omnibus Satanæ operibus, ſic explicat: *Deinde in ſecunda formula doceris, ut pronunties*, Et omnibus operibus tuis. *Opera Satanæ quodcumque peccatum eſt, cui abrenuntiare neceſſe eſt; quemadmodum ſiquis tyrannum aufugit, prorſus quoque arma ipſius abjecit. Omne igitur peccati genus diaboli operibus accenſetur. Verumtamen illud te ſcire oportet, quæcumque illa præſertim formidabili hora dicis, in Dei Libris ſcripto conſignata haberi. Quandocumque igitur his quidpiam contrarii admiſeris, tanquam fœdifragus judicaberis. Renuntias itaque Satanæ operibus, omnibus, inquam, & actionibus, & cogitationibus, quæ a ratione diſcedunt*. Tertiam abrenuntiationem, quæ fit omnibus pompis diabolicis, ſic exponit: *Poſtea dicis*: Et omni pompæ illius. *Pompa vero diaboli eſt, theatrorum inſaniæ, equorum curſus in hippodromis, venationes in Circo, & reliqua hujuſcemodi vanitas, de qua liberari ſe poſtulans Sanctus, Deo dicit*: Averte oculos meos, ne videant vanitatem. *Ne tibi ſtudio, & cordi ſit, theatri inſania, ubi conſpicias mimorum petulantias omni contumelia, & dedecore abundantes, atque effeminatorum virorum furoris, & amentiæ plenas ſaltationes, neque illa eorum, qui in Circenſibus venationibus ſe ſe feris exponunt, ut infelicem alvum demulceant; qui ut ventrem alimentis delineant, ipſi re vera ventris immitium ferarum pabulum fiunt; atque ut rectius dicam, pro ventre, quem unum Deum noverunt, propriam vitam in præcipitium ſingularibus certaminibus abjiciunt. Fuge etiam equorum curricula, quod prorſus inſanum eſt, ſupinaſque animas dejicit ſpectaculum. Hæc enim omnia diaboli pompæ exiſtunt &c.*

XI. Quoniam vero juxta ritum Eccleſiæ ſuæ, quarta abrenunciatio fiebat cultui diaboli, quinam ille ſit, operæ pretium duxi & hic explicare ex eodem Cyrillo, qui ita ſubjicit: *Poſt hæc dicis*: Et omni cultui tuo. *Cultus diaboli eſt habita in Idolorum Delubris ſupplicatio, quæ ad honorem inanimatorum ſimulachrorum fiunt, accendere lucernas, aut ſuffitus ad frontes, vel fluvios adolere, quemadmodum nonnulli ſomniis, aut dæmonum fraude deluſi, ad eas aquas acceſſere, rati ſe ibi corporearum infirmitatum medelam reperturos; vel alia hujus generis*. Et mox: *Augurium, divinatio, ominationes, aut amuleta, aut in laminis inſcriptiones, magiæ, aliæve malæ artes, quæque illis ſimilia, cultus ſunt diaboli*. Addit & alia Cyrillus, quæ, ne prolixior fiam in recenſendo illius teſtimonio, ac explicatione prædictæ abrenuntiationis, conſulto omitto, tum præſertim, quod ex aliis Patribus alia ſcitu neceſſaria explicanda ſunt ad ipſam abrenuntiationem ſpectantia.

XII. Illud itaque ſummopere ſciendum eſt, abrenunciationes ipſas, ſeu promiſſa facta in Baptiſmo recte appellari poſſe vota, eoque nomine appellata fuiſſe a Patribus, a quibus normam loquendi Eccleſia deſumit, ut ſcite notavit Genettus Tomo III. in Tractatu, *De Sacramento Baptiſmi*, Cap. VII. Quæſtione XII. Certe Patrum doctrinæ inhærens Catechiſmus Tridentini Concilii, Parte I. *De duodecim Symboli articulis*, in expoſitione Articuli II. num. XIX. ſic inquit: *Parochus fidelem populum ad eam rationem cohortabitur, ut ſciat, æquiſſimum eſſe præ ceteris hominibus, nos, qui ab eo*, a Chriſto ſcilicet, *nomen invenimus, Chriſtianique vocamur, & quanta ille in nos beneficia contulerit, ignorare non poſſumus, ob id maxime, quod ejus munere hæc omnia Fide intelligimus; æquum eſt, inquam, nos ipſos, non ſecus ac mancipia, Redemptori noſtro, & Domino in perpetuum addicere, & conſecrare*. Tum vero ita ad rem, de qua agimus, ſubdit: *Et quidem cum Baptiſmo initiaremur, ante Eccleſiæ fores id profeſſi ſumus; declaravimus enim, nos Satanæ, & mundo renuntiare; & Jeſu Chriſto totos nos tradere. Quod ſi, ut Chriſtianæ militiæ adſcriberemur, tam ſancta, & ſolemni profeſſione nos ipſos Domino noſtro devovimus; quo ſupplicio digni erimus, ſi poſtquam Eccleſiam ingreſſi ſumus, Dei voluntatem, & Leges cognovimus; poſtquam Sacramentorum gratiam percepimus, ex mundi, & diaboli præceptis vixerimus, perinde ac ſi cum Baptiſmo abluti ſumus, mundo, & diabolo, non Chriſto Domino, ac Redemptori, nomen dediſſemus*. Hactenus Catechiſmus.

XIII. Eſſe hanc Theologorum ſententiam, ut promiſſa in Baptiſmo, ſint vota, docet Magiſter Sententiarum Lib. IV. Diſtinctione XXXVIII. *Votum*, inquit, *aliud eſt commune, aliud ſingulare, commune eſt illud, quod in Baptiſmo omnes faciunt, cum ſpondent renuntiare diabolo, & pompis ejus*. Idem docet S. Bonaventura in ipſum Librum IV. Sententiarum, Diſtinctione VI. Articulo III. Quæſtione I. ubi ita ſcribit:

Ad illad, qaod quæritur, utrum obligatio parvalorum, quæ ſit in Baptiſmo, ſit votum? Dicendum, quod proprie non, quia non eſt de eo, quod ſupererogationis eſt; tamen extenſo nomine eſt votum, quia eſt voluntaria obligatio. Non autem facit duplex peccatum, quia non obligatur magis, quam prius, de neceſſitate, ſed de bono, & æquo. Idem quoque aſſerit S. Thomas in citato Libro IV. Sententiarum, Diſtinctione XXXVIII. Articulo I. Quæſtione I. ad II. ejuſque doctrina, ſicut & illa ex S. Bonaventura deſcripta jam ſatis clare oſtendit, nulla vota nos magis obligare poſſe, quam ea, quæ facimus in Baptiſmo; quoniam ab aliis votis non differunt, niſi quia vota ſtrictius ſumta reſpiciunt tantum opera ſupererogationis, quæ per ſe ad ſalutem non ſunt neceſſaria; unde in quibuſdam circumſtantiis ab iis diſpenſari poteſt, quoniam majorem tantum hominis Chriſtiani perfectionem ſpectant, ſine qua ſalvari quis poteſt. Vota vero in Baptiſmo facta, de iis ſunt, quæ ad ſalutem ita ſunt neceſſaria, ut ab iis nemo diſpenſari poſſit; qui enim ea violat, non modo majori perfectioni hominis Chriſtiani, ſed ipſi plane Chriſtianiſmo renuntiare dici poteſt.

XIV. Patet ergo & illud ex dictis, teneri quemlibet Chriſtianum ſub pœna peccati læthalis ſtare promiſſis in Baptiſmo factis, idque inter alios docet S. Ephrem Syrus Edeſſæ Diaconus, in Tractatu, *De abrenuntiatione*, ubi inter alia ait, quod *hæc ipſa abrenuntiatio exigetur a quocumque Chriſtiano in illa die; ſcriptum eſt enim*: Quoniam ex verbis tuis juſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. *Iterumque Dominus ait*: De ore tuo te judico, ſerve nequam. *Perſpicuum eſt igitur, Fratres, quia verba noſtra vel judicatura ſunt nos, vel juſtificatura in hora illa.* Omitto alios Patres, ſed deſcribendum tamen cenſui, quod ait Concilium Pariſienſe VI. anni DCCCXXIX. Lib. I. Cap. IX. *Omnibus Fidelibus ſtataendum eſt, ut pactionis, & ſponſionis, quam cum Deo in Baptiſmo fecerunt, ſemper memores exiſtant, caveantque, ne quibuſlibet vitiorum ſordibus ſe maculantes, non ſolum eundem ſibi reaccendeant ignem, verum etiam immundum ſpiritum a ſe tempore Baptiſmatis expulſum cum ſeptenario dæmonum numero ſibi addito, ad ſe quoquo modo redire faciant, fiantque illis, ut Dominus ait,* noviſſima pejora prioribus; *& impleatur in eis quod Beatus Petrus Apoſtolus ait*: Melius enim erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ, quam poſt agnitionem, retrorſum converti ab eo, quod traditum eſt illis, ſancto mandato; *apteturque eis illud, quod idem ait*; Canis reverſus ad vomitum ſuum, & ſus lota in volutabro luti.

XV. Hinc ſapientiſſime in Eccleſia Mediolanenſi ex Rituali Ambroſiano juſſu Cæſaris Montii Cardinalis, & Archiepiſcopi Mediolanenſis edito, ubi Patrinus reſpondit, *Abrenuntio*, tum Parochus illum admonet, & conteſtatur, dicens: *Memor eſto ſermonis tui, & nunquam ibi excidat tuæ ſeries cautionis*. Cui reſpondet ſtatim Patrinus: *Memor ero*. Idem legitur in Actis Eccleſiæ Mediolanenſis Parte IV. in Inſtructionibus, *De Baptiſmi adminiſtratione*, ubi refertur Ordo Baptiſmi parvulorum pag. 503. Atque his adde quod in iiſdem Actis, citata Parte IV. ait S. Carolus in Inſtructionibus prædicationis verbi Dei, ubi recenſet Concionatoris officium in inſtituendis Fidelibus ad ſanctiſſimum Sacramentorum uſum, pag. 485. *De Baptiſmo cum loquetur, cætera cum expoſuerit, quæ ex Catechiſmo Romano ſapienter præſcripta ſunt, tum in eo verſabitur, ut depravatam vitæ morem fidelium exagitet, qui contra quam in Baptiſmo ſpoponderint, vivant, & carni, & mundo, pompiſque ejus, & Satanæ, atque illius operibus; Deo autem mortui ſint; & quam laborioſa putent, quæ Dei ſunt; quam rurſus facilia, quæ carnis, quæ Satanæ.* Addit mox etiam, hoc in genere omnem concionis ſuæ vim a Concionatore adhibendam, idemque alii Epiſcopi in ſuis Eccleſiis ſtatuerunt.

§. XIV.

Deinde Sacerdos intingit pollicem in Oleo Catechumenorum, & infantem ungit in pectore, & inter ſcapulas in modum Crucis, dicens: *Ego te linio ✠ Oleo ſalutis in Chriſto Jeſu Domino noſtro, ut habeas vitam æternam.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. OLeo ſacro inungi baptizandum, ritus eſt Eccleſiæ antiquiſſimus, cujus paſſim & antiqui Patres, & Codices Rituales paſſim meminere. Sed notandum hic primo, hallucinari quidem Auctores non paucos cæteroqui eruditos, qui non animadvertentes diverſitatem unctionum fieri ſolitarum in Baptiſmo, veterum Patrum teſtimonia confundunt, quos putant de una loqui unctione, cum de tribus diverſis loquantur. Prima enim ante Baptiſmum Oleo, quod Catechumenorum vocant, in pectore, & ſcapulis fiebat, ut paſſim ex perveтuſtis Sacramentorum Libris mox citandis, quibus hic noſter §. conſentit, addiſcimus. Altera poſt Baptiſmum Chriſmate in vertice capitis, fitque ab eodem Sacerdote, qui baptizavit, ut infra ſuo loco dicemus. Tertia tandem, quæ fit in Sacramento Confirmationis per Epiſcopos, uti fuſe diximus Tomo noſtro I. Commentariorum in Partem I. Romani Pontificalis, Tit. I.

II. Sed ut hoc loco de unctione dicamus, quæ ex antiquo ritu fieri ante Baptiſmum ſolet, notandum & illud cenſemus, unctionem ipſam in Ordine Gelaſiano, & in quibuſdam Pontificalibus, ac Ritualibus Libris abrenuntiationi, de qua diximus in Commentario ſuperiori, præmitti; in aliis vero poſt illam, faciendam. Atque hic fuit etiam antiquus Orientalis Eccleſiæ ritus, ut poſt renunciationem, Olei unctionem adhiberent, uti conſtat ex his Theodoreti verbis in Cantica: *Reminiſcere ſacræ Myſtagogiæ, in qua qui initiantur, poſt tyranni abnegationem, & Regis confeſſionem, velut ſigillum quoddam Regium ſuſcipiunt ſpiritualis unguenti Chriſma,* re-

recipientes gratiam inviſibilem Sanctiſſimi Spiritus unguento tanquam in typo. Ceterum in ſuperiori Commentario notatum a nobis id etiam fuit ex nonnullis antiquis Sacramentorum Libris inungi ſacro Oleo conſueviſſe baptizandum in pectore, & inter ſcapulas, dum fieret abrenuntiatio, ejuſque ritus meminit non modo, ſed & myſticam rationem exponit Leidradus Lugdunenſis Epiſcopus in Libro, *De Baptiſmo*, Cap. II. ſic inquiens: *Unguntur autem Catechumeni in pectore, & inter ſcapulas Oleo exorcizato, cum abrenunciant Satanæ, & operibus ejus, ac pompis ejus*. Statimque addit: *Quod ideo fieri arbitramur, ut habitaculum cordis ante & retro ſignetur, quo ſigno diabolus auctor perfidiæ pellatur, & Chriſtus largitor Fidei, & charitatis ingrediatur. Nam cor hominis ſedes eſt erroris, & vitiorum cum a diabolo poſſidetur; & ipſum efficitur habitaculum Fidei, Spei, & Charitatis, cum a Chriſto defenditur, & inluſtratur*.

III. Quamquam vero ex antiquis multis Ritualibus Libris, atque ex noſtro præſenti §. præſcriptum ſit, ut ipſa inunctio fiat *in pectore, & inter ſcapulas*, a Sacerdote dicente, *Ego te lineo Oleo ſalutis &c.* ex antiquo tamen Sacramentario Gallicano, quod ex ms. Bobienſi annorum MC. vulgavit Mabillonius in Muſei Italici Tomo I. non modo pectus, ſed & nares, & aures inungebantur, aliaque formula verborum adhibebatur. Sic enim inquit: *Ungis eum de Oleo ſanctificato, dicens*: Ungo te de Oleo ſanctificato, ſicut unxit Samuhel David in Regem, & Prophetam. *Tangis nares, & aures, & pectus*: Operare creatura Olei, operare, ut non lateat hic immundus ſpiritus, nec in membris, nec in medullis, nec in uno compagine membrorum; ſed operetur in te virtus Chriſti Filii Dei altiſſimi, & Spiritus Sancti per omnia ſæcula ſæculorum.

IV. Omiſſis aliis Ritualibus Libris, de unctione quidem in vertice, & inter ſcapulas cum ea verborum formula, *Ego te linio &c.* in §. noſtro præſcripta, celebre eſt teſtimonium, quod habemus ex ms. Pontificali inſignis Eccleſiæ Apamienſis in Syria ante annos D. exarato, ubi poſt prædictam abrenuntiationem ſic legitur: *Poſtea tangit de Oleo Sancto pectus, & inter ſcapulas, Crucem faciendo cum pollice, & dicit*: Et ego te linio Oleo ſalutis in Chriſto Jeſu Domino noſtro in vitam æternam. Amen. *Tunc impoſita manu ſuper capita eorum, dicat Orationem Dominicam, & Symbolum*. Et ecce hic ritus dicendi Symbolum, & Orationem Dominicam poſt ipſam unctionem, quæ tamen ex Ritualis noſtri Romani, ac aliorum etiam præſcripto jam ante dici conſueverant. Conſentit quoque Apamienſi Pontificali in hoc ritu Rituale antiquum Eccleſiæ Lemovicenſis, ſic inquiens: *Subſecutive Preſbyter interrogando nomen pueri, præparet modicum Olei in vertice pollicis, & ungat, ſeu liniat puerum Oleo ſancto, primo pectus, & poſtea inter ſcapulas in modum Crucis, ita dicendo*: Ego te linio de Oleo exorcizato in pectus ✠ tuum, & inter ſcapulas ✠ tuas, in Chriſto Jeſu Domino noſtro, ut habeas vitam æternam, Amen. *Quo linito, interroget Preſbyter Symbolum ab eo, qui tenet puerum*.

V. Quicquid ſit de hoc ritu dicendi Orationem Dominicam poſt factam unctionem, qui quidem etiam legitur in veteri Miſſali Romano ad uſum Fratrum Minorum accommodato, annorum circiter CCC. formulæ noſtræ veſtigium extat quidem in ms. Codice S. Remigii annorum M. his plane verbis: *Et ego te linio Oleo ſalutis in vitam æternam*. In ms. vero Sacramentorum Libro Monaſterii Moiſacenſis, poſtea Bibliothecæ Colbertinæ, annorum circiter CM. *Et ego te linio Chriſmate ſalutis in Chriſto Jeſu Domino noſtro*. In Gemmeticenſi anno MXXXII. deſcripto: *Et ego linio te Oleo ſalutis in Chriſto Jeſu Domino noſtro in vitam æternam*. In Rituali Cadomi anno MDCXIV. edito: *Et ego te linio pectus, & ſcapulas Oleo ſalutis in Chriſto Jeſu Domino noſtro, ut habeas vitam æternam*. In Rituali tandem Ambroſiano juſſu Cæſaris Montii Cardinalis, & Archiepiſcopi Mediolanenſis edito eadem extat formula, quæ in noſtro §.

VI. Porro factam ipſam unctionem fuiſſe aliquando in pectore, & inter ſcapulas, in Nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, docet nos Sacramentarium S. Gregorii Papæ: *Poſt hæc tangat ei pectus, & inter ſcapulas de Oleo ſancto, Crucem faciendo cum pollice, dicens*: *Ungo te Oleo ſanctificato in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Quæ verba laudat & enarrat Amalarius Fortunatus Lib. I. *De Eccleſiaſticis Officiis*, Capite XXIII. ad eaque alludit Rabanus Maurus Lib. I. *De inſtitutione Clericorum*, Capite XXVII. ſic inquiens: *Ungetur illius tunc pectus de Oleo ſanctificato cum invocatione Sanctæ Trinitatis, ut nullæ reliquiæ latentis inimici in eo reſideant, ſed in Fide Sanctæ Trinitatis mens ejus confortetur. Ungetur & inter ſcapulas de eodem Oleo, ut undique muniatur, & ad bona opera facienda per Dei gloriam roboretur*. Factam quoque apud Græcos unctionem ipſam in Nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, conſtat ex eorum Euchologio, cujus verba infra opportunius referemus.

VII. At vero ad noſtram formulam alludit certe Magnus Senonenſis Archiepiſcopus in Libello, *De Myſterio Baptiſmatis*, juſſu Caroli Magni edito, ubi ſic inquit: *Ungitur vero pectus, ut ſigno Crucis Chriſti excludatur Satanæ introitus, & paretur ingreſſus Chriſto Domino. Scapulæ autem ſignantur, ut undique Templum Deo dicatum, ab omni Satanæ impedimento muniatur. Iterum & hoc ſignatur in pectoris, & ſcapulæ unctione, ut ejus firmitas ſit, & bonorum operum perſeverantia*. Aliam explicationem hujus ritus affert Ivo Carnotenſis in Sermone, *De Sacramento Dedicationis*, his verbis: *Accepiſtis & Oleum Sanctum in pectore, ut vigeret in corde veſtro ſapientia. Accepiſtis & in humero veſtro, ut in exercitu bonorum operum indeficiens ſervetur patientia, neque aliquando noverit ſiniſtra veſtra quid faciat dextera veſtra. Quia vero in humeris vigor conſtat portandi oneris, hujus partis unctione Chriſti Athletæ dedicati eſtis, ut ſciatis, vos ad certamen eſſe vocatos*. Plura de iſta duplici unctione in pectore, & inter ſcapulas ante Baptiſmum docet Innocentius Papa III. in Capite unico, *De ſacra unctione*, §. *Quia vero*.

VIII. Audiendus nunc S. Carolus, qui in Inſtructionibus, *De Baptiſmi adminiſtratione*, Capite, *De ceremoniis, quæ, priuſquam Baptiſmus miniſtratur, adhibentur*, pag. 500. col. 2. ritum ipſum ſic explicat: *Obſignantur præterea Oleo ſacro, figura Crucis, pectus, & ſcapulæ, ut intelligamus, eos, qui Baptiſmo initiantur,* quaſi

quaſi Chriſti Athletas, ait *S. Ambroſius*, luctamen hujus ſæculi luctaturos; ſolent enim luctantes inungi. *Deinde, ut ſciamus, Baptiſmi gratiam, non noſtris meritis, ſed Chriſti beneficio, & gratuita miſericordia donari, quæ Oleo ſignificatur*. Addit mox aliam hanc interpretationem: *Præterea quia oleum eſt medicamenti ſpecies, quandoquidem Samaritanus infudit in vulnera oleum, & vinum; ideo hac unctione demonſtratur, intima animæ noſtræ vulnera, & morbos hac medicina curari; fomitemque ipſum, quamvis non omnino extinguatur, at certe debilitari, vireſque, & robur ſpirituale nobis addi, quo Satanæ, carniſque tentationum impetus depellamus*. Et rurſus: *Pectus præterea ungitur, ut intelligamus, mentem, animumque Divina virtute corroborari. Scapulæ vero, quia dantur homini vires ad jugum Chriſti Domini ferendum*. Tum vero demum: *Inungitur ante, & retro, ut undique muniatur, & confirmetur, ad opera bona præſtanda, corde & corpore, voluntate & opere*.

IX. Quod tandem ſpectat ritum Orientalis Eccleſiæ, conſtat plane apud Græcos non pectus tantum, & ſcapulas conſueviſſe inungi, ſed totum prorſus corpus a vertice ad pedes, teſte S. Cyrillo Epiſcopo Hieroſolymitano in Catecheſi II. Myſtagogica, num. III. hiſce verbis: *Deinde vero, ſic exuti, exorcizato peruncti eſtis Oleo, a ſummis verticis capillis uſque ad infima, & participes facti eſtis ſinceræ oleæ Jeſu Chriſti. Exciſi enim ex oleaſtro, inſiti eſtis in ſinceram oleam, & conſortes effecti eſtis pinguitudinis veræ oleæ*. Pergit S. Antiſtes, rationemque iſtius ritus exponit, ſic inquiens: *Igitur exorcizatum Oleum ſymbolum erat communicationis pinguedinis Chriſti; quod quidem omne adverſariæ poteſtatis veſtigium extemplo fugat. Quemadmodum enim inſufflationes Sanctorum, & invocatio Nominis Dei flammæ inſtar vehementiſſimæ dæmones urit, & effugat, ita & exorcizatum iſtud Oleum per invocationem Dei, & orationem, tantam vim adſumit, ut non modo urendo peccatorum veſtigia depurget, verum etiam omnes inviſibiles mali ſpiritus poteſtates in fugam agat*. Idem docet S. Joannes Chryſoſtomus Homilia VI. ad Coloſſenſes: *Ungitur*, ait, *ſicut athleta ſtadium ingreſſus; ſimul enim naſcitur, & non ſicut primus ille, qui paulatim creſcit, ſed ſtatim. Non ſicut olim Sacerdotes ſolo capite, imo vero amplius. Nam illi quidem capite, aure, dextra manu, ut ad obedientiam, & bona opera excitaret eum; hic autem totus ungitur*. Idem habet Severus Patriarcha Alexandrinus in Ordine Baptiſmi, ubi duplicem unctionem præſcribit, unam quidem poſt abrenuntiationem, alteram vero immediate ante immerſionem: *Tum ſignat*, inquit, *Oleo olivæ Sacerdos eum, qui baptizatur, tribus Crucibus ſuper frontem ejus factis*. Et mox: *Et ponit Sacerdos Oleum olivæ in vola manus, totumque corpus ungit ejus, qui baptizatur, tum demum dimittit in Baptiſterium*. Idem colligitur ex S. Dionyſio, *De Eccleſiaſtica Hierarchia*, Cap. II. & ex Joanne Moſco in Prato Spirituali, Cap. III. ubi refert Sacerdotem baptizandi munus deponere voluiſſe, quod non ſine periculo tentaretur, cum feminam ungeret: *Quoties mulierem inungeret, ſcandalizabatur*.

X. Inungendum totum baptizandi corpus, præſcribit etiam Rituale Græcorum ab eruditiſſimo Jacobo Goar editum, ac Notis illuſtratum, in Officio, quod dicitur, Sancti Baptiſmatis, ubi inter alia ſic legimus: *Tunc offertur baptizandus, & Sacerdos, accepto Oleo, Crucis figuram exprimit in ejus fronte, & in pectore, & in dorſo, dicens*: Ungitur Servus Dei N. Oleo exultationis. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen. *Et Crux ſignat ejus pectus, & dorſi medium; in pectore quidem, dicens*: In animæ, corporiſque medelam. *In auribus*. Ad Fidei auditum. *In pedibus*: Ad ambulandum greſſus tuos. *In manibus*: Manus tuæ fecerunt me. *Uncto vero toto corpore &c.* Fieri a Diacono ipſam totius baptizandi corporis unctionem, expreſſe edicunt duo alia Baptiſmatis Officia, Cryptoſerratenſe Beſſarionis, & Barberinum S. Marci apud laudatum Goar pag. 292. & 295. editionis Venetæ: *Et tunc inungitur ex eodem Oleo a Diaconis per totum corpus*.

§. XV.

Hic deponit Stolam violaceam, & ſumit aliam albi coloris.

§. XVI.

Subinde pollicem, & inuncta loca abſtergit bombacio, vel re ſimili, & interrogat expreſſo nomine baptizandum, Patrino reſpondente. *N. credis In Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem Cæli, & terræ*. ℟. *Credo. Credis in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum, Dominum noſtrum, natum, & paſſum?* ℟. *Credo. Credis & in Spiritum Sanctum, Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem, carnis reſurrectionem, & vitam æternam?* ℟. *Credo*.

COMMENTARIUS.

I. SEquor editionem Ritualis Romani juſſu Sanctiſſimi Domini noſtri BENEDICTI XIV. Romæ factam anno MDCCLII. in qua poſt deſcriptam formulam in unctione pectoris, & inter ſcapulas baptizandi, pronunciandam, *Ego te linio Oleo ſalutis &c.* ſequuntur ſtatim præſentes Paragraphi juxta ordinem a nobis deſcriptum; nam alias juxta editionem Romani Ritualis Patavinam anni MDCCXXXIV. in interiori margine paginæ 15. ubi legitur §. *Subinde pollicem &c.* legitur etiam §. *Hic deponit Stolam violaceam &c.* Quicquid autem de

ea

ea re ſit, puto equidem, facta inunctione, debere prius Sacerdotem pollicem ſuum, & inuncta infantis loca bombacio abſtergere, & deinde Stolam violaceam deponere, & aliam albi coloris ſumere; non enim decet, ut pollice ſacro Oleo inuncto, Stolas ambas tangat, & poſtea illum abſtergat. Porro notandum, quod ait noſter §. xv. *Deponit Stolam violaceam, & ſumit aliam albi coloris*; ſat enim ſignificat, duas Stolas diſtinctas, primam violacei coloris, albi alteram, eſſe adhibendas, non vero unicam verſicolorem, ſeu quæ ex una parte ſit coloris violacei, ex altera vero albi: nec enim ait noſter §. *vertit*, ſed *deponit Stolam violaceam, & ſumit aliam albi coloris*. Atque huc ſpectat quod ſtatuit S. Carolus in Concilio Provinciali v. Mediolanenſi, Conſtitutionum Parte 1. Cap. *De iis quæ ad Baptiſmum pertinent*, ut nempe Parochus, aut is, cui ille, Epiſcopuſve nominatim conceſſerit, *in hoc miniſterio non alterius cujuſquam, ſed albi coloris Stola utatur*. Quamobrem non puto Stolam auream, vel aliam, quæ non ſit omnino albi coloris, adhibendam.

II. His notatis, deſcendo ad enarrandum §. noſtrum xvi. in quo agitur de interrogatione circa Fidem, ejuſdemque profeſſione, cujus ritus paſſim non modo antiqui Sacramentorum Codices, ſed & Sancti Patres mentionem faciunt. Ut enim omittam Philippi Diaconi exemplum, qui, ut legitur in Actis Apoſtolorum, Cap. viii. non prius baptizavit Candacis Reginæ Eunuchum, quam is Fidem profeſſus fuit, inſignis eſt eo de ritu locus in Epiſtola lxx. S. Cypriani ad Januarium, & cæteros Epiſcopos Numidas, de baptizandis hæreticis, ubi ſic inquit: *Sed & ipſa interrogatio, quæ fit in Baptiſmo, teſtis eſt veritatis. Nam cum dicimus*; Credis in vitam æternam, & remiſſionem peccatorum per Sanctam Eccleſiam? *intelligimus remiſſionem peccatorum nonniſi in Eccleſia dari*. Ejuſdem ritus inter Latinos teſtes ſunt S. Hieronymus, & S. Ambroſius, quorum primus in Dialogo adverſus Luciferianos, ita habet: *Præterea cum ſolemne ſit in lavacro poſt Trinitatis confeſſionem interrogare*. Credis Sanctam Eccleſiam Catholicam? Credis remiſſionem peccatorum? Alter vero in Libro, *De myſteriis*, Cap. v. ſic inquit: *Deſcendiſti*, ſcilicet in Fontem, *recordare quid reſponderis, quod credas in Patrem, credas in Filium, credas in Spiritum Sanctum*. His adde S. Auguſtinum in Epiſtola xxiii. ad Bonifacium relata in Can. lxxv. De conſecratione, Diſtinctione iv. & in Libro, *De anima, & ejus origine*, Cap. 10. & Sermone ccxciv. Optatum Milevitanum Libro v. adverſus Parmenianum, S. Hilarium in Commentario ſuper Matthæum, & alios complures Patres Latinos.

III. Inter Græcos teſtis in primis antiquæ hujus obſervationis eſt S. Dionyſius Areopagita, vel alius ejus nomine Auctor Operis, *De Eccleſiaſtica Hierarchia*, Cap. ultimo, ubi tum etiam fuiſſe ait, qui myſteria noſtra irridebant, quod qui infantes offerunt, pro eis abrenunciant, & Fidei Sacramenta profitentur; quos tamen merito arguit, cum ita addit: *Non quod, ut illi ridentes dicunt, alium pro alio Divinis Sacris initiet. Non enim hoc ait*: Ego pro puero abrenuntio, aut promitto: *ſed puer abrenuntiat, & profitetur &c.* Teſtis S. Dionyſius Alexandrinus in Epiſtola ad Philemonem Eccleſiæ Romanæ Presbyterum apud Euſebium Lib. vii. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Cap. viii. ubi ait, Novatum *Fidem, & confeſſionem, quæ Baptiſmum præcedunt, evertere*. Et in Epiſtola ad Xiſtum Papam ibidem Cap. ix. ubi agit de quodam, qui ab hæreticis baptizatus, & in Eccleſia *interrogationes, reſponſioneſque* audiſſet, voluit baptizari iterum. Teſtes ſunt tandem duo Cyrilli, Alexandrinus, & Hieroſolymitanus, & hic quidem in Catecheſi II. Myſtagogica, ſic inquit: *Interrogatus eſt unuſquiſque, ſi credit in Nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & confeſſi eſtis ſalutarem Confeſſionem, & ter merſi eſtis*. Ille vero Lib. II. in Joannem Cap. lxiv. *Hinc*, ait, *Eccleſia regulam tertio interrogandi eos accepit, qui ad Baptiſmum accedunt, ut terna Chriſti confeſſione fidelibus adnumerentur*.

IV. Varias hujuſcemodi interrogationum, reſponſionumque de Fide formulas in Baptiſmi adminiſtratione, ex antiquis Sanctorum Martyrum Actis, Libriſque Ritualibus, & Pontificalibus recenſet Martene Lib. 1. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. 1. Articulo xiii. num. xiv. Ergo Acta S. Calixti Papæ & Martyris apud Surium die xiv. Octobris, ubi Palmatii Baptiſmum deſcribunt, ſic eum ritum exprimunt: *Credis ex toto corde Deum Patrem Omnipotentem factorem omnium viſibilium, & inviſibilium?* Reſpondit Palmatius: *Credo*. Deinde Epiſcopus: *Et in Jeſum Chriſtum Filium ejus?* Et ait: *Credo*. Iterum Epiſcopus ait: *Qui natus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine?* Palmatius reſpondit: *Credo*. Ait Epiſcopus: *Et in Spiritu Sancto, Sanctam Eccleſiam Catholicam, remiſſionem peccatorum, & carnis reſurrectionem?* Et exclamavit cum lacrymis Palmatius, dicens: *Credo Domine*. Similia his ſunt, quæ leguntur in Actis S. Stephani Papæ & Martyris apud Baronium ad annum cclix. ubi de Nemeſii, ejuſque Filiæ Baptiſmo ſic habet: *Et ad filiam Nemeſii converſus*, Credis, *ait*, in Deum Patrem Omnipotentem? *Reſpondit*: Credo. Et in Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum? *Reſpondit*; Credo. Remiſſionem peccatorum omnium? *Reſpondit*: Credo. Carnis reſurrectionem? *Reſpondit*: *Credo Domine*. Itemque illa, quæ extant in Actis S. Savini Epiſcopi & Martyris in Baluzii Miſcellaneorum Tomo II. ubi Venuſtiani Baptiſmus ita deſcribitur: *Credis in Deum Patrem Omnipotentem?* Reſpondit Venuſtianus. *Credo. Et in Chriſto Jeſu Filio ejus?* Reſpondit: *Credo. Et in Spiritu Sancto?* Reſpondit Venuſtianus: *Credo. Et in eum, qui paſſus eſt, & reſurrexit?* Reſpondit Venuſtianus: *Credo. Et in eum, qui aſcendit ad Cælos, & iterum venturus eſt judicare vivos, & mortuos, & ſæculum per ignem?* Dixit: *Credo. Et in adventu ipſius, & Regnum ejus, in remiſſionem peccatorum, & carnis reſurrectionem?* Venuſtianus reſpondit: *Credo in Chriſtum Dei Filium, qui me illuminet*.

V. Quamquam vero in omnibus Sacramentorum Libris præſcripta reperiatur interrogatio de Fide, ejuſque profeſſio ante Baptiſmum, variant tamen non nihil, uti non modo ex allegatis hactenus liquet, verum etiam ex aliis pluribus relatis a Martene, citato Lib. 1. Cap. 1. Articulo xviii. per totum. Certe ex veteri Miſſali Gallicano a Cardinale Thomaſio edito ſic ea formula exprimitur: *Credis Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum unius eſſe virtutis?* ℞. *Credo*.

Cre-

Credis Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum ejuſdem eſſe poteſtatis ℞. *Credo*. *Credis Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum trinæ veritatis, manente ſubſtantia, Deum eſſe perfectum?* ℞. *Credo*. In antiquo autem Sacramentorum Libro Gelaſii Papæ ab eodem Thomaſio edito ex ms. Codice annorum circiter mille hunc in modum interrogatio legitur: *Credis in Deum Patrem Omnipotentem?* ℞. *Credo*. *Credis in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum, natum, & paſſum?* ℞. *Credo*. *Credis & Spiritum Sanctum, Sanctam Eccleſiam, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem?* ℞. *Credo*. Rurſus in eodem Sacramentorum Libro Gelaſii Papæ, atque in ms. Codice Bibliothecæ Colbertinæ, & in alio Bibliothecæ Regis Francorum, atque in Noviomenſi ante annos CM. ſcriptis, poſt *carnis reſurrectionem*, legitur, *& vitam æternam*, & ℞. *Amen*; ac illud etiam edicitur, ut cum fiunt interrogationes, per ſingulas vices baptizandus tertio in aquam mergatur. Porro eſſe & ritum antiquum illum, ut, quemadmodum in noſtro §. XVI. edicitur, Sacerdos interroget *expreſſo nomine baptizandum, Patrino reſpondente*, N. *Credis &c.* conſtat plane ex antiquo Sacramentario Gallicano, quod ex ms. Bobienſi annorum MC. vulgavit Mabillonius Tomo I. Muſei Italici, & ex aliis multis a Martene deſcriptis citato Articulo XVIII. Quinimo juxta ms. Codicem Gemmeticenſem annorum circiter DCCC. Sacerdos interrogaturus de Fide, ita primum interrogabat infantem: *Quis vocaris?* Et reſpondente Patrino nomen infantis, Sacerdos ponebat manum ſuper infantis caput, & interrogabat: *Credis in Deum Patrem Omnipotentem &c.*

VI. Sunt & alia quædam circa hanc Fidei interrogationem notanda ex laudato Martene, Articulo XIII. num. XV. Primo ait, quod in Parvulorum Baptiſmo, non in ſecunda, ſed in tertia perſona proferretur, probatque auctoritate S. Auguſtini in Epiſtola XCVIII. ad Bonifacium juxta editionem PP. Benedictorum S. Mauri: *Interrogamus eos*, ait, *a quibus offeruntur &c. Dicimus, Credit in Deum &c.* Et Sermone CCXCIV. ubi ait Sanctus Pater, quod infans *ad verba aliena ſanatur, quia ad factum alienum vulneratur*. Credit in Jeſum Chriſtum? *ſit interrogatio*. *Reſpondetur*: Credit &c. Confirmatque ex antiquo Sacramentario Gallicano a laudato Mabillonio edito; in quo quidem Sacerdos ita interrogat: *Credit in Deum Patrem &c.* Sed pace tanti Scriptoris, non ſemper, & ubique ſervata hæc regula fuit, ut interrogatio in infantium Baptiſmo in tertia perſona fieret; in multis enim Ritualibus Libris, quos ipſe affert citato Articulo XVIII. factam fuiſſe legitur prædictam interrogationem in perſona ſecunda. Conſtat id quidem ex memoratis ſuperius Libro Sacramentorum Gelaſii, Papæ, ex ms. Codice Colbertino, ex Regio, & Noviomenſi annorum circiter mille, ubi Sacerdos ita interrogat: *Credis in Deum Patrem &c.* Loqui autem hos Libros de Baptiſmo infantium, ex eorum contextu patet. His adde ms. Codicem S. Remigii Remenſis ejuſdem ætatis, ms. Codicem Parthenonis B. Mariæ Calenſis in Diœceſi Pariſienſi annorum circiter CM. alioſque multos, qui loquentes pariter de Baptiſmo infantium formulam ipſam eſſe in perſona ſecunda recitandam præſcribunt.

VII. Secundo, graſſante aliqua hæreſi, mos plane fuit, ut Articuli Fidei pravis illius erroribus oppoſiti baptizandis ſpecialiter proponerentur, ut addiſcere licet ex Epiſtola Nicetii ad Juſtinianum Imperatorem apud Cheſnium Tomo I. *Hiſtoriæ Francorum*, ubi ita ſcribit: *Dulcis, & dulcis noſter Juſtiniane, rememorare, quæ promiſiſti, cum baptizatus es, quid per ſingula te credere dixiſti, unum Filium manentem in duabus ſubſtantiis cum Patre & Spiritu Sancto, non duos Chriſtos teſtatus es*. Quæ quidem profeſſio impium Neſtorii dogma condemnat, qui duas in Chriſto perſonas aſſerebat, duoſque eſſe Chriſtos docebat, unum Filium Dei, & Filium hominis alterum; ac proinde Beatam Virginem Mariam, non Dei, ſed hominis Matrem eſſe, ac dicendam non Theotochon, ſed Criſtotochon. Nonnulli quoque hæretici eos, quos baptizabant, ſub jurejurando ſoliti fuerunt adigere, nunquam ſe a pravis, quibus adhærebant, dogmatibus receſſuros, ut de Aetianis narrat Epiphanius Hæreſi LXXVI. Sicque Eudonius, teſte Theodorito Lib. IV. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Cap. III. *cum Valentem Baptiſmi Sacramento initiaret, jurejurando miſerum obſtrinxit ad hoc ut in impietate dogmatis perſeveraret, contraria ſentientes omnibus locis expelleret*.

VIII. Tertio, prædictam interrogationem eo præſertim fieri tempore conſueviſſe, cum jam baptizandi deſcendiſſent in Fontem, ut ſacro lavacro abluerentur, conſtat plane ex Actis S. Geneſii apud Ruinartium ſic ad Imperatorem loquentis: *At ubi me aqua nudum tetigit, interrogatus, credere me reſpondi*; itemque ex Actis S. Calixti Papæ & Martyris, in quibus Palmatius de Fide interrogatus dicitur, cum jam deſcendiſſet in pelvim. Atque his concinit S. Ambroſius in Libro, *De Myſteriis*, Cap. V. ubi ſic ait: *Deſcendiſti*, ſcilicet in Fontem, *recordare quid reſponderis, quod credas in Patrem, credas in Filium, credas in Spiritum Sanctum*. Conſtat idem ritus ex variis antiquiſſimis Sacramentorum Libris, ac præſertim ex illo Gelaſii Papæ a Cardinale Thomaſio edito, in quo memoratis interrogationibus de Fide hæc rubrica præfixa eſt: *Benedicto Fonte, baptizas unumquemque in ordine ſuo ſub his interrogationibus*: *Credis in Deum &c.* Tum vero ſequitur: *Deinde per ſingulas vices mergis eum tertio in aqua*. Similia leguntur in multis aliis Ritualibus a Martene deſcriptis citato Articulo XVIII. ubi varios ad conferendum Baptiſmum Ordines tum veteres, tum recentiores refert, ex quibus etiam & illud addiſcimus, in parvulorum Baptiſmo ad interrogationes de Fide conſueviſſe Patrinos reſpondere.

IX. Cæterum puellarum, feminarumque Baptiſmati præſentes adſtitiſſe Diaconiſſas, quæ baptizandis, quomodo reſpondendum eſſet interroganti, ſuggerebant, docet nos plane Canon XII. Concilii IV. Carthaginenſis anni CCCXCVIII. qui ita habet: *Viduæ, vel Sanctimoniales, quæ ad miniſterium baptizandarum mulierum eliguntur, tam inſtructæ ſint ad officium, ut poſſint apto, & ſano ſermone docere imperitas, & ruſticas mulieres tempore, quo baptizandæ ſunt, qualiter baptizatori interrogatæ reſpondeant*. Atque hic nota, Viduas, vel Sanctimoniales, quæ etiam Diaconiſſæ dicebantur, de quibus, ſicut & de earum variis muniis diximus nos non uno in loco Commentariorum noſtrorum ad Concilia Oecumenica, & ad Romanum Pontificale, adhibitas olim fuiſ-

fuiſſe tam pro Baptiſmo feminis ſubminiſtrando, quam pro erudiendis in Fide, & moribus ruſticis mulieribus, atque imperitis. Nudæ nempe mulieres, & puellæ, in Baptiſterium cum deſcenderent, interpoſito penſili ante oculos velo, Miniſtrorum pudori utcumque conſultum eſt, adhibita tamen quavis cautione, cum fieri vix poſſet, quin eorundem Miniſtrorum conſpectum aliquid læderet.

X. Notandum præterea & illud circa ipſas Fidei interrogationes, fieri illas, ſicut & abrenunciationem Satanæ, de qua ſuperius diximus in Commentario ad §. XIII. debuiſſe lingua materna, ſeu vernacula, uti mandant S. Bonifacii Moguntini Archiepiſcopi Statuta, quæ extant Tomo IX. Spicilegii Dacheriani num. XXVII. ubi ſic edicitur: *Nullus ſit Presbyter, qui in ipſa lingua, qua nati ſunt, batizandos, abrenuntiationes, vel confeſſiones, aperte interrogare non ſtudeat, ut intelligant, quibus renuntiant, vel quæ confitentur, & qui taliter agere dedignantur, ſecedant a Parochia.*

§. XVII.

Subinde expreſſo nomine baptizandi, Sacerdos dicit: N. *vis baptizari?* Patrinus reſpondet: *Volo*.

§. XVIII.

Tunc Patrino, vel Matrinæ, vel utroque, ſi ambo admittantur, infantem tenente, Sacerdos vaſculo, ſeu urceolo, accipit aquam baptiſmalem, & de ea ter fundit ſuper caput infantis in modum Crucis, & ſimul verba proferens ſemel tantum, diſtincte, & attente dicit: *N. Ego te baptizo in Nomine Patris* ✠, fundat primo, *& Filii* ✠, fundat ſecundo, *& Spiritus* ✠ *Sancti*, fundat tertio.

COMMENTARIUS.

I. Peracta Fidei profeſſione, de qua fuſe jam differui in Commentario ſuperiori, ex præſcripto veterum, recentiorumque Ritualium, quibus merito conſentit noſter §. interrogatur mox baptizandus, num velit baptizari, pro eoque, ſi infans ſit ille, qui Baptiſmum eſt ſuſcepturus, reſpondet Patrinus, *Volo*. Patrinorum quippe, quos, ut ſuo loco adnotavimus, Scriptores antiqui, ac Rituales Codices appellant Suſceptores, Sponſores, Fidejuſſores, Compatres, Patres Spirituales, Offerenteſque, inſtituendorum cauſa præſertim fuit, ut baptizandos Epiſcopo offerrent, eoſdem de rebus neceſſariis inſtruerent, Fidem pro eis profiterentur, abrenunciationem ſponderent, idque maxime erga infantes præſtarent, ut ex S. Joanne Chryſoſtomo addiſcimus, qui in Pſalmum XIV. ita inquit: *Statim Sacerdos exigit ab infirma ætate pacta conventa, & minoris ætatis Fidejuſſorem Suſceptorem interrogat.*

II. Porro autem quod invito, penituſque contradicenti adminiſtrari Baptiſmus non poſſit, ideo ex præſcripto noſtri §. XVII. *expreſſo nomine baptizandi Sacerdos dicit*, baptizando ſcilicet, *N. vis baptizari?* Atque id eſt, quod recentia non modo, ſed & antiqua Ritualia præſcribunt, ut nempe etiam in infantum Baptiſmo fiat hujuſmodi interrogatio, *Vis baptizari?* Ita plane docent ms. Codex S. Remigii Remenſis annorum M. ms. Liber Sacramentorum Monaſterii Moiſacenſis, poſtea Bibliothecæ Colbertinæ, annorum circiter CM. Gemmeticenſis, annorum DCCC. Pontificalis Codex Eccleſiæ Apamienſis, annorum circiter DC. & alii paſſim recentes Libri Rituales. Ceterum ex antiquo Rituali Eccleſiæ Lemovicenſis, *Presbyter, quæſito pueri nomine, dicit*: Quid petis? ℟. *Patrini*: Baptiſmum. *Presbyter ſubjungit*: Vis baptizari in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti? ℟. Volo. Ex vetuſtiſſimo autem Miſſali Gallicano a Cardinali Thomaſio edito baptizandi voluntas a Sacerdote ſic explorabatur: *Baptizo te?* Reſpondebat ille: *Baptiza*. Si quis autem hic roget, cur, cum Baptiſmum adminiſtrare oportet, quærit Sacerdos ab eo, qui baptizandus eſt, num baptizari velit? rationem plane docet Tridentini Concilii Catechiſmus, Parte II. *De Baptiſmi Sacramento*, num LX. §. *Sed enim*, ubi ſic inquit: *Quemadmodum enim homo ſua voluntate ſerpenti obediens, merito damnatus eſt; ita Dominus neminem in ſuorum numerum, niſi voluntarium, militem adſcribi voluit, ut divinis juſſis ſponte obtemperans, æternam ſalutem conſequatur.*

III. Reſponſo per Patrinum, *Volo*, tunc, ut ait noſter §. XVIII. *Patrino, vel Matrina, vel utroque, ſi ambo admittantur, infantem tenente, Sacerdos vaſculo, ſeu urceolo, accipit aquam baptiſmalem, & de ea ter fundit ſuper caput infantis in modum Crucis &c.* Ubi per modum effuſionis, de quo late ſuo loco diximus, Baptiſmus adminiſtratur, *ne manus, ſed vas, quod ob eam cauſam paratum in Fonte Baptiſmali, ejuſve Ciborio aſſervari debet, adhibeatur*, ſtatuit jam S. Carolus in Concilio Mediolanenſi Provinciali IV. Conſtitutionum Parte II. Capite. *Quæ pertinent ad Sacramentum Baptiſmi*. Eſſe autem antiquum ritum, ut in hujuſmodi Baptiſmo, vas, ſeu urceus, cochlear, aliudve ſimile inſtrumentum adhibeatur, dictum etiam a nobis non uno in loco ſuperius fuit. Ter autem fundendam aquam eo inſtrumento ſuper caput infantis in modum Crucis, ab ipſoque Miniſtro ſimul verba proferenda ſemel tantum, diſtincte, & attente formæ Baptiſmi, *N. ego te baptizo in Nomine Patris* ✠ *&c.* præſcribunt plane Libri omnes Rituales veteres æque, atque recentiores, tametſi in quibuſdam nonnulla ei formæ adjuncta ſint verba, quæ illius ſubſtantiæ minime obſunt.

IV. Ergo in Miſſali Gothico Gallicano a Cardinale Thomaſio edito hæc extat forma Baptiſmi: *Baptizo te ill. in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti in remiſſionem peccatorum, ut habeas vitam æternam. Amen*. In veteri autem alio Gal-

licano Miſſali ab eodem Cardinali vulgato: *Baptizo te credentem in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut habeas vitam æternam in ſæcula ſæculorum*. In antiquo Sacramentario Gallicano, quod ex ms. Bobienſi annorum MC. vulgavit Mabillonius Tomo I. Muſei Italici: *Baptizo te in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, unam habentem ſubſtantiam, ut habeas vitam æternam, partem cum Sanctis*. Verba illa, *in remiſſionem peccatorum*; & alia, *ut habeas vitam*, ſive dictio illa, *Amen* in fine formæ leguntur quidem in multis Ritualibus, quæ videri poſſunt apud Martene Lib. I. Cap. I. Articulo XVIII. ubi varios Ordines ad conferendum Baptiſmum recenſet, ex quibus etiam addiſcimus, adminiſtrari olim conſueviſſe paſſim Baptiſmum per immerſionem, trinam ſcilicet, ac eo prorſus ritu, quem noſter §. præſcribit: *Baptizat eam*, inquit ms. Codex antiquus Gellonenſis, *ſub trinam merſionem, tantum Sanctam Trinitatem ſemel invocans, ita dicendo*. Baptizo te in Nomine Patris, *& mergit ſemel*. Et Filii, *& mergit iterum*. Et Spiritus Sancti, *& mergit tertio, aut conca perfundit*. Conca iſta forte vas erat, quod adhibebatur in Bsptiſmo per effuſionem, ubi ſcilicet deeſſet aqua ad merſionem neceſſaria, vel immineret ex immerſione periculum babtizando infanti, ſive alias ob cauſas, quas memorat Concilium Provinciale VI. Beneventanum anni MCCCLXXIV. Tit. IV. Cap. V. §. *Idem dicimus*.

V. Quicquid de ea re ſit, ritui ex Codice Gellonenſi deſcripto conſentiunt quidem multi alii priſci Rituales Codices a prædicto Martene allati, in quibus quidem nulla mentio fit faciendæ immerſionis in modum Crucis, quem tamen ritum præſcriptum reperio in Baptiſmo per effuſionem ex antiquo Rituali Eccleſiæ Lemovicenſis, ubi ita lego: *Dicit Presbyter puero*, Et ego baptizo te in Nomine ✠ Patris, *infundendo ſimul aquam ſuper caput ejus*. Et ✠ Filii, *ſimul*. Et Spiritus ✠ Sancti. Amen, *ſimul & tertio*. Porro in Rituali Ambroſiano juſſu Cæſaris Montii Cardinalis, & Archiepiſcopi Mediolanenſis in Ordine Baptiſmi parvulorum ritus etiam ipſe ſtatuitur, ut ter fiat immerſio in modum Crucis: *Deinde Parochus infantem ſupinum a Patrino ſublatam utraque manu excipit, itaut dextera capiti ejus propior ſit, tum ter occiput mergit in aqua in Crucis formam; & mergendo, ſi certum ſcit, illum non eſſe baptizatum, explicate profert*: N. Ego te baptizo in Nomine Patris ✠, & Filii ✠, & Spiritus ✠ Sancti, Amen. Idem habemus ex Rituali Cadomi anno Christi MDCXIV. edito, Titulo, qui inſcriptus eſt, *Modus baptizandi ſecundum Eccleſiam Romanam*, ubi ſic inquit: *Baptizet Sacerdos infantem ſub trina immerſione Sanctam Trinitatem ſemel invocans, & dicens*: Et ego te baptizo in Nomine Patris ✠, *& mergat ſemel*. Et Fi ✠ lii, *& mergat iterum*. Et Spiritus ✠ Sancti, *& mergat tertio*.

VI. Plura de Baptiſmi forma, ſicut & de duplici modo baptizandi per immerſionem, vel effuſionem, ſupra ſuis locis tradidi, ſed non cenſui omittendum hoc loco, quod docet S. Thomss circa mutationem in ipſam legitimam Baptiſmi formam in §. noſtro præſcriptam, quæ invalidum reddit Baptiſmum. Sic enim ille in Libri IV. Sententiarum, Diſtinctionem III. Articulo II. Quæſtinne III. in Corpore: *Si ſubtrahatur aliquod, quod ſit de eſſentia formæ, certum eſt, quod non eſt Baptiſmus, & ille, qui baptizat, graviter peccat; quia apud omnes invocatio Trinitatis eſt de eſſentia formæ, ideo hoc nullo modo ſubtrahi poteſt. Sed quidam dicunt, quod expreſſio actus non eſt de ſubſtantia formæ; unde ſi ſubtrahatur, facta ſola Trinitatis invocatione, erit Baptiſmus. Sed contra hoc eſt Decretalis Alexandri Papæ III. quod ſiquis puerum in aqua merſerit, dicendo*: In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, *ſi non dicat*, Ego te baptizo, *non eſt puer baptizatus; oportet enim, quod per formam virtus Trinitatis invocatæ ad materiam propoſitam determinetur, quod fit in expreſſione actus. Similiter expreſſio perſonæ baptizatæ eſt de ſubſtantia formæ, quia per eam determinatur actus ad hunc Baptiſmum; & ideo ſi ſubtrahatur, non erit Baptiſmus; ſed expreſſio perſonæ baptizantis dicitur, quod non eſt de forma quantum ad neceſſitatem Sacramenti, ſed ex inſtitutione Eccleſiæ, ut intentio magis feratur ad actum illum, & ideo, ſi omittatur, erit Baptiſmus, ſed peccat omittens*. Porro ex Sacerdotali Romano Venetiis edito anno MDLXVII. Parte I. Tractatu I. Cap. *Quæ ſit forma Baptiſmi &c.* illud addiſcimus, quod dictio *Amen*, in fine formæ, *ubi conſuevit dici, nullo modo debet prætermitti; ſi tamen prætermittatur, eſt Baptiſmus, tamen omittens peccat*.

VII. Sed omiſſis variis Quæſtionibus, quæ circa formam Baptiſmi a Theologis diſcuti ſolent, notandum ſummopere, quod ait hic noſter §. XVIII. ut nimirum quum Baptiſmi Miniſter aquam ter ſuper caput infantis in modum Crucis effundit, *ſimul* verba proferat, *ſemel tantum, diſtincte*, & *attente*. Adverbium *ſimul* illud plane ſignificat, ut nulla fiat in ipſa forma interruptio, dum aqua effunditur, nam, ut citans Sanctum Thomam docet Sylveſter, verbo *Baptiſmus* I. num. 5. ſi ita ſit, ut intercipiat intentionem baptizantis, non valet Baptiſmus; ſicut ſi dicatur *in Nomine Patris*, & interpoſita longa fabula diceretur, *& Filii &c.* Si autem fuerit parva, ut puta verbi non corrumpentis formam, veluti dicendo, *in Nomine Patris Omnipotentis*; aut interruptio ſilentii, vel tuſſis, aut hujuſmodi, quod intentionem non diſcontinuet, validus erit Baptiſmus. Et idem eſt, ſi incœpta forma, dicat, *taceatis*, vel hujuſmodi. Atque hæc eſt communis Theologorum, & aliquorum Ritualium ſententia, quæ confirmari etiam poteſt ex Concilio Provinciali VI. Beneventano anni MCCCLXXIV. Tit. IV. Cap. III. ubi diſerte ait, quod Baptiſmi validitati *mora naturalis, & compendioſa, puta tuſſiendo, reſpirando, vel ſcreando non obeſt*; itemque ex Sacerdotali Romano Venetiis edito anno MDLXVII. Parte I. Tractatu I. Cap. IV. *Si vero pauca diſtantia ſit, ut ſi diceret adſtantibus*, tacete, *vel excrearet, aut ſpueret, eſt verus Baptiſmus*.

VIII. Explicandum nunc illud, quod ſubdit noſter §. mandat quippe, & opportune quidem, ut *ſemel tantum* Miniſter ſcilicet Baptiſmi verba formæ proferat. Facile enim imperitus quiſpiam in trina illa aquæ baptiſmalis effuſione ſuper caput infantis, quam §. noſter præſcribit, ter etiam formam pronunciare potuiſſet; atque in hunc errorem inciderant olim Eccleſiæ Hiſpanicæ, quæ, ut notat Martene Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. I. Articulo XIV. num. XIV. formam ter, hoc eſt ad ſingulas tinctiones ſemel

re-

Digitized by Google

repetebaut; in quas ea de re vehementius excandeſcit Alcuinus in Epiſtola ſua CLXXXI. ad Panlinum Patriarcham, de qua jam uos etiam mentionem ſecimus.

§. XIX.

Ubi autem eſt conſuetudo baptizandi per immerſionem, Sacerdos accipit infantem, & advertens, ne lædatur, caute immergit, & trina merſione baptizat, & ſemel tantum dicit: *N. Ego te baptizo in Nomine Patris* ✠, *& Filii* ✠, *& Spiritus* ✠ *Sancti*.

COMMENTARIUS.

I. TRibus modis conſerri poſſe Baptiſmum, & quidem juxta probatam Eccleſiæ diſciplinam, per immerſionem ſcilicet, effuſionem, & aſperſinnem, jam dictum a nobis ſuperiua ſuit, docetque inter alios S. Thomas, Parte III. Quæſtione LXII. Articulo VII. in Corpore, ſic inquieus: *Aqua ſumitur in Sacramento Baptiſmi ud uſum ablutionis corporalis, per quam ſignificatur interim ablutio peccatorum; ablutio autem fieri poteſt per aquum, non ſolum per modum immerſionis, ſed etiam per modum aſperſionis, vel effuſionis; & ideo quamvis tutius ſit baptizare per modum immerſionis, quia boc babet communior uſus, poteſt tumen fieri Baptiſmus per modum aſperſionis, vel etiam per modum effuſionis ſecundum illud Ezecbielis* III. Effundam ſuper vns aquam mundam. *Sicut Beatus Laurentius legitur baptizuſſe, eum ab eo in craticula ſuperpoſito ſe baptizari Sanctus Romanus petiiſſet. Et boc præcipue propter neceſſitatem, vel quia eſt multitudo baptizundorum, ut patet* Actorum II. *ubi dicitur, qaod crediderunt una die tria millia, & alia die quinque millia. Quandoque nutem poteſt imminere neceſſitus propter paucitatem aquæ, vel propter debilitatem Miniſtri.*

II. Porro ſi Librns Rituales conſulamus, conſtat plane ex omnibus, quoa vidi, vidi autem complures, dari Baptiſmum per immerſionem, ſi forte nnum excipias, quem citat Martene Lib. I. Cap. I. Articuln XIV. num. VI. Cenomanenſem ad uſum Eccleſiæ S. Mariæ Magdalenæ Bellilocenſis exaratum, cujns caracter CCC. annna vix ſuperare videtur. In en ſiquidem hæc legnntur: *Tane Sacerdos accipiat uquam in balcbino, & integret nomen infautis, & mittat ter ſuper capat ejus, dicendo: N. ſi tu non fuiſti baptizatus, Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.* In Concilin Ravennatenſi anni MCCCXI. utraque, & immerſio, & ſuperfuſio ad arbitrinm Miniſtri proponitur. Quicquid ſit de tempore, quo invalere cœperit effuſionia uſua in Baptiſmi adminiſtratione, invaluit quidem propter neceſſitatem, ut docet S. Thomas, cui conſeuſit inter alia Concilium Provinciale VI. Beneventanum anno Chriſti MCCCLXXIV. Tit. IV. Cap. V. ubi Baptiſmum per immerſionem retinens, ita tamen ſtatuit: *Si autem tanta copia de aquu baberi non poteſt, ut infans in ea totaliter immergi poſſit, vel forte ſimiliter mergi timeatur, ob frugilitatem pueri, quod ex totali immerſione mortem poſſet incurrere, vel propter imbecillitatem Sacerdotis non potentis ſuſtentare infantem, vel propter conſuetudinem Eccleſiæ, qua boc patitur, eum ſcutella, vel ſcypbo, vel alio vaſe, quantitat aqaæ ſuper capat infantis effundatur u baptizante, & effundenda dicat baptizans:* Ego te baptizo in Nominc Patria, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen; *& erit infans baptizatus.*

III. Ex recitatn hactenus loco jam illnd addiſcimus, viguiſſe Seculo XIV. eam in aliquibus Eccleſiis conſnetudinem, baptizandi per effuſinuem, etiam ubi per immerſinnem cnnferri potuiſſet Baptiſmus. Sicut autem Eccleſia eam conſuetudinem tunc minime imprnbavit, ita nec hodie iſtam, ubi ſcilicet vigeat, uti patet ex noſtrn §. ex cujus præſcripto *Sacerdos accipit infantem, & advertens, ne lædatnr, cunte immergit, & ſemel tantum, dicit*: N. Ego te baptizn in Nomine Patria ✠, &c. Atque hic ritus ſervatur hodie in Eccleſia Mediolanenſi ex Ritnali Ambroſiano juſſu Cæſaris Montii Cardinalis, & Archiepiſcopi Mediolanenſis editn, atque ex Inſtructionibns S. Caroli, *De Baptiſmi adminiſtratione*, in Ordine Baptiſmi parvulorum, ubi etiam cdicitur, ut trina fiat immerſio in modum Crucis: *Deinde Parocbus infuntem ſupinum u Patrino ſublatum utraque manu excipit, itant dextera capiti ejus propior ſit, tnm ter oceiput mergit in uqua in Crucis formam, & mergendo, ſi certe ſcit, illum non eſſe baptizatam, explicate profert*: N. Ego te baptizo &c. Atque hnnc ritum baptizandi per immerſionem ſervavit Benedictus XIII. tum Beueventi, ubi diu Archiepiſcopus ſuit, tum Romæ etiam factns Pontifex Maximus, ubi inuumeros pene baptizavit.

§. XX.

Mox Patrinus, vel Matrina, vel uterque ſimul inſantem de Sacro Fonte levant, ſuſcipientes illum de manu Sacerdotis.

COMMENTARIUS.

I. PErſpicua ſunt, quæ in hoc ſtatuuntur §. nihilque eſt, qund in ipſum dicamus, niſi quod præſcripſit laudatum ſuperius Rituale Ambroſianum, ſic inquiens: *Compater autem poſtremo mauam infanti ſupponit, atque ita teuet, at Orientem ſpectet.* Atque hoc eſt veſtigium quoddam antiquiſſimi Eccleſiæ inſtitnti; quod euim Orieua ſona velut quidam luminis ha-

haberetur, atque Occidens eſſet hieroglyphicum tenebrarum, inde etiam ea vetus fuit in Eccleſia obſervatio, ut Baptiſmate inſtiandi, diabolo prius renuntiaturi, Occidentem verſus ſtatuerentur, ſicque poſiti tertio illa renunciantium verba proferrent; iidemque poſtea Chriſtum Dominum confeſſuri, ad Orientem converſi, totidem vicibus facerent; quod teſtantur S. Dionyſius Areopagita, ſive ejus nomine Auctor Operis, *De Eccleſiaſtica Hierarchia*, Lib. II. Parte II. Cap. II. & S. Cyrillus Hieroſolymitanus, Catecheſi I. Vide Baronium ad annum Chriſti LVIII, & Stephanum Duranti, Lib. I. *De ritibus Eccleſiæ Catholicæ*, Cap. III. num. III. & IV. ubi fuſe enarrat ritum conſtruendi Templa ad Orientem, rationemque ex Patribus tradit, cur priſci Chriſtiani, cum publice orarent, ad Orientem aſpicerent. Ceterum quod ait hic noſter §. ut peracto ſcilicet Baptiſmo per immerſionem, Sacerdos infantem Patrino, vel Matrinæ, vel utrique ſimul ſuſcipiendum tradat, eo plane ſpectat, quod mox eum Sacerdos debet in vertice capitis ſacro Chriſmate inungere, ut dicetur infra in §. XXII.

§. XXI.

Si vero dubitatur, an infans fuerit baptizatus, utatur hac forma: *N. ſi non es baptizatus, ego te baptizo in Nomine Patris ✠, & Filii ✠, & Spiritus ✠ Sancti.*

COMMENTARIUS.

I. TAmetſi de Baptiſmo ſub conditione adminiſtrando, ubi ſcilicet dubitatur, an infans fuerit baptizatus, jam ſupra non uno in loco dixerimus, quia tamen de eo iterum dicendi nobis in præſenti §. ſe præbet occaſio, ideo iterum in hoc Commentario de eodem argumento nonnulla dicemus. Ergo ſi veterem diſciplinam inſpiciamus, ii profecto, de quibus dubitabatur, an eſſent baptizati, incunctanter baptizabantur, uti ex Canone VI. Concilii V. Carthaginenſis anni CCCXCVIII. addiſcimus: *Placuit de infantibus, quoties non inveniuntur certiſſimi teſtes, qui eos baptizatos eſſe ſine dubitatione teſtentur, neque ipſi ſunt per ætatem idonei de traditis ſibi Sacramentis reſpondere, abſque ullo ſcrupulo eos eſſe baptizandos, ne iſta trepidatio eos faciat Sacramentorum purgatione privari.* In hoc Canone, quem memorati Concilii Patres conſulti a Legatis Maurorum, qui multos tales a barbaris redimebant, ediderunt, jam illud in primis notandum eſt, expreſſe decerni, illos abſolute, & abſque ulla conditione ſalutari lavacro abluendos. Eandem diſciplinam docuerunt jam paſſim Patres, & aliæ Synodi ſequioris ævi, cui inhærens Gregorius Papa II. in Epiſtola XIII. ad interrogata Bonifacii, ita reſpondit: *De parvulis vero, qui a parentibus ſubtracti ſunt, & an baptizati ſint, an non, ignorant, quia interrogaſti: hos ut baptizare debeas ſecundum Patrum traditionem, ſi non fuerit, qui teſtificetur, ratio poſcit.* Neque enim ſimpliciter baptizandos aſſerit Gregorius, ſed ſecundum Patrum traditionem. Eandem etiam fuiſſe Orientalis Eccleſiæ praxim, conſtat plane ex Can. LXXXIV. Concilii Trullani, in quem videri poteſt noſter Commentarius Tomo II. noſtrorum Commentariorum in Concilia Oecumenica.

II. Legitur paſſim in Conciliis, & apud Sacros Scriptores, quam facilis eſſet olim Eccleſia, tum Latina, tum Græca, ad Baptiſmum denuo eos excipere, & quidem abſolute, de quibus dubium eſſet, an revera baptizati eſſent; eamque diſciplinam confirmavit Alexander Papa III. in Capite II. *De Baptiſmo*, ubi tamen mandat, hanc in hujuſmodi dubie baptizatis cautelam eſſe adhibendam; ut nimirum ea conditio adhibeatur: *Si baptizatus es, non te baptizo; ſed ſi nondum baptizatus es, ego te baptizo &c.* Errant qui ipſum Pontificem exiſtimant primum hujus cautelæ Auctorem, longeque hallucinati ſunt, qui hujuſmodi formas conditionatas a Scholaſticis Theologis fuiſſe adinventas ajunt. Longe enim ante Scholaſticos, & certe longe ante annum Chriſti milleſimum, ejus clauſulæ meminit Iſaac Longonienſis Epiſcopus Titulo XI. Canone XVII. ubi ita habet: *De quibus dubium eſt, utrum ſint baptizati, an non, omnimodis abſque ullo ſcrupulo baptizentur, his tamen verbis præmiſſis: Non te rebaptizo; ſed ſi nondum baptizatus es, baptizo te in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Qui Canon excerptus eſt ex Libro VI. Capitularium Regum Francorum, Cap. CLXXXIV.

III. Quamquam vero poſt editum illud ab Alexandro III. Papa Decretum, generaliter ea forma ſub conditione invaluit, & præſertim poſtquam intravit in Theologiam Scholaſticam, atque in Decretales Gregorii IX. relatum fuit, fatendum nihilominus eſt, non ſtatim fuiſſe ab omnibus Eccleſiis acceptum. Quod enim poſt ipſum Alexandrum III. ea diſciplina ſimpliciter, & abſolute baptizandi dubie baptizatos, ſuperſtes adhuc fuerit in Anglia, docet nos Concilium Eboracenſe anno MCXCV. celebratum, Canone IV. *Ubi autem puer, cujus Baptiſmus ignoratur, reperitur expoſitus, ſive cum ſale, ſive ſine ſale reperiatur, baptizetur, Cum non intelligatur iteratum, quod neſcitur fuiſſe collatum.* Idem ſtatuit Londinenſis Synodus habita anno MCC. Can. III. *De Baptiſmate, vel Confirmatione, ſi dubitetur, Sacrorum Canonum Statuta ſequentes, ſtatuimus, ut conferatur, quia non dicitur iteratum, quod non ſcitur fuiſſe collatum.* Nulla in his Conciliis mentio illius cautelæ ab Alexandro III. præſcriptæ, tametſi poſt ipſum Concilium ea Concilia habita fuerint. Viget autem, hodieque paſſim a Ritualibus, & a Theologis, præcipitur, probaturque modus ille baptizandi dubie baptizatos, licet a Morino, & a quibuſdam aliis Auctoribus, veluti ſupervacaneus improbetur. Sed hæc horum opinio potius improbanda, ac penitus contemnenda, peccaret enim, qui omiſſa ea cautione, quam & Summi Pontifices, & Ritualia, ac præſertim Romanum, & univerſalis Eccleſiæ conſuetudo præſcribunt, dubie baptizatos ſacro lavacro ablueret.

§. XXII.

Deinde intingit pollicem in ſacro Chriſmate, & ungit infantem in ſummitate capitis in modum Crucis, dicens: *Deus Omnipotent Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui te regeneravit ex aqua, & Spiritu Sancto, quique dedit tibi remiſſionem omnium peccatorum* (hic inungit) *ipſe te liniat Chriſmate ſalutis* ✠ *in eodem Chriſto Jeſu Domino noſtro in vitam æternam*. ℟. *Amen*. Sacerdos: *Pax tibi*. ℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

COMMENTARIUS.

I. FRequens occurrit apud veteres Scriptores, & in sotiquis Sacramentorum Codicibus meotio unctionis verticalis ex Chriſmate a Presbytero ſsctæ io Bsptiſmo, utpote quam ex vetuſta traditione inter alios memorat, commendatque Innocentios Papa I. in Epiſtola ſua ad Decentium Eugubioum Epiſcopum, Csp. III. his verbis: *Presbyterit, ſive extru Epiſcopum, ſive præſente Epiſcopo, baptizant, Chriſmate baptizatos ungere licet, ſed quod ab Epiſcopo ſuerit conſecrutum; non tamen frontem ex eodem Oleo ſignare, quod ſolis debetur Epiſcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum.* Unctio, quæ fit cum Chriſmate in fronte ab Epiſcopo, ſpectat Sacramentum Confirmationis, de quo, ſicut & de ejus ritibus, late jam diſſeruimus Tomo I. Romaoi Pootificalis in Commentariis ad Titulum I. quæ autem io ſummo capitis vertice fit abluto jam ſacro lavacro, ad Baptiſmi Miniſtrum, Parochum ſcilicet, Sacerdotemve slium de illius licentia, qui etiam, ut ioquit S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolanenſi IV. Capite, *Quæ pertinent ad Sacramentum Buptiſmi*, cavere debet, *ne ad infautem baptizandum alio Chriſmate utatur, quum eo, quod illo ipſo anno conſecratum eſt, ut veteri Canone cautum eſt.*

II. Ejuſdem verticslis unctioois, qoa ſcilicet Sacerdos ſummum baptizati verticem Chriſmste perungit, meminere etiam S. Ambroſius, ſeu quivis alius, Libro III. *De Sacramentis*, Cap. I. S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus, Lib. II. *De Officiis Eccleſiaſticis*, Cap. XXV. & XXI. Venaotius Fortunatus Lib. V. Carmine IV. Jeſſe Ambiancoſis, Leidradus Lugdunenſis, Theodulphus Aurelianenſis, Epiſcopi, in ſuis, De Baptiſmo, Tractatibus, aliique complores. Ejos inſtitutionem S. Sylveſtro Papæ adſcribere ſolent; ipſe enim, *& hoc conſtituit, ut baptizutum liniut Presbyter Chriſmate levatum de aqua proptet occaſionem trunſitus mortis*; ut ſcribit Auctor Libri Pontificalis in Vita ejuſdem Sylveſtri; eique conſentiunt Amalarius Libro I. *De Eccleſuſticis Officiis*, Cap. XXVII. Walſridus in Libro, *De rebus Fccleſiuſticis*, Cap. XXVI. Rabanus Lib. I. *De inſtitutione Clericorum*, Capite VIII. Hugo Victorinus Lib. II. *De Sacramentis*, Parte VII. Cap. III. Rupertus Abbas Tuitienſis Lib. V. *De Divinis Officiis*, Capite XVI. & alii. Ex quibus merito infert Menardus in Notis ad Librum Sacrsmentorum S. Gregorii Papæ, priſcos Scriptores Sylveſtro ſuperiores, ubi de unctione, ſeu Chriſmatiooe loquuti ſuot, intelligendos eſſe de Confirmationis Sacramento; & quia Græci carent verticali unctiooe in Baptiſmo, eorum Patres antiquos, quum de unctione Chriſmatis sguot, de illa, quæ fit in fronte ab Epiſcopo, eſſe interpretaodos.

III. Circa hanc unctionem duo jsm ſcitu digoa adnotavit Marteoe, Lib. I. Cap. I. Articulo XV. oum. III. & IV. Primum eſt, oon ab ipſo Baptiſmatis Miniſtro, ſed ab alio Presbytero peractam fuiſſe eam Chriſmatis unctionem in baptizato: *Poſtquam Pontiſex baptizaverit, vel quibus juſſerit ipſe, levant ipſos inſuntes in manibus, & offerunt uni de Presbyteris, ipſe vera facit Crucem de Chriſmate cum polliee in vertice eorum, dicens: Deus Omnipotens &c.* Verba ſunt aotiqui Auctoris, *De Divinis Officiis*, ſub oomine Aleuioi, Csp. IX. Ratio autem ejus ritus fuit, quod propter baptizaodorum multitudinem unus & idem, & tingendis & lioiendis omnibus ſstisfacere non poſſet. Alterum vero notatu dignum eſt illud, ex inſtitutione S. Sylveſtri eam Chriſmatis uoctionem ad ſolos Presbyteros, non vero ad Diaconos, ſpectare. Unde io Concilio I. Toletano anoi CD. Can. XX. ſtatutum eſt, *Diaconum non chriſmare, ſed Presbyterum ubſente Epiſcopo, præſente vero, ſi ab ipſo fuerit præceptum*. In Galliis autem uſum alium obtinuiſſe, idque Diaconis permiſſom fuiſſe, colligitur ex Coocilio Vaſenſi anni CDXLII. Csnone III. quo deceroitur, ut ſingulis anois Presbyteri, vel Mioiſtri, ideſt, Diaconi, non vero ipſis inferiores gradu, aut ordioe, a propriis Epiſcopis Chriſma petsnt appropioquante Feſtivitate Paſchali, quia, inquit, *Optimum eſt, ut ipſe ſuſcipiat, qui in tradendo uſurus eſt*. Unde & in Coocilio Arauſicano anni CDXLI. Can. II. decretum fuit, *ut nullus Miniſtrorum, qui baptizandi recipit officium, ſine Chriſmate uſquam debeat progredi*. Ex Conſtitutionibus tandem Apoſtolorum, quæ S. Clementi Papæ tribui ſolent, Lib. III. Csp. XV. dicitur, quod, *cum primum illuminantur*, ideſt baptizantur, *mulieres, Diaconus ungit frontem ipſarum, & deinde Diaconiſſa ipſas abſtergit.*

IV. Quicquid autem ſit de hoc ritu, ex omnibus certe Sacramentorum Libris antiquis, Sacerdos qui baptizat, baptizati verticem, non frontem, Chriſmste in modum Crucis inungit, dicitque ioterim eam verborum formulam, *Deus Omnipotens &c.* in §. noſtro deſcriptam, licet paucis immutatis. Hæc ſane cooſtant ex veteri Miſſali Gallicano a Cardinale Thomaſio edito, ubi ita legitur: *Deus Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui te regeneravit ex aqua, & Spiritu Sancto, quique tibi dedit remiſſionem peccatorum; ipſe te linit Chriſmate ſuo ſancto, ut habeas vitam æternam in ſæcula ſæculorum*. Variat nonnihil formula, quæ extat in aotiquo Sacramentario Gallicano, quod ex ms. Bobienſi aonorum MC. vulgavit Mabillonius Tomo I. Muſei Italici: *Deus Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui te regeneravit per aquam, & Spiritum Sanctum, qui-*

que

Digitized by Google

quæ tibi dedit remiſſionem peccatorum per lavacrum regenerationis, & Sanguinem ✠ ipſe te liniat Chriſmate ſuo Sancto in vitam æternam. Ex Libro Sacramentorum Gelaſii Papæ a laudato Cardinale Thomaſio edito, annorum M. *infans ſignatur a Presbytero in cerebro de Chriſmate his verbis*: Deus Omnipotens Pater Domini noſtri &c. ut eſt in prima formula ſuperius deſcripta. Similia leguntur in aliis Sacramentorum Libris a Martene editis Lib. I. Cap. I. Articulo XVIII. inter quos duo Gellonenſes illud plane mandant, ut Presbyter *faciens Crucem de Chriſma cum pollice in vertice baptizati dicat, Deus Omnipotens Pater Domini noſtri &c.*

V. Porro ex ms. Pontificali inſignis Eccleſiæ Apamienſis in Syria, annorum circiter DC. præſcriptum eſt, ut baptizato a Sacerdote infante, *ſtatim ſuſcipiat eum Patrinus, qui primus obtulerat eum, de manu Baptiſtæ, & offerat Sacerdoti, vel Epiſcopo, qui cum pollice dextro faciat Crucem de Chriſmate in vertice infantis, dicens: Pax tecum*. ℟. *Et cum ſpiritu tuo*. Tum vero ſequitur: *Deus Omnipotens &c.* Atque ecce hic verba illa, *Pax tecum*, cum reſponſione, *Et cum ſpiritu tuo*, prædictæ Orationi præmiſſa, cum alias ex noſtro §. dicenda ſint Oratione abſoluta. Sed nec omittendum antiquum Rituale Eccleſiæ Lemovicenſis, ex cujus præſcripto, *dicit Presbyter*, Oremus, Deus Omnipotens &c. *Et Oratione dicta, chriſmetur puer in vertice in modum Crucis cum pollice, & poſtea Presbyter imponit puero veſtem &c.* Ex Rituali tandem Ambroſiano juſſu Cæſaris Montii Cardinalis, & Archiepiſcopi Mediolanenſis edito, *baptizato infante, Sacerdos intingit pollicem in Chriſmate, & profert Orationem ſequentem, & dum dicit*: Ipſe te liniat &c. *ungit verticem infantis in formam Crucis*. ℣. *Dominus vobiſcum*. ℟. *Et cum ſpiritu tuo*. Oratio. *Deus Omnipotens Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti &c.* Ceterum ſi excipias Pontificale prædictum Apamienſe, jam in nullo alio Rituali antiquo, reperi verba illa, *Pax tecum &c.* dicenda poſt memoratam Orationem, ut mandat noſter §.

VI. Explicandum ſupereſt, cur baptizatus Chriſmate in capitis vertice perungatur, & primo quidem ex Canone LXXXVII. De conſecratione, Diſtinctione IV. deſumpto ex Rabano Lib. I. *De inſtitutione Clericorum*, Cap. XXVIII. ubi ſic inquit: *Poſtquam aſcendit baptizatus de Fonte, ſtatim ſignatur a Presbytero in cerebro cum ſacro Chriſmate, ſequenti ſimiliter Oratione, ut Chriſti Regni particeps fiat, & a Chriſto Criſtianus poſſit vocari*. Secundo ex Magno Senonenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo in Libello, *De Myſterio Baptiſmatis*, juſſu Caroli Magni edito, ubi hæc habet: *Tunc demum ſacro Chriſmate caput perungitur, ut in Regno, & Sacerdotio Eccleſiæ delibuti, & Chriſti Nominis accipiant gratiam, & ejus membra, qui eos redemit, & eorum caput eſt, effici valeant*. Similia habet Tridentini Concilii Catechiſmus Parte II. *de Baptiſmi Sacramento*, num. LX. his verbis. *Jam poſtquam Baptiſmus abſolutus eſt, Sacerdos ſummum baptizati verticem perungit, ut intelligat, ſe ab eo die Chriſto Capiti tanquam membrum conjunctum eſſe, atque ejus Corpori inſitum, & ea re Chriſtianum a Chriſto, Chriſtum vero a Chriſmate appellari*. Idem docet totidem verbis S. Carolus in Inſtructionibus, *De Baptiſmi adminiſtratione*, Cap. *De cæremoniis, quæ, peracto Baptiſmo, ſervantur*.

VII. Cenſui tandem in calce hujus Commentarii adnotare antiquum ritum jam alias obſoletum, lavandi ſcilicet baptizatis, poſt inunctum ſacro eorum verticem Chriſmate, pedes cum certis precibus, quæ leguntur in pervetuſtis quibuſdam Sacramentorum Libris, ac præſertim in Miſſali Gothico Gallicano a Cardinale Thomaſio edito, & in alio quoque veteri Gallicano Miſſali ab eodem vulgato, in quorum primo ſic legitur: *Dum pedes eis lavas, dicis: Ego tibi lavo pedes. Sicut Dominus noſter Jeſus Chriſtus fecit Diſcipulis ſuis, tu facias hoſpitibus, & peregrinis, ut habeas vitam æternam*. Variat nonnihil formula, quæ ad lavandum pedes in altero Miſſali habetur, quæ & eſt hujuſmodi: *Dominus, & Salvator noſter Jeſus Chriſtus Apoſtolis ſuis pedes lavit. Ego tibi pedes lavo, ut & tu facias hoſpitibus, & peregrinis, qui ad te venerint; hoc ſi feceris, habebis vitam æternam in ſæcula ſæculorum, Amen*. Extat hic idem ritus in antiquo Sacramentario Gallicano ex ms. Bobienſi Codice annorum MC. a Mabillonio publici juris facto, Tomo I. Muſei Italici, in quo tamen non jam ſtatim poſt Chriſmatis unctionem, ut in allegatis mox Codicibus, ſed poſt datam candidam baptizatis veſtem, de qua dicemus in Commentario ſequenti, hæc legitur ad lavandos pedes formula: *Ego tibi lavo pedes, ſicut Dominus noſter Jeſus Chriſtus fecit Diſcipulis ſuis, ita tu facias hoſpitibus, & peregrinis. Dominus noſter Jeſus Chriſtus de linteo, quo erat præcinctus, terſit pedes Diſcipulorum ſuorum; & ego facio tibi; tu facies peregrinis, hoſpitibus, & pauperibus*. Atque huc reſpicere videtur S. Cæſarius in Sermone CCLVII. Appendicis novæ editionis Operum S. Auguſtini, ubi inter minora peccata recenſet, *quod ſecundum promiſſionem noſtram in Baptiſmo, hoſpitibus pedes lavare neglixerimus*.

VIII. Pedum lotionem in Baptiſmo jam non modo in Eccleſia Gallicana, ut ex citatis Sacramentorum Libris oſtendimus, verum etiam in Mediolanenſi Eccleſia ſervatam fuiſſe, teſtis eſt S. Ambroſius Mediolanenſium Epiſcopus in Libro, *De Myſteriis*, Cap. VI. & Lib. III. *De Sacramentis*, Cap. I. ubi etiam docet, Romanam Eccleſiam non habere hanc conſuetudinem, *ut pedes lavet*. In Eccleſia Africana lavabantur quidem baptizandorum pedes Feria V. in Cœna Domini, duobus ante Baptiſmum diebus, ut innuit S. Auguſtinus in Epiſtola LIV. novæ editionis ad Januarium, num. 10. *Si autem quæris*, ait, *cur etiam lavandi mos ortus ſit? Nihil mihi de hoc cogitanti probabilius occurrit, niſi quia baptizandorum corpora per obſervationem Quadrageſimæ ſordidata cum offenſione ſenſus ad Fontem tractarentur, niſi aliqua die lavarentur. Iſtum autem diem ad hoc electum, quo Cœna Dominica anniverſarie celebratur*. Eandem cæremoniam jam longe S. Ambroſium, & S. Auguſtinum obſervabat Eccleſia Hiſpanica, ſed ipſam tamen antiquavit Synodus Illiberritana, ubi Can. XLVIII. ita ſtatuit: *Emendari placuit, ut hi, qui baptizantur, ut fieri ſolebat, nummos in concham non mittant. Neque pedes eorum lavandi ſunt a Sacerdotibus, vel Clericis*. Sane putant Mendoza, & Gonzalez in ſuis Commentariis ad citatum Canonem, vetuiſſe Illiberritanam Synodum eam pedum lotionem, ut in totum Eccleſiæ Romanæ di-

diſciplinam ſequeretur, quæ hujuſmodi cæreniam minime fuerat amplexa, teſte S. Ambroſio, ſive alio Auctore ejus nomine citati Operis, *De Sacramentis*.

IX. Juxta antiquum ritum Eccleſiarum Mediolanenſis, & Gallicanæ, uti jam dictum eſt, non ante, ſed poſt acceptum Baptiſma lavabantur pedes; fuitque ritus etiam antiquus, ut poſtquam ſemel pedes abluti fuerant adultis, nudis plantis per totas octavas terram contingere religioni ducerent. Hinc S. Auguſtinus in Epiſtola LV. novæ editionis, num. 35. *Hoc*, inquit, *nimis doleo, quod multa, quæ in Divinis Libris ſaluberrime præcepta ſunt, minus curantur, & tam multis præſumptionibus ſic plena ſunt omnia, ut gravius corripiatur, qui per Octavas ſuas terram nudo pede tetigerit, quam qui mentem vinolentia ſepelierit*. Atque hæc ſatis ſint pro hujus ritus notitia, qui, ſicut & alii multi conjuncti Baptiſmo ritus, in deſuetudinem abiit.

§. XXIII.

Tum bombacio, aut re ſimili, abſtergit pollicem ſuum, & locum inunctum, & imponit capiti ejus linteolum candidum loco veſtis albæ, dicens: *Accipe veſtem candidam, quam immaculatam perferas ante Tribunal Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut habeas vitam æternam*. ℟. *Amen*.

COMMENTARIUS.

I. Recte admodum ſtatuit primum hic noſter §. ut, poſtquam Sacerdos ſacro Chriſmate infantem jam baptizatum in ſummo ejus capitis vertice inunxit, pollicem ſuum, & locum inunctum bombacio abſtergat, quod ſcilicet in pelvicula reponat, ut poſt Baptiſmum comburatur, & in Sacrarium mittatur, ut de hujuſmodi rebus fieri aſſolet juxta repetitas Ritualium, & Pontificalium Rubricas. Sane illud cautum eſt ex antiquo Rituali Eccleſiæ Lemovicenſis, ut poſt traditum baptizato ardentem cereum, *Presbyter mundet loca, ubi poſuit Chriſma, & oleum, & aquam, & abſtergat cum panno albo; vel ſecundum aliquos, ſi non mundet dicta loca, præcipiat mulieribus, ne prima tria pueri balnea projiciantur in loco inhoneſto, propter reverentiam Sacramenti*. Sed obſervandum omnino, & quidem propter reverentiam ſacris rebus debitam, quod ſtatuit noſter §. cui quidem præter alia multa conſentit Rituale Ambroſianum.

II. His notatis, ut nunc ad alteram noſtri §. partem explicandam deſcendam, ex communi Eccleſiarum fere omnium ritu, & antiquiſſimo inſtituto, baptizati ſacro Chriſmate inuncti, ſtatim albis veſtibus induebantur, Sacerdote interim eiſdem dicente eam verborum formulam: *Accipe veſtem candidam &c.* in §. deſcriptam. Ita ſane mandant antiquiſſimum Miſſale Gothicum Gallicanum a Cardinale Thomaſio editum, itemque vetus Sacramentarium pariter Gallicanum, quod ex ms. Bobienſi Codice vulgavit Mabillonius Tomo I. Muſei Italici, in quibus tamen ad eam formulam deſiderantur verba illa: *Ut habeas vitam æternam*, &, ℟. *Amen*. Ex ms. Gemmeticenſi Codice initio Sæculi XI. exarato baptizatus infans Chriſmate inunctus *veſtitur veſtibus ſuis candidis, & mittitur Chriſmale ſuper caput ejus, ita dicendo:* Accipe veſtem candidam, quam perferas ante Tribunal Chriſti in vitam æternam, & vivas in ſæcula ſæculorum, Amen. *Reſpondet tenens*, Patrinus ſcilicet, vel Matrina, *Perferam*. Chriſmale linteum erat, quo caput baptizati Chriſmate inuncti cingebatur, occurritque ea vox paſſim in antiquis Ritualibus Libris.

III. Ritus induendi baptizatos albis veſtibus innumeris pene comprobari poſſet exemplis, & veterum Patrum tum Latinorum, tum Græcorum teſtimoniis. Acta S. Geneſii Martyris apud Ruinartium ita plane de eo ritu inquiunt: *Cumque Sacramentorum myſteria compleſſent, & indutus veſtibus albis eſſet, veluti per ludum a militibus raptus &c.* Euſebius quoque Lib. IV. *De Vita Conſtantini*, Capite LXII. deſcribens ejus Baptiſmum, ſic ait: *Poſtquam rite omnia impleta ſunt, candidis, ac regiis veſtibus lucis inſtar radiantibus, eſt amictus, & candidiſſimo in lecto recubuit, nec purpuram contingere amplius voluit*. Longum Patrum agmen, qui ritum ipſum confirmant, afferunt quidem Stephanus Duranti Lib. I. *De ritibus Eccleſiæ Catholicæ*, Cap. XIX. num. 39. & Edmundus Martene Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. I. Articulo XV. num. V. Sed audiendos præ cæteris cenſeo S. Ambroſium, & S. Auguſtinum, qui etiam ritum ipſum egregie exponunt. Ille quidem in Libro, *De myſteriis*, Cap. VII. ſic habet: *Accepiſti poſt hæc*, ſcilicet poſt Baptiſmum, *veſtimenta candida, ut eſſet indicium, quod exueris involucrum peccatorum, & indueris innocentiæ caſta velamina*. Auguſtinus vero in Sermone CCXXIII. qui eſt quintus in Vigilia Paſchæ, ita inquit: *Infantes iſti, quos cernitis exterius dealbatos, interiuſque mundatos, qui candore veſtium ſplendorem mentium præfigurant &c.* His adde Tridentini Concilii Catechiſmum, Parte II. *De Baptiſmi Sacramento*, num. LX. ubi ſic eundem ritum explicat: *Induit poſtea Sacerdos baptizatum veſte alba, dicens:* Accipe veſtem candidam, quam immaculatam perferas ante Tribunal Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut habeas vitam æternam. *Infantibus vero, qui veſtitu non utuntur, iiſdem verbis album ſudariolum datur. Quo ſymbolo ſignificari Sancti Patres docent, tum reſurrectionis gloriam, ad quam per Baptiſmum naſcimur; tum nitorem, & pulchritudinem, qua dilutis peccatorum maculis, anima in Baptiſmo ornatur; tum innocentiam, atque integritatem, quam in omni vita baptizatus ſervare debet*.

IV. Præter candidam veſtem, impoſitum etiam fuiſſe baptizato infanti, & quidem ſtatim poſt verticalem unctionem, velamen, quod alii Cappam, Galeam, Chriſmale appellant, ab ipſa veſte candida omnino diſtinctum, Auctor eſt Martene citato loco, num. VI. nititurque variis Scriptorum teſtimoniis ſuam opinionem probare. Sed puto equidem, lapſum Martene; ſi enim hoc

hoc velamen, ſeu Chriſmale, Cappa, Galea, ſeu Cappula, cujus meminit Concilium VI. Provinciale Beneventanum anni MCCCLXXIV. Tit. IV. Capite V. fuiſſet veſtis diſtincta, alia certe præſcripta fuiſſet formula in illius traditione, ſeu impoſitione, ac præterea duplicis iſtius generis indumenti in antiquis Ritualibus Libris haberetur mentio, in quibus tamen, ſive *Chriſmale*, ut in ms. Sacramentorum Libro Monaſterii Moiſacenſis annorum circiter CM. & in Gemmeticenſi annorum circiter DCCC. ſive *Alba*, ut in Pontificali Apamienſi annorum DC. ſive *veſtis candida*, ut in ms. Codice Eccleſiæ Viennenſis in Gallia annorum circiter CCC. ſive *Cappa*, ut in antiquo Salisburgenſis Eccleſiæ Pontificali; ſive aliud veſtimentum, poſt inunctionem Chriſmatis in vertice capitis baptizati factam, eidem imponatur, ſemper hæc cæremonia facienda præſcribitur ſub ea formula: *Accipe veſtem candidam &c.* uti videre eſt apud ipſum Martene Lib. I. Cap. I. Articulo XVII. ubi varios antiquos, recenteſque Ordines ad baptizandum deſcribit.

V. Plura de hac veſte jam diximus nos Capite I. in Commentario ad §. I. Qualis eſſe debeat, explicuit S. Carolus in Inſtructionibus, *De Baptiſmi adminiſtratione*, ubi inter alia ſic inquit: *Veſtem etiam candidam inſtar pallioli e tela linea, aliove genere, non ſerico tamen, albi coloris confectam, quæ collo annecti poſſit, e domo parentum infantis portari ſignificabit*, Parochus ſcilicet, *qua veſte illum baptizatum induet, cum dicet*, Accipe veſtem candidam &c. At vero licet hæc linea veſtis deferri ab iis debeat, qui infantem baptizandum ad Eccleſiam portant, paratam tamen habere hujuſmodi veſtem Parochus debet, non modo pro expoſitis infantibus, ſed & pro iis, qui inopes ſunt; atque huc ſpectat quod ſtatuit Concilium Provinciale VI. Beneventanum, citato loco inter alia ſic inquiens: *Si propriam Cappulam*, ideſt candidam veſtem, *propter paupertatem, vel aliam quamcumque cauſam non habeat, nec habere valeat baptizandus, cum Cappula, cum qua etiam alius fuerat baptizatus, quam Sacerdos pauperibus gratis exhibeat, baptizetur*. Tum vero mox: *Cappulæ vero ad humanos uſus minime transferantur, ſed in uſus mundos Eccleſiæ deputentur. Contrarium vero facientes gravius puniemus*. Ne hujuſmodi indumentum, quocunque nomine appelletur, laicis detur, ſtatuit quoque inter alia Concilium Beneventanum Provinciale XIII. ſub Joanne Baptiſta Foppa Beneventi Archiepiſcopo, anno MDCLVI. Tit. XXXIX. *De Sacramento Baptiſmi*, num. 24. *Caveant Parochi, ne ſal benedictum, Olea, aquam, aut albas laicis dent, ne inde alicujus maleficii, vel ſuperſtitionis occaſio detur.*

VI. Affinis ritui imponendæ candidæ veſtis baptizato, eſt ille quidem, qui olim, alicubi ſaltem, obtinuit, redimendi ſcilicet ſertis, & coronis caput baptizati. Teſtes ſunt ejus ritus antiquus Ordo Baptiſmi Severi Patriarchæ Alexandrini, itemque vetuſtus Baptiſmi Ordo ſecundum uſum Æthiopum, qui extat Tomo VI. Bibliothecæ Patrum; quorum primus ita plane inquit: *Et elevant baptizatos ad Altare, eiſque dant myſteria, & ſertis coronant eos*. Alter vero ſic habet: *Tum induunt, qui baptizati ſunt, veſtem albam, & coronam ſuper capita ſua de myrto, & palma*. Atque ad hunc ritum alludere videtur S. Joannes Chryſoſtomus in Homilia ad baptizandos, ubi ſic ait: *Norunt hujus Calicis virtutem, qui ſunt Divinis conſecrati Myſteriis, ſed & vos paulo poſt poteritis addiſcere. Memento te igitur mei, quando coronam ſolis radiis ſplendidiorem ſentietis in capite*. Sed & antiqui ſepulchri Neapolitani delineatio Baptiſmum ab homine laico per infuſionem collatum repræſentans, duos exhibet baptizatos coronis redimitos apud Mabillonium in Itinere Italico pag. 72. Quin & Durandus Mimatenſis Epiſcopus in Rationali Divinorum Officiorum, Lib. VI. Cap. LXXXII. num. 17. ſcribit, hanc fuiſſe praxim ſuo tempore Provinciæ Narbonenſis, ut in candidæ veſtis baptizatorum ſuperiori parte rubea vitta in modum coronæ aſſueretur: *In Provincia Narbonenſi hæc alba veſtis linea in ſummitate cum filo rubro ſuperſuitur, aut alia varietate inſignitur, quodammodo prætendens Coronam*.

VII. Porro indumentum iſtud, quod memoratus Durandus albam veſtem lineam hic appellat, paulo poſt, numero ſcilicet ſequenti, *Chriſmale* nuncupat, ut vel hinc intelligas, quod ſupra notavimus adverſus Martene, contendentem, Chriſmale fuiſſe indumentum baptizato quidem præberi ſolitum, ſed a candida veſte omnino diſtinctum. Ut ut autem ea ſe res habeat, plures myſticas ſignificationes in prædictum ritum affert Durandus, probarique vel ex eo facile poteſt, quod dignum eſſet, ut Regis Regum filii modo per Baptiſmum geniti, & Regni Cæleſtis cohæredes effecti, Regiæ dignitatis ſymbolum præſeferrent.

§. XXIV.

Poſtremo dat ei, vel Patrino, candelam accenſam, dicens: *Accipe lampadem ardentem, & irreprehenſibilis cuſtodi Baptiſmum tuum. Serva Dei mandata, ut cum Dominus venerit ad nuptias, poſſis occurrere ei una cum omnibus Sanctis in Aula cæleſti, habeaſque vitam æternam, & vivas in ſæcula ſæculorum*. ℟. *Amen*.

COMMENTARIUS.

I. Ritum quoque eſſe antiquiſſimum in Eccleſia tum Latina, tum Græca, ut poſt veſtem candidam baptizatis accenſus cereus præberetur, Latini Patres, ac Græci perſpicue teſtantur. S. Ambroſius in Libro, *De lapſu virginis*, Cap. V. ſic ejus ritus meminit: *Non es memorata diei ſanctæ Dominicæ Reſurrectionis, in quo Divino Altari te obtuliſti velandam. In tanto namque ſolemni conventu Eccleſiæ Dei inter lumina Neophytorum ſplendida, inter candidatos, quaſi Regi nuptura proceſſeras*. Idem eruitur ex Oratione S. Gregorii Nazianzeni de Baptiſmo, ubi ritum ipſum deſcribere videtur his verbis: *Statio, in quam poſt Baptiſma ante ma-*

magnum Altare conſtitueris, venturæ gloriæ eſt præludium. Pſalmodia, cum qua exciperis, laudis venturæ eſt ambulatrix. Lampades, quas accendis, venturæ ſunt illuminationis myſterium, cum qua obviabis Sponſo. His adde celebrem locum ex Epiſtola Marci Gazenſis ad Arcadium Imperatorem, quæ eſt de Baptiſmo Theodoſii junioris apud Card. Baroniom aono Chriſti CDI. ubi ita inquit: *Baptizato juniori Theodoſio, & ab Eccleſia egreſſo in Palatium, licebat rurſus intueri decorem eorum, qui præerant multitudini, & veſtem eorum refulgentem; erant enim omnes candidati, ut exiſtimaretur multitudo eſſe nive repleta. Præcedebant autem Patricii illuſtres, & omuis dignitas cum ordinibus militaribus, omnes portantes cereos, ut putarentur aſtra cerni in terra.* Atqoe ex hoc loco recte colligit Martene, Lib. t. Articulo xv. num. ix. in fine, in ſolemoi Regum, ac Principum Baptiſmate, noo ſolum ipſos baptizatos veſtem albam, & cereum accepiſſe, ſed omnes inſuper anlicos eorum, ac milites.

II. Quamqoam vero de caodela, ſeu cereo poſt veſtem caodidam baptiaato dari ſolito, multa extent veterom Ritoaliom, Patrum, ac Scriptorum teſtimonia, quæ videri poſſunt apud laudatum Martene, Joſephum Vicecomitem in celebri Opere, *De ritibus Baptiſmi*, & apod Stephanum Duraoti, Lib. I. *De ritibus Eccleſiæ Catholicæ*, Cap. xix. nom. 41. & ſeq. mirum tamen videri poteſt, quod ſcribit Martene loco citato, nempe *tacere antiquos Libros Rituales pene omnes* de ipſo ritu, cum alias reperiam, fieri mentionem in antiquioribus Sacramentorum Codicibus, vel longe ante annom Chriſti milleſimum exaratis. Fit plane ejus ritus mentio non modo in antiquo Romano Ordine x. oum. 23. apod Mabillonium Tomo II. Muſei Italici, verum etiam in ms. Gemmeticenſi Codice tempore Theodorici Abbatis, qui obiit anno MXXXII. deſcripto, in quo etiam verborom formula extat paulo diverſior ab illa in noſtro §. notata. Sic enim habet: *Poſtea ponit Sacerdos candelam in manu ſua*, baptizati ſcilicet, *ita diceado: Accipe candelam irreprehenſibilem, cuſtodi Baptiſmum suum, ut cum Dominus venerit ad nuptius, poſſis occurrere in Aula Cæleſti in vitam æternam in ſæcula ſæculorum, Amen.* Paulo brevior eſt ſormola, quæ legitur in ms. Pontificali Eccleſiæ Apamienſis in Syria annorum DC. *Accipe lampadam irreprehenſibilem, cuſtodi Baptiſmum suum, ut cum Dominus venerit ad nuptias, poſſis occurrere ei in Aula Cæleſti.* Ceterum ex antiqoo Rituali Eccleſiæ Lemovicenſis, poſt impoſitionem candidæ veſtis, *puero involuto, in manu ejus dextra apponitur candela per Presbyteram, qui ſuggerit Patrino, & Matrinæ, ut manus apponant eidem candelæ, & dicit, dirigendo verba ſua ad puerum, N. nuaciaado eum, dicit:* Accipe lampadam ardentem, & irreprehcoſibilis cuſtodo Baptiſmom toum.

III. Ex recitatis hactenus ſormulis conſtat plane, quæ ſit ritos iſtios ponendi in manu baptizati cereom accenſum ſignificatio. Sed lubet nihilominus illas explicationes afferre, qoas docent Tridentini Concilii Catechiſmos, & S. Carolus, & ille qnidem Parte II. *De Baptiſmi Sacramento*, num. lx. ſic habet: *Deinde cereus ardens in manu traditur, qui oſtendit Fidem charitate inflammatam, quam in Baptiſmo accepit, bonorum operum ſtudio alendam, atque augendam eſſe.* S. Carolus autem in Inſtructionibus, *De Baptiſmi adminiſtratione*, ita eundem riium declarat: *Traditur demum baptizato in manu cereus ardens; quo cereo ſignificantur tres Theologicæ virtutes, quæ ipſi hoc Sacramento infunduntur. Fides in lumine, charitas in calore, ſpes in cerei recta altitudine, quæ ſurſum aſcendit, ut ſpes noſtra ad Cælos uſque excitetur, atque erigatur. Id præterea, quod Baptiſmo nobis ſit communicatio lucis, & depulſio tenebrarum; ob eamque cauſam Baptiſmas* Sacramentum illuminationis, *& baptizati quidem* illuminati *a Patribus dicuntur.* Cum itaqoe ritus iſte ſit magni momenti, peccaret certe Parochus, ſi eum omitteret, eo prætextu, quod candela ipſa a baptizandi propinquis debet offerri. Nam tam pro expoſitis infantibus, quam pro pauperibus parata debet eſſe candela, & qoidem integra, & ex cera alba in Baptiſterio, & poni in manu baptizati, & accendi omnino juxta Ritualium præſcriptum, & receptam ubique Eccleſiæ conſuetudinem. Ceterum ſolet ipſa a propinqois baptizandi deferri, & Parocho acquiri, niſi conſuetudo, aot Statutum Eccleſiæ particolaris, ſit in contrariom, ut in Eccleſia Cathedrali Bergomenſi, obi oblatio cereorum facta pro baptizatis, ſpectat ad Capitulum illins Eccleſiæ, ut conſtat ex Cæremoniali ejuſdem Eccleſiæ impreſſo aooo MDLXVIII. Cap. *De Fonte Baptiſmali*, pag. 13. apud Barrufaldum in Commentario ad huoc §. oum. 53.

IV. Reliquom eſt, ot opportune in hoc Commentario de cerei Neophitorum aliquid dicamus ex antiquis Sacramentorum Codicibus, & veteribus Scriptoribus, qui agentes de Divinis Officiis, eorum etiam mentionem fecere. Illud aotem obſervato eſt dignum, quod, uti notat Martene loco citato, num. x. eis extincti porrigebaotur cerei, ſub finem Litaniæ, qoæ poſt Baptiſmum decantabatur, taotum accendendi. Cujus qnidem ritus teſtes ſunt Amalarius, & creditus Alcuinos, quorum primus in Libro, *De Ordine Antiphonarii*, Cap. xliv. hæc habet: *Reſervetur ignis de ſexta Feria, & illuminetur Cereus, qui ponitur in vice columnæ ignis ad benedicendum, qui ab initio benedictioais illuminatus eſt, & cum benedictus eſt, ab eo illuminetur ſecundus cereus. Cetera luminaria extincta permaneant uſque ad noviſſimam Litaniam, quæ pertinet ad officium Miſſæ de Reſurrectione Domini. Tunc accendantur luminaria Eccleſiæ, & Neophytorum.* Clarius vulgatus Alcuinus, Capite, *De Sabbato Sancto*, ubi ſic eom ritum receoſet: *Tunc egreditur Pontifex de Sacrario cum ingenti decore, & prædicta ceroſtata ante illum cum thymiateriis. Et cum dixerit Schola*, Agnus Dei, *dicat Cantor excelſa voce*, Accendite. *Tunc primum illuminantur omnes cerei Neophytorum, quos manibus tenent, demonſtrantes hoc, quod per illum Agnum, qai tollit peccata mundi, unuſquiſque lumen accipere debeat.* Addit poſtea idem Auctor: *Noſtri baptizati ducuntur quotidie ad Eccleſiam, columna cerei illuminata precedente eos.* Ubi quod ait, *quotidie*, verus Alcuinus in Epiſtola ad Carolum Magnom exponit *per ſeptem dies*, quibus, *in Angelico caſtitatis habitu, & luminibus cæleſtis claritatis, Sanctis aſſiſtere Sacrificiis ſolent.* Quæ totidem verbis apud Rabaoom Maurum Libro II. *De inſtitutione Clericorum*, Capite xxxix. reperiuntur;

tur; idemque docct laudatus Amalarius in Libro II. *De Eccleſiaſticis Officiis*, Capite XXIX. ut alios Auctores veteres æque, ac reccutiores, qui eandem rem tradunt, omittam.

§. XXV.

Poſtremo dicit: N. *Vade in pace, & Dominus ſit tecum.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Recens videtur hic ritus, cum minime reperiatur in antiquis, recentibuſque Ritualibus Libris. Ex uno ms. Codice S. Genovefæ Pariſienſis annorum circiter CCC. in quo nonnulli Ritus Eccleſiæ Laudenſis in Italia continentur, quem deſcripſit Martene Lib. I. Capite I. Articulo XVIII. Ordine XV. cautum eſt quidem, ut poſt datum infanti baptizato cereum accenſum, de quo in ſuperiori Commentario diximus, *tunc Sacerdos cum ſigno Crucis ſignet infantem, dicens: In Nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus ✠ Sancti.* ℟. *Amen. Vade in pace.* In Rituali autem Ambroſiano juſſu Cæſaris Montii Cardinalis, & Archiepiſcopi Mediolanenſis edito, & in Actis Eccleſiæ Mediolanenſis, ubi agitur de Ordine Baptiſmi parvulorum, poſt datam candelam accenſam Compatri, Commatrive infantem in dextera tenenti, his precibus ei ſacræ actioni finem imponit: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui regeneraſti famulum tuum ex aqua, & Spiritu Sancto, quique dediſti ei remiſſionem omnium peccatorum, tribue ei continuam ſanitatem, ad cognoſcendam Divinitatis tuæ virtutem. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum &c.* ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo. Kyrie eleiſon, Kyrie eleiſon, Kyrie eleiſon.* ℣. *Benedicat, & exaudiat nos Deus.* ℟. *Amen.* ℣. *Procedamus cum pace.* ℟. *In Nomine Chriſti.* ℣. *Benedicamus Domino.* ℟. *Deo gratias.* ℣. *Benedictio Dei Omnipotentis, Patris ✠, & Filii ✠, & Spiritus ✠ Sancti, deſcendat ſuper te, & maneat ſemper. Amen.*

APPENDIX

De quibuſdam ritibus olim ad Baptiſmum ſpectantibus.

I. Supereſt, ut hoc loco explicemus & alios ritus, qui olim non modo in adultorum, ſed & in parvulorum Baptiſmo religioſe obſervabantur. Ergo baptizati confirmabantur quidem ſtatim, ac ſacroſanctis Corporis, & Sanguinis Chriſti myſteriis reficiebantur, ut teſtantur pervetuſti Libri Rituales pene omnes, inter quos Gemmeticenſis initio ſæculi XI. deſcriptus ſic habet: *Si vero Epiſcopus eſt*, qui ſcilicet baptizavit infantem, *ſtatim confirmari eum oportet, & poſtea communicare. Et ſi Epiſcopus deeſt, communicetur a Presbytero dicente ita:* Corpus & Sanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat te in vitam æternam.

II. At vero cum de antiquo ritu confirmandi recens baptizatos abunde dixerimus Tomo I. Commentariorum ad Partem I. Romani Pontificalis, in Commentariis ad Titulum I. & alibi, ideo illo omiſſo ritu, explicare aggredimur alterum impertiendæ eiſdem recens baptizatis Sacræ Euchariſtiæ. Cujus ritus teſtes ſunt pervetuſti Patres Latini, ac Græci, inter quos S. Irenæus ſatis ritum ipſum innuit in Apologia II. ubi ſcribit, celebrato Baptiſmo, Divina myſteria Corporis, & Sanguinis Chriſti confici, & omnes adſtantes communicare. Clarius Origenes Homilia IV. in Joſue, ubi ſic loquitur: *Si vero ad myſticum Baptiſmi veneris Fontem, & conſiſtente Sacerdotali, & Levitico Ordine, initiatus fueris venerandis illis, magnificiſque Sacramentis, quæ norunt illi, quibus noſſe fas eſt, tunc etiam Sacerdotum miniſteriis, Jordane digreſſo, Terram Promiſſionis intrabis.* Nam per veneranda, & magnifica Sacramenta, *quæ norunt illi, quibus noſſe fas eſt*, intelligit plane Euchariſtiam, quam propter Paganos, Infideles, & Catechumenos, qui ſacris Concionibus plerumque intererant, ſub obſcuris verbis, quæ tamen Fidelibus nota erant, atque perſpicua, veteres deſignabant. Eodem fere modo loquitur S. Joannes Chryſoſtomus in Homilia ad illuminandos: *Poſt triginta dies*, cum ſcilicet tincti fuerint, *non vos Pharao, ſed Cælorum Dominus ad Patriam priſtinam revocabit, & Cæleſti Hieruſalem reſtituet. Ipſe Dominus tuis manibus terribilem Calicem miniſtrabit. Norunt iſtius Calicis virtutem, qui ſunt Divinis conſecrati myſteriis, ſed & vos paulo poſt poteritis addiſcere.* Clarius idem S. Pater in Homilia ad Neophytos ipſos ſic eum ritum explicat: *Sicut mulier, affectionis natura agente, genitum alere ſui lactis fœcunditate feſtinat, ſic & Chriſtus, quos ipſe regenerat, ſuo Sanguine enutrit.* Idem videre eſt apud S. Dionyſium in Libro, *De Eccleſiaſtica Hierarchia*, Capite, *De Baptiſmo*, Severum Alexandrinum in Ordine Baptiſmi, & Iſaacum Armenum Catholicum adverſus Armenos apud Combefiſium.

III. Inter Latinos Patres Tertullianus, qui Sæculo II. claruit, in Libro, *De Baptiſmo*, Capite ultimo, Neophytos alloquens, aperte docet, impertitam eis fuiſſe Euchariſtiam: *Igitur benedicti, quos gratia Dei expectat, cum de illo ſanctiſſimo lavacro novi natalis aſcenditis, & primas manus apud matrem cum fratribus aperitis &c.* Quibus verbis alludit ad priſcum morem excipiendæ manu Communionis, de quo nos non uno in loco Operum noſtrorum diximus, dicemuſque etiam inferius Titulo IV. ubi de Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento agendum erit. Clarius vero, apertiuſque S. Cyprianus in Epiſtola LXIII. ad Cæcilium ita ejus ritus meminit: *Per Baptiſmum Spiritus Sanctus accipitur, & ſic a baptizatis Spiritum Sanctum aſſecutis ad bibendum Calicem pervenitur.* Communicabant itaque ſub utra-

que

Digitized by Google

quæ ſpecie, uti etiam ex S. Ambroſio addiſcimus, qui in Libro, *De myſteriis*, Cap. VIII. ſic ſcribit: *His abluta plebs dives inſignibus ad Chriſti contendit Altaria, dicens:* Introibo ad Altare Dei, ad Deum, qui lætificat juventutem meam. *Depoſitis enim inveterati erroris exuviis, renovata in Aquilæ juventute, cæleſte illud feſtinat adire convivium*. Ubi & illud eſt obſervatu dignum, quod Neophyti ad Altare, cum reliqui extra illud communicare ſolerent. Et S. Auguſtinus in Libro, *De Catachmia*, Cap. I. *Baptizatus es*, inquit, *ſignatus es Regio Charactere, cœpiſti conſequi annonam de menſa Regis tui*. Huc etiam referri poteſt, quod ſcribit Auctor Libri Pontificalis de Innocentio Papa I. feciſſe ſcilicet illum *Calices argenteos Baptiſmi numero tres penſantes ſingulos libras duas*. Ceterum quod non modo adulti, verum etiam infantes ſtatim poſt Baptiſmum Euchariſtiam perciperent, docet nos S. Paulinus in Epiſtola XII. ad Severum hiſce verſibus.

Inde parens ſacro ducit de Fonte Sacerdos
Infantes niveos corpore, corde, habitu.
Circumdanſque rudes feſtis Altaribus agnos,
Cruda ſalutiferis imbuit ora cibis.

IV. Notat hæc, & alia plura, poſt alios eruditos Scriptores, ac præſertim Stephanum Duranti, & Joſephum Vicecomitem, qui ritum ipſum impertiendæ Euchariſtiæ recens baptizatis enarrant, eruditiſſimus Martene in Libro I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. I. Articulo XV. num. XI. & XII. ſciteque admonet num. XIII. minime exiſtimandum eſſe primis dumtaxat Sæculis eam in Eccleſia viguiſſe diſciplinam, a qua poſtmodum deflexerit. Nam illius meminere Jeſſe Ambianenſis, Leidradus Lugdunenſis, Theodulphus Aurelianenſis, Riculſus Sueſſionenſis Epiſcopi, & alii plures Sæculi IX. Scriptores, quorum ſuffragiis nihil luculentius afferri poteſt: *Morem ergo accipiendæ Euchariſtiæ*, inquit, Theodulphus in Libro, *De Baptiſmo*, Capite XVIII. *a Domino traditum Eccleſia tenet, ut cum ex aqua, & Spiritu Sancto quis renaſcitur, Corpore Domini paſcatur, & Sanguine ejus potetur*. Quæ verba maxime notanda ſunt, utpote quæ baptizatorum Communionem, non ex ſimplici Eccleſiæ præceptione profectam docent, ſed fuiſſe *morem a Domino traditum*. Unde mirum videri non debet, ſi Riculphus in ſua Conſtitutione anno DCCCLXXXIX. edita ſanxerit, *ut baptizati mox poſt Baptiſmum Euchariſtiam, ideſt Communionem ſanctam percipiant*. Eundem uſum Sæculo X. adhuc obtinuiſſe, conſtat ex Vita S. Adalberti Pragenſis Epiſcopi, & Pruſſorum Apoſtoli num. 37. Seculo quoque XI. ritum ipſum viguiſſe, teſtis eſt Hugo Victorinus Lib. I. De Cæremoniis, Sacramentis, & Obſervationibus Eccleſiaſticis, Cap. XX. ubi agens de recens baptizato ſic inquit: *Si ejus valetudinis eſt, Sacramenta unitatis, ideſt, Corpus, & Sanguinem Chriſti accipere debet*; citatque Auguſtinum Lib. I. contra duas Epiſtolas Pelagianorum, Capite XXII. in ſuæ ſententiæ confirmationem; arguitque in fine quorundam ignorantiam, quæ *adhuc formam retinens, ſed non rem, dat eis loco Sanguinis vinum*: Subditque mox: *Quod penitus ſupervacaneum arbitrarer, ſi ſine ſcandalo ſimplicium dimitti poſſet. Si autem in reſervando Sanguinem Chriſti, vel miniſtrando pueris, imminent periculum, potius ſuperſedendum videtur.*

Quod ſignum eſt, hunc uſum jam eo tempore quibuſdam ſaltem in locis in deſuetudinem abire cœpiſſe.

V. Diu etiam eundem morem perſeveraſſe in variis Eccleſiis, luculentiſſime oſtendit laudatus Martene loco citato num. XIV. quia ſcilicet præſcriptus legitur in variis Ritualibus mſs. quorum character, ut ipſe autumat, annos quadringentos vix excedit. Certe hujus ritus adhuc initio Sæculi XVI. veſtigium aliquod retinebat Eccleſia Ambianenſis, in cujus Miſſali anni MDVI. edito hæc leguntur: *Dum datur ei candela, dicitur: Accipe lampadam &c. Deinde portatur ad Altare, & communicatur de vino, dicens: Corpus & Sanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat te in vitam æternam, Amen*. Et in Manuali anni MDXXIV. ubi de Baptiſmo maſculorum agitur: *Deinde communicat de vino, dicendo: Corpus, & Sanguis Domini noſtri &c.* Id quod etiam ait ſervari in feminarum Baptiſmo. Verum hunc uſum improbat Rituale Remenſis Eccleſiæ anno MDLXXXV. editum his verbis: *Summopere caveat Sacerdos, ne, quemadmodum perverſo uſu in quibuſdam locis fieri dicitur, vinum porrigat infanti poſt Baptiſmum, maxime utendo his verbis*: Corpus, & Sanguis &c. *Nam cum nihil aliud ſit, quam purum vinum, quod porrigitur, nec jam de conſecrato Calice, & ſub ſpecie liquida parvulis detur communio, ut fiebat tempore S. Cypriani, & Auguſtini in Africa, & hic aliquando in Gallia factum fuiſſe legitur, unde etiam hujuſmodi cæremoniam emanaſſe veriſimile eſt, verba illa hoc quidem tempore, & in illa infuſione puri vini, penitus omitti debent, cum nunquam ſint proferenda, niſi cum verum Corpus, & verus Sanguis adminiſtrantur.*

VI. Juxta Rituale Eccleſiæ Petracoricenſis anno MDXXXVI. impreſſum Sacerdos benedicit vinum, & dat in ore infantis, dicendo. ℣. *Adjutorium noſtrum &c.* ℟. *Qui fecit.* ℣. *Sit Nomen Domini benedictum.* ℟. *Ex hoc nunc.* ℣. *Benedicite.* ℟. *Dominus, qui te creavit in flore, te benedicat in ore. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Ponendo in os infantis: *De rore Cæli, & de pinguedine terræ det tibi Deus abundantiam, & vivas in ſæcula ſæculorum*. Sed Joannes Eckius acerrimus Sectæ Lutheranæ impugnator, qui non multo poſt florebat, Homilia XVII. *De Baptiſmo*, ſcribit, pueris baptizatis, quibuſdam in locis, quod ex Calicis ablutione ſupererat, ſuo tempore præſtitum fuiſſe. Teſte vero Guillelmo Lindano acerrimo & ipſo Calvini inſectatore, Libro IV. Panopliæ Euangelicæ, Cap. XXV. *Friſiis vel pueris baptizatis ſacram offert Euchariſtiam Altari imponendam; quod luculentum eſt*, inquit, *priſci moris veſtigium*. Deiiſſe antiquum morem circa Sæculum XIII. conantur quidam vel ex eo probare, quod S. Thomas, qui eo Sæculo claruit, ſui ævi praxim ſpectans, ſic ſcribat Parte III. Quæſtione LXX. Articulo IX. *Ad tertium dicendum, quod eadem ratio eſt de pueris recenter natis, & de amentibus, qui nunquam habuerunt uſum rationis; unde talibus non ſunt ſacra Myſteria danda, quamvis quidam Græci contrarium faciant*. Porro quod noſtris etiam temporibus apud Græcos antiqua praxis communicandi infantes baptizatos ſervetur, docent nos hodierna Græcorum Euchologia, quæ infantium Communionem præcipiunt, quæque eadem ſunt, qui-

bus ante annum Chriſti milleſimum utebantur. Atque his concinit Arcudius Græcorum rituum peritiſſimus, Lib. III. *De Sacramento Eucharistiæ*, Cap. XI. ſic inquiens: *Communicare pueros, & infantes, quod Græci faciunt, antiquum valde eſt, atque id Veteres in uſu habebant.* Quod attinet nos Latinos, juſtis de cauſis ab antiquo more receſſit Eccleſia, quæ nec tamen ideo damnat antiquitatem, cui aliter placuerat, ut habet Concilium Tridentinum Seſſione XXI. in doctrina de Communione ſub utraque ſpecie, & parvulorum, Cap. IV. *Neque ideo tamen damnanda eſt antiquitas, ſi eum morem in quibuſdam locis aliquando ſervavit. Ut enim Sanctiſſimi illi Patres ſui facti probabilem cauſam pro illius temporis ratione habuerunt; ita certe eos nulla ſalutis neceſſitate id feciſſe, ſine controverſia credendum eſt.* Hinc merito Can. IV. anathema in eum intorquet, *qui dixerit, parvulis, antequam ad annos diſcretionis pervenerint, neceſſariam eſſe Euchariſtiæ Communionem.*

VII. Jam vero ut antiquus ritus luculentius explicetur, cum pueri, nec Panem Sacrum, nec Divinum bibere Calicem ſine effuſionis periculo poſſent, quæri poteſt, quo ritu olim ipſi pueri, & infantes Communionem perciperent. Et quidem quod vel primis Eccleſiæ Sæculis mos obtinuerit, ut Sacer Calix ori ipſorum admoveretur, conſtat ex S. Cypriano in Libro, *De lapſis*, ubi narrat hiſtoriam cujuſdam infantulæ, quæ cum parentum incuria, & nutricis delatione panem vino mixtum de Idolothytis comedisſet, ipſo Cypriano ſacrificante, cum ejus ori Diaconus licet reluctantis de Sacramento Calicis infudiſſet, ſacram Communionem in corpore, atque ore retinere non potuit. Verum alio ritu, ac modo pueris tradendam eſſe Euchariſtiam, docuit Hugo Victorinus Lib. I. *De Sacramentis*, Cap. XX. *Pueris*, loquit, *recens natis idem Sacramentum in ſpecie Sanguinis eſt miniſtrandum digito Sacerdotis, quia tales naturaliter ſugere poſſunt.* Idem præſcribit antiquum Pontificale Eccleſiæ Apamienſis in Syria annorum DC. his verbis: *Communicantur autem pueri, qui nondum noverunt comedere, vel bibere, ſive cum digito intincto Sanguine Domini, & poſito in ora ipſorum, Sacerdote ita dicente; Corpus cum Sanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat te in vitam æternam, Amen.* Eundem ritum in Oriente vigere, tradit Abraham Ecchellenſis in Notis ad Arabicos Canones Concilii Nicæni, ubi de modo communicandi baptizatos infantes ſic habet: *Sacerdos infantem communicaturus, digitum intingit Sanguine, & in os illius ſugendum immittit.* Simili quoque fere modo loquitur Naironus in Evoplia Fidei Catholicæ Romanæ, Parte II. Capite III. agens de Syris, & Maronitis. Sed tamen Gabriel Sionita in Epiſtola ad Nihuſium in Symmyctis Allatii, ſcribit, Maronitas, & reliquos Orientales infantibus Sacro Fonte nuper ablutis cochlear ſolo Sanguine delibutum ſugendum exhibere.

VIII. Cum itaque recens baptizatis, vel ipſis infantibus Communio præberi ſoleret, hinc merito cautum fuit a Sacris Canonibus, & a Ritualibus Libris, ut non modo a jejunis Miniſtris, ſed etiam jejunis Baptiſmus conferri deberet. Quod Miniſtros ſpectat, Concilium quidem Pariſienſe VI. anno DCCCXXIX. celebratum, Lib. I. Cap. XXXIII. cum accepiſſet, pleroſque Epiſcopos, poſt perceptionem cibi, & potus, per impoſitionem manuum tradere Spiritum Sanctum; poſito ob oculos Sanctorum Apoſtolorum exemplo, ſanxit, *quod, ſicut Baptiſmus, excepta infirmorum cauſa, nonniſi a jejunis celebratur Sacerdotibus, ita etiam traditio Spiritus Sancti, excepta præmiſſa cauſa infirmorum, nonniſi a jejunis celebranda eſt Pontificibus.* Idem habet Concilium Meldenſe anni DCCCXLV. apud Gratianum, Can. *Ut Epiſcopi*, De conſecratione, Diſtinctione V. & Concilium Rotomagenſe anni MLXXII. Cap. V. his verbis: *Nullus Sacerdos baptizet infantem niſi jejunus.* Quibus adde Concilium Moguntinum anni MDXLIX. Cap. XVI. ubi ita ſtatuit: *Ut tanto Myſterio debita omnino reverentia exhibeatur, Parochos, & Eccleſiarum Miniſtros ſerio monemus, ut mane intra Officia Divina, aut mox poſt ea peracta; non autem tempore pomeridiano, poſt epulas, & prandia, niſi neceſſitas, aut periculum infantium accelerare Baptiſmum expoſcat, cum multa ſobrietate, & accurata devotione, Baptiſmum adminiſtrent.* Idipſum & multæ aliæ Synodi præſcripſerunt, voluitque S. Carolus in Inſtructionibus ſuis, *De Baptiſmi adminiſtratione*, ut Parochus ipſum jejunus, & mane adminiſtret, niſi neceſſitas aliter poſtulat. Ceterum quod infantes ſpectat, notatu dignum eſt, quod inquit antiquiſſimus Ordo I. Romanus, num. 46. apud Mabillonium Tomo II. Muſei Italici his verbis: *Illud de parvulis providendum eſt, ut poſtquam baptizati fuerint, nullum cibum accipiant, nec lactentur, antequam communicent Sacramento Corporis Chriſti.* Similia legere eſt in laudato Pontificali Apamienſi, ubi ſic habet: *Illud de parvulis providendum eſt, ne poſtquam baptizati fuerint, ullum cibum accipiant, nec ablactentur ſine ſumma neceſſitate, antequam communicent Sacramento Corporis Chriſti.* Sed cum hodie ſublata iis ſit Sacra Communio, jam non eſt neceſſarium, ut ipſi infantes jejuni ad baptizandum portentur.

IX. Præter Sacram Corporis, & Sanguinis Chriſti Communionem vel infantibus olim in Baptiſmo porrectam, de qua late hucuſque diximus, olim quoque in Occidentali ſaltem Eccleſia lac, & mel baptizatis porrigi conſuevit. Teſtis eſt ejus ritus non uno in loco Tertullianus, præſertim vero in Libro, *De Corona militis*, Capite III. ubi de Baptiſmo agens, ſic loquit: *Ter mergitamur, inde ſuſcepti, lactis, & mellis ſocietatem prægustamus.* Et Lib. I. adverſus Marcionem, Cap. XIV. *Sed ille quidem uſque nunc, nec aquam reprobavit Creatoris, qua ſuos abluit, nec oleum, quo ſuos ungit, nec mellis, & lactis ſocietatem, qua ſuos infantat, nec panem, quo ipſum corpus ſuum repræſentat.* Fuiſſe hunc ritum omnium Eccleſiarum, diſerte docet S. Hieronymus in Dialogo adverſus Luciferianos, ubi ſic loquitur: *Multa alia, quæ per traditionem in Eccleſia obſervantur, auctoritatem ſibi ſcriptæ Legis uſurpaverunt, velut in lavacro ter caput mergitare; deinde egreſſos lactis, & mellis prægustare concordiam ad infantiæ ſignificationem.* Alibi tamen idem S. Doctor ſcribens in Iſaiæ Caput LV. non lactis, & mellis, ſed vini, & lactis meminit. Nam explicans illa verba, quibus jubemur emere vinum, & lac, ita ſcribit; *Quod vinum miſcuit & Sapientia in cratere ſuo, omnes ſtultos ſæculi, mundique ſapientiam non habentes provocans ad bibendum; & ut non ſolum vinum emamus, ſed & lac, quod ſignificat innocentiam*

tiam parvulorum; qui mos, ac typus in Occidentis Eccleſiis hodie uſque ſervatur, at renatis in Chriſto vinum, lacque tribuatur. Perſeveraſſe in Occidente hunc ritum, uſque ad medium Sæculum nonum, docet nos Joannes Diaconus in Epiſtola ad Senarium, qui ab ipſo quæſierat, *cur in ſacratiſſimum Calicem lac mittatur, & mel, & Paſchæ Sabbato cum Sacrificiis offeratur?* reſpondetque Joannes, *baptizatis hoc Sacramenti genus offerri, ut intelligant, quia non alii, ſed ipſi, qui participes fiunt Corporis, & Sanguinis Domini, Terram repromiſſionis accipient, cujus iter inchoantes, tanquam parvuli lacte nutriantur, & melle.*

X. Extat hæc Epiſtola apud Mabillonium Tomo I. Muſei Italici, in qua illud minime eſt prætereundum, quod ait, lac, & mel in ſacratiſſimum Calicem mitti, ritum & ipſum eſſe antiquiſſimum, in Codice Canonum Eccleſiæ Africanæ præſcriptum, in cujus Capite XXXVII. ſtatutum fuit, *ut in Sacramentis Corporis, & Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam quod ipſe Dominus tradidit, hoc eſt, panis, & vinum aqua mixtum. Primitiæ vero, ſeu mel, & lac, quod die ſolemniſſimo in infantum myſterio ſolet offerri, quamvis in Altari offeratur, ſuam tamen habeant propriam benedictionem, ut a Sacramento Dominici Corporis, & Sanguinis diſtinguantur.* Hæc verba *in infantum myſterio*, jam non ſignificant, lac, & mel, ſolis infantibus, & non adultis recenter baptizatis, datum fuiſſe, ſed quod daretur Neophytis ad indicandum myſterium infantiæ, atque per hoc ut indicaretur recenter baptizatis, quod poſt Baptiſmum, omni malitia, & dolo depoſitis, debeant ſemper infantium ſimplicitatem conſervare, juxta illud S. Petri ad Neophytos dictum, quod hodieque canit Eccleſia in Introitu Miſſæ Dominicæ in Albis: *Quaſi modo geniti infantes lac concupiſcite.* Porro in antiquo Romano Ordine apud Hitorpium extat ſpecialis benedictio lactis, & mellis, hiſce verbis: *Benedic Domine has creaturas lactis, & mellis, & pota famulos tuos fonte perenni, qui eſt Spiritus veritatis, & enutri eos de hoc lacte, & melle.* Deinde ſubjungit: *Tu enim Domine promiſiſti Patribus noſtris Abraham, Iſaac, & Jacob, dicens: Introducam vos in Terram repromiſſionis, Terram fluentem lac, & mel.* Quibus verbis indicatur hæc myſtica explicatio, nempe quod baptizati, relicta Ægypto, ideſt, gentilitate, ingrediuntur in Eccleſiam, Terram fluentem lac & melle, ideſt omnibus deliciis ſpiritualibus. Subjicitur tandem in ipſo Romano Ordine Oratio, quæ indicat, lac, & mel, fuiſſe in unum commixta: *Conjunge Domine famulos tuos ſpiritu charitatis, & pacis, ſicut conjunctum eſt hoc lac, & mel in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Vide plura de hujuſmodi lacte, ac melle noſtro II. Tomo Conciliorum in Commentario ad Canonem LVII. Trullanum.

XI. Venio nunc ad alium Ritum in Eccleſia Romana ſervatum, in qua olim numerus baptizatorum Summo Pontifici denunciabatur, ut ex variis Romanis Ordinibus conſtat, ac præſertim ex Romano Ordine XI. Auctore Benedicto Canonico S. Petri, ubi enarrans ritus celebrari olim Romæ ſolitos a Pontifice die Paſchatis, & nominatim ſolemnis ejus equitatus ad S. Mariam Majorem, ſic inter alia inquit: *Cum autem venerit in Merulanam, ſtat Notarius ibi, & alta voce, dicit:* Jube Domne benedicere. *Pontifex benedicit eum. Notarius dicit:* In Eccleſia Sanctæ Mariæ in hac nocte baptizati ſunt tot maſculi, & tot feminæ. *Pontifex reſpondet:* Deo gratias. *Et Notarius accipit a Saccellario unum byzantium.* His ſimilia ſunt, quæ de eodem ritu leguntur in Romano Ordine XII. Auctore Cencio, Cap. XV. quod inſcriptum eſt: *Quid Dominus Papa facere debet in die Paſchæ.* Sic enim habet: *Cum autem per Merulanam tranſierit, Scriniarius in loco antiquitus conſtituto ei obviat, & alta voce dicit:* Jube Domne benedicere. *Pontifex benedicit eum, & Scriniarius dicit:* In Eccleſia B. Mariæ in hac nocte baptizati ſunt tot pueri maſculi, & tot feminæ. *Pontifex reſpondet:* Deo gratias. *Tunc autem Scriniarius ſuſcipiat a Camerario pro nunciatione unum Marabotinum.* Addit mox idem Ordo, *ſimiliter fieri apud S. Petrum in ſecunda Feria.*

XII. Baptizatis præterea eodem die legi olim ſolitum fuit initium Evangelii S. Joannis, nempe, *In principio erat Verbum &c.* ut ex eo caperent altitudinem Divinæ Gratiæ, qua Filius Dei natus hominis filios Chriſtus Dominus ipſos homines regeneratos fecit Filios Dei, uti obſervant eruditiſſimi Benedictini Monachi S. Mauri in Nota ad Sermonem CCXXV. S. Auguſtini novæ editionis; id quod etiam evidenter colligitur ex ſequenti Sermone CCXXVI. Servari conſueviſſe eundem ritum poſterioribus Sæculis, conſtat plane ex variis Ritualibus, ac præſertim ex uno antiquo Eccleſiæ Lemovicenſis, in quo ſic ritus ipſe deſcribitur: *Poſtea*, abſoluto nempe Baptiſmo, *ſuſcipiat Patrinus puerum, & præſentet eum Sacerdoti ad Altare, vel in aliquo loco conſrcto; & Presbyter, poſita Stola ſuper pueri caput, in modum Crucis, dicat Initium Sancti Evangelii ſecundum Joannem.* In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum &c. Sequuntur mox binæ Orationes, quarum prima hæc eſt: *Protege Domine famulum tuum ſubſidiis pacis, & Beatæ Mariæ Virginis patrociniis confidentem a cunctis hoſtibus redde ſecurum. Per Chriſtum &c.* Alia Oratio ſic habet: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui regeneraſti hunc famulum tuum*, vel *famulam tuam, ex aqua, & Spiritu Sancto, quique dediſti ei remiſſionem omnium peccatorum, tribue ei continuam, & longam ſanitatem ad cognoſcendam virtutis tuæ veritatem. Per Chriſtum.* Concludit tandem, & mandat, ut *hoc facto, injungat Presbyter Patrino, & Matrinæ, ut dicant parentibus, quod per ſeptennium ab omnibus periculis puer conſervetur, & citius quam fieri poterit, adiſcant, &* Pater noſter, *&* Ave Maria, *&* Credo in Deum. *Utrumque quod competit Patrino, & Matrinæ, & eidem diligenter inſinuandum eſt per Presbyterum.*

XIII. Ex præſcripto Cæremonialis Ambroſiani, & Inſtructionum S. Caroli, ubi agit de Baptiſmi adminiſtratione, abſoluto Baptiſmo, ac lotis jam manibus, qui eum adminiſtravit, *ſermonem pro perſonarum multitudine, ſtatuque habebit, in quo præter cætera aliquam etiam conſiderationem Chriſtianam explicabit de ſolemni ſponſione, quam unuſquiſque Fidelis in Baptiſmo facit, ut Fideles, qui adſunt, tam ſanctæ promiſſionis recordatione excitati videant, atque exequantur, quæ ſolemniter ſpoponderunt.* Pergit, aliaque recenſet inculcanda a Parocho in ea Concione, quæ nos opportunius inferius deſcribe-

bemus. Sed non tamen omittendum hoc loco, quod ipſum tandem Cæremoniale præſcribit, ſic inquiens: *Monebit denique, eundem Baptiſmi diem a parentibus notari, ut quo die infans baptizatus eſt, eum ex inſtituto Patrum, quotannis ardentiori prece, eleemoſyna, ſi per facultates poteſt, omnique charitatis opere, atque officio, ſpiritualiſque gaudii celebritate recolat; memor ſe, chyrographo damnationis deleto, hæreditatis cæleſtis participem in Chriſto Domino factum eſſe*: Repete, *inquit Sanctiſſimus Pater noſter Ambroſius*, quid interrogatus ſis, recognoſce quid reſponderis. Renunciaſti diabolo, & operibus ejus; mundo, & luxuriæ ejus, ac voluptatibus. Memor eſto ſermonis tui, & nunquam tibi excidat tuæ ſeries cautionis.

XIV. Si veterem diſciplinam Eccleſiæ ſpectemus, jam non modo ipſo Baptiſmatis die, verum etiam per ejuſdem Octavas exhortatorius, ſive inſtructorius ad baptizatos quotidie Sermo habebatur; ut probant quæ adhuc ſuperſunt ea de re Sanctorum Patrum Paræneſes, maxime de Sacramentis, quorum myſteria eos hactenus latuerunt, de Fidei articulis, de Trinitatis, & Incarnationis Myſteriis, quæ minutatim, & familiariter eis exponebantur. Ergo ut Creatori firmius adhærerent, per eaſdem Octavas manebant baptizati ab omni hominum cœtu ſeparati, quotidieque ſummo mane in Miſſa, quæ pro ipſis cantabatur, Corporis, & Sanguinis Domini participes fiebant, uti non modo ex Ordine Romano, aliiſque pluribus Ritualibus Libris habetur, ſed & ex S. Auguſtino colligitur, qui Sermone CCXXVII. habito in die Paſchæ recens baptizatos ſic alloquitur: *Promiſeram vobis, qui baptizati eſtis, Sermonem, quo exponerem Menſæ Dominicæ Sacramentum, quod modo etiam videtis, cujus nocte præterita participes facti eſtis. Debetis ſcire quid accepiſtis, quid accepturi eſtis, quid quotidie accipere debeatis*. Atque huc referri poteſt, quod de Clodoveo I. Francorum Rege Chriſtiano narrat Fridegarius in Hiſtoria, Cap. XXI. quod ſcilicet *Baptiſmi gratia cum ſex millibus Francorum in Paſcha Domini conſecratus eſt. Cum autem a S. Remigio in Albis Evangelii lectio Clodoveo adnunciaretur, qualiter Dominus Jeſus Chriſtus ad Paſſionem venerat, dixit Clodoveus*: Si ego ibidem cum Francis meis fuiſſem, injuriam ejus vindicaſſem. Idem plane ſervatum conſtat in Eccleſia Orientali, teſte Sancto Joanne Chryſoſtomo, qui in ſua de Reſurrectione Chriſti Homilia expreſſe docet, quod ſeptem hiſce diebus novi baptizati convocabantur, & Divinis inſtructionibus exercebantur, ut Baptiſmi gratia roborarentur: *Iccirco ſeptem dierum ſpatio Collectam agimus, ac ſpiritalem Menſam vobis apponimus, Divinis eloquiis inſtruimus, & adverſus diabolum armamus &c.* Quapropter Evangelia etiam, & Miſſæ propriæ, ſeptem diebus aſſignata ſunt, ut ſingulis diebus Concio haberi poſſit. Huc etiam myſtagogicæ Catecheſes S. Cyrilli Hieroſolymitani, quibus per hebdomadam Paſchatis exercebat eos, quos per totam inſtruxerat Quadrageſimam, ut ad Baptiſmum præpararet.

XV. Baptizati denique in Paſchate per ſeptem dies albis utebantur veſtibus, quas deponebant Dominica prima poſt Paſcha, dicta icirco Dominica in Albis, quod ea die a nuper baptizatis albæ tollerentur veſtes; cujus ritus inter alios mentionem facit S. Auguſtinus Sermone I. in Octava Paſchæ, qui eſt CLVII. de tempore: *Paſchalis ſolemnitas*, inquit, *hodierna feſtivitate concluditur, & ideo hodie Neophytorum habitus commutatur, ita tamen, ut candor, qui de habitu deponitur, ſemper in corde teneatur*. Plura & de hoc ritu notavit jam Stephanus Duranti Lib. I. *De ritibus Eccleſiæ Catholicæ* Cap. XIX. num. 40. unumque in fine Appendicis hujus adjungam, quod olim de baptizatis infantibus mandarunt antiquiſſimus Ordo I. Romanus num. 46. apud Mabillonium Tomo II. Muſei Italici, & Pontificale Eccleſiæ Apamienſis in Syria annorum circiter DC. apud Martene Libro I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. I. Articulo XVIII. Ordine XIV. ut nempe infantes ipſi *omnibus diebus ſeptimanæ Paſchæ ad Miſſas procedant, & parentes eorum offerant pro ipſis, & communicent omnes*. Ita plane Ordo Romanus, a quo tantiſper variat memoratum Apamienſe Pontificale, ſic inquiens: *Per totam hebdomadam Paſchæ omnibus diebus ad Miſſam procedant, offerant, & communicent*. Quia ſcilicet hebdomada iſta continuatio eſt duplicis ſolemnitatis, nempe Reſurrectionis Chriſti, atque Neophytorum Baptiſmi, ideoque olim qualibet die hujus hebdomadæ duæ Miſſæ dicebantur, prima quidem pro novis baptizatis primo mane, ſecunda vero ad Tertiam in honorem Reſurrectionis Dominicæ, ut ſcite obſervat Grancolas in Commentario hiſtorico in Breviarium Romanum, Libro II. Capite LXXIII.

XVI. Et quidem ſi vel hodiernum Officium conſideremus, in eo quidem lætatur Eccleſia de recens baptizatorum nova regeneratione, reſpicit eos tanquam fluctibus diu multumque agitatos, feliciter portum tenere, & aquis Baptiſmi ablutos primum præſeferre candorem. Veſtibus albis per hoſce dies, uti jam dictum eſt, induebantur, cereos deferebant in manibus, pro iis fiebant Proceſſiones ad Fontes, & Officium breviabatur, ut Officio adeſſent; atque, ut melius Feſtum hoc Paſchatis, quod baptizatorum Feſtum eſt, celebraretur, juſſa eſt tota hebdomada fieri feſtiva, uti ex variis Synodis conſtat, inter quas Matiſconenſis anni DLXXXV. Can. II. ſtatuit, ut *nullus his ſanctiſſimis ſex diebus ſervile opus audeat facere*; & Meldenſis anno Chriſti DCCCXLV. Canone LXXVII. ſic habet: *Dies quoque octo ſacroſanctæ Paſchalis Feſtivitatis omnibus Chriſtianis feriatos eſſe decernimus ab omni opere rurali, fabrili, carpentario &c.* Tum vero in fine: *Quod ſiquis temerare præſumpſerit, excommunicetur*.

§. XXVI.

Si vero fuerint plures baptizandi, ſive maſculi, ſive feminæ, in Catechiſmo maſculi ſtatuantur ad dexteram, feminæ vero ad ſiniſtram; omnia pariter dicantur, ut ſupra in proprio genere, & numero plurali. Verum prima nominis interrogatio, exſufflatio, Crucis impreſſio, ſeu ſignatio, tactus aurium, & narium cum ſaliva, abrenuntia-

tiationis interrogatio, unctio Olei Catechumenorum, interrogatio de Fide, ſeu Symbolo, & ipſe Baptiſmus, inunctio Chriſmatis, candidæ veſtis impoſitio, atque accenſæ candelæ traditio ſingulariter ſingulis, & primum maſculis, deinde feminis fieri debent.

COMMENTARIUS.

I. SPectant antiquum Eccleſiæ ritum, quæ in hoc præſenti ſtatuuntur §. concinuntque antiquiſſimo Romano I. Ordini, Capite VII. num. 37. *Procedunt*, inquit, *qui baptizandi ſunt ad Eccleſiam, & ordinantur per ordinem, ſicut ſcripti ſunt, maſculi in dexteram, feminæ in ſiniſtram. Faciens Crucem Sacerdos in frontibus ſingulorum, poſtea impoſita manu ſupra capita ſingulorum, dicit*: Nec te latet Satanas. *Ipſa expleta, tangit ſingulis nares, & aures de ſputa, & dicit eis*, Epheta, quod adaperire in odorem ſuavitatis, tu autem effugare diabole, appropinquabit enim judicium Dei. *Poſtea tangit de Oleo Sancto ſcapulas, & pectus, & dicit*: Abrenuncias Satanæ? ℞. Abrenuncio. Et omnibus operibus ejus? ℞. Abrenuncio. Et omnibus pompis ejus? ℞. Abrenuncio. Ego te lineo Oleo ſalutis in Chriſto Jeſu Domino noſtro propitiatos in vitam æternam. Pax tibi.

II. Pergit idem Ordo, aitque numero 43. *Deinde Presbyteri, aut Diaconi, etiamſi neceſſe fuerit, & Acolythi, diſcalceati, induentes ſe aliis veſtibus mundis, vel candidis, ingrediuntur in Fonte intro aquam, & baptizantur primo maſculi, deinde feminæ ſub hac interrogatione*: Credis in Deum Patrem Omnipotentem Creatorem Cæli, & terræ? *Reſp.* Credo. Credis & in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum natum & paſſum? *Reſp.* Credo. Credis in Spiritum Sanctum, Sanctam Eccleſiam Catholicam, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, vitam æternam? *Reſp.* Credo. *Et acceptos infantes de parentibus baptizent eos ſub trina merſione, tantum Sanctam Trinitatem ſemel invocantes, ita dicendo*: Baptizo te in Nomine Patris, *& mergit ſemel*; & Filii, *& mergit iterum*; & Spiritus Sancti, *& mergit tertio*. Tum vero tandem num. ſequenti ſic habet: *Levatis autem ipſis infantibus in manibus ſuis, offerat eos uni Presbytero. Ipſe vero Presbyter faciens de Chriſmate Crucem cum pollice in vertice eorum cum invocatione Sanctæ Trinitatis, dicit*: Deus Omnipotens Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui te generavit ex aqua, & Spiritu Sancto, quique dedit tibi remiſſionem omnium peccatorum, ipſe te linet Chriſmate ſalutis in Chriſto Jeſu Domino noſtro in vitam æternam, Amen.

III. His ſimilia, ac longe plura, legere eſt in Ordine Romano VII. & in aliis antiquis Ritualibus, in quibus præſcriptum eſt, ut ubi plures baptizandi ſunt, maſculi quidem ad dexteram, feminæ vero ad ſiniſtram ſtatuantur; itemque ut prima nominis interrogatio, exſufflatio, Crucis impreſſio, & cætera in §. noſtro notata, ſingolariter ſingulis, & primum maſculis, deinde feminis fieri debeant. Atque his concinit, quæ ſtatuit S. Carolus in Concilio Provinciali V. Mediolanenſi, Parte I. Conſtitutionum, inſcripto Capite, *Quæ ad Baptiſmum pertinent*, ubi ſic ait: *Si duo, pluresve infantes offeruntur, qui eodem tempore baptizentur, eorum unicuique Catechiſmum, exorciſmum, & reliquas ſtatas cæremonias, Baptiſmumque Parochus ſigillatim miniſtret, atque adhibeat*. Et mox: *Cum duo infantes, mas ſcilicet, & femina ad Baptiſmum offeruntur, is ordo ſervetur, qui antiquiſſimi ritus eſt, ut mari primum, deinde feminæ, miniſtretur, niſi neceſſitas aliter cogit. Idemque ſervetur, ſi plures offeruntur, partim mares, partim feminæ*. Eadem legere eſt, & quidem totidem verbis in Concilio Provinciali XIII. Beneventano anni MDCLVI. Tit. XXXVX. num. 11. & 12.

§. XXVII.

Si infans, vel adultus ægrotus adeo graviter laboret, ut periculum immineat, ne pereat, antequam Baptiſmus perficiatur, Sacerdos, omiſſis quæ Baptiſmum præcedunt, eum baptizet, ter, vel etiam ſemel infundens aquam ſuper caput ejus in modum Crucis, dicens: *Ego te baptizo in Nomine Patris* ✠ *&c.* ut ſupra.

§. XXVIII.

Si non habeatur aqua baptiſmalis, & periculum impendeat, Sacerdos utatur aqua ſimplici.

COMMENTARIUS.

I. QUamquam varii ritus in ſuperioribus Paragraphis præſcripti, qui Baptiſmum præcedunt, ſubſequunturque, Apoſtolorum, & Patrum traditione mandati ſint, ut ſolide in noſtris Commentariis oſtendimus, peccentque Sacerdotes, qui abſque neceſſitate illos omiſerint, certa nihilominus, & conſtans eſt illa Eccleſiæ doctrina, ac praxis, ut ubi periculum mortis immineat, ſatis ſit ad validitatem Baptiſmi, ſi Sacerdos, vel aliquis laicus, ac etiam femina, uti ſuo loco diximus, *omiſſis, quæ Baptiſmum præcedunt, eum*, qui ſcilicet adeo graviter laboret, ut periculum immineat, ut ait hic noſter §. XXVII. *baptizet, ter, vel etiam ſemel infundens aquam ſuper caput ejus in modum Crucis, dicens*: Ego te baptizo in Nomine Patris ✠ &c. *ut ſupra*. Neque enim neceſſarium eſt ad Baptiſmi validitatem ter aquam effundere, ut docet S. Thomas Parte III. Quæſtione LXVI. Articulo VI. in Corpore, ubi poſt S. Gregorium re-

relatum in Canone, *De trina*, De conſecratione, Diſtinctione IV. ita plane loquit: *Ad Baptiſmum per ſe requiritur ablutio aquæ, quæ eſt de neceſſitate Sacramenti, modus autem ablutionis per accidens ſe habet ad Sacramentum; & ideo ſicut ex prædicta auctoritate Gregorii patet, quantum eſt de ſe, licite fieri poteſt, ſcilicet, & ſemel, & ter immergere; quia per unicam immerſionem ſignificatur unitas mortis Chriſti, & unitas Deitatis; per trinam autem immerſionem ſignificatur triduum ſepulturæ Chriſti, & etiam Trinitas Perſonarum. Sed diverſis ex cauſis ſecundum ordinationem Eccleſiæ, quandoque inſtitutus eſt unus modus, quandoque alius. Quia enim a principio naſcentis Eccleſiæ quidam de Trinitate male ſentiebant, Chriſtum purum hominem eſſe exiſtimantes, nec dici Filium Dei, & Deum, niſi propter meritum ejus, quod præcipue fuit in morte, ideo non baptizabant in Nomine Trinitatis, ſed in commemoratione mortis Chriſti, & una immerſione, quod reprobatum fuit in primitiva Eccleſia*. Additque mox: *Poſtmodum vero inolevit quorundam Schiſmaticorum, & hæreticorum error homines rebaptizantium, ſicut de Donatiſtis Auguſtinus narrat ſuper Joannem XI. & ideo in deteſtationem erroris eorum fuit ſtatutum in Concilio Toletano IV. quod fieret una ſola immerſio*. Concludit tandem, ceſſante tali cauſa communiter obſervari in Eccleſia in Baptiſmo trinam immerſionem, ideoque graviter peccare aliter baptizantem, quod ritum ab Eccleſia præſcriptum minime obſervet, valido nihilominus remanente Baptiſmo.

II. Porro nunc licet ex communi Eccleſiæ praxi, loco trinæ immerſionis, trina adhibeatur effuſio, jam & validus eſſet Baptiſmus, & minime peccaret illum adminiſtrans, ſi urgente neceſſitate, ut citius rem conficeret, non ter, ſed ſemel aquam effunderet. Id quod etiam de aqua dicendum eſt, quæ, licet ex Ritualium præſcripto, & ex antiqua, & conſtanti Eccleſiæ diſciplina, debeat eſſe conſecrata, ut ſuo loco diximus, adhiberi tamen poteſt in caſu neceſſitatis, etiamſi ſit communis, ac naturalis tamen, uti etiam alibi dictum eſt; & recte docet etiam noſter §. XXVIII. Porro noſtro huic §. inhærens S. Carolus Parte IV. Actorum Eccleſiæ Mediolanenſis ubi agit de Baptiſmi adminiſtratione, inter alia inquit, *aquam puram, mundamque eſſe, pro Sacramenti dignitate convenire, niſi neceſſitate urgente, in qua uti licet & aqua lutulenta*. Verum ut docet S. Thomas citato loco, Articulo IV. in Corpore, *ſi forte aqua admiſceatur in tam parva quantitate alieni corpori, quod compoſitum magis ſit aliud, quam aqua, ſicut lutum magis eſt terra, non poteſt fieri Baptiſmus*.

§. XXIX.

Deinde ſi habeat Chriſma, liniat eum in vertice, dicens: *Deus Omnipotens Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti &c.* ut ſupra.

§. XXX.

Poſtea dat ei linteolum candidum, dicens: *Accipe veſtem &c.* ut ſupra.

§. XXXI.

Ac demum dat ei ceream candelam accenſam, dicens: *Accipe lampadem ardentem*, ut ſupra.

§. XXXII.

Si ſupervixerit, ſuppleantur alii ritus omiſſi.

COMMENTARIUS.

I. UBi neceſſitas urgeat conferendi cito Baptiſmum, jam illud recte ſtatutum in Conciliis, & præſcriptum in Ritualibus, ut omiſſis ritibus, qui Baptiſmum præcedunt, conferatur ſtatim Baptiſmus, & deinde ſi tempus ſuppetat, & in promptu ſit Chriſma, liniat baptizatum Sacerdos in vertice dicens, *Deus omnipotens &c.* ut ſupra, ac tradat etiam linteolum, ac cereum accenſum ſub præſcriptis verborum formulis, demum vero ſi ſupervixerit, ſuppleantur alii ritus omiſſi, ut ait noſter §. XXXII. Sed cum de hac re diſſerendum ſit infra Cap. V. quod inſcriptum eſt, *Ordo ſupplendi omiſſa ſuper baptizatum*, ad illud lectorem remittimus, & ad ea, quæ nos ibidem dicemus. Opportunus eſt enim ille, ac proprius diſſerendi de ea re locus.

§. XXXIII.

Admonendi ſunt Suſceptores de ſpirituali cognatione, quam contraxerunt cum baptizato, baptizatique patre, & matre; quæ cognatio impedit Matrimonium, ac dirimit.

COMMENTARIUS.

I. QUam antiqui, & quare inſtituti ſint Suſceptores, ſeu Patrini in Baptiſmo, late diximus ſupra. Quod ſpiritualem cognationem ſpectat, quam in hoc §. contraxiſſe dicuntur cum baptizato, baptizatique patre, ac matre, præmittendum illud eſt primum

ſua

Jus antiquum tres agnoviſſe cognationis ſpiritualis ſpecies, nempe paternitatem, compaternitatem, & fraternitatem. Conſtat id quidem ex Sacris Canonibus, quos refert in ſuo Decreto Gratianus Cauſa xxx. Quæſtione III. quoſque nos explicantes, varias illas cognationis ſpiritualis ſpecies mox referemus.

II. At vero ut a prima ſpiritualis cognationis ordiamur ſpecie, quam appellabant paternitatem, reperiebatur hæc in Miniſtro, qui vel Baptiſmum, vel Confirmationem contuliſſet, itemque in Sponſore reſpectu illius, quem de Sacro Fonte ſuſceperat: *Ita diligere debet homo eum, qui ſe ſuſcipit de Sacro Fonte, ſicut patrem; quinimo quanto præſtantior eſt ſpiritus carne, quod illud ſpirituale eſt patrocinium, & ſecundum Deum adoptio, tanto magis a ſpirituali filio diligendus. Unde inter eos non arbitramur eſſe quodlibet poſſe conjugale connubium; quandoquidem nec inter eos, qui natura, & eos, qui adoptione filii ſunt, veneranda Romanæ Leges matrimonia contrahi permittunt. Item ſi inter eos non contrahitur matrimonium, quos adoptio jungit, quanto potius a carnali oportet inter ſe contubernio ceſſare illos, quos per cæleſte Sacramentum regeneratio Sancti Spiritus jungit? Longe ergo congruentius filius patris mei, vel frater meus appellatur is, quem divina gratia potius, quam humana voluntas, ut filius patris mei, vel frater meus eſſet, elegit, prudentiuſque ab alterna corporis commixtione ſecernimur.* Verba ſunt Canonis 1. in citata Cauſa, & Queſtione, qui deſumtus eſt ex celebri Nicolai Papæ I. ad Conſulta Bulgarorum, Epiſtola, ex eoque ſatis addiſcimus, qui olim in Baptiſmo, vel Confirmatione primam ſpiritualis cognationis ſpeciem, paternitatem ſcilicet, contraherent.

III. Species altera, nimirum compaternitas contrahi ſolita antiquitus fuit, I. inter Sacramenti Miniſtrum, & patrem, & matrem baptizati, aut confirmati. II. inter Suſceptores, & patrem, ac matrem ſuſcepti. III. inter uxorem baptizantis, & parentes baptizati. IV. inter uxorem Suſceptoris, & patrem, ac matrem ſuſcepti. Nitebatur antiqua hæc diſciplina duplici principio. Primo, quod Miniſtri, & Suſceptores vitam ſpiritualem conferrent recipienti Baptiſmum, ideo ſpirituales illius parentes dicebantur. Secundo quod uxor ſive Miniſtri, ſive Suſceptoris, una eſſet per matrimonium, eademque caro, juxta illud Scripturæ, *Erunt duo in carne una*, non immerito contrahere dicebantur compaternitatem cum parentibus baptizati, aut confirmati. Nixus hoc principio idem Nicolaus Papa ita reſcripſit Salomoni Conſtantienſi Epiſcopo apud Gratianum Cauſa xxx. Can. 1. Queſtione IV. *Sciſcitatur a nobis Sanctitas veſtra, ſi aliquis homo duas commatres habere valeat, unam poſt alteram. In quo meminiſſe debet, ſcriptum eſſe*: Erunt duo in carne una. *Itaque cum conſtet, quia vir, & mulier, una caro per connubium efficiuntur, reſtat nimirum, virum Compatrem conſtitui illi mulieri, cujus matrimonii aſſumpta uxor Commater eſſe videbatur; & iccirco liquet, virum illi feminæ non poſſe jungi in copula, quæ Commater ejus erat, cum qua fuerat una caro effectus.*

IV. Tertia denique ſpiritualis cognationis ſpecies, ideſt, confraternitas contrahi & olim ſolita fuit. I. inter filios Miniſtri, & eum, qui ab eo receperat Baptiſmum. II. inter natos ex Sponſore, & eum, quem de Sacro Fonte levaverat. Audiendus in hanc rem Zacarias Papa apud memoratum Gratianum in recitata Cauſa xxx. Quæſtione III. Can. II. ubi ita ſcribit Theodoro Epiſcopo Eccleſiæ Ticienſis: *Bene tua ſancta Fraternitas compertum habet, quod Dominus præcepit Moyſi, dicens*: Turpitudinem patris tui, vel matris, vel ſororis non revelabis; turpitudo enim tua eſt. *Cum ergo a propria conſanguinitate jubemur abſtinere, multo magis a ſpirituali noſtri patris filia, omni excuſatione, aut argumento ſepoſito, ſub nimia diſtrictione nos cavere convenit &c.* Ex quibus omnibus dictis hucuſque probatum videtur, Jus antiquum tres agnoviſſe cognationis ſpiritualis ſpecies, ex antiquis Canonibus explicatas, paternitatem ſcilicet, compaternitatem, & fraternitatem.

V. Venio nunc ad Jus novum, quod in Concilio Tridentino promulgatum eſt, multa innovans circa antiquas ſpiritualis cognationis ſpecies. Nam I. abſolute confraternitatem abrogavit. II. reſtrinxit paternitatem ad eum ſolum, qui Sacramentum contulerit, & ad Suſceptores. III. ita reduxit compaternitatem, ut jam non reperiatur inter Sacramenti Miniſtrum, & Suſceptores, ſicut antiquitus reperiebatur. En verba Seſſione XXIV. *De reformatione Matrimonii*, Cap. II. *Docet experientia, propter multitudinem prohibitionum multoties in caſibus prohibitis ignoranter contrahi Matrimonium, in quibus, vel non ſine magno peccato perſeveratur, vel ea non ſine magno ſcandalo dirimuntur. Volens itaque Sancta Synodus huic incommodo providere, & a cognationis ſpiritualis impedimento incipiens, ſtatuit, ut unus tantum, ſive vir, ſive mulier juxta Sacrorum Canonum inſtituta, vel ad ſummum unus, & una baptizatum de Baptiſmo ſuſcipiat, inter quos, ac baptizatum ipſum, & illius patrem, & matrem, necnon inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, ac matrem tantum ſpiritualis cognatio contrahatur.* Tum paulo poſt: *Ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum, illiuſque patrem, & matrem, ac tenentem non egrediatur.* Et demum: *Omnibus inter alias perſonas ſpiritualis cognationis impedimentis omnino ſublatis.*

VI. Hinc contra diſpoſitionem veterum Canonum, & Capitis 1. *De cognatione ſpirituali*, valet hodie Matrimonium contractum inter filiam ſuſcipientis, & baptizatum, uti cenſuit Sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpretum apud Fagnanum ad dictum Caput, neque ultra perſonas in Tridentini Concilii Decreto expreſſas extenditur; vultque Synodus Provincialis II. Mechlinenſis Tit. x. Cap. v. ſubinde moneri populum, nullam omnino cognationem ſpiritualem contrahi inter Suſceptorem, & Suſceptricem; necnon inter baptizatum, vel ſuſceptum, & ſuſcipientis conjugem. Quod & expreſſe declaravit S. Pius V. in Conſtitutione, quæ incipit, *Ad Romanum*, edita anno MDLXVI. 4. Kal. Decemb. Inde conſequens eſt, nihil obſtare, quo minus duo conjuges levent eundem de Fonte, ſed ſi alter conjugum propriam utriuſque prolem levaret, vel etiam baptizaret, cognationem hanc contraheret cum altero, quæ conjugii uſum impediret, ſaltem donec Ordinarius diſpenſaſſet. Excipitur autem caſus neceſſitatis juxta Reſponſum Joannis VIII. in Canone VII.

vii. Cauſa xxx. Quæſtione i. Quod tamen in fornicario, qui propriam prolem in neceſſitate baptizaret, non procederc, probat idem Fagnanus ad Caput II. citati Tituli, *De cognatione ſpirituali*; huncque conſequenter cum fornicaria matre prolis baptizatæ valide Matrimonium contrahere non poſſe, recte admodum notavit etiam Vaneſpen Parte II. *Juris Eccleſiaſtici univerſi*, Tit. xiii. Cap. vi. num. xvi.

VII. Cum nonnunquam contingat, ut quis per procuratorem, ſeu mandatarium, infantem ſuſcipiat, licet & aliquando diſputatum fuerit inter Doctores, a quonam cognatio ſpiritualis contraheretur, a mandante ne, an a mandatario, & immediate tangente, univerſali tamen Eccleſiæ conſuetudine receptum eſt, cognationem contrahi quidem a mittente, non vero a procuratore, cum is quæ agit, non ſuo proprio nomine agat, ſed nomine mittentis, qui deſignatus fuit Patrinus, uti poſt alios refert Barboſa, Parte II. *De officio Epiſcopi*, Allegatione xxx. num. 50. eoque citato laudatus Vaneſpen.

VIII. Siquis autem hic quærat, an contrahatur aliqua ſpiritualis cognatio, cum baptizato jam puero, ſupplentur tantum cæremoniæ Baptiſmi, iiſque Patrini aſſiſtunt? Reſpondeo, nullam prorſus tunc contrahi cognationem inter eos, qui infantem de Fonte levarunt. Et recte quidem, ob rationem, quam docet S. Thomas in Supplemento Partis III. Quæſtione lvi. Articulo II. in Corpore, ubi ſic inquit: *Sicut cognatio carnalis non contrahitur, niſi per actum generationis completum; unde etiam affinitas non contrahitur, niſi facta commixtione ſeminum, ex qua poteſt ſequi generatio carnalis; ſpiritualis autem generatio non perficitur, niſi per aliquod Sacramentum; unde non videtur conveniens, quod ſpiritualis cognatio contrahatur, niſi per aliquod Sacramentum*. Cum igitur non conficiatur Sacramentum, cum ſupplentur tantum cæremoniæ Baptiſmi, conſequens eſt, quod nulla tunc contrahatur cognatio. Et valde convenit, ut Parochi id dicant Suſceptoribus, cum dictæ cæremoniæ tantum ſupplentur, ne in hoc decipiantur, uti recte admonet Genettus, Tomo iii. Theologiæ Moralis, Tractatu II. Cap. viii. Quæſtione 8. in fine. Recte etiam monet Zypæus, *De Jure novo*, ad Titulum, *De cognatione ſpirituali*, cum pueri domi baptizati ſunt, & poſtea ſupplentur preces, & ſolemnia in Eccleſia, Patrinos hic tantum adhibitos, in Libro Baptizatorum non eſſe ſimpliciter, ut Patrinos deſcribendos, ſed ut Patrinos Catechiſmi.

IX. Porro illud notandum eſt, quod Synodi æque, ac Theologi docent, Patrinos ſcilicet eos minime effici, niſi puerum teneant, tangantve, cum baptizatur. Sed audiamus tamen quid de hac re edixerit Concilium Provinciale vi. Beneventanum anni mcccclxxiv. Tit. iv. Cap. v. in fine, ubi improbos quoſdam ſui ævi Patrinos acriter carpit, his plane verbis: *Sunt quidam ſe ad levandum puerum de Baptiſmo exhibentes, ſimulantes puerum tangere, & reſpondentes cum aliis ad interrogationes Sacerdotis*, Abrenuntio &c. *& ad alias, & puerum nominantes, non tamen eum tangentes, de quibus dicimus, quod non efficiuntur Patrini, niſi puerum tangunt, vel teneant, cum baptizatur, vel de Sacro Fonte levent, licet ad omnia reſpondeant*. Longe horrendius eſt aliud Patrinorum genus, quos mox recenſet: *Quidam autem ſunt mala intentione repleti, qui licet teneant, vel tangant puerum in Baptiſmo, non tamen reſpondent cum aliis, per hoc intendentes facere, ut non ſint, nec efficiantur Compatres, ut ſic poſſint cum minori peccato cognoſcere matrem pueri, vel eam ducere poſt tempus in uxorem, de quibus ſine præjudicio credimus, quod nihilominus Compatres facti ſunt, ex quo puerum tangunt, vel teneant; ex quo enim intendunt tangere, vel tenere, & ſic agere, quod veri Patrini agunt, cum reſponſio Patrinorum quoad compaternitatem contrahendam non ſit de ſubſtantia rei, compaternitatem contrahant eo modo; nec dolus, aut prava intentio eis patrocinando corrumpit, ſeu tollit vim Sacramenti, ſicut ſuperius dictum eſt de parentibus proprios filios ſic baptizantibus fraudulose*.

X. Pergit Concilium, aitque, puniendos graviter eſſe Compatres alios quoſdam non minus cæteris impios, qui, poſtquam puerum in Fonte tetigerunt, manus lavabant, autumantes, ea manuum ablutione compaternitatem aboleri: *Sunt & alii, qui poſtquam tetigerint puerum in Fontibus, demum extra Fontes abluunt manus, tenentes ex dicta ablutione ſic facta compaternitatem abolitam. quod falſiſſimum judicamus, & ſchiſmaticum; & tales graviter puniendi, maxime ſi ut ſe ponant cum matre pueri, hoc fecerint, ſicut de quibuſdam intelleximus; mandantes Presbyteris, ut talia non committenda, tanquam erronea populo ad Divina congregato prædicent, & exponant*. Sed longum eſſet varios id genus abuſus notare, ac refellere, quos merito Sacræ Synodi ſub gravibus pœnis damnarunt. Porro quod compaternitas, cognatioque ſpiritualis non niſi per Baptiſmum, & Confirmationem oriatur, opportune Concilium Provinciale viii. Beneventanum anno MCDLXX. habitum ſub Archiepiſcopo Corrado Capycio, Cap. vii. abuſum illum ſui ævi damnavit, quo nonnulli compaternitatem efficiebant per largitionem veſtis, quam vulgo appellabant *lo Cappiello*; ſic enim inquit: *Item volentes malitiis, & figmentis hominum obviare, præcipimus, ſtatuimus, & ordinamus, ut nullus compaternitatem extra Sacramentum Baptiſmi, & Confirmationis, neque per largitionem veſtis, ut vulgariter dicitur*, lo Cappiello, *neque per ſolam præſtationem Fidei ſine Sacramento, vel aliquo alio modo contrahat, ſub pœna excommunicationis, declarantes, & decernentes, per quidquid actam fuerit ad contrahendum compaternitatem extra dictam Sacramentum, compaternitatem de jure non ſubſiſtere*. His adde alium abuſum, cujus meminit S. Carolus in Concilio Mediolanenſi i. Provinciali, quemque merito exterminare conatus eſt, Capite, *Quæ pertinent ad Baptiſmi adminiſtrationem*, ſic inquiens: *Deteſtabilem conſuetudinem baptizatos infantes in Altare collocandi, ut muneribus Compatrum inde redimantur, Epiſcopi ſeverius vendicabunt*. Mandat tum etiam mox, ut *Compatres, & Commatres nihil infantibus, quos ſuſceperunt, aut eorum parentibus, Baptiſmi tempore largiantur*. Idem repetit in Inſtructionibus, *De Baptiſmi adminiſtratione*, Capite, *De cæremoniis, quæ, peracto Baptiſmo, ſervantur*.

XI. Multis jam hucuſque explicatis, quæ ad Patrinos, ſeu Suſceptores ſpectant, admonendi ii potiſſimum ſunt de ſpirituali cognatione, quam, ut ait hic noſter §. recitato Tridentini Con-

Digitized by Google

Concilii Decreto inhærens, contraxerunt cum baptizato, baptizatique patre, & matre, quæ impedit Matrimonium contrahendum ſcilicet, & dirimit contractum. Atque idipſum mandant paſſim, & Sacræ Synodi, ac Rituales Codices, quos non opus eſt hic recenſere. Cæterum, cum illud profecto certum ſit, conſtanterque a Theologis aſſeratur, cognatione ſpirituali impediri, ac dirimi quidem Matrimonium Jure dumtaxat Eccleſiaſtico, recte inde infertur, Eccleſiam impedimentum, de quo loquimur, poſſe omnino tollere, & a fortiori in eo diſpenſare.

XII. Licet denique omnes in eo conveniant, cognatione ſpirituali impediri, ac dirimi Matrimonium Jure Eccleſiaſtico, indagandum ſupereſt, quonam tempore cœperit ipſa eſſe Matrimonii impedimentum. Et quidem veriſimile eſt, quod notat Jueninus, *De Sacramentis*, Diſſertatione x. Quæſtione VII. Articulo III. §. IV. primos Chriſtianos per tria priora ſæcula nullam habuiſſe ejus impedimenti rationem; cum enim Apoſtolus eos interdixiſſet nuptiis cum infidelibus, & poſtea Epiſcopi cum hæreticis, neceſſe erat, ut Catholici inter ſe tantum inirent conjugia; cumque non magno ubique eſſent numero, cogebantur aliquando nubere cum iis, quos nunc cognatos ſpirituales dicimus. Sed nec habuiſſe locum impedimentum iſtud in Eccleſia uſque ad Conſtantinum Magnum, vel ex eo idem Auctor aſſerit, quod ipſius impedimenti nec antiqui Canones, quos Apoſtolicos vulgo appellamus, nec alii veterum Conciliorum meminerint, qui alioquin de affinitate, & conſanguinitate non pauca ſtatuerunt, quique diſciplinam per tria priora ſæcula complectuntur.

XIII. Putat autem Jueninus, cognationem ipſam ſpiritualem ante finem Seculi IV. fuiſſe Matrimonii impedimentum, probatque ex eo, quod Julius Papa I. & Innocentius itidem I. ac Cæleſtinus etiam I. de caſu ad illud pertinente conſulti Sæculo ipſo Eccleſiæ IV. reſponderunt, teſte Deuſdedit Papa in Epiſtola ad Gordianum Hiſpalenſem Epiſcopum; quam tamen ſuppoſitiam eſſe, pluribus oſtendit Pagius in Vita ejuſdem Pontificis Deuſdedit, num. v. ubi etiam conſtanter aſſerit, nihil fuiſſe a laudatis Pontificibus de eo impedimento ſtatutum; colligique imo ait ex Epiſtolis XI. XV. & XXII. S. Bonifacii Archiepiſcopi Moguntini cognationem ipſam ſpiritualem, nec circa medium octavi Sæculi fuiſſe Matrimonii impedimentum. Quicquid ſit de hac controverſia, meminit certe hujus impedimenti Sæculo VI. Juſtinianus in Lege XXVI. Cod. *De nuptiis*, ubi ea perſona omnimodo ad nuptias venire prohibenda declaratur, quam aliquis, ſive alumna ſit, ſive non, a Sacro ſuſcepit Baptiſmate. In Eccleſia Græca hanc ſpiritualem cognationem, & ex ea reſultans impedimentum Matrimonii, notam fuiſſe Sæculo VII. manifeſtum eſt ex Can. LIII. Concilii Trullani, in quem vide quæ ſcripſimus nos Tomo II. Commentariorum in Concilia Occumenica, pag. 145. & ſeq.

§. XXXIV.

Curet Parochus, parentes infantis admoneri, ne in lecto ſecum ipſi, vel nutrices parvulum habeant, propter oppreſſionis periculum; ſed eum diligenter cuſtodiant, & opportune ad Chriſtianam diſciplinam inſtituant.

COMMENTARIUS.

I. TAmetſi variæ antiquæ Synodi, Summique Pontifices conati ſint huic abuſui, ſcelerique parentum, nutricumque, variis editis Decretis, occcurrere, ne ſcilicet ipſi, nutriceſve in lecto ſecum parvulum habeant, propter oppreſſionis periculum, opus nihilominus fuit, ut hic §. noſter, Synodique recentiores id iterum, iterumque vetarent, Parocho mandantes, ut de ea re parentes, nutriceſque admoneantur. Extat ſane contra eum abuſum Alexandri Papæ III. Conſtitutio relata in Capite III. *De his, qui filios occiderunt*, ubi ſic inquit: *De infantibus autem, qui mortui reperiuntur cum patre, & matre, & non apparet, utrum a patre, vel a matre oppreſſus ſit ipſe, vel propria morte defunctus, non debent inde ſecuri eſſe parentes, nec ſine pœnitentia, ſed tamen conſideratio debet eſſe pietatis, ubi non voluntas, ſed eventus mortis cauſa fuerit. Si autem eos non latet, ipſos interfectores eſſe, ſcire debent, ſe graviter deliquiſſe. Quidam autem pœnitentiam trium annorum judicant eſſe debere, quorum unum peragant in pane, & aqua.* Deſumpta videtur hæc Conſtitutio ex Pœnitentiali antiquo Romano, Tit. I. Cap. XXX. ubi ſic habet: *Inveniſti infantem tuum juxta te oppreſſum, ubi tu, & vir tuus ſimul in lecto jacuiſtis, & non apparuit, utrum a patre, ſeu a te ſuffocatus eſſet, non debetis ſecuri eſſe, nec eſſe ſine pœnitentia; ſed tamen in his magna conſideratio debet eſſe pietatis, ubi nulla mala voluntas fuit, ſed propria mors; tamen propter negligentiam quadraginta dies debetis pœnitere. Si autem vos non latet interfectores eſſe infantis, non voluntate, ſed negligentia, tres annos pœnitere debetis, unum ex his in pane, & aqua; & tempore pœnitudinis ab omni luxuria vos cuſtodire debetis.* Varios antiquos Canones idem ſtatuentes congeſſit eruditus Gonzalez in Commentario ad citatum Caput III. *De his, qui filios occiderunt*.

II. Sed his omiſſis, certe ex recentioribus Synodis paſſim monere Parochus debet, præſertim poſt collatum infanti Baptiſmum, ne mater nutrixve, aut alia quævis mulier, aut alius quicumque vir infantem anno ætatis non expleto, in eodem ſecum lecto unquam teneant; ſi infantes in eodem cum ipſis lecto jacentes ſuffocari contigerit, homicidii reas futuras; & ſi non ſuffocentur, mortaliter tamen ipſas peccare propter periculum, in quod tenellorum puerulorum vitam adducunt. Excommunicationis pœnam in eas, ſive illos decrevere jam multa Concilia, tum Provincialia, tum Diœceſana, eumque ſibi caſum reſervare merito Epiſcopi conſueverunt. Confirmat hæc quidem Concilium Copriniacum in Gallia ſub Alexandro Papa IV. celebratum pau-

paulo poſt medium Sæculum XIII. Capite XXX. *Prohibeant*, inquit, *Sacerdotes mulieribus, ne colloc ent pueros parvulos in lectis ſuis ſub pœna excommunicationis. Et ſi ſuper hæc parvuli deceſſerint, propter negligentiam matris ſuæ, patris, vel alterius, ad Epiſcopum, vel ad ſuum Confeſſorem debent mitti, quia poteſtatem abſolvendi eas a talibus non habent ſimplices Cappellani*. Idipſum teſtatur S. Antoninus, qui in Summa Confeſſariorum, Parte I. in Interrogatione, *De quinto præcepto Decalogi*, Capite unico, ſic inquit: *Si mater, vel nutrix ſuffocat filium, vel filiam, quam tenet juxta ſe, inadvertenter opprimat, mortale eſt propter negligentiam, & eſt Epiſcopalis caſus*. Quamvis Synodi multæ ſinant infantes poſſe teneri a parentibus, nutricibuſque ſecum in lecto, expleto ætatis anno; non deſunt tamen aliæ Synodi, quæ biennium requirunt. Certe Senonenſis Synodus anni MDXXIV. prolis oppreſſioni, quæ ex indiſcretione parentum frequenter contingit, obviare volens, ſtatuit, *quod omnes Eccleſiarum Rectores ſæpe in ſuis Parochiis injungant ſuis Parochianis, ut curam ſollicitam habeant de infantibus in cunabulis exiſtentibus, ne inde periculum eveniat; imbibeantque ſuis parochianis, ne pueros ſecum in lectis ſuis jacere permittant, antequam ad biennium pervenerint. Quod ſi negligentes fuerint, Deo primum tanquam de homicidio rationem reddent, & pœna arbitraria punientur*. Pariſienſis quoque Synodus anni MDLVII. Presbyteris mandat, ut *hortentur matres, ac nutrices, ne infantes ante biennium ſecum dormire ſinant, ne forte illarum incuria præ ſomno, ut ſæpiſſime contingit, opprimantur. In quibus ſi negligentes fuerint, Deo primum tanquam de homicidio rationem reddent, & pœna condigna plectentur*.

III. Citat, deſcribitque recitata hactenus loca Natalis Alexander in ſua Theologia Dogmatica, & Morali, Lib. IV. Cap. VI. Articulo III. Regula X. ubi etiam ſubdit, in Diœceſi Pariſienſi, & pleriſque aliis Diœceſibus, pene omnibus, oppreſſionem parvulorum per incuriam caſum eſſe Epiſcopo reſervatum; in pleriſque iſtius peccati reos ſiſtere ſe teneri in Eccleſia Cathedrali Feria Quarta Cinerum publicam pœnitentiam accepturos, & die Cœnæ Domini ſolemni ritu abſolvendos. Sed omiſſis aliis Synodis, audiamus quid de ea re ſtatuerit Provinciale IV. Mediolanenſe S. Caroli Concilium, Conſtitutionum Parte II. ubi de iis agit, quæ pertinent ad Sacramentum Baptiſmi: *Grave*, inquit, *atque immane facinus eſt infantes per impudentiam illorum ſuffocari, qui eos ne annum quidem natos in cubili nulla cautione collocant; qui quoniam neque alia ratione, neque rei gravitate, qua Deus in primis offenditur, nec vero immanitate nefaria in officio contineri hactenus potuerunt, nos tale facinus pœnis coerceri cenſuimus*. Pergit Sanctus Carolus, atque ita decernit: *Itaque quæcumque mulier infantem anno ætatis non expleto ſecum in lecto jacentem non ea cautione tenuerit, quam ab Epiſcopo præſcriptam Parochus unuſquiſque ei ſigillatim demonſtrarit, excommunicationis pœnam ipſo facto ſubeat, cujus vinculo irretita non abſolvatur, niſi gravi, atque inſigni impoſita pœnitentia, quæ cæteris exemplo ſit*. Concludit tandem, & Parocho mandat, ut tum ſæpe populum moneat, ne hujuſmodi infantes ſecum in lecto unquam teneant, tum etiam evulget Decretum iſtud, pœnamque in Decreto ſancitam. Varia alia edita a S. Carolo eandem in rem Decreta videri poſſunt in reliquis ejuſdem S. Antiſtitis Synodis, atque in Actis Mediolanenſis Eccleſiæ.

IV. Opportunus hic locus eſt, ut de alio confodiendo abuſu dicamus, qui non ſine ingenti animarum pernicie multis viget in locis, in quibus parentes conjuges filios ſuos, filiaſque grandiores ſecum tenere in lecto non erubeſcunt. Non dubito, quin, ſicut illi, qui infantes nondum expleto ætatis anno ſecum jacere in lecto permittunt, rei culpæ læthalis ſint, ac etiam homicidii, ſi illos oppreſſerint, ita & iſti ſint ſcandali rei, ſi ſecum grandiuſculam habentes in lecto prolem, Matrimonii uſui operam dent. Quotidiana enim experientia compertum eſt, vel ipſos puerulos annorum quinque a parentibus ſuis prima luxuriæ ſemina didiciſſe. Scio, multos id genus parentes paupertate ſe excuſare, ac non poſſe pro filiis alium lectum erigere, ſed nec tamen ignarus ſum, quod, ubi pii aliqui homines lectum illis donarunt, illi ſtatim lectum vendiderunt, perrexeruntque vel ipſos adoleſcentes in ſuo ſecum lecto tenere, & rem uxoriam exercere. Optandum eſſet, ut Epiſcopi, Parochi, piique homines huic malo occurrerent, de lectis hujuſmodi parentibus providentes, caventeſque præterea, ne illos poſtea alienarent.

V. Sed ut finem huic Commentario imponam, mandat & illud tandem hic noſter §. monendos a Parocho eſſe patresfamilias, ut filios ſuos diligenter cuſtodiant, & opportune ad Chriſtianam diſciplinam inſtituant. Id eſt, quod paſſim Synodi, ac Patres inculcant, quod tamen non ſine ingenti Reipublicæ Chriſtianæ, ac Civilis detrimento contemni paſſim videmus; de pleriſque enim patribusfamilias dici jam poteſt, quod ſuo ævo ajebat Sanctus Joannes Chryſoſtomus, quod nempe permulti ex illis *majorem aſinorum, ac equorum, quam filiorum curam haberent*. Certum profecto eſt, culpæ læthalis reos eſſe parentes, qui puellos, puellaſque vivere ſuo arbitrio ſinunt, pravis eorum moribus conniventes; ipſiſque parentibus attribui debet, innumerorum fere adoleſcentum ad triremes, & non paucorum ad furcam damnatio, ut de feminis adoleſcentibus ſileam, quæ a parentibus ſuo & ipſæ arbitrio relictæ, vitam turpiſſimam ducunt, copiamque corporis ſui facientes, omnibus ad ſe aditum præbent, quorum multi eam ob cauſam egentes facti, ac morbo incurabili infecti, in ipſo juventæ flore miſere moriuntur.

VI. Res illa quoque eſt lacrymis digna, vel in ipſis Civitatibus, Oppidiſque inſignibus, in quibus educandis, inſtruendiſque Orphanis, pia erecta ſunt domicilia, innumeros pueros ſeminudos primorum rudimentorum Fidei omnino inſcios per vicos, & plateas, ac fora potiſſimum vagari, ut aliquid furentur; jacent ut plurimum nocte in Templorum veſtibulis, ſcaliſque Palatiorum. Frequentiora illis verba obſcena, blaſphemiæ, imprecationeſque. Siquis eos velit corrigere, eo temeritatis quoque perveniunt, ut in pium monitorem lapides jaciant. Siquid furati, lucrative fuerint, ſtatim ludo alearum exponunt, quem etiam in Templorum ſcalis inſtruere ſolent. Quæ cum ita ſint, non dubito, quin læthaliter peccent animarum Paſtores, Magiſtratuſque locorum, qui tanto malo remedium opportunum adhibere negligunt.

§. XXXV.

§. XXXV.

Commonendi ſunt etiam parentes, & alii, ſi opus fuerit, ne filios Hebræis, aliiſve infidelibus, vel hæreticis mulieribus ullo modo lactandos, aut nutriendos tradant.

COMMENTARIUS.

I. SI jus naturæ ſpectemus, teſtantur quidem Leges Civiles, teneri parentes ſuam prolem lactare: *Ipſe naturalis ſtimulus parentes ad liberorum ſuorum educationem hortatur*. Verba ſunt Juſtiniani Imperatoris in Lege unica, §. *Taceat*, Cod. *De rei uxoriæ actione*. Et ſcite Ariſtoteles Lib. 1. Politicorum, Cap. ultimo, *Naturæ*, inquit, *munus eſt alimentum iis, quæ procreavit, præbere*. Apud Gellium Libro XII. Capite 1. copioſe quidem, docteque Phavorinus Philoſophus diſſerit, mulieres ſuo lacte debere ſuos fœtus educare. Cujus rei cauſæ multæ afferri poſſunt. Tum quia natura ideo mammas, ſive ubera matribus, illuſtribus, & nobilibus æque, ac aliis puerperis, lacte diſtenta dedit, ut ipſæ ſuos infantes alerent. Tum quia matres idipſum lac habent, quo infantes in utero alebantur; idem ſiquidem ſanguis eſt, quem in utero infantes hauſerunt, jam ſaltem dealbatus; ideoque res ſalubrior erit infantibus, ſi eodem nutriantur. Tum quia affectio major eſt, aut certe eſſe debet erga prolem in matre, quam in ulla nutrice; quippe infans vere os de oſſe, caro de carne matris. Tum quia periculoſa eſt mutatio lactis, cum eadem non ſit fortaſſe nutricis, ac fuit matris, complexio; & lactis alieni ſuccus, nec ſanitati, nec incremento conducit; ſimili nempe unumquodque alitur, contrario oblæditur, mutatione dejicitur. Tum etiam quia ſæpe cum lacte boni, vel mali mores ex uberibus hauriuntur. Quid enim ſi nutricem mater nacta ſit ebrioſam, iracundam, libidinoſam? Combibet in ipſo lacte venena maleficæ feminæ tener alumnus, audietque:

Non tibi Diva Parens generis, nec Dardanus Auctor,
Perfide, ſed duris genuit te cautibus horrens,
Caucaſus, Hircanæque admorunt ubera tigres.

Itemque illud.

Natus es e ſcopulis, nutritus lacte ferino.

II. Hæc plane potiſſima cauſa eſt, cur & Rituales Codices, ac Sacræ Synodi, vetuerint ſemper parentibus Chriſtianis, Catholiciſque, *ne filios Hebræis, aliiſve infidelibus, vel hæreticis mulieribus ullo modo lactandos, aut nutriendos tradant*; quia ſcilicet, uti dictum eſt, & plerique Auctores docent, ſæpe cum ipſo lacte boni, vel mali mores ex uberibus hauriuntur. Porro laudandæ minime ſunt vel ipſæ Matronæ nobiles, quæ infantes ſuos nutrire verecundum, ſinu vero catellos fovere honorificum exiſtimant. Quæcunque illæ ſint, integræ ſi matres eſſe voluerint, quos pepererint, non rejicient, ſed ut animis, atque corporibus filiorum provideant, eos alent, eiſque ubera porrigent. Quod ſi neceſſitate aliqua adigantur, ob quam filios ſuos lactare ipſæ nequeant, curandum illis ſummopere eſt, ut illos nutriendos tradant nutricibus ſimillimæ non modo ſuæ complexionis, ſed Chriſtianis virtutibus præditis.

§. XXXVI.

Antequam infans ex Eccleſia aſportetur, aut Suſceptores diſcedant, eorum nomina, & alia de adminiſtrato Baptiſmo ad præſcriptam formam in Baptiſmali Libro Parochus accurate deſcribat.

COMMENTARIUS.

I. QUod plures quotidie occurrant difficultates, & dubia circa ſpiritualem cognationem inter baptizatos, & Suſceptores, vel baptizatorum parentes contractam, necnon ſuper natalibus, vel ætate baptizatorum, quorum probatio, & certitudo, vix aliunde, quam ex Libris, ſeu Regiſtris, quæ dicuntur *Baptiſmalia*, haberi poteſt, merito Concilium Tridentinum Seſſione XXIV. *De reformatione Matrimonii*, Cap. II. inter alia ſtatuit, ut Parochus *in Libro eorum nomina deſcribat, doceatque eos, quam cognationem contraxerint, ne ignorantia ulla excuſari valeant*. Fuit & hic plane antiquus Eccleſiæ mos, cui inhærens S. Carolus, in ſuo Provinciali Concilio I. Mediolanenſi, Capite inſcripto, *Quæ pertinent ad Baptiſmi adminiſtrationem*, ita plane edixit: *Parochus Librum habeat, diligenterque cuſtodiat, in quo baptizati, parentum, & Compatrum nomen, cognomen, diemque nativitatis, ac Baptiſmi, & an ex legitimis nuptiis procreatus ſit, deſcribat; & quotannis ſingulorum annorum ſcriptæ ejus rationis exemplum det Epiſcopo, qui id fideliter adſervandum curabit*. Rurſus in Concilio Provinciali VI. ubi agit de Baptiſmo, diſerte ſtatuit, ut *eorum, qui domi, aut in Eccleſia, tanquam Compatres ad Baptiſmum adhibiti ſunt, nomina in Libro baptizatorum Parochus notet, ne impedimentum Matrimonii contrahendi ignoretur*.

II. Similia his ſtatuta ſunt in aliis aliarum Eccleſiarum Synodis paſſim, ut in fine hujus Operis, ubi de ipſo Libro agendum erit, latius dicemus. Quod enim hunc §. ſpectat, mandat hic quidem, ut *antequam infans in Eccleſia aſportetur, aut Suſceptores diſcedant, eorum nomina, & alia de adminiſtrato Baptiſmo ad præſcriptam formam in Baptiſmali Libro Parochus accurate deſcribat*. Atque huc ſpectat, quod dictum a nobis ſuperius fuit, Cap. 1. ut inter alia, quæ, cum Baptiſmi Sacramentum adminiſtrandum eſt, in promptu eſſe debeant, ſit *item Liber*

ber Baptiſmalis, in quo baptizati deſcribuntur, ſtatim ſcilicet Baptiſmo peracto, & antequam infaos ex Eccleſia aſportetur, aut Suſceptores diſcedant, ut expreſſe mandat noſter §. cui etiam conſentit Cæremoniale Ambroſianum juſſu Cæſaris Montii Cardioalis, & Arebiepiſcopi Mediolanenſis edito, & S. Carolus in memoratis toties Inſtructionibus ſuis, *De Baptiſmi adminiſtratione*, ubi ſic inquiunt: *Notabit*, Parochus nempe, *præſcripta ratione in Libro baptizatorum, antequam diſcedatur, ſi commode fieri poteſt, nomina, & cognomina, ac patriam infantis, parentum, & Patrini, ac Matrinæ, ſive in Eccleſia, ſive domi infans baptizatus eſt; annum item, & diem, cæteraqae ad præſcriptum formulæ traditæ.* Atque id etiam ſtatutum invenio in variis Synodis Provincialibus, Diœceſanisque, ac Ritualibus Libris.

C A P U T III.

De Baptiſmo adultorum.

I. CErtum eſt, ſolum hominem eſſe Baptiſmi ſubjectum; cum autem, vel infans, vel adultos eſſe poſſit, & de prioris Baptiſmo abunde dictum hactenus fuerit, merito nunc de Baptiſmo alterius agendum, & quidem juxta ordinem in hoc, & ſequenti Capite præſcriptum. In quorom Commentariis ordinem nos Paragraphorum ſequentes hæc potiſſimum explicabimus. I. hiſtoriam Catechumenatus, quem baptizandi adulti, ſi ſani eſſent, decurrebant. II. diſciplinam, quam vetus Eccleſia erga infirmus baptizandos obſervavit. III. diſpoſitiones, quas tum in ſanis, tum in infirmis Majores noſtri Baptiſmo recipiendo neceſſarias judicarunt. IV. ritus, ac cæremonias in ſingulis Paragraphis præſcriptos.

§. I.

Siquis adultus ſit baptizandus, debet prius ſecundum Apoſtolicam regulam in Chriſtiana Fide, ac ſanctis moribus diligenter inſtrui, & per aliquos dies in operibus pietatis exerceri, ejuſque voluntas, & propoſitum ſæpius explorari, & nonniſi ſciens, & volens, probeque inſtructus baptizari.

C O M M E N T A R I U S.

I. BAptiſmum adultis nonniſi Catechumenis conſueviſſe olim conferri, vetuſtiſſima eſt Eccleſiæ diſciplina, ſicut & illa officii Catechiſtæ, quo etſi Apoſtoli, eorumque ſucceſſores Epiſcopi perfuncti antiquitus fuerint, nihilo tamen minus, quia variis, utilioribuſque curis ſoliti illi eſſent ad alia diſtrahi, ea ſemper invaluit in Eccleſia conſuetudo, ut id muneris aliis committeretur. Proviſum ergo illud hoc in negotio fuit, ut nonniſi viri pietate, ingenio, ac doctrina præſtantes deligerentur, quales Alexandriæ extiterunt, Pantænus, Clemens, Origenes, Heraclas, Dionyſius, uti docet Euſebius Lib. v. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Cap. x. & Lib. vi. Cap. iii. v. x. xxxii. Et certe cum eis non infrequenter res eſſet cum Philoſophis, aliiſque profanæ ſcientiæ eruditis viris, qui non tam ingenio, quam Fide rudes erant, recte obſervat Martene, Libro i. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. i. Articulo v. num. II. non levem Eccleſiam paſſam fuiſſe injuriam, ſi eorum argumentis, ſubtilioribuſque ſophiſmatis reſpondere nequiſſent. Hinc Lactantius Lib. vi. *Divinarum Inſtitutionum*, Cap. xxi. *Homines literati*, inquit, *ſi non fuerint ab aliquo perito Doctore fundati, minus credunt. Aſſueti enim mollibus, & politis, ſive orationibus, ſive carminibus, Divinarum Literarum ſimplicem, communemque ſermonem pro ſordido aſpernantur.*

II. Jam non ſemper ordinis, aut dignitatis hac in re habita ratio fuit, ſed etiam aliquando laici publice docere permittebantur, ut ſcite idem Auctor probat exemplo Origenis, qui annos octodecim dumtaxat natus, Alexandriæ inſtituendis Catechumenis præfectus eſt; patetque ex Conſtitutionibus vulgo Apoſtolorum, Lib. viii. Cap. xxxviii. ubi ita legimus: *Qui docet, quamvis ſit laicus, peritus tamen ſermonis, & moribus gravis, doceat. Erunt enim omnes docibiles Dei.* Aliquando ſimplices Lectores, ut conſtat ex S. Cypriano in Epiſtola xxiv. ad Presbyteros, & Diaconos, in qua *Optatum inter Lectores Doctorem Audientium ſe conſtituiſſe aſſerit.* Frequentius tamen ad id muneris Diaconi deligebantur, ut colligere licet ex S. Auguſtino, qui aureum illum Librum, *De catechizandis rudibus*, rogatus a Deogratias Diacono Carthaginenſi, ut illi uſui eſſet, conſcripſit. Hinc forte etiam in prædicto Libro viii. Conſtitutionum Apoſtolicarum, Cap. xxxviii. decernitur, ut *qui primo ad myſterium pietatis accedunt, per Diaconos adducantur ad Epiſcopum, vel Presbyteros, & cauſæ exquirantur, cur ad Dominicum ſermonem acceſſerint &c.*

III. Plerumque etiam a Presbyteris inſtruebantur Gentiles baptizandi, uti docet vulgatus Dionyſius in Libro, *De Eccleſiaſtica Hierarchia*, ubi antiquos ritus deſcribit adducendi rudes ad Presbyterum his verbis: *Qui autem horum, quæ vere cæleſtia ſunt, particeps fieri cupit, cum aliquem eorum, qui initiati ſunt, adiit, ſuadet ille quidem, ut ſe recta ad Sacerdotem ducat; ipſe autem ſe omnino ea, quæ tradentur, ſequuturum eſſe pollicetur, petitque, ut ad eum adducatur, & vitæ omnis, quam deinceps aget, curam ſuſcipiat. Illum autem, qui ejus quidem ſalutis ſancta cupiditate ducitur, ſed ex rei magnitudine hominis ingenium metitur, horror quidem repente, reique difficultas deterret; ad extremum tamen id, quod petivit, benigne ſe facta-*

Digitized by Google

ſturum eſſe promittit, acceptumque eum ducet ad Sacerdotem. Hic vero lætus, quaſi ove in humeros virorum impoſita, primum quidem principium, quod unum boni cauſa eſt, & a quo vocantur ea, quæ vocantur, & quæ adipiſcuntur ſalutem, eam conſequuntur, mentis gratiarum actione, corporeaque veneratione adoritur, Deinde omni ſacro cœtu, & adjuvandæ, celebrandæque ejus ſalutis, & divinæ bonitati gratiarum agendarum cauſa in ſacrum chorum convocato, ipſe principio Hymnum quendam, qui in Divinis ſcriptis continetur, cum omni Eccleſiaſtico ordine recitat; deinde ſacram Menſam oſculatus, ad virum, qui adeſt, venit, eumque interrogat, cur venerit &c. Multa in hoc prolixo antiquiſſimi Auctoris teſtimonio continentur, quæ brevitatis ſtudio nos omittentes, ſtudioſo lectori obſervanda relinquimus.

IV. Explicato utcumque Catechiſtæ officio, de quo fuſe agit Joſeph Vicecomes in Tractatu, *De ritibus Baptiſmi*, quod locum ſpectat faciendis catecheſibus deſignatum, obſervandum illud inprimis eſt, Apoſtolos, Viroſque Apoſtolicos, qui prima apud Gentiles Fidei ſemina diſperſerunt, non in Ædibus, ſed in Foro præſertim, & in Plateis publicis ſolitos fuiſſe concionari. Ejuſmodi occurrunt exempla nonnulla non modo in Actibus Apoſtolorum, ſed etiam in Vitis, & Hiſtoriis Sanctorum. Ita nimirum Sancto Otho Bambergenſis Epiſcopus, & Pomeranorum Apoſtolus apud Pirriſenſes *de loco editiori*, apud Stetitenſes *per vicos, & capita platearum*, apud Havelbergenſes *de edito ante portam Civitatis loco*, omni coadunato populo verbum ſalutis prædicaſſe dicitur in ejus Vita apud Surium die II. Julii. Sed non prætereunda antiquiora exempla, ex quibus docemur, poſtquam aliquorum in cordibus altas agere radices incœpit Chriſtiana Religio, creſcente in dies Diſcipulorum Chriſti numero, cœpiſſe non quidem in Eccleſiis, ut poſtea factum eſt, aut in publicis Oratoriis ſacris, ſed in privatis ædibus, ad eos, qui Chriſtianorum numero accenſeri cupiebant, fieri Catecheſes. Certe eam fuiſſe Alexandriæ Origenis conſuetudinem, ſatis innuit Vir doctiſſimus Daniel Huetius Abrincarum Epiſcopus Lib. I. Origeneanorum, Cap. I. ubi agens de incitato in Origenem Gentilium furore, ait, ſtatim domum ejus, *quam frequentari Catechumenis, adverterant*, armatis hominibus circumſeſſam fuiſſe; idque evidentius patet ex Literis Demetrii Alexandrini Epiſcopi ad Alexandrum Hieroſolymorum, & Theoctiſtum Cæſarienſem Epiſcopos, quibus conqueritur, quod contra morem, & conſuetudinem Origenem in Eccleſia publice coram Epiſcopo concionari permiſiſſent. Quo ex loco Vir Clariſſimus Henricus Valeſius in Notis ad Euſebii Hiſtoriam Lib. VI. Cap. XIX. infert, *Origenem, qui Catecheſes fecerat Alexandriæ, in privato Auditorio, non autem in Eccleſia Catechumenos inſtituiſſe*. Addit tum mox: *Neque enim Alexandro, & Theoctiſto Epiſcopis id objiceret Demetrius, quod Origenem in Eccleſia docere juſſiſſent, ſi Alexandriæ idem ab Origene factum fuiſſet*. Subdit etiam ſtatim: *Certe Catecheſes olim non fiebant in Eccleſia, ſed in Baptiſterio, aut in aliquo alio extra Eccleſiam loco*; Idque probat ex Epiſtola Joannis Hieroſolymitani ad Thephilum Alexandrinum, cui addere etiam potuiſſet S. Ambroſii Epiſtolam XX. novæ editionis ad Marcellinam ſororem, in qua Symbolum Competentibus ſe tradidiſſe aſſerit.

V. Enarratis hucuſque & Catechiſtæ officio, & loco, in quo fieri Catecheſes ſolebant, venio nunc ad Catechumenos, ad adultos ſcilicet homines illos, qui nondum baptizati Fidem Chriſtianam ab Eccleſiæ Paſtoribus, Miniſtriſve docebantur. Neque enim omnibus promiſcue adultis, ſed tantum probatis in Schola, quam dicebant Catechumenatum, Majores noſtri Baptiſmum conferebant, infidelium a Catechumenis diſtinctione, quæ quidem ab hæreticis minime ſervabatur, Eccleſiaſticæ diſciplinæ partem poſitam eſſe cenſentes; uti nos docet Tertullianus in Libro, *De præſcriptionibus adverſus hæreticos*, Cap. XLI. ubi ſic habet: *Non omittam ipſius etiam converſationis hæreticæ deſcriptionem, quam futilis, quam terrena, quam humana ſit, ſine gravitate, ſine auctoritate, ſine diſciplina, aut Fidei ſuæ congruent, In primis quis Catechumenus, quis Fidelis, incertum eſt. Pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant*.

VI. Itaque ex pervetuſto hoc teſtimonio tres Catechumenorum claſſes, ſeu gradus addiſcimus, uti inter alias notavit Jueninus in Opere, *De Sacramentis*, Diſſertatione II. Quæſtione VII. Cap. II. Articulo I. Primus Audientium erat, qui Religionis Chriſtianæ deſiderio teneri videbantur; quamobrem Synaxibus frequenter aderant, Scripturas, quæ a Lectoribus in pulpito legebantur, Concioneſque, quas habebant Epiſcopi, poterant audire, ſed tamen nondum nomen ſuum Catechumenorum albo inſcribendum dederant. Hi ex conventibus, Sacrificii tempore, cum Ethnicis, & Pœnitentibus, quos & Audientes vocabant, ejiciebantur. Alter Catechumenorum gradus eorum erat, qui in Templis flectebant genua, ſuper quibus genuflexis orationes proferebantur. Hi proprie Catechumeni antiquitus dicebantur, iique ſunt, quos intelligere oportet, cum in Synaxibus, tum apud Græcos, tum apud Latinos, Diaconus dicebat; *Quicumque Catechumeni diſcedite*. Tertius gradus erat Competentium, ſeu Electorum, qui a reliquis Catechumenis poſt diligens examen ſegregati, Baptiſmati in proxima Paſchatis, aut Pentecoſtes ſolemnitate recipiendo idonei judicabantur.

VII. Ritu ſingulari infideles Catechumeni inaugurabantur. Eum ritum S. Gregorius Magnus in ſuo Sacramentario ſub Titulo, *Ad Catechumenum ex Pagano faciendum*, deſcribens, jubet I. ut illi audienti Fides Catholica exponatur. II. ut ab eo expetatur vitæ melioris propoſitum. III. ut in illius os inſuffletur. IV. ut frons muniatur Crucis ſigno. V. ut manus ei cum oratione imponatur. VI. ut ſal ei deguſtandum præbeatur. Ejus verba hæc ſunt: *Gentilem hominem cum ſuſceperis, primo catechiſes eum divinis ſermonibus, & des ei monita, quemadmodum poſt cognitam veritatem vivere debeat. Poſt hæc facias eum Catechumenum, & exſuffles in faciem ejus, & facias ei Crucem in fronte, & ponas manum ſuper caput ejus, his verbis:* Accipe ſignum Crucis &c. *Inde vero poſtquam guſtaverit medicinam ſalis, & ipſe ſe ſignaverit, benedices eum, his verbis:* Domine Sancte Pater &c. Similia leguntur in mss. Sacramentorum Libris, quorum character annos mille, aut circiter, repræſentat, ſcilicet Gellonenſi, Remenſi S. Remigii, Anglicano ex Mo-

Munaſterio Gemmeticenſi, Nuviumenſi, & aliis apud Martene eitatu Lib. 1. Cap. 1. Articulo VII.

VIII. Catechumeni proprie dicti, eo tempure, quo ſuam deeurrebaut ſtationem, præcipua quidem, tum Veteris, tum Novi Teſtamenti Capita, non tamen myſteria ſub literæ curtice latentia ducebantur; idque tum ex S. Cyrillo Hieruſolymitano in Præſatione ad Catecheſes, tum ex S. Auguſtiuo in Libro, *De catechizandis rudibus*, Cap. III. culligitur. Competentibus vero altiſſima Fidei Chriſtianæ principia, Symbolum nempe, quo Trinitatis, & Incarnatiunis myſteria continentur, Oratio Dominica, nec non ea, quæ ad Baptiſmi, Confirmationis, & Euchariſtiæ Sacramenta pertinent, tradebantur. Ipſius diſciplinæ teſtes ſunt Laodiceni Cuncilii Patres, Can. XLVI. ubi ſic inquiunt: *Quod oportet eos, qui ad Baptiſmum veniunt, Fidem diſcere, & quinta Feria ſeptimanæ majoris Epiſcopo, aut Præſbyteris reddere*. Teſtis eſt etiam Auguſtinus in Libro, *De Fide, & operibus*, Cap. X. ubi hæc habet: *Cur ergo baptizandis vel Symbolum tradimus, reddendumque repaſcimus &c.* Teſtis eſt denique, ut alios omittam, Martinus Braearenſis Epiſcopus, Cap. XLIX. ſic inquiens: *Oportet etiam in ipſis diebus, ut hi qui baptizandi ſunt, Symbolum diſcant, & quinta Feria noviſſimæ Septimanæ*, Quadrageſimæ ſcilicet, *Epiſcopo, vel Presbyteris reddant*.

IX. Catechumeni tum primi, tum ſecundi gradus, nulli ſpeciali pœnitentiæ, nullis laburibus addicebantur. Nullus enim Canones reperire eſt, quibus particularem victus rationem ſubire cogerentur. E contra tertii gradus Catechumeni, quus Competentes appellabant, rigida pœnitentia damnabantur. Publicu ſiquidem Fidelium cœtui nudis pedibus, tonſo capite, cilicio coupertos ſiſtere ſe præſentes jubeantur. A vino, carnibus, uxoribuſque, ex Eccleſiæ mandato, temperabant: *Baptizandi nomen ſuum dent, & diu abſtinentia vini, & carnium, ac manus impoſitione crebru examinati Baptiſmum percipiunt*. Verba ſunt Concilii IV. Carthaginenſis anni CCCXCVIII. Can. LXXXV. cui concinit S. Auguſtinus in citato Libro, *De Fide, & operibus*, Capite VI. ubi ita ſcribit: *Sine dubio non admitterentur, ſi per ipſos dies, quibus eandem gratiam percepturi, ſuis nominibus datis, abſtinentia, jejuniis, exorciſmiſque purgantur, cum ſuis legitimis, & veris uxoribus ſe concubituros, atque hujus rei alio tempore licitæ, paucis ipſis ſolemnibus diebus nullam continentiam ſervaturos profiterentur*. Eſſe haue diſciplinam, S. Auguſtini, & Concilii IV. Carthaginenſis ætate antiquiurem, patet ex teſtimuuio Tertulliani, qui in Libro, *De Baptiſmo*, Cap. XX. recenſens diſpoſitiones, quas Baptiſmati recipiendo ſuo ævo, Ideſt, Sæculo Chriſti II. a Catechumenis Eccleſia prærequirebat, ita plane inquit: *Ingreſſuros Baptiſmum, urationibus crebris, & jejuniis, genieulationibus, & pervigiliis orare oportet, & cum confeſſione omnium retro delictorum*.

X. Inter alia itaque Catechumeuorum ad Sacrum Lavacrum ſe præparautium exercitia, ſingulare fuit illud cunfitendi peccata, ut ex citato mox Tertulliani teſtimonio liquet, cui accedunt Euſebius, & Socrates, quurum primus Lib. IV. *De Vita Conſtantini*, Cap. LXI. urdinem Baptiſmi illius deſcribens, ſic luquitur: *Hæc cum ſecum reputaſſet genuflexo humi procumbens, veniam a Deo ſupplex popoſcit, peccata ſua confitens in Martyrio, quo in loco manuum impoſitionem cum ſolemni precatione primum meruit accipere*. Alter vero Lib. V. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Cap. XVII. agens de Serapidis Templi ſubverſione, dicit, quud tunc temporis *multo plures ad Chriſtianam Religionem ſe contulerunt, & peccata ſua confitentes, Baptiſmum Chriſti ſuſceperunt*. Hinc Pelagiæ meretrici ad S. Nunni Epiſcopi pedes proſtratæ, & Baptiſmum enixe puſtulanti dixit Romana Diacuniſſa: *Surge filia, ut exorcizerit; dixitque ei, confitere omnia peccata tua*, ut legere eſt apud Surium die VIII. Octobris in ejuſdem S. Pelagiæ Vita. Addi & his poſſent varia in hac diſciplina veterum Patrum loca, ſed ut alios omittam, diſciplinam ipſam confirmat S. Gregurius Nazianzenus in Oratiune in Sanctum Lavacrum, in qua ad baptizandus ſic inquit: *Ne dedigneris tuum prodere peccatum, cum ſcias quemadmodum Joannes baptizabat, ut confuſione præſenti futuram evadere poſſis*.

XI. Quamquam veru ſervata hæc olim fuerit diſciplina, ut Baptiſmu adulturum Cunfeſſio peccaturum præmitteretur, fateri nihilominus cugimur, eam minime neceſſariam fuiſſe; cum certum illud omnino ſit, ſolu Baptiſmo cujuslibet peccati culpam deleri. Id enim conſtat ex Sacra Scriptura; nam Capite II. Actuum Apuſtolorum Petrus ait: *Baptizetur unuſquiſque veſtrum in remiſſionem peccatorum*. In Epiſtola quoque Pauli ad Epheſius, Cap. V. Chriſtus per Baptiſmum Eccleſiam mundare dicitur: *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*. Idipſum docent paſſim & Patres, inter quos S. Auguſtinus Lib. III. *De Symbolo ad Catechumenos*, Cap. X. ſic ait: *Omnia prorſus delicta delet Sanctum Baptiſma, originalia, & propria, dicta, facta, cogitata, incognita, omnia dimittuntur*. Atque hæc eſt quidem Eccleſiæ traditio, cui ſubſcripſit S. Hieronymus in Epiſtula LXXXIII. ad Oceanum, ubi ita loquitur: *Omnia ſcorta, & publicæ colluvionis ſordes, impietas in Deum, parricidium, & inceſtus in parentes, atque in extraordinarias voluptates, utriuſque ſexus mutata natura, Chriſti Fonte purgantur*. Sed ſupervacaneum eſt in re tam certa alios Patres referre, quorum loca videri apud Theologos poſſunt de Baptiſmo agentes.

XII. Sed ut de præparatione adultorum ad Baptiſmum, præter ſuperius dicta, alia quædam nunc adnotemus, illud profectu ſciendum, datis Catechumenus nominibus, nihil aliud cogitaſſe, quam ut variis pietatis operibus, duriſque, ac ſedulis pœnitentiæ exercitiis, ad recipiendum novæ in Chriſtu nativitatis gratiam ſe ſe præpararent. Audiendus S. Cyrillus, qui ſub finem primæ Catacheſeus ita Catechumenos alloquitur: *Tot annorum circulos tranſegiſti, mundo fruſtra operam navans, & quadraginta diebus non vacabis pro anima tua?* Vacate, & videte, quia Ego ſum Deus, *dicit Scriptura Divina*. *Otioſa loqui multa recuſa, ac neque ipſe detrahas, nec detrahentem alieni audi; ſed potius in precationibus aſſiduus eſto. Monſtra in exercitio cordis tui quod erat occluſum; munda vas tuum, ut gratiam capiat ampliorem*. Tum paulo poſt: *Certamen ſuſtinens pro tua ipſius anima, his præſertim diebus. Sacris lectionibus animam tuam recrea*. Quæ potiſſimum eſſent eorum exercitia, qui ſe ad Sanctum Baptiſmum accipiendum accingerent, jam ſupra ex Tertulliano retulimus, qui

in

in citato Libro, *De Baptiſmo*, Cap. xx. inter alia meminit crebrarum orationum, jejuniorum, geniculationum &c. Tertulliano concinit S. Gregorius Nazianzenus in memorata Oratione in Sanctum Lavacrum, ubi baptizandum his verbis inſtruit: *Bona tibi erunt auxilia ad ea, quæ deſideras, conſequenda, vigiliæ, jejunia, humi dormitio, orationes, lacrymæ, ærumnæ, indigentium opitulatio*.

XIII. Neque vero una eademque in omnibus Eccleſiis extitit diſciplina circa eos, qui ad Catechumenatum admiſſi, in ſcelera labebantur. Apud Hiſpanos labente Sæculo III. Catechumeno delatori non niſi peracto in Catechumenatu quinquennio, Baptiſmus conferebatur: *Si Catechumenus delator fuerit, poſt quinquennium admittatur ad Baptiſmum*. Ita plane ſtatuit Concilium Illiberritanum, Can. LXXIII. Si duplicatum eſſet flagitium, Catechumenus non niſi in vitæ exitu Baptiſmo donabatur juxta ejuſdem Concilii Sanctionem Can. LXVIII. *Catechumena ſi per adulterium conceperit, & conceptum necaverit, placuit in fine vitæ baptizari*. In Eccleſiis Orientalibus Competentes, qui graviter deliquerant, in Catechumenorum ſecundi gradus ſtationem, Catechumeni vero ſecundi gradus ad Audientium claſſem demittebantur. Audientes vero ſi ſe ſe flagitiis devinxiſſent, ab ipſo etiam Eccleſiæ limine ejiciebantur, ſeu tanquam ethnici habebantur. Diſciplinæ hujus teſtes ſunt antiquiſſimæ Synodi in Oriente habitæ, inter quas Nicæna I. Oecomenica, Can. XIV. ſic ad rem ait; *De Catechumenis, & qui lapſi ſunt, viſum eſt ſanctæ, & magnæ Synodo, ut ii tribus tantum annis Audientes ſint, & poſtea orent cum Catechumenis*. Et Synodus Neocæſarienſis Can. V. ex verſione Iſidori Mercatoris ita plane habet: *Catechumenus, ideſt Audiens, qui ingreditur Eccleſiam, & ſtat cum Catechumenis, ſi peccare viſus fuerit, figens genua audiat verbum, ut ſe abſtineat ab illo peccato, quod fecit*. Cæterum ejectum illum ob ſcelera Catechumenum, necnon eum, qui fere nunquam Synaxibus ſe præſentem ſiſtebat, in vitæ exitu donatum fuiſſe Baptiſmate, docet nos laudata Synodus Illiberritana, Can. XLV. *Qui aliquando fuerit Catechumenus, & per infinita tempora nunquam ad Eccleſiam acceſſerit, ſi eum de Clero quiſque cognoverit eſſe Chriſtianum, aut teſtes aliqui extiterint fideles, placuit ei Baptiſmum non negari, eo quod in veterem hominem deliquiſſe videatur*.

XIV. Sed neque idem temporis ſpatium ſingulis Catechumenorum claſſibus ubique præfixum fuit. Primo enim iis, qui proprie Catechumeni dicuntur, ſive qui ſtant in ſecundo gradu, Clemens Papa I. ſive alius ejus nominis pervetuſtus Auctor, tres menſes præſcribit; ſic enim loquitur Epiſtola III. *Si quis fidelis voluerit exiſtere, & baptizari ... det nomen ſuum ... jejuniis frequentibus operam impendat, ac ſe ipſum in omnibus probet, ut tribus menſibus jam conſummatis, in die feſto poſſit baptizari*. Concilium Illiberritanum Can. XLII. ab iis hominibus, qui in gentilitate honeſtis præditi fuere moribus, expetiit biennium: *Eos, qui ad primam credulitatis Fidem accedunt, ſi bonæ fuerint converſationis, intra biennii tempus placuit ad Baptiſmi gratiam admitti debere*. Synodus Agathenſis anni DVI. Judæos per octo menſes in Catechumenatu probari præcipit Can. XXXIV. *Judæis, ſi ad Legem Catholicam venire voluerint, octo menſes inter Catechumenos Eccleſiæ limen introeant*. At vero Concilium Generale Nicænum I. Epiſcoporum prudentiæ commiſit temporis ſpatium, quo in unoquoque gradu Catechumeni ſtare debent; voluit nimirum, ut pro Catechumenorum, tum in ediſcenda Fide, tum in probanda pœnitentia, ſegnitie, aut diligentia, vel in longius ſpatium protraheretur, vel contraheretur ad brevius.

XV. Ad Catechumenos Competentes quod attinet, tum Græci, tum Latini Patres, illorum ſtationem quadraginta diebus concludere conſueverunt. Audiendus primum S. Cyrillus, qui in Præfatione ad Myſtagogicas Catecheſes ſic inquit: *Tempus præſcriptum tibi multum, quadraginta dierum pœnitentiam habes*. Latini moris teſtis eſt S. Auguſtinus in Sermone XIII. ad Neophitos, ubi hæc habet: *Per omnem Quadrageſimam vacaverunt*, Competentes ſcilicet, *Orationibus, & jejuniis, in ſacco, & cinere dormierant, futuram vitam peccatorum ſuorum confeſſione quærentes*. Teſtis quoque Siricius Papa in Epiſtula ſua Decretali ad Himerium Epiſcopum Tarraconenſem ita ſcribens Capite II. *Generalis Baptiſmatis tradi convenit Sacramenta his dumtaxat electis, qui ante quadraginta, vel eo amplius dies nomen dederint, & exorciſmis, quotidianiſque orationibus, atque jejuniis fuerint expiati*. Quo ſpectaret ſervata quondam, atque explicata hucuſque in Catechumenos diſciplina, duæ ſunt præcipuæ rationes. Prima eſt, voluiſſe Patres ſibi conſultum, ne gravi ſe devincirent ſacrilegio, ſi peccata adhuc amantibus, parumque in Chriſtiana Religione inſtructis Baptiſmum conferrent. Patet id quidem ex Tertulliano in Libro, *De Baptiſmo*, Cap. XVIII. ſic ajente; *Cæterum Baptiſmum non temere credendum eſſe ſciunt, quorum officium eſt*, Omni petenti te dato; *ſuum habet titulum perinde ad eleemoſynam pertinentem. Immo illud potius perſpiciendum: Nolite dare Sanctum canibus, & porcis projicere margaritas veſtras; & manus ne facile impoſueris, ne participes aliena delicta*. Alludit ad ea, quæ leguntur Lucæ VI. Matthæi VII. & I. Timoth. V. Secundo proſpectum voluere Majores noſtri baptizandorum ſaluti, quos quis aperto ſceleri expunit, cum nequaquam probatis ſanctiſſima myſteria elargitur.

XVI. Reliquum eſt ut explicemus, quo tandem Sæculo recenſita hactenus circa baptizandos diſciplina mutari cœperit. Et dico equidem eruditorum Scriptorum ſententiam ſequutus, circa Sæculum VI. diſciplinæ iſtius mutationem incœpiſſe. Tunc enim temporis ad pauciores dies Competentium Statio contracta fuit; a tertiæ enim hebdomadæ Quadrageſimalis Feria quarta ducebat initium; eaque fuit cauſa, cur eam Feriam Majores noſtri, ut ex antiquis Sacramentorum Codicibus, & Synodis liquet, tempus primi Scrutinii vocaverint. Septies autem collecta fuiſſe ſuffragia, proindeque ſeptem extitiſſe Scrutinia, Patrum traditione docemur. Quæ tertia, & ſeptima vice celebrabantur, præcipuum tenebant locum. Illud, ſeu tertium, hebdomadæ quartæ Feria quarta habebatur; iſtud vero, nempe ſeptimum Sabbato Sancto celebrari conſueverat. Illud maximum, & ſolemne, iſtud autem minus ſolemne ideo dicebatur, quod in tertio, non autem in ſeptimo, præter ritus, qui in aliis Scrutiniis peragebantur, (exorciſmus di-

co, exſoſſationes, fuſas a Miniſtris preces) magno eom apparatu, Symbolum, & Oratio Dominica baptizandis traderentur.

XVII. Quoniam vero Scrutiniorum hic mentio habita eſt, ot nihil antiquorum rituum prætereamus, qui ſieri olim ſoliti fuere in Baptiſmi adultorum ſuſceptione, agendum quoque de illis in præſenti eenſuimus. Scrutinium, ut explicat Magnus Senonenſis Archiepiſcopus in Libello, *De Myſterio Baptiſmatis*, joſſu Caroli Magni edito, *dicitur inquiſitio, eo quod per illud exploretur, qualiter Fides Catholiea in eorum cordibus retineatur; ſen aliter a ſcrutando dicitur ſcratiniam, quia tune ſcrutandi ſunt Catechumeni, ſi rectam jam noviter Fidem Symboli ei traditam firmiter teneant*. Teſte Martene Libro 1. Cap. 1. Articolo xi. Scrutiniorum nomine vocabator tota illa actio, qoæ certis in Quadrageſimæ diebos ſoper Catechumenis, & Competentibus celebrabatur, totaque erat in precibus, exoreiſmis, traditione, & redditione Symboli, Orationiſque Domioieæ. Dicta etiam ſuiſſe Scrutinia, *eo quod ibi ſcrutarentur corda eredentium, & dubitantium, u Saeerdotibus, ut intelligerent, quis ad Baptiſmam jam rite admitteretur, quis adhue differretur*, docet quidem Leidradus lo Libro, *De Baptiſmo*, Cap. 1. Et recte admodum, nam, ut ait Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus io Libro, *De Baptiſmo*, Capite viii. *qui illius ſant ætatis, ut rationem credulitatis ſaæ reddere poſſint, diligenti examine ſcrutandi ſunt, utrum veraciter credant, an alieujus falſitatis in eis macula eeletur, nedum aut timore, aat ſavore terrenarum Poteſtatam, aut acquiſitione quarundam rerum, ad Baptiſmi Sarramentum, ignorantibus Miniſtris Eccleſiæ, perveniant, tradutar Sanctum eanibus, & margaritæ mittantur ante poreos, & lupi ovina pelle veſtiantur*.

XVIII. Scrutinia in ſola Romana Eccleſia, aut in Eccleſiis, quæ ritus Romanos ſequebantur, eelebrata eſſe, contendit Joſephus Viceeomes Lib. iii. *De Baptiſmi ritibus*, Capite xxi. At ſcite obſervat memoratus Martene, ſuæ ipſius Feclesiæ Mediolanenſis nblitum ſuiſſe Vieecomitem. Nam Mediolanenſis, ut & Africana, Hiſpaniea, Gallica, atqoe etiam Græca, quæ propriom olim, non Romanum Ordinem, obſervabant, ſua qoæque habuere Scrutinia. De Mediolanenſi teſtem locupletiſſimum habemus Sanctom Ambroſium in Libro, *De Myſteriis*, Capite 1. ubi ſic loquitur: *Aperite igitar aures, & bonum odorem vitæ æternæ inbalatum vobis munere Sacramentorum carpite, quod vobis ſignifieavimus, cam apertionis eelebrantes myſterium, dieeremus*, Epheta, quod eſt adaperire, *ut venturus unuſquiſque ad gratiam, quid interrogaretur, rognoſreret, quid reſponderet, meminiſſe deberet*. Quibus verbis ſolemniſſimom omnium Scrutinium, qood dicitur, *in apertione aurium*, deſignat. De Africana noo minus conſtat, tum ex Concilio iv. Carthaginenſi, Caoone lxxxv. quo deeernitur, ot baptizandi datis nominibus, erebra manus impoſitione *examinati* baptizentur; tom ex iis S. Auguſtini verbis in Libro, *De Fide, & Operibus*, inſeripto: *Quales ſint ipſis diebus, quibas cateel izantar, exoreizantur, ſcrutantar*. De Hiſpanica teſtis eſt Synodos Brachareoſis iii. anni DLXXII. Can. ix. quo deceroitur, ut *mediante Quadrageſima ex diebus viginti baptizandos infantes ad exoreiſmi purgationem offerant*. Ad Gallicanam Eceleſiam quod ſpectat, quam ioter alias egiſſe Scrutinia negat Vicecomes, nullum dubitandi locom permittit vetos Miſſale Gallieanum, cojus Caput ix. inſcriptom eſt, *Ad faciendum Srrutinium*. Quod denique etiam in Eccleſia Græca in uſo fuerint Scrotinia ante Baptiſmum, ex Cyrillo Hieroſolymitano colligi poteſt.

XIX. Porro Viceeomitem decepit Coocilii Moguntini Canon ix. io quo hæc leguntur: *Sacramenta itaque Baptiſmi volumus, ut eoneorditer, atque uniformiter ſeeundum Romanam Ordinem inter nos celebrentur jugiter, atque conſerventur, ideſt Scrutinium ad ordinem Baptiſmatis, ſient in Deeretis Leonis Papæ, in duobus continentur Capitulis*. Idem qooque præcipitur Lib. v. Capitolarium Regum Francorum, Capite cccLxxii. eaqoe verba perperam Viceeomes aecepit, quaſi tunc primum ioſtituta eſſent Serutinia. Verom ut recte obſervat Martene loco citato, num. II. Conciliom ipſum Moguntinum non dicit ſimpliciter, ut celebrentor deindeps Scrutinia, ſed ut *ſeeundum Ordinem Romanum* celebrentur, quia antea fiebaot ſecundom Ordinem Gallicanom, qui paulo ante abrogatos fuerat a Gallis. Sed nec præcipit Concilium, ut inſtituantur, ſed ut *conſerventur* Scrutinia, quæ proinde jam inſtituta erant. Ceterum quod in Gallia eelebrarentur Serutioia, præter laudatum ſuperius locom veteris Miſſalis Gallicaoi, eonſtat etiam ex variis Sacramentorum Libris Eceleſiæ Gallicanæ, de quibus infra opportuniori loco dicemus.

XX. Scrutinia in Eccleſia Romana ſeptem in Quadrageſima celebrata fuiſſe, conſeotiunt quotquot de ritibos Baptiſmi ſcripſeront Auctores. De diebus vero, quibus ea iniri conſuetodo eſſet, ita differit laudatus Vicecomes Lib. iii. *De Baptiſmi ritibus*, Cap. xxiii *Hoe ex probatis Auctoribus certi babea, primum quarta die bebdomadæ tertiæ, ſeeundum Sabbato ejuſdem bebdomadæ, tertium qaarto ſequentis, & ſeptimum eo, qui inter Chriſtum patientem, & redivivum interjectus eſt, communi Ecrleſiæ conſuetudine facta fuiſſe. Reliqua, quartum, quintum, & ſextum, nullum tempus certum, ſed varium Epiſcopi arbitratu babuerunt*. At vero notat Marteoe citato loco, num. iii. in Ordine Romaoo videri duo prima Scrutinia in tertia hebdomada Quadrageſimæ facta, ſcilicet Feria quarta, & Sabbato, tertium Feria quarta hebdomadæ quartæ, quartum, & quintum hebdomada quinta, ſextum, & ſeptimum ſexta. In aotiquis autem Libris Saeramentorum Gellooeoſis Mooaſterii, & Noviomenſis Eeeleſiæ annorom eirciter mille, ſeptimum Feria quarta ultimæ hebdomadæ conſignatur, in quibus primum, uti & in Pontificali Juvavenſi, ſive Saliſburgenſi, in quo Ordo Romanos volgatus continetur, notatur Feria ſecunda hebdomadæ tertiæ. Sane Guillelmus Durandos Lib. vi. Rationalis Divinorum Officiorum, Cap. lvi. ſoa ſingulis diebus aſſignat Scrutinia hoc modo: *Fiebant enim in primitiva Eeeleſia ſeptem Seratinia, duo ſcilicet in qaarta Feria, & Sabbato tertiæ bebdomadæ, & duo in bue quarta Feria, & Sabbato bujus quartæ bebdomadæ, & duo in quarta Feria, & Sabbato qaintæ bebdomadæ, & unum in qaarta Feria ultimæ bebdomadæ, in quibus adulti, qui venturi erant ad Ba-*

Baptiſmum, *docebantur Orationem Dominicam*, *& Symbolum*, *ut in ſequenti tunc Sabbato*, *in quo baptizandi erant*, *utrumque ante Baptiſmum ſcirent*. Adhibita etiam fuiſſe ipſa Scrutinia in Baptiſmo celebrari ſolito in Vigilia Pentecoſtes, ſed tria tamen, quorum primum ſeptimo ante Pentecoſten die, ſecundum in ſequenti Feria quinta, tertium Sabbato perageretur, notavit idem Martene citato loco.

XXI. Quandiu demum in Eccleſia Latina perſeveraverint Scrutinia, non ſatis conſtat. Joſephus Vicecomes Libro III. Cap. XXVI. ea deſiiſſe circa annum DCCCLX. exiſtimat, adductus auctoritate, ſive potius loquendi modo Ruperti Abbatis Tuitienſis, & Hugonis Victorini, qui de Scrutiniis tanquam de cæremonia, quæ olim fiebat, meminere. Sed hi nimis remoti ſunt teſtes ab anno DCCCLX. qui iccirco minime perſuadere poſſunt, tam cito deſiiſſe Scrutinia. Quid quod Guillelmus Durandus, qui diu poſt & Rupertum, & Hugonem vixit, non ſolum Eccleſias Italiæ Scrutinii ſolemnitatem obſervaſſe aſſerit, ſed quaſdam alias etiam Eccleſias? De ſinceritate Durandi dubitare quidem videtur Vicecomes; ſed recte notat Martene citato loco, num. IV. tantam non eſſe ejus ſuſpicionis auctoritatem, qui viro doctiſſimo Durando, & in ritibus Eccleſiaſticis verſatiſſimo fidem omnem abroget, maxime cum hanc gloriam ſibi hactenus retinuerit inſignis Eccleſia Viennenſis in Gallia, quæ hodie quoque ſolemniſſimum omnium Scrutinium, quod *in apertione aurium* dicitur, obſervat.

XXII. Priſcæ itaque, probatæque diſciplinæ Eccleſiæ inhæſit haud dubio Rituale Romanum, ubi in hoc §. I. de Baptiſmo adultorum ſtatuit, ut *ſiquis* adultus ſit baptizandus, debeat prius ſecundum Apoſtolicam regulam in Chriſtiana Fide, ac ſanctis moribus diligenter inſtrui, & per aliquot dies in operibus pietatis exerceri, ejuſque voluntas, & propoſitum ſæpius explorari, & non niſi ſciens, & volens, probeque inſtructus baptizari. Atque hic nota duas præcipuas diſpoſitiones, quæ in adultis requiruntur ad valide, ac legitime ſuſcipiendum Baptiſmum, gratiam nempe cum charactere. Prima eſt conſenſus, qui non debet eſſe neceſſario actualis, & expreſſus, ſed ſufficit virtualis, aut interpretativus, nempe quod qui vult baptizari, habuerit voluntatem actualem ſuſcipiendi Baptiſmum, eamque non revocaverit, uti docet Innocentius Papa III. in Capite, *Majores*, *de Baptiſmo*. Atque huc ſpectat, quod ait Tridentini Concilii Catechiſmus Parte II. *De Baptiſmi Sacramento*, num. XXXVIII. *Docendum præterea*, *& populo explicandum erit*, *quomodo affecti eſſe debent*, *qui baptizandi ſunt. In primis itaque opus eſt*, *ut velint*, *propoſitumque illis ſit Baptiſmum ſuſcipere. Nam cum unuſquiſque in Baptiſmo peccato moriatur*, *& novam vivendi rationem*, *& diſciplinam ſuſcipiat*, *æquum eſt non invito cuiquam*, *aut recuſanti*, *ſed illis tantum*, *qui ſponte ſua*, *& libenti animo accipiunt*, *Baptiſmum præberi*. Additque mox: *Quare ex ſancta traditione ſemper ſervatum animadvertimus*, *ut nemini Baptiſmus miniſtretur*, *niſi prius interrogatus fuerit*, *an velit baptizari*. Sed nec omittendum quod ſubdit: *Nec vero in pueris quoque infantibus eam voluntatem deeſſe*, *exiſtimandum eſt*, *cum Eccleſiæ voluntas*, *quæ pro illis ſpondet*, *obſcura eſſe non poſſit*. Atque hæc ſunt, quæ & Theologi docent.

XXIII. Secunda diſpoſitio neceſſaria, eſt Fides, & notitia principalium myſteriorum Chriſtianæ Religionis, juxta id, quod dicitur Marci Cap. ultimo: *Qui crediderit*, *& baptizatus fuerit*, *ſalvus erit*. Atque hinc eſt, quod hic noſter §. Patrum doctrinam, & antiquam Eccleſiæ praxim ſequutus, recte ſtatuit, ut adultus non niſi probe inſtructus, in Chriſtiana ſcilicet Fide, ac ſanctis moribus, debeat baptizari. Quamobrem jure ac merito duo religioſiſſimi ac doctiſſimi elapſi proxime ſæculi Præſules Franciſcus Epiſcopus Heliopolitanus, & Petrus Epiſcopus Berytenſis, qui in Tunchini, & Cochinnæ Regnis incredibili cum fructu Chriſtum annuntiarunt, in quibuſdam ſuis Inſtructionibus, quas Joannes Bona Cardinalis juſſu Sacræ Congregationis recenſens, Apoſtolico ſpiritu ſcripta fuiſſe teſtatur, de Miſſionariis quibuſdam conqueruntur, qui ut de numero a ſe baptizatorum potius, quam de virtute gloriarentur, obvium quemque, & ſine ullo fere delectu, modo Baptiſmum peteret, ſacro lavacro abluebant: *Longe abſunt*, inquiunt, *a pia illa*, *& tam neceſſaria antiquorum ſollicitudine quidam Indiarum Operarii*, *qui obvios quoſque*, *vix explorata illorum voluntate*, *una*, *aut altera inſtructione contenti*, *Sacro Baptiſmi Fonte abluunt*.

XXIV. Ergo in ipſis Inſtructionibus, quas legere eſt apud Juceninum, *De Sacramentis*, Diſſertatione II. Quæſtione VII. Cap. II. Articulo III. zelo & doctrina celebres illi Epiſcopi declarant primo, notabilem temporis moram, quadraginta nempe dierum ſpatium inſtruendis, formandiſque Catechumenis neceſſariam eſſe: *Quamobrem*, ajunt, *etſi hodie Sacerdotibus committatur judicium de Catechumenorum eruditione*, *aliiſque neceſſariis conditionibus*, *adeoque & de tempore Catechiſmi ferendum*, *ut iis ſanctum Baptiſma conferatur*; *rectius tamen*, *& ſecurius nobis viſum eſt cum Patribus*, *& Conciliis*, *Catechiſmi tempus*, *non breviori*, *quam quadraginta dierum ſpatio vulgo definire*, *nec alios ad Baptiſmum admittendos eſſe*, *niſi qui ante quadraginta dies nomen dederint*; *cum etiam experientia*, *quæ ſacris Canonibus conſonat*, *ſatis notum ſit*, *diuturniorem moram eſſe perutilem*, *tum ad retinendam in Chriſtiana Fide perſeverantiam*; *atque adeo hac in re habenda erit ratio venientium ad Fidem*; *qui enim laudatam antea vitam duxerint*, *ferentque præ ſe docilitatem*, *atque pietatem*, *prædicti temporis inſtitutio eis ſufficiet*, *ac interdum brevior*, *ſi tamen antea ſat bene inſtituti ſint*, *& quod rariſſime contingit*, *urgentiſſima neceſſitas poſtulabit*. *Diutius probari debent rudiores*, *& obtuſioris*, *tardioriſque ingenii*, *ſervi*, *& qui temporalis pœnæ vitandæ gratia*, *Fidem videntur amplecti velle*, *aut ſperant aliquid lucri*, *aut commodi*, *ſe conſequuturos ex eo*, *quod Chriſtiani fiant*; *ii denique*, *qui levis*, *& inconſtantis animi ſigna aliqua dederunt*.

XXV. Declarant II. Miſſionarios, qui paſſim, & ordinarie tempus illud præoccupant, nomini Chriſtiano, & animarum ſaluti nocere quammaxime: *Incredibile*, inquiunt, *dicta eſt*, *quantum in eorum numerandis multis a ſe baptizatis cura*, *in excolendis incuria*, *& ſegnities*, *delecta nimia credulitas*, *præmatura Baptiſmatis adminiſtratione offecerint Fidei*, *bene*, *ut par eſt*, *ſtabiliendæ*, *necnon etiam Nomini Chriſtiano*. *Enim vero comprobatum eſt experientia*, Chri-

Chriſtianos pejores non inveniri, quam qui ante competentem inſtructionem ad Baptiſmum admiſſi ſunt; quippe qua facilitate Chriſto nomen dederunt, eadem utplurimum nuntium ei remittunt; & videre eſt aliquos, qui & Chriſtianorum ſimul, & Idolorum Templa ſolent frequentare; quodque miſerabilius eſt, deteriores multo ſunt, quam ante Baptiſmum, & correctionis omnino impatientes.

XXVI. Declarant III. nullis quantumvis Myſteria Fidei edoctis Baptiſmum conferendum eſſe, ut ut ardenter eum poſtulent; niſi ante ex bona converſatione eos priſtinis vitiis, ac criminibus renunciaſſe, moreſque vere Chriſtianos, ut habet hic noſter §. induiſſe exploratum ſit: *Cæterum ut ut ardentibus votis Catechumeni Baptiſmum expetant, & prærequiſitis inſtitutionibus ſint eruditi, hi tamen Sacramentum hoc,* Baptiſmi ſcilicet, *Miſſionarii prius non concedant, quin pertentata illius deſiderii efficacia, compererint, eos Idola foras ejeciſſe, atque deteſtari; Gentilium ſuperſtitiones procul ablegaſſe, & quæcumque e diabolica officina prodeunt ſacrilegia, & cætera id genus proculcaſſe; una retenta uxore, alias domo expuliſſe, omnes inimicitias ex animo depoſuiſſe, pro illatis injuriis, quantum licuit, ſatisfeciſſe, acquiſita injuſte, vel dominis invitis retenta reſtituiſſe.*

XXVII. Declarant IV. Catechumenis, quantumvis emendationem vitæ ſpondeant, non habendam eſſe fidem, nec Baptiſmi Sacramentum miniſtrari debere, niſi ante illius ſuſceptionem pietatis operibus, ut noſter §. ait, & non verbis tantum ſuam emendationem probaverint: *Sicut a Sacro Baptiſmatis Fonte rejiciendi ſunt, qui vitiis, ac peccatis obſtinate adhærent; ita procul ab eo expellendi, qui nolunt interioris converſionis ſigna operibus dare, cum inde pateat, infectam peccati amore voluntatem adhuc gerere; neque admittendi etiam illi erunt, qui quod a ſe exigitur jure, poſſuntque præſtare ante Baptiſmi ſuſceptionem, nonniſi eo ſuſcepto, effecturos ſe ſpondent, neque iis inſit amaritudinis radix; nimirum docuit Miſſionarium experientia, in Infidelium Regnis Catechumenos ex Baptiſmi deſiderio multa polliceri, quæ niſi ante Baptiſmum impleant, nunquam poſtea mandant executioni.*

XXVIII. Declarant V. nullam habendam eſſe rationem nonnullorum, qui de Baptiſmatis dilatione conqueruntur, quaſi propter inopinatos caſus, Catechumenos morti, atque proinde damnationi æternæ exponat. Confirmant ſuam doctrinam ex Catechiſmo Romano, Parte II. *De Baptiſmi Sacramento*, num. xxxv, docente ob vitæ incertitudinem, & quotidie mortis pericula, neceſſarias Catechumenorum inſtructioni moras non eſſe præſcindendas: *Neque enim ea dilatio periculum, quod quidem pueris jam imminere diximus, conjunctum habet, cum illis, qui rationis uſu præditi ſunt, Baptiſmum ſuſcipiendi propoſitum, atque conſilium, & male anteactæ vitæ pœnitentia ſatis futura ſe ad gratiam, & juſtitiam, ſi repentinus aliquis caſus impediat, quo minus ſalutari aqua ablui poſſint; contra vero hæc dilatio aliquas videtur utilitates afferre; primam enim, quoniam ab Eccleſia diligenter providendum eſt, nequis ad hoc Sacramentum ficto, & ſimulato animo accedat, eorum voluntas, qui Baptiſmum petunt, magis exploratur, atque perſpicitur; cujus rei cauſa in antiquis Conciliis decretum legimus, ut qui ex Judæis ad Fidem Catholicam veniunt, antequam Baptiſmus illis adminiſtretur, aliquot menſes inter Catechumenos eſſent. Deinde in Fidei doctrina, quam profiteri debent, & Chriſtianæ vitæ inſtitutionibus erudiuntur perfectius. Præterea major Religionis cultus Sacramento tribuitur, ſi conſtitutis tantum Paſchæ, & Pentecoſtes diebus ſolemni cæremonia Baptiſmum ſuſcipiant.* Placuit laudatorum Præſulum Inſtructiones deſcribere, ut hic noſter §. magis magiſque explicaretur.

§. II.

At vero ſiquis, dum inſtruitur, in mortis periculum incidat, baptizarique voluerit, habita ratione periculi, vel neceſſitatis, baptizetur.

COMMENTARIUS.

I. Catechumenis de vita periclitantibus, quamvis præfinitum cuique ſtationi tempus non expleviſſent, Baptiſmatis Sacramento proſpectum fuiſſe, docet S. Cyprianus in Epiſtola XII. ad Clerum de lapſis, & Catechumenis, ne vacui exeant, ſcripta, ubi ſic inquit: *Audientibus etiam, ſiqui fuerint periculo præventi, & in exitu conſtituti, vigilantia veſtra non deſit.* Huc facit Canon XI. Concilii Illiberritani, ſic dicens: *Intra quinquennii autem tempora Catechumena ſi graviter fuerit infirmata, dandum ei Baptiſmum placuit, non denegari.* Eoſdem Catechumenos, etiamſi præ ſubita morte obmuteſcerent, Baptiſmate eſſe donandos, tradit S. Auguſtinus in Libro, *De adulterinis conjugiis*, Cap. XXVI. ubi ita ſcribit: *Catechumenis ergo in hujus vitæ ultimo conſtitutis, ſi morbo, ſeu caſu aliquo ſic oppreſſi ſunt, ut quamvis adhuc vivant, ſi petere ſibi tamen Baptiſmum, vel ad interrogata reſpondere non poſſint, proſit eis, quomodo in Fide Chriſtiana jam nota voluntas eſt, ut eo modo baptizentur, quomodo baptizantur infantes, quorum voluntas nulla adhuc patuit.* Iis quoque Catechumenis, qui deditam ſceleribus vitam duxerant uſque ad ſubitum morbum, cujus cauſa, & vocis, & rationis uſum amiſerant, recte dari Baptiſmum, ex eodem Auguſtino addiſcimus, qui in citato Libro, Capite XXVIII. ſic inquit: *Sed ut ſermo noſter ad hoc potius claudatur, ad quod ſumpſit exordium, ego non ſolum alios Catechumenos, verum etiam ipſos, qui viventium conjugiis copulati, retinent adulterina conſortia, cum ſalvos corpore in his permanentes non admittimus ad Baptiſmum, tamen ſi deſperati, & intra ſe pœnitentes jacuerint, nec pro ſe reſpondere potuerint, baptizandos puto, ut etiam hoc peccatum cum ceteris lavacro regenerationis abluatur.*

II. Suam

II. Suam hanc ſententiam confirmat mox S. Doctor hac ratione : *Quis enim novit, utrum fortaſſis adulterinæ carnis illecebra uſque ad Baptiſmum ſtatuerant detineri .... Quæ autem Baptiſmatis eadem reconciliationis eſt cauſa, ſi forte pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit. Nec ipſos enim ex hac vita ſine arrha ſuæ pacis exire velle, debet Mater Eccleſia.* Præoccupat deinde Auguſtinus argumentum, quod Miniſtrorum mentem ſubire poteſt, fieri nimirum poſſe, ut Catechumenus, de quo eſt quæſtio, Baptiſmum tunc interius nolit ; *Sed*, ait Capite xxvi. *non ſolum incredibile eſt, nec in fine vitæ hujus baptizari Catechumenum velle, verum etiam ſi voluntas ejus incerta eſt, multo ſatius eſt nolenti dare, quam volenti negare ; ubi velit, an nolit, ſic non apparet, & tamen credibilius ſit, eum, ſi poſſet, velle ſe potius dicturum ea Sacramenta percipere, ſine quibus jam credidit non ſe oportere de corpore exire.* Alteri argumento, quod petitur ex Divino mandato, qui Miniſtri ſanctum canibus elargiri prohibentur, ſic ibidem occurrit, *Si autem Dominus, ubi ait:* Nolite dare Sanctum canibus ; *hoc quod iſti cavendum putant, vellet intelligi, non ipſe ſuo traditori dediſſet, quod in ſuam ille perniciem, ſine culpa dantis, cum dignis indignus accepit. Unde cum hoc diceret Dominus, credendum eſt, ſignificare voluiſſe, quod lucem intelligentiæ ſpiritualis immunda corda non portant ; & ſi portanda Doctor ingeſſerit, quæ non recte accipiunt, quia non capiunt, vel reprehenſionis morſibus lacerant, vel contemnendo conculcant.*

III. Nihil apertius proferri poteſt, quo probetur, Auguſtinum cenſuiſſe Catechumenum uſque ad extremam vitæ periodum vitiis deditum Baptiſmate donandum eſſe, etiamſi tunc, nec ſigno, nec voce Sacramentum expetere valeat. Sed tamen hic obſervatum velim, quod ſcite notavit Jueninus in Opere, *De Sacramentis*, Diſſertatione II, Quæſtione vii. Cap. II. Articulo II. nempe Sanctum Doctorem pro innata ſibi modeſtia eos Miniſtros non damnare, qui praxim contrariam ſequuti fuerint. Sic enim ſcribit citato Capite xxvi. *Non tamen propterea damnare debemus eos, qui timidius agunt, quam nobis videtur agi oportere, ne de pecunia conſervo credita improbius, quam cautius judicare voluiſſe judicemur. Satis quippe in talibus reſpiciendum eſt illud Apoſtoli, ubi dicit:* Unuſquiſque noſtrum pro ſe rationem reddet Deo. *Non ergo amplius invicem judicemur. Sunt enim qui vel in his, vel etiam in aliis obſervandum putant, quod dixiſſe Dominum legimus :* Nolite Sanctum dare canibus, neque projicere margaritas veſtras ante porcos. *Et iſta Salvatoris verba referentes baptizare non audent eos, qui pro ſe reſpondere nequiverint, ne forte contrarium gerant voluntatis arbitrium.*

IV. Ethnicos etiam, qui nunquam Catechumeni fuerant, ſed tantum in mortis lectulo, aliquo ſe teneri Baptiſmatis deſiderio, vel per ſe, vel per teſtes profitebantur, initiari ſolitos fuiſſe hoc Sacramento, docent Patres Concilii I. Arelatenſis anni cccxiv. Can. vi. *De his, qui in infirmitate credere volunt, placuit his debere manum imponi*, ideſt dari Confirmationem, & a fortiori Baptiſmum, qui cæteris omnibus Sacramentis præſupponitur, ut recte obſervat memoratus Jueninus loco citato, ubi etiam hanc diſciplinam roborat præclariſſimo Siricii Papæ teſtimonio, qui in Epiſtola I. ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum Capite II. ita ſcribit : *Quicumque etiam in diſcrimen naufragii, hoſtilitatis incurſum, obſidionis ambiguum, vel cujuslibet corporalis ægritudinis deſperationem inciderint, & ſibi unico credulitatis auxilio popoſcerint ſubveniri, eodem, quo poſcunt, momento temporis, expetitæ regenerationis præmia conſequantur.* Idem dicendum de energumenis, qui licet, ſi ſani eſſent, non baptizarentur, niſi cum aliquibus lucidis intervallis ſibi permitteretur, infirmi tamen baptizari ſolebant, etiamſi rationis uſu non fruerentur. Statuit id quidem Concilium Illiberritanum Can. xxxvii. *Eos*, inquit, *qui ab immundis ſpiritibus vexantur, ſi in fine mortis fuerint conſtituti, baptizari placet.* Idem pariter in Synodo Arauſicano I. anni cdxlii. Can. xv. ſtatuitur : *Energumenis Catechumenis, quantum vel neceſſitas exegerit, vel opportunitas permiſerit, de Baptiſmo conſulendum.*

V. Patet itaque ex hactenus dictis, nemini unquam negatum fuiſſe Baptiſma, ſi in ultima vitæ periodo conſtitutus illud petiiſſet, ſive aliquando fuiſſet Catechumenus, ſive non fuiſſet, ſive propria voce, aut ſigno, ſive aliorum teſtimonio illud efflagitaſſet, ſive probis moribus ſe ſe commendaſſet in Catechumenatu, ſive uſque ad morbum, præ cujus iniquitate obmutuerat, ſceleribus ſe ſe dediſſet ; & ut ait S. Auguſtinus ſuperius laudatus, adulterina retinuiſſet conjugia. Sed forte rogabit quiſpiam, quidnam cauſæ fuerit, ut Patres, qui per aliquot Sæcula, ut opportuniori loco oſtendemus, in flagitia poſt Baptiſmum lapſis, eorum abſolutionem, ſi de ea, dum ſani eſſent, non curaverant, minime impertierint, Catechumenis autem lapſis in exitu vitæ poſitis Baptiſmum adminiſtrare non detrectaverint? Reſponderi poteſt cum illa communi, ac certa Patrum, & Theologorum doctrina, eam fuiſſe cauſam, quod ſcelera, quæ Baptiſmum ſubſequuntur, iis, quæ illum præceſſerunt, multo ſint graviora. Par igitur fuit, ut acerbiore pœna antiqui Patres in ea animadverterent. Huic reſponſioni robur addi poteſt ex Concilio Illiberritano, quod licet multis poſt Baptiſmum lapſis, ut in variis ab eo editis Canonibus legere eſt, etiam in exitu vitæ negandam eſſe reconciliationem ſtatuerit, ideo tamen præcepit, omnibus omnino dari Baptiſma, quod ut ait Canone xlv. *in veterem hominem deliquiſſe videantur.*

VI. Cæterum eandem praxim conferendi Baptiſma in extremis poſito, ſive eſſet Gentilis, ſive Judæus, ſive apoſtata, ſive aliquando fuiſſet Catechumenus, qui, ut inquit citatus Canon xlv. Illiberritanus, *per infinita tempora ad Eccleſiam nunquam acceſſiſſet*, ſive non fuiſſet Catechumenus, modo Baptiſmum petiiſſet, jam non Catholici modo, ſed etiam hæretici, qui ſtrictiorem in peccatores jactabant diſciplinam, quales fuerunt Montaniſtæ, & Novatiani, amplexi ſunt, Baptiſmum memoratis hominibus conferentes, quamvis alioquin poſt Baptiſmum in quædam immania ſcelera lapſos ab Eccleſiæ Præſulibus reconciliatione donari non poſſe contenderent. Ex quibus omnibus addiſcere licet, recte ſtatutum fuiſſe in noſtro §. ut ſiquis, dum inſtruitur, in mortis periculum incidat, baptizarique voluerit, habita ratione periculi, vel neceſſitatis, baptizetur.

§. III.

§. III.

Adultorum Baptiſmus, ubi commode fieri poteſt, ad Epiſcopum deferatur, ut ſi illi placuerit, ab eo ſolemnius conferatur, alioquin Parochus ipſe baptizet ſtata cæremonia.

COMMENTARIUS.

I. Fuiſſe olim ſolos Epiſcopus ordinarios Miniſtros Baptiſmi, jam ſupra notavimus ex celebri Tertulliani teſtimonio, qui in Libro, *De Baptiſmo*, Capite XVII. ſic habet: *Supereſt ad concludendam materiolam de obſervatione quoque dandi, & accipiendi Baptiſmum commoneſacere. Dandi quidem habet jus Summus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus; dehinc Presbyteri, & Diaconi, non tamen ſine Epiſcopi auctoritate, propter Eccleſiæ honorem, quo ſalvo, ſalva pax eſt*. Longe ante Tertullianum, ejuſdem diſciplinæ teſtis eſt S. Ignatius Martyr, tertius poſt S. Petrum Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus ad Smyrnenſes ſcribens, *non eſſe licitum ſine Epiſcopo, neque baptizare, neque agapes facere*. Cui concinit S. Hieronymus in Dialogo adverſus Luciferianos, ubi ita inquit: *Unde venit, ut ſine Epiſcopi juſſione neque Presbyter, neque Diaconus jus habeant baptizandi*. Ad ſolos itaque olim Epiſcopos jus baptizandi pertinuit, & non niſi de eorum licentia Presbyteris, atque Diaconis conceſſum fuit Baptiſmum conferre; extantque in hanc diſciplinam innumera exempla, quorum omnium celeberrimum eſt illud Sancti Ambroſii Mediolanenſis Epiſcopi, de quo ita ſcribit in ejus Vita Paulinus: *In rebus etiam Divinis implendis fortiſſimus labor, in tantum, ut quod implere ſolitus erat circa baptizandos, quinque poſtea Epiſcopi a tempore, quo deceſſit, vix implerent*.

II. At vero licet multis ab hinc Sæculis Parochi in ſuis reſpective Parochiis effecti ſint Ordinarii Miniſtri Baptiſmatis, ut ſupra docuimus, recte nihilominus in hoc noſtro §. ſtatuitur, ut *adultorum Baptiſmus, ubi commode fieri poteſt, ad Epiſcopum deferatur, ut, ſi ei placuerit, ſolemnius conferatur*. Sane quod ſumma circumſpectione, atque præcautione opus ſit in conferendo adultis Baptiſmo, puto equidem Baptiſmum ipſum adultorum omnino eſſe ad Epiſcopum deferendum, ob rationes, quas recenſent Tridentini Concilii Catechiſmus Parte II. *De Baptiſmi Sacramento*, num. XXXVI. & S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolanenſi V. Conſtitutionum Parte I. Capite, *Quæ ad Baptiſmum pertinent*, ubi de adultorum Baptiſmo loquens, hæc habet: *In iis omnibus Epiſcopus eum diligens erit, tum magnam in eo curam ponet, ut illis præter doctrinæ Chriſtianæ rudimenta, quæ neceſſario ſcire debent, admiſſorum ſcelerum, & male actæ vitæ pœniteat, tum ut iidem impoſterum a peccatis omnibus abſtinere ſtatuant. Vix enim ulla alia cauſa eſſe poteſt, quamobrem qui adulti Baptiſmum ſuſcipiunt, non modo ullam in Chriſtianis virtutibus progreſſionem faciant, ſed plerumque flagitiis nefariis inquinati, præcipites ad perniciem, interitumque ruant, præter eam unam, quod non ita, ut par eſſet, affecti ipſi, nec vero ab aliis exculti, ad tantum Sacramentum accedunt*. Pergit Sanctiſſimus Præſul, & ita ſubdit: *Quod vero, licet horribile dictu ſit, aliquando tamen eveniſſe compertum eſt, aliquem ſcilicet ad turpem quæſtum iterum Baptiſmum ſuſcepiſſe; id ne unquam porro accidat, Epiſcopus antequam baptizet, omne diligens ſtudium adhibeat, quo iſtos homines, vel Judæos, vel Turcas, Mauroſve, qui Baptiſmum ſibi conferri petierint, plane dignoſcat, de illorumque conditione, ac ſtatu omni, quantum licuerit, a probatis viris accipiat teſtimonium obſignatum, idemque exigat omnino*.

III. Quamquam autem ob memoratas rationes Epiſcopi plerumque adultæ ætatis homines baptizare ipſi ſoliti fuerint, idque etiam præſcriptum ſit in variis Synodis, ac in noſtro etiam præſenti §. notanda ſunt tamen illa ejuſdem noſtri §. verba, *ubi commode fieri poteſt*; caſus enim dari poteſt, quod Epiſcopus longe abſit, vel impeditus ſit, vel Sedes etiam Epiſcopalis vacet, aut aliæ cauſæ extent, ob quas Epiſcopus Baptiſmum adultis conferre nequeat; nam tunc, ut ait noſter §. Parochus ipſe adultum baptizat ſtata cæremonia; ea ſcilicet cura, & diligentia, quæ ex Canonum præſcripto, Patrumque doctrina, adhibenda eſt in iis ad Baptiſmum admittendis, qui adulta, ſeu perfecta ſunt ætate. Ergo, ut ait S. Carolus Parte IV. Actorum Eccleſiæ Mediolanenſis, *De Baptiſmi adminiſtratione*, Capite, *De Baptiſmo adultorum*, cum is Baptiſmum petit, ſive Judæus ille ſit, ſive Paganus, ſive alius, primo quærenda ſunt teſtimonia certa de ejus conditione, anteacta vita, ſtatuque omni, & hominis voluntas diligenter exploranda, utrum ex animo, veraque pietate Baptiſmum petat. Si ita comperiatur, per pium, religioſumque virum inquiri debet, utrum priorem vitæ rationem deſerere vere proponat, utrum peccatorum ſuorum pœniteat, atque impoſterum abſtinere ſtatuat. Ad quæ ſi ille recte pieque animo ſit paratus, tum idoneo, religioſoque viro committendus eſt, a quo per aliquot menſes, niſi juſta, vel neceſſaria cauſa brevius ſpatium requirat, Fidei doctrina, & Chriſtianæ vitæ inſtitutionibus accurate erudiatur, & congrua quoque abſtinentia exerceatur.

IV. Cæterum ubi in Gentili, Judæoque homine adulto ſignum aliquod converſionis cognitum fuerit, is ab aliis ſeparandus eſt, & in Domum aliquam Catechumenorum ad id paratam deducendus, ubi diligentius omnia, quæ ſcire Chriſtianum oportet, doceatur, uti ſtatuit S. Carolus in Concilio I. Provinciali Mediolanenſi, Capite, *De Judæis*. Quod ſi Domus iſta Catechumenorum propria non extet, poſſet hujuſmodi Catechumenus in aliquam Religioſam Domum admitti, ibidemque inſtrui, ut ait Concilium Toletanum IV. anni DCXXXIII. Can. IX. vel tandem apud Parochum, ubi ſcilicet non adſit Epiſcopus, ad quem ea Baptiſmi adminiſtratio potiſſimum pertinet ex præſcripto noſtri §. cui inhærentes Summi ipſi Romani Pontifices, ac præſertim Benedictus XIII. & BENEDICTUS XIV. Romæ non ſemel hujuſmodi homines ſolemniter ſalutari la-

va-

vacro abluerunt, ut egomet vidi in variis Urbis Eccleſiis, ac præſertim in Eccleſia S. Mariæ ad Minervam, ubi laudatus BENEDICTUS XIV. duos Judæos adoleſcentes, marem, ac feminam baptizavit, confirmavitque non modo, ſed & Sacra Euchariſtia refecit, ac Matrimonio junxit.

§. IV.

Decet autem hujuſmodi Baptiſmum ex Apoſtolico inſtituto in Sabbato Sancto Paſchatis, vel Pentecoſtes ſolemniter celebrari.

§. V.

Quare ſi circa hæc tempora Catechumeni ſint baptizandi, in ipſos dies, ſi nihil impediat, Baptiſmum deferri convenit.

COMMENTARIUS.

I. DUo potiſſimum fuiſſe tempora conferendi quotannis Baptiſmi, duo nempe Sabbata, quæ Paſcha, & Pentecoſten immediate præcedunt, jam ſupra non uno in loco diximus. Veteri quidem Eccleſiæ diſciplinæ inhærens Benedictus XIII. Pontifex Maximus in ſuo Romano Concilio anni MDCCXXV. ita plane ſtatuit Tit. XXVI. *Non eſt Parochorum tantum, quod juxta ſacra Canonum ſtatuta, Rituali Romano præſcribitur, ut ſolemni ſcilicet per eos bis in anno, utroque Sabbato, ante ſacratiſſimum Paſcha, & Pentecoſten, Baptiſmalis Fontis benedictio perſolvatur, ſacrumque Baptiſma tunc ſolemnius miniſtretur. Speciali id etiam ratione ab Epiſcopis exigit Cæremoniale Epiſcoporum*, nempe Cap. II. Lib. XXVII. *& nos ipſis præcipuas velut inter Pontificalis Ordinis actiones commendamus.* Longe ante hanc Synodum in variis Conciliis ſtatutum jam fuit, ut parvulorum recens natorum Baptiſmus, niſi vitæ periculum illis immineat, ad Sabbata ipſa ante Paſcha, & Pentecoſten protrahatur. Ita plane inter alia ſtatuerunt Concilia Provincialia, Mediolanenſe IV. anni MDLXXVI. Parte II. Conſtitutionum, Capite, *Quæ pertinent ad Sacramentum Baptiſmi*, Avenionenſe MDXCIV. Tit. *De Sacramento Baptiſmi*, atque Beneventanum XIV. Fr. Vincentii Mariæ Urſini Ordinis Prædicatorum, Beneventani Archiepiſcopi, qui fuit poſtea Benedictus Papa XIII. anno MDCXCIII. habitum, Titulo XXXVI. *De Baptiſmo, & Confirmatione*, Cap. VIII. ubi eam diſciplinam inſtaurat, ob has præcipuas rationes, *tum quia illis diebus Baptiſmalis Fontis aqua conſecratur, tum præterea quia Eccleſiæ Orationes in Miſſæ Sacrificio pro recens baptizatis per octavas perſolvuntur.*

II. Ob haſce, aliaſque rationes, quæ ex Patribus, & antiquis Synodis afferri poſſent pro Baptiſmo in Sabbatis Paſchatis, & Pentecoſtes conferendo, recte admodum ſtatuit noſter §. V. quod, *ſi circa hæc tempora Catechumeni ſint baptizandi, in ipſos dies, ſi nihil impediat, Baptiſmum differri convenit.* Cui concinit S. Carolus in Inſtructionibus, *De Baptiſmimi adminiſtratione*, Capite, *De Baptiſmo adultorum*, & Cæremoniale Ambroſianum juſſu Cæſaris Montii Cardinalis, & Archiepiſcopi Mediolanenſis edito, Cap. eodem, his verbis: *Et quoniam dilatio Baptiſmo adulti convenit plerumque ad majorem Sacramenti cultum, unum ex ſtatis temporibus Paſchatis, & Pentecoſtes expectari.* Sed notanda illa noſtri §. verba, *ſi nihil impediat*; multi enim dari caſus poſſunt, ut non poſſit, nec debeat adultorum Baptiſmus ipſis Paſchatis, & Pentecoſtes temporibus celebrari; vel quia Catechumeni non ſunt adhuc inſtructi, vel quia de vita periclitantur; tunc enim, vel accelerandus eſt illis Baptiſmus, vel differendus, uti cautum paſſim ex Conciliis, & ex Romanis Pontificibus fuit, præſertim vero ex Siricio, ac S. Leone Magno, quorum primus in Epiſtola ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum diſerte ait, ut *his, quibus in qualibet neceſſitate opus fuerit ſacra unda Baptiſmatis, omni celeritate ſuccurratur.* Alter vero in Epiſtola XVI. ſic habet: *Ita ad has duas Feſtivitates connexas, atque cognatas*, loquitur de Paſchate & Pentecoſte, *incolumium, & in pacis ſecuritate degentium libera vota deferimus, ut in mortis periculo, in obſidionis diſcrimine, in perſecutionis anguſtiis, in timore naufragii, nullo tempore hoc veræ ſalutis præſidium denegemus.*

§. VI.

Verum ſi circa, ſeu poſt tempus Pentecoſtes aliqui converſi fuerint, qui ægre ferant, ſuum Baptiſmum in longum tempus differri, & ad illum feſtinent, inſtructique, ac rite parati eſſe noſcantur, citius baptizari poſſunt.

COMMENTARIUS.

I. QUum a Pentecoſte ad Paſcha longum intercedat ſpatium temporis, recte ait hic noſter §. ut, ſi circa, ſeu poſt tempus Pentecoſtes aliqui converſi fuerint, qui ægre ferant, ſuum Baptiſmum in longum tempus differri, & ad illum feſtinent, inſtructique, ac rite parati eſſe noſcantur, citius baptizari poſſint. Et quidem omni die per annum, *ſicut*

uni-

unicuique, vel neceſſitas fuit, vel voluntas, licitum eſſe Baptiſmum ſuſcipere, expreſſe aſſerit S. Auguſtinus in Sermone VI. in Quadrageſima, ejuſque ſententiæ favet Innocentius Papa I. in Epiſtola ad Victricium Rotomagenſem Epiſcopum, Cap. IX. ubi Sacerdotes, & Levitas iccirco ab uxoribus abſtinere debere aſſerit, quod *nec prætereat dies, qua vel a Sacrificiis Divinis, vel a Baptiſmatis officio vacent*. Cæterum licet ex ſuperius dictis duo ſint præcipua tempora conferendi ſolemnis Baptiſmi præſertim adultis, inter alios caſus ſupra enarratos, quibus extra tempora ipſa conferri adultis Baptiſmus poteſt, recenſeri & ille debet in hoc præſenti §. expreſſus, ubi adultus ſcilicet Baptiſmi cupidus, inſtructus, ac rite paratus eſſe noſcatur; huc enim ſpectat quod & Tridentini Concilii Catechiſmus docet, Parte II. *De Baptiſmi Sacramento*, num. XXXVII. ſic inquiens: *Sed interdum tamen Baptiſmi tempus juſta aliqua, & neceſſaria de cauſa differendum non eſt, veluti ſi vitæ periculum inſtare videtur; ac præſertim ſi illi abluendi ſint, qui jam Fidei myſteria plene perceperint; quod quidem Philippum, & Apoſtolorum Principem feciſſe ſatis conſtat, cum alter Candacis Reginæ Eunuchum, alter Cornelium, nulla interpoſita mora, ſed ſtatim ut ſe Fidem amplecti profeſſi ſunt, baptizavit*. Atque id Romæ hodie ſervatur, ubi Catechumeni, modo inſtructi ſint, quovis tempore baptizantur.

§. VII.

Catechumenus inſtructus baptizetur in Eccleſia, ſeu Baptiſterio, Patrinus ei aſſiſtat, & ipſe Catechumenus ad Sacerdotis interrogationes reſpondeat, niſi mutus fuerit, aut omnino ſurdus, vel ignotæ linguæ; quo caſu, vel per Patrinum, ſi illam intelligat, aut alium interpretem, vel nutu conſenſum explicet ſuum.

COMMENTARIUS.

I. QUum ex præſcripto hujus Ritualis Romani ſupra Cap. I. §. XXX. in quem plura nos ſcitu digna notavimus, *proprius Baptiſmi adminiſtrandi locus ſit Eccleſia, in qua ſit Fons Baptiſmalis, vel certe Baptiſterium prope Eccleſiam*; recte admodum hic præſens §. ſtatuit, ut *Catechumenus inſtructus baptizetur in Eccleſia, ſeu Baptiſterio*; neceſſitate ſcilicet excepta, & niſi illi mortis periculum immineat, tunc enim in privata domo, & ubicumque reperiretur, baptizari licite poſſet. Quamvis vero ex ejuſdem Romani Ritualis præſcripto, citato loco §. XXXI. ab ea lege filii Regum, & magnorum Principum infantes excipiantur, qui quidem, id ipſis ita depoſcentibus, baptizari poſſunt in eorum Capellis, ſeu Oratoriis, non puto tamen, idem dicendum de adultis Principibus infidelibus, qui quidem, ſi ad Chriſtianam Fidem convertantur, debent omnino ſacro Lavacro in Eccleſia ablui, uti recte notat Barruſaldus in Commentario ad hunc noſtrum §. num. 45. ubi etiam ſubdit, hoc quod dicimus, intelligendum, quando Baptiſmus adultorum habeatur in Terris Fidelium; nam alias ſi in Paganorum locis fieret converſio alicujus ad Fidem, tunc ſi privatim miniſtretur Baptiſmus, optimum conſilium erit.

II. Mandat præterea hic noſter §. ut in Baptiſmo adulti, *Patrinus ei aſſiſtat, & ipſe Catechumenus ad Sacerdotis interrogationes reſpondeat*. Idem tradunt Cæremoniale Ambroſianum, & S. Carolus in Inſtructionibus, *De Baptiſmo adultorum*, ubi ſic inquiunt: *Interroganti reſpondeat ipſe, non Patrinus*; & paulo inferius: *Patrinus tamen ſemper aſſiſtat, tanquam qui pro baptizando ſpondeat*. De Patrinis, eorumque muniis jam ſupra late diſſerui non uno in loco; eſſe autem veterem Eccleſiæ diſciplinam, atque omnino neceſſarium, ut adultus baptizandus reſpondeat ipſe ad Sacerdotis interrogationes, conſtat plane ex Ritualibus Libris paſſim, ac Synodis, & Sanctis Patribus, inter quos S. Auguſtinus Lib. IV. *De Baptiſmo*, Capite XXIV. relatus in Can. LXXVI. De conſecratione, Diſtinctione IV. expreſſe ait, alterius profeſſionem haud valere ei, qui per ſe reſpondere poteſt: *Cum pro parvulis*, inquit, *alii reſpondent, ut impleatur erga eos celebratio Sacramenti, valet utique ad eorum conſecrationem, quia ipſi pro ſe reſpondere non poſſunt; at ſi pro eo, qui reſpondere poteſt, alius reſpondeat, non itidem valent. Ex qua regula illud Evangelii dictum eſt*, nempe Joannis IX. *quod omnes, cum legitur, naturaliter monet*: Ætatem habet, ipſe pro ſe loquatur.

III. Sed opportune explicanda nunc ſunt ea noſtri §. verba: *Niſi mutus fuerit, aut omnino ſurdus, vel ignotæ linguæ; quo caſu, vel per Patrinum, ſi illam intelligat, vel alium interpretem, vel nutu conſenſum explicet ſuum*. De adulto muto, aut furioſo, ſi baptizandus eſſet, nihil plane ſtatuunt S. Carolus, & Cæremoniale Ambroſianum, ſed tantum dicunt, ut *Archiepiſcopus conſulatur*. Verum recte ait noſter §. reſpondere tunc poſſe Patrinum, hæc enim eſt vetus, & probata a Sacris Canonibus Eccleſiæ diſciplina, ut ſicut parvuli, ita ægri, ſurdi, & muti, qui loqui, & audire nequeunt, aliorum fide, & profeſſione baptizentur, uti inter alios docet S. Iſidorus Epiſcopus Hiſpalenſis, Lib. II. *De officiis*, Cap. XXIV. relatus in Can. LXXIII. De conſecratione, Diſtinctione IV. ubi ſic inquit: *Parvuli alio profitente baptizantur, quia adhuc loqui, vel credere neſciunt. Sicut etiam ægri, muti, & ſurdi, quorum vice alius profitetur, ut pro eis reſpondeat, dum baptizantur*. Idem plane inter alias docet Synodus Provincialis VI. Beneventana anni MDCLXXIV. Tit. IV. Capite V. *Pueri*, inquit, *& muti, & ſurdi, & ægri, qui plene in Baptiſmo reſpondere non poſſunt, per Patrinum de Fide reſpondere tenentur*. Ceterum ad ignotæ linguæ adultum quod attinet, hic ex præſcripto ejuſdem noſtri §. vel per Patrinum, ſi illam intelligat, vel alium interpretem, vel nutu, conſenſum ſuum explicare debet. Verum optimum conſilium eſſet, ut hujuſmodi homines ignotæ linguæ, quantum fieri poteſt, in magnis Urbibus baptizentur, potiſſimum vero Romæ, ubi quarumcumque nationum, & linguarum, quæ ſub cælo ſunt, interpretes non deſunt.

§. VIII.

§. VIII.

Pro hujus autem veneratione Sacramenti, tam Sacerdotem, qui adultos baptizabit, quam ipſos adultos, qui ſani ſunt, convenit eſſe jejunos.

§. IX.

Quare non poſt epulas, aut prandia, ſed ante meridiem, niſi ex rationabili cauſa aliter faciendum eſſet, eorum Baptiſma celebretur.

COMMENTARIUS.

I. ANtiquiſſimus eſt in Eccleſia ritus in duobus hiſce Paragraphis præſcriptus, ut nempe, tam Sacerdos, qui adultos baptizat, quam ipſi adulti, qui ſani ſunt, jejuni Baptiſmum ſuſcipiant; ideoque non poſt epulas, & prandia, ſed ante meridiem eorum Baptiſma celebretur. Diximus jam nos & de eo ritu in ſuperioribus Commentariis, ac nonnulla Patrum, atque Synodorum teſtimonia ad eum comprobandum adduximus. Celeberrimus plane ejus ritus teſtis eſt S. Juſtinus in Apopologia I. pro Chriſtianis ad Antonium Pium Imperatorem, num. 61. ubi enarrat quomodo Chriſtiani ſe ſe conſecrent in Baptiſmo: *Quicumque perſuaſum habuerint*, inquit, *& crediderint, vera eſſe, quæ a nobis docentur, & dicantur, ſeque ita vivere poſſe promiſerint, ii precari, & jejunantes, priorum peccatorum veniam a Deo petere docentur, nobis una precantibus, & jejunantibus; deinde eo ducuntur a nobis, ubi aqua eſt, & eodem regenerationis modo regenerantur, quo & ipſi ſumus regenerati*.

II. Cum olim præterea, uti iterum iterumque dictum eſt, nonniſi Paſchæ, Pentecoſteſque Vigiliis, quibus ſolemne cunctis indictum erat jejunium, Baptiſma celebraretur, neceſſe omnino erat, Epiſcopos, Presbyteroſque, alioſque Baptiſmi Miniſtros, jejunos exiſtere. Id quod clarum fit ex Concilio Pariſienſi VI. anno Chriſti DCCCXXIX. celebrato; nam quum congregati illuc juſſu Ludovici Pii Imperatoris ex quatuor Provinciis Patres accepiſſent, pleroſque Epiſcopos, poſt cibi, & potus perceptionem, per impoſitionem manuum tradere Spiritum Sanctum, poſito ob oculos Sanctorum Apoſtolorum exemplo, ſanxerunt, ut, *ſicut Baptiſmus, excepta infirmorum cauſa, non niſi a jejunis celebratur Sacerdotibus, ita etiam traditio Spiritus Sancti*. Idem habet Concilium Meldenſe apud Gratianum, De conſecratione, Diſtinctione V. & Rotomagenſe anni MLXXII. Can. V.

III. Sed ut ad noſtra Sæcula deveniamus, eandem diſciplinam ſervandam ſtatuunt plures Synodi, inter quas Moguntina anni MDXLIX. Canone XVI. ita ſancivit: *Ut tanto myſterio debita omnino reverentia exhibeatur, Parochos, & Eccleſiarum Miniſtros ſerio monemus, ut mane intra Officia Divina, aut mox poſt ea peracta, non autem tempore pomeridiano, poſt epulas, & prandia, niſi neceſſitas, aut periculum infantium neccelerare Baptiſmum expoſcat, cum multa ſobrietate, & accurata devotione Baptiſmum adminiſtrent*. His adde quod ait S. Carolus in Inſtructionibus Baptiſmi: *Jejunus*, inquit, *& mane miniſtrabit*, Parochus ſcilicet, ſive etiam alius Sacerdos, *niſi neceſſitas aliter poſtulet. Nec vero ante ortum, neque poſt occaſum ſolis, niſi itidem neceſſitate urgente*. Eadem mandant varii Epiſcopi in ſuis Synodis, quæ tamen paſſim negliguntur, cum non modo infantes, ſed & adultos ipſos poſt prandium viderim baptizari. Cæterum non ſine elogio nominandi hoc loco ſunt duo præſtantiſſimi Pontifices Maximi, Benedictus XIII. & BENEDICTUS XIV. quos non ſemel Romæ vidi mane Baptiſmum infantibus, adultiſque contuliſſe.

§. X.

Admonendus eſt Cathechumenus, ut peccatorum ſuorum pœniteat.

COMMENTARIUS.

I. INter alias diſpoſitiones, quæ in adultis requiruntur ad legitime ſuſcipiendum Baptiſmum, gratiam nempe cum charactere, eſt dolor peccatorum, & propoſitum obſervandi Legem Dei; uti conſtat ex illis Apoſtolorum Principis verbis, Cap. II. Actuum Apoſtolorum: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in Nomine Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum*; & ex S. Auguſtino relato in Canone, *Tres ſunt*, De pœnitentia, Diſtinctione I. ubi ſic habet: *Omnis enim, qui jam arbiter voluntatis ſuæ conſtitutus eſt, cum accedit ad Sacramentum Fidelium, niſi eum pœniteat vitæ veteris, novam non poteſt inchoare. Ab hac pœnitentia, cum baptizantur, ſoli parvuli ſunt immunes, nondum enim uti poſſunt libero arbitrio*. Qualis autem neceſſario debet eſſe dolor ad recipiendam gratiam Baptiſmi, & ex quo motivo produci debet, addiſcere licet ex Concilio Tridentino Seſſione VI., *De juſtificatione*, Cap. VI. ubi ita docet: *A Deo*, inquit, *juſtificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, & dum peccatores ſe ſe eſſe intelligentes, a Divinæ juſtitiæ timore, quo utiliter concutiantur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo, in ſpem erigun-*

guntur, fidentes, Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, illumque tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiant, ac propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod, & deteſtationem, hoc eſt, per eam pœnitentiam, quam ante Baptiſmum agi oportet; denique dum proponunt ſuſcipere Baptiſmum, inchoare novam vitam, & ſervare Divina mandata. Id quod ſtatim Concilium probat pluribus Sacræ Scripturæ locis. Videtur autem non paucis Theologis, quod juxta recitatum laudati Concilii locum dolor peccatorum in adulto baptizando produci debet ex motivo amoris Dei, & quod ſolum motivum timoris pœnarum gehennæ minime ſufficiat.

II. Sed omiſſa hac quæſtione, ſi veterem diſciplinam ſpectemus, Catechumeni nihil aliud cogitabant, quam ut variis pietatis operibus, duriſque, ac ſedulis pœnitentiæ exercitiis, ad recipiendam novæ in Chriſto nativitatis gratiam ſe ſe præpararent, uti late oſtendunt Joſephus Vicecomes in celebri Opere, *De ritibus Baptiſmi*, & Edmundus Martene Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. I. Articulo X. num. IX. & ſeqq. ubi etiam num. XII. variis Patrum locis demonſtrat, conſueviſſe olim Catechumenos etiam peccatorum confeſſionem Baptiſmo præmittere, & ſatisfactionis opera libenti animo amplexos fuiſſe. Quod tamen intelligendum eſt juxta doctrinam traditam, explicatamque a S. Thoma, Parte III. Quæſtione LXVIII. Articulo VI. ita ajente: *Siqui tamen baptizandi ſunt, ex devotione ſua peccata confiteri vellent, eſſet eorum confeſſio audienda, non ad hoc, quod eis ſatisfactio imponeretur, ſed ad hoc quod contra peccata conſueta eis ſpiritualis informatio traderetur*. Sed audiamus Tridentini Concilii Catechiſmum Parte II. *De Baptiſmi Sacramento*, num. XLV. ubi ſic habet: *Jam vero in Baptiſmo non ſolum peccata remittuntur, ſed peccatorum etiam, & ſcelerum pœnæ omnes a Deo benigne condonantur; nam etſi omnibus Sacramentis hoc commune eſt, ut per illa virtus Paſſionis Chriſti Domini communicetur, de ſolo tamen Baptiſmo dictum eſt ab Apoſtolo*, in Epiſtola ſcilicet ad Romanos, Capite VI. *nos per ipſum Chriſto commori, & ſepeliri. Ex quo Sancta Eccleſia ſemper intellexit, ſine maxima Sacramenti injuria fieri non poſſe, ut ei, qui Baptiſmo expiandus ſit, ejuſmodi pietatis officia, quæ uſitato nomine Sancti Patres opera ſatisfactionis vocarunt, imponantur*. Quod pœnæ peccatis debitæ remittantur in Baptiſmo, docent S. Ambroſius in Cap. XI. Epiſtolæ ad Romanos, S. Auguſtinus, Lib. I. *De nuptiis, & concupiſcentia*, Cap. XXXIII. & in Enchiridio Cap. IV. S. Thomas Parte III. Quæſtione LXVIII. Articulo VI. & alii Patres, ac Theologi communiter. Cæterum huc ſpectat, quod idem Catechiſmus mox ſubdit num. XLVI. *Nec vero quæ hoc loco traduntur, veteris Eccleſiæ conſuetudini adverſantur; quæ olim Judæis, cum baptizarentur, præcipiebat, ut quadraginta continuos dies jejunarent; neque enim illud inſtitutum ad ſatisfactionem pertinebat; ſed qui Baptiſmum percepiſſent, ea ratione admonebantur, ut Sacramenti dignitatem venerantes, jejuniis, & orationibus aliquandiu ſine intermiſſione operam darent*.

§. XI.

Amentes, & furioſi non baptizentur, niſi tales a nativitate fuerint, tunc enim de iis iidem judicium faciendum eſt, quod de infantibus, atque in fide Eccleſiæ baptizari poſſunt.

§. XII.

Sed ſi dilucida habent intervalla, dum mentis compotes ſunt, baptizentur, ſi velint. Si vero antequam inſanirent, ſuſcipiendi Baptiſmi deſiderium oſtenderint, ac vitæ periculum immineat, etiamſi non ſint compotes mentis, baptizentur.

COMMENTARIUS.

I. AD explicandos duos iſtos Paragraphos, nihil puto afferri luculentius poſſe, quam id, quod docuit S. Thomas Parte III. Quæſtione LXVIII. Articulo XII. in Corpore, ubi hæc habet: *Circa amentes, & furioſos eſt diſtinguendum. Quidam enim ſunt a nativitate tales, nulla habentes dilucida intervalla, in quibus etiam nullus uſus rationis apparet; & de talibus, quantum ad Baptiſmi ſuſceptionem, videtur eſſe idem judicium, ac de pueris, qui baptizantur in fide Eccleſiæ, ut ſupra dictum eſt*. Atque hæc ſpectant quidem ad §. noſtrum XI. Quod autem ad ſequentem §. XII. attinet, ita ſtatim idem S. Doctor ſubjicit: *Alii vero ſunt amentes, qui ex ſana mente, quam habuerunt prius, in amentiam inciderunt, & tales ſunt judicandi ſecundum voluntatem, quam habuerunt, dum ſanæ mentis exiſterent; & ideo ſi tunc apparuit in eis voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum, debet eis exhiberi in furia, & in amentia conſtitutis, etiamſi tunc actu contradicant. Alioquin ſi nulla voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum in eis apparuit, dum ſanæ mentis eſſent, non ſunt baptizandi. Quidam vero ſunt, qui etſi a nativitate fuerint furioſi, vel amentes, habent tamen aliqua lucida intervalla, in quibus recta ratione uti poſſint, unde ſi tunc baptizari voluerint, baptizari poſſunt etiam in amentia conſtituti, & debet eis tunc Sacramentum conferri, ſi periculum timeatur; alioquin melius eſt, ut tempus expectetur, in quo ſint ſanæ mentis, ad hoc quod devotius ſuſcipiant Sacramentum. Si autem tempore lucidi intervalli non appareat in eis voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum, baptizari non debent in amentia conſtituti. Quidam vero ſunt, qui etſi non omnino ſanæ mentis exiſtant, in tantum ratione utuntur, quod poſſunt de ſua ſalute cogitare, & intelligere Sacramenti virtutem; & de talibus idem eſt judicium, ſicut de his, qui ſanæ mentis exiſtunt, qui baptizantur volentes, non autem inviti.*

II. Re-

II. Recitatæ hactenus S. Thomæ doctrinæ multum quidem accedit roboris ex Decretali Epiſtola Innocentii Papæ III. ad Archiepiſcopum Arelatenſem data, atque relata in Capite, *Majores, De Baptiſmo, & ejus effectu*, ubi varias Quæſtiones decidens, ſic tandem ad hanc noſtram rem inquit: *Dormientes autem, & amentes, ſi priuſquam amentiam incurrerent, aut dormirent, in contradictione perſiſterent, quia in eis intelligitur contradictionis propoſitum perdurare, etſi fuerint ſic immerſi, characterem non ſuſcipiunt Sacramenti. Secus autem ſi prius Catechumeni extitiſſent, & habuiſſent propoſitum baptizandi. Unde tales in neceſſitatis articulo conſuevit Eccleſia baptizare.* Concludit denique, & ait: *Tunc ergo characterem ſacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obſiſtentem*. Dormientibus itaque, & amentibus, furioſiſque in Baptiſmo imprimitur character Sacramenti, ſi ante ſomnum, vel amentiam, furoremque Catechumeni erant, & habebant animum ſuſcipiendi Baptiſmum, ut ait Pontifex, & ratio eſt, quia in dormientibus, & amentibus, vel furioſis, manent reliquiæ voluntatis, ut addiſcimus ea Lege, *Patre furioſo*, ff. *De his, qui ſui, vel alieni juris ſunt*. Alias vero, qui invitus, ideſt penitus contradicens baptizatur, non recipit characterem Sacramenti; qui autem coactus baptizatur, is tanquam conditionaliter volens, characterem Baptiſmi ſuſcipit, ut idem Pontifex ſtatuit; & ratio diſtinctionis eſt, quod nemo invitus compellitur ad Fidem, Can. *De Judæis*, Diſtinctione XLV. coactum vero baptizari nihil vetat; quia ſcilicet coacta voluntas, voluntas eſt, Lege, *Si mulier*, §. *Si metu*, ff. *Quod metus cauſa*. Lege, *Si patre cogente*, ff. *De ritu nuptiarum*, Cap. *Cum inter R.* XVI. *De electione, & electi poteſtate*.

§. XIII.

Idemque dicendum eſt de eo, qui lethargo, aut phreneſi laborat, ut tantum vigilans, & intelligens baptizetur, niſi periculum mortis impendeat, ſi in eo prius apparuerit Baptiſmi deſiderium.

COMMENTARIUS.

I. Lethargus eſt torpor, & inexpugnabilis pene ſomni neceſſitas, cum alienatione mentis, ut inquit Celſus Lib. III. Capite XX. Phreneſis autem, ſive phrenitis, eſt morbus lædens mentem, & ad inſaniam, furoremque perducens, nam mentem Græci φρένας appellant; fit ex inflammatione membranularum, quas meningas vocant, idque vel a pallida bile, eaque levior eſt; vel a flava, eaque eſt vehementior; vel ab eadem valde aduſta, quæ eſt omnium deterrima, ut docet Galenus Libro III. *De locis affectis*. Cum ergo tum lethargus, cum phreneſis infirmitates ſint, quæ patientem alienant a mente, vel ita ejus mentem ligant, ut nihil operari valeat, & qui una, vel altera harum infirmitatum laborat, libere agere non poſſit, ideo non eſt capax Baptiſmi; dari enim hoc Sacramentum vigilanti, ac volenti debet; *niſi periculum mortis impendeat*, ut ait hic noſter §. & *ſi in eo prius apparuerit Baptiſmi deſiderium*. Atque huc faciunt, quæ jam nos ex Theologorum doctrina diximus in Commentario ad ſuperiores Paragraphos, ad quos etiam ſe refert hic præſens Paragraphus.

§. XIV.

Sacerdos diligenter curet, ut certior fiat de ſtatu, & conditione eorum, qui baptizari petunt, præſertim exterorum. De quibus facta diligenti inquiſitione, num alias, ac rite ſint baptizati, caveat, nequis jam baptizatus, imperitia, vel errore, aut ad quæſtum, vel ob aliam cauſam, fraude, dolove iterum baptizari velit.

COMMENTARIUS.

I. Ne temere, ac cito conferatur adultis Baptiſmus, exteris præſertim, ac vagis, inculcant paſſim Sacræ Synodi, ac Patres. Inter alias utilitates dilationis Baptiſmi in adultis, prima quidem hæc recenſetur a Catechiſmo Tridentini Concilii Parte II. *De Baptiſmi Sacramento*, num. XXXVI. *Quoniam ab Eccleſia diligenter providendum eſt, nequis ad hoc Sacramentum ficto, & ſimulato animo accedat, eorum voluntas, qui Baptiſmum petunt, magis exploratur, atque perſpicitur; cujus rei cauſa in antiquis Conciliis decretum legimus, ut qui ex Judæis ad Fidem Catholicam veniunt, antequam Baptiſmus illis adminiſtretur, aliquot menſes inter Catechumenos eſſent*. Concilia, quorum meminit Catechiſmus, ſunt quidem Agatenſe anni DVI. Can. XXXIV. & Toletanum IV. anni DCXXXIII. Can. LIX.

II. Huc plane ſpectant, quæ ſtatuit S. Carolus in Concilio Provinciali V. Mediolanenſi, Parte I. Conſtitutionum, Capite inſcripto, *Quæ ad Baptiſmum pertinent*, quæque nos jam ſupra etiam deſcripſimus: *Quod vero, licet horribile dictu ſit, aliquando tamen eveniſſe compertum eſt, aliquem ſcilicet ad turpem quæſtum iterum Baptiſmum ſuſcepiſſe, id ne unquam porro accidat, Epiſcopus, antequam baptizet, omne diligens ſtudium adhibeat, quo iſtos homines, vel Judæos, vel Turcas, Mauroſve, qui Baptiſmum ſibi conferri petierint, plane dignoſcat, de illorumque conditione, ac ſtatu omni, quantum licuerit, a probatis viris accipiat teſtimonium ob-*

ſignatum, idemque exigat omnino. His adde quod idem Sanctiſſimus Præſul præſcribit in Actis Eccleſiæ Mediolanenſis Parte IV. in eo Capite, quod inſcriptum eſt, *De Baptiſmo adultorum*, ubi ſic habet: *Cum is Baptiſmum petit, ſive Judæus ille ſit, ſive Paganus, ſive alius, primo quærantur teſtimonia certa de ejus conditione, anteacta vita, ſtatuque omni, & hominis voluntas diligenter exploretur, utrum ex animo, veraque pietate Baptiſmum petat.*

III. Porro quod vel olim plures Pagani, ac Judæi præſertim Baptiſmum irridentes, cum fictione ad illum, turpis lucri cauſa, accederent, multis probari poſſet exemplis. Mirabile eſt illud, quod legitur in Vita S. Hilarii Pictavienſis Epiſcopi, qui obiit anno CCCLXVII. apud Bollandum die XIII. Januarii, de quodam infideli, qui ficte Baptiſmum ſuſcepit, completaque vix Sacramenti adminiſtratione, irruit ventus validus, & veſtem candidam, qua falſus Neophytus erat indutus, violenter arripuit, eaque illum ſpoliavit, indicans, nullum recepiſſe effectum Baptiſmi. Celebre eſt quoque aliud exemplum, quod refert Socrates Lib. VII. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Capite XVII. apud Baronium anno CDXIX. ubi ſcribit, quod cum quidam Judæus, ſimulata Chriſtiana Fide a variarum ſectarum Epiſcopis baptizatus fuiſſet, multaſque ex ea fallacia pecunias corraſiſſet, tandemque ad Paulum Novatianum Conſtantinopoli Epiſcopum ſe conferens, ut ab eo pariter Baptiſmum peteret, eumque illi Paulus dare vellet, ſemel, atque iterum aqua Baptiſterii evanuerit, atque eo miraculo Judæus prævaricatur agnitus fuerit. Ceterum licet demus Socratem, & ipſum ſecta Novatianum haud eſſe mentitum, cum alioqui ſuſpecta ſit omnis de ſuis Dogmatiſtis hæreticorum narratio, nihil eſt tamen, ut Epiſcopo Novatiano adſcribatur miraculum, quod potius tribuendum eſt virtuti Sacramenti; quandoquidem verum fuiſſe Novatianorum Baptiſmum, cum veri aſſertores eſſent Sanctiſſimæ Trinitatis, nullum eſt dubium; adeo ut ceſſerit miraculum in confirmationem Catholicæ veritatis, non ad Pauli merita illuſtranda, ut recte ibidem notavit Baronius, & poſt eum alii etiam eruditi Scriptores.

§. XV.

Omnes autem, de quibus, re diligenter inveſtigata, probabilis dubitatio eſt, an baptizati fuerint, ſi nihil aliud impediat, ſub conditione baptizentur.

COMMENTARIUS.

I. JAm longe ante annum milleſimum, uſum in Eccleſia invaluiſſe, ut de quibus dubitatur, an baptizati fuerit, non incunctanter, ut primitus, & abſolute, ſed ſub conditione baptizarentur, jam ſupra iterum iterumque oſtendimus. Recte itaque ſtatuit & hic noſter §. adultos omnes, de quibus, re diligenter inveſtigata, probabilis dubitatio eſt, an fuerint baptizati, ſi nihil aliud impediat, ſub conditione ſacro lavacro abluantur. Ea verba, *ſi nihil aliud impediat*, in §. noſtro notata, intelligi debent, ſi ſit inſtructus, ſi petat Baptiſmum, ſi voluntate accedat, & ſi careat aliis quibuſcumque impedimentis, quæ Baptiſmo ſuſcipiendo obſtant, de quibus jam ſupra in variis Commentariis late diſſerui.

§. XVI.

Hæretici vero ad Catholicam Eccleſiam venientes, in quorum Baptiſmo debita forma, aut materia ſervata non eſt, rite baptizandi ſunt; ſed prius errorum ſuorum pravitatem agnoſcant, & deteſtentur, & in Fide Catholica diligenter inſtruantur. Ubi vero debita forma, & materia ſervata eſt, omiſſa tantum ſuppleantur, niſi rationabili de cauſa aliter Epiſcopo videatur.

COMMENTARIUS.

I. VAlidum eſſe Baptiſma ab hæreticis collatum, ubi debita forma, & materia, de quibus ſupra ſuis locis diximus, adhibita fuerit, pervetuſta eſt Eccleſiæ traditio, licet aliquando nonnullis, etiam Sanctis Patribus, ac præſertim Cypriano Baptiſma ipſum viſum fuerit inane. Teſtis plane eſt hujus traditionis S. Stephanus Papa I. ac Martyr, S. Cypriano hæreticos iterum baptizanti his verbis reſcribens: *Siquis ergo a quacumque hæreſi venerit ad nos, nihil innovetur, niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponatur in pœnitentiam; cum ipſi hæretici propter alterutrum ad ſe venientes non baptizent, ſed communicent tantum*. De antiqua illa traditione conveniebat quidem ipſe Cyprianus, qui tamen contendebat, humanam eſſe, ac proinde nihili eſſe ducendam. At contra Cyprianum valet ea S. Auguſtini regula, Lib. IV. *De Baptiſmo contra Donatiſtas*, Capite XXIV. expreſſa his verbis: *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolorum traditum rectiſſime creditur*. Idipſum variis in locis idem S. Doctor confirmat, ac præſertim Lib. II. *De Baptiſmo*, ubi ait Capite VII. eam conſuetudinem *ex Apoſtolica traditione venire*; & Lib. IV. Capite VI. ubi aſſerit Cyprianum egiſſe *adverſus totius Orbis morem*. Vide plura hanc in rem apud Jueninum, *De Sacramentis*, Diſſertatione II. Quæſtione VI. Cap. II. Articulo III. §. I. & ſeqq. Sed tamen non omittendum illud quod ſtatuit hic noſter §. ut nempe, ubi debita forma, & materia ſer-

ſervata eſt in Baptiſmo ab hæreticis collato, *omiſſa tantum ſuppleantur, niſi rationabili de cauſa aliter Epiſcopo videatur*, ne forte ſcilicet oriantur inutiles diſputationes de Baptiſmi validitate ab hæreticia collati, ſeu de neceſſitate ſupplendarom cæremoniarum omiſſarum, uti ad hunc noſtrum §. ootat Barroſaldus num. 78.

II. At vero cum apud varios hæreticos in Baptiſmi adminiſtratiooe debita forma, aut materia minime ſervetor, ſapientiſſime noſter §. ſtatuit, ot ſi hi ad Catholicam Eccleſiam veniant, rite baptizandi ſint, tamquam ſcilicet ſi nunquam baptizati eſſent, ſed prius tamen errorum ſuorum pravitatem agnoſcere, & deteſtari, ac in Fide Catholica diligenter inſtrui debent. Atque hæc eſt vetus Eccleſiæ diſciplioa, cujus meminit Martene Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. I. Articulo XIII. num. XVI. ubi ait, graſſante aliqua hæreſi articulos Fidei pravis illius erroribus oppoſitos, baptizandis fuiſſe ſpecialiter propoſitos, ut illos deteſtarentur. Atqoe hinc capiendus eſt locus ex Epiſtola Nicetii ad Juſtinianum Imperatorem, apud Cheſnium Tomo I. Hiſtoriæ Francorum: *Dulcis*, inqnit, *& dulcis noſter Juſtiniane, rememorare quæ promiſiſti, cum baptizatus es, quid per ſingula te credere dixiſti, unum Filium manentem in duabus ſubſtantiis cum Patre & Spiritu Sancto, non duos Chriſtos teſtatus es*. Sed de hac diſciplina jam etiam ſupra diſſeruimoa, ſupervacaneumque omnino cenſemus rem ipſam latins jam explicatam iterum hoc loco repetere.

§. XVII.

Cæterum legantur, & ſerventur ea, quæ ſupra de Baptiſmo in communi præſcripta ſunt Capite primo.

COMMENTARIUS.

I. Breviter ab hoe me Commentario expedio, mandat hic noſter §. ut in Baptiſmo adultorum, de quo agitur, *legantur, & ſerventur ea, quæ ſupra de Baptiſmo in communi præſcripta ſunt*, de materia ſcilicet, forma, Mioiſtro, Patrinis, tempore, loco, ſacris Oleis, & aliis, quæ ad Baptiſmum valide, ac rite adminiſtrandum præſcripta ſunt in Capite I. hujus Tituli, quæque omitti non debeot, & communia ſunt tum parvulis, tum adultis, & Catechumenis in Baptiſmo rite admioiſtrando, atque ſuſcipiendo.

CAPUT IV.

Ordo Baptiſmi adultorum.

§. I.

In primis Sacerdos, paratis his, quæ ſupra de obſervandis in adminiſtratione Sacramenti Baptiſmi parvulorum dicuntur, indutus Superpelliceo, & Stola, vel etiam Pluviali violacei coloris, cum ſuis Clericis accedit ad gradus Altaris, & genibus flexis pias mente ad Deum preces effundit, ut tantum Sacramentum digne valeat miniſtrare, & ad implorandum Divinum auxilium, ſurgens ſe ſignat, & ſi temporis ratio ferat, dicit: ℣. *Deus in adjutorium meum intende*. ℟. *Domine ad adjuvandum me feſtina. Gloria Patri. Sicut erat.*

§. II.

Poſtea incipiat, proſequentibus Clericis, Antiphonam, *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, dicit Dominus*. Pſalmus VIII. *Domine Dominus noſter &c.* Pſalmus XXVIII. *Afferte Domino Filii Dei &c.* Pſalmus XLI. *Quemadmodum deſiderat cervus &c.* Et repetitur Antiphona: *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis noſtris, dicit Dominus.*

§. III.

Deinde dicitur, *Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter.* ℣. *Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos a malo.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui dediſti famulis tuis in confeſſione veræ Fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere, & in potentia majeſtatis adorare unitatem, quæſumus, ut ejuſdem Fidei firmitate ab omnibus ſemper muniamur adverſis.

Oratio.

Adeſto ſupplicationibus noſtris, Omnipotens Deus, & quod humilitatis noſtræ gerendum eſt miniſterio, tuæ virtutis impleatur effectu.

Ora-

Oratio.

Da, quæſumus, Domine, Electo noſtro, ut ſanctis edoctus myſteriis, & renovetur Fonte Baptiſmatis, & inter Eccleſiæ tuæ membra numeretur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen,*

§. IV.

Si plures fuerint baptizandi, hæc tertia Oratio dicatur in numero plurali.

COMMENTARIUS.

I. QUatuor ſimul Paragraphos deſcripſimus uno Commentario abſolvendos, quod omnes ipſum connexum ritum ſpectent, qui ad Altare a Sacerdote in adminiſtratione Baptiſmi Adultorum peragi debet, antequam ad fores Eccleſiæ procedat, ubi ex antiquo rito in communi infantium Baptiſmo initium fit ſacræ Actionis. Ergo, ut in noſtro I. §. edicitur, *in primis Sacerdos, paratis his, quæ ſupra*, nempe Cap. I. §. XXXI. & ſeqq. *de obſervandis in adminiſtratione Baptiſmi parvulorum dicuntur, indutus Superpelliceo, & Stola, vel etiam Pluviali violacei coloris, cum ſuis Clericis accedit ad gradus Altaris*. Quamquam legitimus quidem Baptiſmi miniſter ſit Parochus, vel alius Sacerdos a Parocho, vel ab Ordinario loci delegatus, ut diximus ſupra Cap. I. ubi de Miniſtro Baptiſmi egimus; deceret tamen quammaxime, ut ipſe loci Ordinarius Baptiſmum adulto Catechumeno ſolemni ritu adminiſtraret, ut Romæ fieri ſolet, ubi adulti Catechumeni, ſive Judæi ſint, ſive Gentiles utplurimum a Viceſgerente Epiſcopali dignitate inſignito, vel a Cardinale Vicario, & non raro etiam ab ipſo Pontifice Maximo ſalutari lavacro abluuntur. Porro ſive Parochus ſit, ſive alius Sacerdos, qoi adulto Baptiſmum adminiſtrat, ex præſcripto noſtri §. præter Superpelliceum, & Stolam, induit etiam Pluviale, ad indicandam ſcilicet majorem ſolemnitatem hujuſmodi Baptiſmi, ob quam etiam multos adhibet Clericos Superpelliceis pariter indutos. Si enim in frequenti infantium Baptiſmo unus ſaltem præſcribitur Clericus, qui baptizanti inſerviat, uti ſuperius dictum fuit, convenit quidem, ut in ſolemniori Baptiſmo adulti, multi adſint Clerici, ac illi præſertim, qui Parrochiali Eccleſiæ adſcripti ſunt, juxta noviſſimam Concilii Romani Benedicti Papæ XIII. conſtitutionem Tit. VI. Capite II. notatam.

II. Paratus Sacerdos, uti dictum eſt, cum ſuis Clericis ex præſcripto ejuſdem §. *accedit ad gradus Altaris, & genibus flexis pias mente ad Deum preces effundit*, aperto ſcilicet capite, *ut tantum Sacramentum digne valeat miniſtrare, & ad implorandum Divinum auxilium, ſurgens ſe ſignat*, ſigno ſcilicet Crucis a fronte ad pectus, & a ſiniſtra ad dexteram; *&, ſi temporis ratio ferat, dicit* ℣. *Deus in adjutorium &c.* Primo itaque genuflexus mente orare, tum ſe erigens, voce debet Sacerdos miniſtraturus adulto Baptiſmum, & quidem ob eam rationem, quam tradit noſter §. nempe, *ut tantum Sarramentum digne valeat miniſtrare, & ad implorandum Divinum auxilium*. In Baptiſmo ſiquidem adultorum, divina gratia potiſſimum opus eſt ad excitanda illorom corda, ideoque varias preces, Pſalmos, orationeſque præmittit Sacerdos, quæ tamen non ita præcipiuntur, ut aliquando omitti nequeant; nam ait §. *ſi temporis ratio ferat*. Curandum tamen ſummopere eſt, ut non omittantur, faciunt enim quammaxime ad rem, quæ pertractanda eſt; & primo quidem Antiphona ipſa, *Effundam ſuper vos aquam mundam &c.* deſumpta eſt ex Capite XXXVI. Ezechielis, & in noſtro §. II. recte deſcripta, locus namque ille eſt, ad quem alludit Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos, Cap. X. his verbis: *Abluti corpus aqua munda*; & quo antiqui Eccleſiæ Patres paſſim utuntur ad ſignificandum Baptiſmum a Chriſto in aqua inſtitutum, uti videre eſt apud S. Cyprianum in Epiſtola LXX. ad Januarium, & cæteros Epiſcopos Numidas, & in Epiſtola LXXVI. ad Magnum de baptizandis Novatianis, & apud S. Ambroſium, ſive alium ejus nomine in Commentario ad Epiſtolam ad Romanos, Cap. VI.

III. Pertinent quoque ad ipſam ſacram Baptiſmi functionem Pſalmi in eodem §. II. notati, atque Orationes in §. III. præſcriptæ, in quarum ultima, ubi dicitur, *da, quæſumus, Domine, Electo noſtro*, notandum eſt, verbum ipſum *Electo* alludere ad antiquum illud Catechumenorum genus, *Electorum* dictum, qui, ut ſuperius notavimos, abſoluto Catechumenatus tempore, ad recipiendum ſacræ regenerationis Sacramentum nomen dederant, quod in Romana Eccleſia præſtabant hebdomads II. Quadrageſimæ. Sunt qui Electos cum Competentibus confundunt, quos tamen alii diſtinctos volunt; nam, ut loquitur S. Auguſtinus Sermone CCXXVIII. novæ editionis, *Competentes dicebantur, quoniam materna viſcera, ut naſcerentur, petendo pulſabant*. Quibus concinit quod idem S. Doctor in Libro, *De Fide, & operibus*, Cap. IX. ſcripſit: *Cum Fontis illius Sacramenta peteremus, atque ob hoc Competentes etiam vocaremur*. Electi autem non dicebantur, niſi eo die quo ſacro abluebantur lavacro, uti addiſcimus ex Epiſtola Siricii Papæ ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum, Cap. II. atque ex Ordine Romano I. Cap. VII. num. 38. apud Mabillonium Tom. II. Muſæl Italici pag. 24. ubi mox baptizandis ab Archidiacono dicitur: *Orate Electi &c.* Porro, ut Catechumeni *Electi* fierent, pendebat ex Scrutiniis, in quibus, ut alias dictum fuit, de Fide, & moribus Catechumenorum inquirebatur; illi igitur, qui approbabantur digni, ut ad Baptiſmum accederent, *Electi* vocabantur, eoque nomine utitur Eccleſia in Baptiſmo adultorum in citata tertia Oratione, *Da, quæſumus, Domine Electo noſtro &c.* quæ quidem antiquiſſima eſt, legiturque in plurali numero in Ordine Romano VII. num. 2. apud laudatum Mabillonium pag. 78. quod nempe plures baptizarentur, *Da quæſumus Domine Electis noſtris*. Quod quidem recte admonuit noſter §. IV. ubi edicit, ut, *ſi plures fuerint baptizandi, hæc tertia oratio dicatur in numero plurali*.

§. V.

Deinde Sacerdos procedit ad fores Eccleſiæ, & ſtat in limine, catechizandus vero extra limen. Et ſi ſunt plures mares, & feminæ, illi ad dexteram Sacerdotis, hæ vero ad ſiniſtram ſtatuantur, & *Sacerdos interrogat*: *Quo nomine vocaris?* Catechumenus reſpondet *N.* Sacerdos: *N. quid petis ab Eccleſia Dei?* Reſpondet: *Fidem*. Sacerdos: *Fides, quid tibi præſtat?* Reſpondet: *Vitam æternam*. Sacerdos: *Si vis habere vitam æternam, ſerva mandata. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & proximum tuum, ſicut te ipſum. In his duobus mandatis tota Lex pendet, & Prophetæ. Fides autem eſt, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate venereris, neque confundendo Perſonas, neque ſubſtantiam ſeparando. Alia eſt enim Perſona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti; ſed horum trium una eſt ſubſtantia, & non niſi una Divinitas.*

COMMENTARIUS.

I. FActa meditatione, atque oratione, ac recitatis Pſalmis, & precibus, tribuſque Orationibus ante gradus Altaris, ut in Commentario ſuperiori dictum eſt, ex præſcripto præſentis §: *deinde Sacerdos procedit*, tecto ſcilicet capite, & cum ſuis Clericis, *ad fores Eccleſiæ, & ſtat in limine, Catechizandus vero extra limen.* Antiquus hic ritus eſt, de quo diximus jam ſupra in Ordine Baptiſmi parvulorum, ejuſque ſit mentio in tribus præſertim mſs. Libris Pontificalibus, Conſtantinopolitano annorum circiter DC. Aquenſi annorum D. & Romano annorum CD. apud Martene Lib. I. Capite I. Articulo VII. Ordine VII. in quibus Ordo Catechumenum faciendi ſic incipit: *Stans in Eccleſiæ limine Sacerdos Catechizandum ſitum foris limen interrogat &c.* Ex ms. Rituali inſignis Eccleſiæ Sueſſionenſis tempore Nivelonis Epiſcopi ſcripto, cautum eſt, ut Presbyter ſtatuat ante januas Eccleſiæ infantes baptizandos, maſculos ad dexteram, feminas ad ſiniſtram. Id quod etiam præſcriptum legitur in Græcorum Ritualibus, ut apud Jacobum Goar, qui illa collegit, Notiſque illuſtravit, videre eſt.

II. Antiquus itaque, probatuſque in Græca & Latina Eccleſia eſt ritus, ut Catecheſis fiat baptizando ante fores Eccleſiæ manente, qui tamen quod alicubi ignorantia, ſocordiave Parochorum negligeretur, inſtauratus merito fuit a ſanctæ memoriæ Benedicto Papa XIII. in Concilio Romano anni MDCCXXV. Titulo XXVI. Cap. III. ubi diſtricte jubet, ut baptizandorum Catecheſis extra omnino, non intra Eccleſiam fiat: *Quia Baptiſmus*, inquit, *janua eſt Sacramentorum, & porta, per quam in Chriſti Eccleſiam intramus, ſciant Parochi, non unde a Rituali præſcribi, ut baptizandorum Catechiſmus ad Eccleſiæ januam, his cum Patrinis extra exiſtentibus peragatur; ipſis itaque diſtricte præcipimus, ut ritum omnino ſervent eundem, nec unquam committant, contrarius ultra procedat abuſus.* Hinc non addubito, quin peccent Parochi, qui ritum ipſum minime obſervant, tum præſertim, quod una cum ritu myſterium violant, quod in eo continetur; *Afferuntur enim, vel etiam adducuntur qui Baptiſmo initiandi ſunt, ad Eccleſiæ fores, atque ab ejus introitu omnino prohibentur, quod indigni ſint, qui Domum Dei ingrediantur, antequam a ſe turpiſſimæ ſervitutis jugum repulerint, & totos ſe Chriſto Domino, ejuſque juſtiſſimo imperio addixerint.* Verba ſunt Catechiſmi Concilii Tridentini Parte II. *De Baptiſmi Sacramento*, num. LX. cujus explicationem confirmat S. Carolus Parte IV. Actorum Eccleſiæ Mediolanenſis, in Inſtructionibus, *De Baptiſmi adminiſtratione*, Capite inſcripto, *De cæremoniis, quæ, priuſquam Baptiſmus miniſtratur, adhibentur*, ubi ſic inter alia inquit: *Deinde ante fores Eccleſiæ, qui Baptiſmo initiandi ſunt, offeruntur, propterea quod indigni ſint, qui more Fidelium, Domum Dei, antequam Chriſto Domino ſe addixerint, ingrediantur*. Longe itaque non pauci Parochi errant, qui memorato ritui, ejuſque myſterio ſatis ſe putant feciſſe, ſi Catechiſmum ipſum extra Baptiſterii cancellos peragunt, cum alias ex memorati Romani Concilii Decreto, *omnino* peragendus ſit ab ipſis ſtantibus in limine Eccleſiæ, Baptizandis vero, & Patrinis extra Eccleſiæ limen exiſtentibus.

III. Venio nunc ad alium ritum in noſtro §. præſcriptum, ut nempe, ſi plures ſunt baptizandi, mares, & feminæ, *illi ad dexteram Sacerdotis, hæ vero ad ſiniſtram ſtatuantur*. Atque hic quoque antiquus eſt Eccleſiæ ritus, cujus meminere Romani Ordines I. & VII. & ille quidem Cap. VII. ubi recenſentur ritus Sabbati Sancti: *Procedunt*, inquit, *qui baptizandi ſunt ad Eccleſiam, & ordinantur per ordinem, ſicut ſcripti ſunt, maſculi in dexteram, feminæ in ſiniſtram*. Idem plane totidem verbis edicit Romanus Ordo VII. num. 9. Et ratio ea eſſe videtur, quod partem nobiliorem occupare debet nobilior ſexus, & præeminentiam habere etiam in rebus ſacris ſupra ignobiliorem; atque hæc cauſa eſt, quod S. Carolus in ſuo Concilio Mediolanenſi V. Provinciali, Capite, quod inſcriptum eſt, *Quæ ad Baptiſmum pertinent*, ſtatuit, quod, *cum duo infantes, mas ſcilicet, & femina ad Baptiſmum offeruntur, is ordo ſervetur, qui antiquiſſimi ritus eſt, ut mari primum, deinde feminæ miniſtretur, niſi neceſſitas aliter cogit*. Additque mox, ut *idem ſervetur, ſi plures offeruntur, partim mares, partim feminæ*.

IV. Sed ut de uno baptizando adulto loquamur, ſtans, uti dictum eſt, Sacerdos in limine portæ Eccleſiæ, & quidem majoris, ſive etiam illius, quæ vicinior eſt Baptiſterio, baptizandum interrogat: *Quo nomine vocaris?* Atque hic illud primo notandum, quod docent S. Carolus in ſuis Inſtructionibus, & Cæremoniale Ambroſia-

ſianum juſſu Cæſaris Montii Cardinalis, & Archiepiſcopi Mediolanenſis editum, ubi agunt de Baptiſmo adultorum, debere nempe baptizandum adultum, qui interrogatur, eſſe genuflexum, & quidem ante fores Eccleſiæ, genuflexumque Fidem profiteri, Baptiſmumque petere. Secundo quod interrogationem ſpectat de nomine, quo baptizandus vocetur, jam de eo ritu late diſſerui in Commentariis ad parvulorum Baptiſmum. Sed ut aliquid hic etiam dicam, illud notandum, quod nonnulli Auctores docent, nomina olim non in Baptiſmo, ut nunc ſit, ſed longe ante impoſita fuiſſe. Ita cenſet Menardus in Notis ad Librum Sacramentorum S. Gregorii Papæ, pag. 99. ubi probat, moris fuiſſe apud veteres Romanos, nono ab ipſo natali die maribus, octavo feminis nomen imponere; apud veteres Francos die nono, apud Græcos decimo; putatque, antiquos Chriſtianos in imponendis nominibus ſua conſuetudine uſos fuiſſe, poſita omni ſuperſtitione paganica.

V. Et certe cum tardius olim, nec niſi provectioribus ætate ſoleret Baptiſmus adminiſtrari, tanto tempore ſine nomine permanſiſſe, haudquaquam probabile videtur. Quæ quidem ut vera ſint, nihil tamen obſtant, quin minus antiquiſſima ſit in Baptiſmo nominis imponendi conſuetudo. Nam qui ex Paganis ad Chriſtum convertebantur, nomine Gentili abjecto, novum aſſumebant, Apoſtolorum præſertim, ac Martyrum, uti obſervat Martene Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. I. Articulo X. num. III. & VII. ubi etiam docet, longe aberrare a puriori Eccleſiæ veteri diſciplina noſtri Sæculi hæreticos, qui abjectis Sanctorum Novi Teſtamenti appellationibus, nomina Veteris affectant, quos merito ſugillat Concilium Burdigalenſe anno Chriſti MDLXXXII. his verbis: *Nomina Sanctorum Patrum Veteris Teſtamenti affectare, hæreticorum eſt*. Non quidem præciſe propter affectata Sanctorum antiquæ Legis nomina, nam de quinque Ægyptiis Martyribus, qui Eliæ, Hieremiæ, Samuelis, Iſaiæ, & Danielis nomen aſſumſerant, id narrat Euſebius in Libro, *De Martyribus Palæſtinæ*, ſed quod ea in odium debitæ Sanctis Novi Teſtamenti venerationis accipere affectant, ut ſcite explicat idem Martene.

VI. Prolato ad interrogationem Sacerdotis a baptizando nomine, iterum Sacerdos illum interrogat: *N. quid petis?* Cui ille: *Fidem*; rurſuſque interroganti Sacerdoti: *Fides quid tibi præſtat?* reſpondet ille: *Vitam æternam?* Quo dicto, ſtatim ſubdit Sacerdos: *Si vis habere vitam æternam, ſerva mandata &c.* Ita plane ſtatuit hic noſter §. eique conſentiunt Rituales Codices recentiores, nam alias juxta vetus Miſſale Gallicanum a Cardinale Thomaſio editum, facta primum interrogatione de nomine, interrogabat mox Sacerdos de abrenuntiationibus, tum vero de Fide. Juxta antiquum vero Sacramentarium Gallicanum, quod ex ms. Bobienſi Codice annorum MC. vulgavit Mabillonius Tomo I. Muſæi Italici, fiebat primum *exorciſmus hominis*, tum vero tangebantur nares, & poſt alios ritus interrogabatur de nomine, ac de abrenuntiationibus, & de Fide, an ſcilicet crederet *in Deum Patrem &c.* Summa quoque variatio, rituumque inverſio in aliis Sacramentorum Libris a Martene allatis, citato Lib. I. Cap. I. Articulo XVIII. Porro juxta ms. Codicem Bibliothecæ S. Genovefæ Pariſienſis annorum circiter CCC. in quo nonnulli ritus Eccleſiæ Laudenſis in Italia continentur, in primis Sacerdos ſtans ante fores Eccleſiæ, tribus vicibus inſufflat in ore baptizandi, poſteaque dicit: *Per iſtam inſufflationem, & Dei benedictionem exeat a te ſpiritus malignus, & ingrediatur in te Spiritus Sanctus, & totum permaneat in æternum*. Deinde interrogatione facta de nomine, dicit Sacerdos: *Quid petis ad Eccleſiam?* Cui ubi reſponſum fuit: *Fidem*; iterum dicit ille: *Fides quid tibi præſtat?* Et facta reſponſione: *Vitam æternam*; ita mox ſubdit Sacerdos: *Hæc eſt autem vita æterna &c.* uſque ad ea verba: *univerſa Lex pendet, & Prophetæ*. Cæterum ex Rituali Cadomi anno MDCXIV. edito, in eo Titulo, qui inſcribitur: *Modus baptizandi ſecundum Eccleſiam Romanam*, Sacerdos, poſtquam interrogavit, *Fides quid tibi præſtat?* & reſponſum ei fuit, *Vitam æternam*, breviorem hanc verborum formulam pronunciat: *Hæc eſt vita æterna: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & tota mente tua, & proximum tuum ſicut te ipſum: hoc eſt primum, & maximum mandatum*.

VII. Prolixior eſt plane formula in §. noſtro præſcripta, ubi poſt illa verba: *In his duobus mandatis univerſa lex pendet, & Prophetæ*, hæc alia adjunguntur verba ex Symbolo, quod Sancti Athanaſii dicitur, excerpta: *Fides autem hæc eſt, ut unum Deum in Trinitate &c.* Quæ licet in multis Ritualibus deſiderentur, extant tamen in Libris mſs. Pontificalibus Conſtantinopolitano annorum DC. Aquenſi annorum D. & Romano annorum CD. apud Martene Lib. I. Cap. I. Articulo VII. Ordine VIII. in quibus poſt illa verba, *& nonniſi una Divinitas*, ita ſtatim ſequitur: *Exeat ergo de te ſpiritus malignus, & ingrediatur ſpiritus bonus per eum, qui venturus eſt*. Atque hic ſileri non debet Sacerdotale Romanum Venetiis editum anno MDLXVII. ubi in Partis primæ Tractatu primo, in Ordine Baptizandi vulgato, & jam diu impreſſo ſecundum uſum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ præſcriptum lego, ut *dicatur tribus vicibus*, hæc formula: *Hæc eſt vita æterna, ut diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis. Hoc eſt maximum, & primum mandatum. Secundum autem eſt ſimile huic: Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum; & quod tibi non vis, aliis ne feceris.*

§. VI.

Et rurſus interrogat: *N. Abrenuntias Satanæ?* ℟. *Abrenuntio*. Interrogat: *Et omnibus operibus ejus?* ℟. *Abrenuntio*. Interrogat: *Et omnibus pompis ejus?* ℟. *Abrenuntio*.

§. VII.

Deinde Sacerdos interrogat de Symbolo Fidei, dicens: *Credis in Deum Patrem omnipo-*

potentem? ℟. Credo. Interrogat: *Credis in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum, natum, & paſſum?* ℟. Credo. Interrogat: *Credis in Spiritum Sanctum, Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, & vitam æternam, Amen.* ℟. Credo.

N O T A.

Quum ea, quæ in duobus hiſce Paragraphis de abrenunciationibus, & articulis Symboli Fidei, a baptizando faciendis, ac profitendis ſtatuuntur, late dixerimus jam in ſuperioribus ad parvulorum Baptiſmum Commentariis, videri ea plane poſſunt, quæ ibidem notavimus; ſed illud tamen hic minime prætereundum, interrogationes ipſas, quæ in memorato Baptiſmo parvulorum ſemel fieri ſolent, & quidem poſtquam delati ſunt ad Eccleſiam, & immediate ante Baptiſmi ſuſceptionem; in adultorum Baptiſmo bis fieri, primum ante fores Eccleſiæ, & deinde iterum cum ſuſcepturi ſunt ſacrum lavacrum, ut ſuo loco dicemus.

§. VIII.

Tunc Sacerdos exſufflet ter in faciem ejus ſemel, dicens: *Exi ab eo ſpiritus immunde, & da locum Spiritui Sancto Paraclito.*

COMMENTARIUS.

I. Occurrunt & in parvulorum Baptiſmo iſtæ exſufflationes, cum præſcripta formula, *Exi ab eo ſpiritus immunde &c.* de quibus jam nos diſſeruimus, ubi de eodem Baptiſmo tractavimus, Cap. II. in Commentario ad §. 111. Quæ itaque ibidem notata ſunt, legi a curioſo hujus ritus poſſunt. Sed ne hunc §. taciti præteriſſe videamur, notandum illud cenſemus, jam primis Eccleſiæ Sæculis exſufflationem ipſam fuiſſe in uſu apud Græcos æque ac Latinos, & quidem non ſemper a Sacerdote Baptiſmi Miniſtro, ſed aliquando a Diaconis, ut patet ex Actione 1. Concilii II. Conſtantinopolitani; aliquando ab Exorciſtis, ut habet Joannes Beletus, qui claruit Sæculo XII. in explicatione Divinorum Officiorum, Cap. XC. aut a ſimplicibus Clericis, ſive Acolythis, ut tradit Gennadius in Libro, *De Eccleſiaſticis Dogmatibus*, ubi ſic loquitur, Cap. XXXI. *Illud etiam, quod circa baptizandos in univerſo mundo Sancta Eccleſia uniformiter agit, non otioſo contemplamur intuitu, cum ſive parvuli, ſive juvenes, ad regenerationis veniunt Sacramentum, non prius Fontem vitæ adeant, quam exorciſmis, & exſufflationibus Clericorum, ſpiritus ab eis immundus abigatur.*

II. Jam non obiter tranſcurrendum eſt, quod in recitato loco ait Gennadius, exſufflationes nempe circa baptizandos *in univerſo mundo* a Sancta Eccleſia *uniformiter* agi, nam licet in Eccleſia tum Latina, tum Græca ex pervetuſto inſtituto exſufflationes in Baptiſmo fieri conſueverint, non tamen eodem ritu, & ab ipſo Baptiſmi Miniſtro, uti ex dictis conſtat, & ex vulgato Dionyſio in Libro, *De Eccleſiaſtica Hierarchia*, ubi exſufflationem ipſam non a Miniſtro, ſed a Catechumeno, Baptiſmum ſuſcepturo, faciendam eſſe præſcribit, & quidem ad Occidentem plagam converſo: *Deinde cum illum*, nempe Catechumenum, *Occidentem verſus attendentem, manuſque porrigentem ad eandem regionem collocavit, tum eum jubet*, Sacerdos ſcilicet, *tertio Satanam, ut ita dicam, inſufflare, & præterea quæ defectionis, & abrenunciationis ſunt, profiteri.* Ceterum ex antiquo ritu ſervari ſolito apud Græcos utramque exſufflationem, ſive inſufflationem, a Miniſtro ſcilicet, & a Catechumeno baptizando faciendam, docet nos Græcorum Euchologium in eo Titulo, qui inſcribitur, Oratio ad faciendum Catechumenum apud Goar pag. 274. & ſeqq. editionis Venetæ anni MDCCXXX. ubi primum Sacerdos inſufflat ter in faciem Catechumeni, & iterum poſt tertium exorciſmum idem Sacerdos inſufflat in os, in frontem, & in pectus ejuſdem Catechumeni, & poſt abrenunciationem Satanæ jubet eum inſufflare, & ſpuere in illum.

III. Huc facit, quod & alias diximus, apud Moſcovitas, Suſceptores infantis, quoties circa Baptiſmum Sacerdoti interroganti, an diabolo infans abrenunciet, correſpondent, toties in terram expuere, teſte Alexandro Guaguino, & Sigiſmundo Libero Barone, *De rebus Moſcoviticis*, Capite, *De Baptiſmo*, ubi ſic ait: *Suſceptores ex voluntate parentum aſſumuntur, & quoties, præeunte certis verbis Sacerdote, diabolo renunciant, toties in terram expuunt.* Eundem uſum vigere in Orientali Eccleſia, addiſcimus ex Orthodoxa confeſſione ejuſdem Eccleſiæ anno Chriſti MDCLXII. approbata a Nectario Patriarcha Hieroſolymitano, & aliis quatuor Apoſtolicis Sedibus, ubi inter ritus in Baptiſmo adhibendos, Quæſt. CIII. hæc habentur: *Repudium diabolo renunciet, reſpondendo ad interrogationes Sacerdotis, Satanamque, & omnia illius opera conſputando.*

§. IX.

Hic in modum Crucis halet in faciem ipſius, & dicat: *N. accipe Spiritum bonum per iſtam inſufflationem, & Dei benedictionem,* ✠ *Pax tibi.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

COMMENTARIUS.

I. De hoc halitu faciendo a Sacerdote in modum Crucis in faciem Cathecumeni baptizandi, dicendo: *N. accipe Spiritum bonum &c.* nulla quidem fit mentio in hoc noſtro Rituali Romano, ubi agitur de parvulorum Baptiſmo. Ibi enim poſtquam Sacerdos

 ter

ter exſufflavit leniter iu ſaciem inſantis, & dixit ſemel, *Exi ab eo &c.* ſtatim pollice ſacit ſiguum Crucis in froute, & in pectore inſantis, dicens: *Accipe ſignum Crucis &c.* Porro ex ms. Codice Bibliothecæ S,Genoveſæ Pariſienſis annorum circiter CCC. iu Ordine ad Catechumenos faciendos, cautum eſt quidem, ut *in primis cum infans ductus ſuerit ad Eccleſiam, Sacerdos ſtans ante fores Eccleſiæ, inſufflet tribus vicibus in ore inſantis, & poſtea dicat: Per iſtam inſufflationem, & Dei benedictionem exeat a te ſpiritus malignus, & ingrediatur in te Spiritus Sanctus, & totus permaneat in æternum.* Atque ad hanc formulam alludit plane Magnus Senonenſis Archiepiſcopus iu Libello, *De myſterio Baptiſmatis*, juſſu Caroli Magni edito, Capite, *De inſufflatione*, ubi ſic inquit: *Inſufflatur qui baptizandus eſt infans a Dei Sacerdotibus, ut princeps peccatorum effugetur ex eo, & paretur introitus Chriſto Jeſu, per illiuſque inſufflationem Spiritum Sanctum mereatur accipere.*

II. Porro in Sacerdotali Romano Venetiis edito anno MDLXVII. in Ordine Baptizandi vulgato, & jamdiu impreſſo ſecundum uſum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ; pag. 13. a tergo, & aliis quibuſdam Ritualibus Libris præſcriptum lego, ut poſtquam Sacerdos fecit ſignum Crucis in fronte, & in pectore baptizandi, & dixit, *Accipe ſignum Sanctæ Cru ✠ cis &c.* atque Orationem, *Omnipotens ſempiterne Deus, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti reſpicere dignare &c.* tunc exhalet calido flatu ter in ſaciem ejus, & dicat: *Inſufflo te Catechumene denuo in virtute Spiritus Sancti, ut quicquid in te vitii, vel malorum eſt ſpirituum invaſione, per hujus exorciſmi myſterium gratiæ, ſit tibi ipſa virtus purgatio.* Sequuntur mox nonnullæ Orationes, quæ & iu multis antiquis Sacramentorum Libris, ſed inverſo tamen ordine, leguntur. Quicquid ſit de ea variatione, antiquiſſimi ſunt iu Baptiſmi adminiſtratione exorciſmi, exſufflationes, inſufflationeſque, qui quidem omnes iu idem recidunt; eo enim tendunt, ut expellatur diabolus, & ingrediatur virtus Spiritus Sancti. Hinc S. Auguſtinus, Lib. 1. *De Symbolo ad Catechumenos*, Capite v. ſcribit: *Sicut vidiſtis hodie, ſicut noſtis, & parvuli exſufflantur, & exorcizantur, ut pellatur ab eis poteſtas iniqua, quæ decepit hominem, ut poſſideret homines. Non ergo creatura Dei in infantibus exorcizatur, aut exſufflatur, ſed ille, ſub quo ſunt omnes, qui ſub peccato naſcuntur.* Atque hæc eſt etiam virtus inſufflationum, ut conſtat ex recitato ſuperius loco Magni Senonenſis Archiepiſcopi, ubi ait inſufflari baptizandum a Sacerdote, ut princeps peccatorum effugetur ex eo, & paretur introitus Chriſto Jeſu, per illiuſque inſufflationem Spiritum Sanctum mereatur accipere. Sed & ante Magnum S. Cyrillus Epiſcopus Hieroſolymitanus in ſua Catecheſi myſtagogica diſerte docuit, inſufflationes Sacerdotum, & Nominis Dei invocationem, tamquam vehementiſſimam quandam flammam, urere dæmones, atque in fugam eoſdem convertere.

§. X.

Deinde facit Crucem cum pollice in ejus fronte, & in pectore, dicens: *N. accipe ſignum Crucis tam in fronte ✠, quam in corde ✠, ſume Fidem cæleſtium præceptorum. Talis eſto moribus, ut Templum Dei jam eſſe poſſis; ingreſſuſque Eccleſiam Dei, evaſiſſe te laqueos mortis lætus agnoſce, horreſce idola, reſpue ſimulacra, cole Deum Patrem Omnipotentem, & Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum, qui venturus eſt judicare vivos, & mortuos, & ſæculum per ignem.* ℟. *Amen.* Hic advertendum eſt, quod dicta verba horreſce *idola*, *reſpue ſimulacra*, dicantur Catechumeno, qui venit de gentilitatis errore, ſeu de ethnicis, & idololatris, Catechumeno vero Judæo, ſive ex Hebræis venienti, loco horum verborum, dicatur: *Horreſce Judaicam perfidiam, reſpue Hebraicam ſuperſtitionem.* Saraceno autem, vel Turcæ, ſive alii ex Mahumetanis ad Fidem venienti Catechumeno, loco eorumdem verborum, dicatur: *Horreſce Mahumeticam perfidiam, reſpue pravam ſectam infidelitatis.* At hæretico ad Catholicam Eccleſiam venienti, qui, ſi in ejus Baptiſmo debita forma ſervata non eſt, baptizari debet, dicatur: *Horreſce hæreticam pravitatem, reſpue nefarias ſectas impiorum*; vel exprimatur proprio nomine ſecta, de qua Catechumenus venit.

COMMENTARIUS.

I. CRucis ſignum in fronte, & in pectore Catechumeni baptizandi inſigi a Sacerdote miniſtrante Baptiſmum, ritus eſt & ipſe antiquiſſimus, de quo diximus ubi de parvulurum Baptiſmo egimus. Sed lubet hic aliqua de eo ritu adnotare. Io Rituali Ambroſiaoo, & in ms. Laudenſi unica dumtaxat Crucis ſignatio deſigoatur, & quidem in fronte. In antiqua Liturgia Gallicana ex ms. Codice Bobienſi edita a Mabillonio Tomo 1. Muſei Italici, *in fronte, & in corde*. In ms. Pontificali Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, & Eccleſiæ Aquenſis triplex, *in fronte, in pectore, & in fronte & pectore ſimul.* In Miſſali Gothico, quod publici juris ſecit Cardinalis Thomaſius, quatruplex, *in oculis, in auribus, in naribus, & in corde.* Quintuplex in Gemmeticenſi Codice tempore Theodorici Abbatis, qui obiit anno MXXXII. deſcripto, ubi hæc extat formula, in qua etiam myſticæ rationes explicantur: *Signaculo Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ſiguo oculos tuos, ut videas claritatem Dei; aures, ut audias virtutes ejus; nares, ut percipias odorem ſuavitatis ejus; cor, ut credas in eum; os, ut confitearis illi.* Se-

Septuplex conſignatio jam non modo in hoc noſtro Rituali Romano præſcribitur paulo inferius, nempe in §. XIII. verum etiam in Sacerdotali ſecundum conſuetudinem Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, Venetiis edito anno MDLXVII. atque in Enchiridio Chriſtianæ Inſtitutionis edito in Concilio Colonienſi anno MDXXXVI. ut dicemus infra in Commentario ad ipſum §. XIII.

II. Ut ergo de prima iſta Crucis ſignatione dicamus, quæ a Sacerdote cum pollice fit *in fronte*, *& in pectore*, ſciendum eſt, formulam, quæ dici in ipſa Crucis ſignificatione conſuevit, non unam eſſe in omnibus Sacramentorum Libris, ſed aliquantum diverſam. Extat tamen, paucis immutatis, in antiquo Libro Sacramentorum Eccleſiæ Gallicanæ, quem ante annos M. exarato vulgavit Mabillonius Tomo I. Muſei Italici; itemque in Miſſali Gothico, annorum mille, edito a Cardinale Thomaſio, & in aliis multis antiquiſſimis Sacramentorum Codicibus a Martene deſcriptis Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Capite I. Articulo VII. Ordine I. & ſeqq. In citato Sacerdotali hæc quidem formula præſcripta eſt pag. 16. a tergo: *Famule Dei N. accipe ſignum Cru ✠ cis, tam in fronte, quam in cor ✠ de; ſume Fidem cæleſtem; talis eſto moribus, ut Templum Dei eſſe poſſis; ingreſſuſque Eccleſiam Dei, evaſiſſe te laqueum mortis lætus agnoſcas; horreſcas idola, reſpuas ſimulacra; colas Deum Patrem Omnipotentem, & Jeſum Chriſtum Filium ejus, qui vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum.* ℟. *Amen*. Prolixior eſt illa, quæ legitur in Cæremoniali Ambroſiano, ubi Sacerdos Crucem in ſola fronte faciens, ſic dicit: *N. accipe ſignum Sanctæ ✠ Crucis, ſerva præcepta Divina, verbo Dei hodie renaſceris, & cæleſti luce formaris. Ingredere Templum Dei vivi, & ſublato errore tenebrarum, evaſiſſe te laqueos mortis lætus agnoſce. Nunc ergo promiſſa cæleſtia, & adventum Dei Omnipotentis expecta, ut poſſis ſperare venturum Verbum genitum, Virginali partu editum, credentibus annuntiatum, in cujus invocatione illuminaris, cujuſque ſignaculo in fronte ſignaris, per hoc ſignum, quod non delebitur, in nomine ✠ Dei Patris Omnipotentis, & in nomine ✠ Jeſu Chriſti Filii ejus, qui venturus eſt judicare vivos, & mortuos, & ſæculum per ignem. Amen.*

III. Breviſſima eſt formula, quam tradit ms. Pontificale Eccleſiæ Apamienſis in Syria annorum circiter DC. ex cujus præſcripto, Sacerdos Crucem faciens in ſola etiam fronte, dicit: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Breviſſima itidem in ms. Libro Sacramentorum Monaſterii Moiſacenſis, & in alio Monaſterii Sancti Germani a Patris, qui fuerunt poſtea Bibliothecæ Colbertinæ, annorum circiter CM. mandant enim, ut Sacerdos faciens Crucem in frontibus, & pectoribus ſingulorum, qui ſunt baptizandi, ſic dicat: *Signum Crucis Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti in frontem tuam pono. Signum Crucis Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti in pectus tuum pono*. Porro notatu dignus eſt ritus, quem hac in re præſcribunt antiquus Ordo Romanus VII. aliique non pauci Sacramentorum Libri, ſtatuentes, ut non modo Presbyter, verum etiam Diaconus, & Patrini, ac Matrinæ, ubi cum pollice Crucis ſignum in baptizandorum frontibus faciunt, ea ſola pronuncient verba: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Sed nec omittendus ritus, quem præſcripſit ms. Codex Gemmeticenſis initio Sæculi XI. exaratus, nam præter alias Crucis ſignationes mandat, ut Presbyter faciat Crucem cum pollice *infra palmam dexteram infantis* baptizandi, dicens: *Trado ſignaculum Domini noſtri Jeſu Chriſti, in manu tua dextera, ut te ſignes, & te de adverſa parte repellas, & in Fide Catholica permaneas, & habeas vitam æternam, & vivas cum Domino ſemper in ſæcula ſæculorum. Amen.* Rurſus mandat, ut *cum ipſa manu infantis ſignet ipſum infantem*, his verbis: *Signo te ſignaculo Domini noſtri Jeſu Chriſti de manu tua dextera, ut te conſervet contra adverſarios tuos, ut habeas vitam æternam, & vivas in ſæcula ſæculorum. Amen.*

IV. His ad eruditionem dictis Eccleſiaſticæ antiquitatis tironum, devenio ad §. noſtrum, ex quo poſt præſcriptam formulam, qua hodie utimur, recte admonemur, advertendum plane eſſe, quod dicta verba, *horreſce Idola, reſpue ſimulacra*, dicantur Catechumeno, qui venit de gentilitatis errore, ſeu ethnicis, & idololatris. Legitur in Græcorum Euchologio Oratio ad faciendum ex ethnico Catechumenum, ex cujus præſcripto Sacerdos, *ante fores Templi jubet eum genuflectere, Cruce ter ſignat, & dicit*: Benedictus es Domine Deus, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui ex omnibus gentibus eligis tibi abundantem populum, bonorum operum zelatorem. Tu præſentem ſervum tuum ad ſanctam Eccleſiam tuam accedentem benedic; revela oculos ejus ad mirabilium tuorum contemplationem; aperi aures ejus ad divinorum verborum tuorum obedientiam; Catechumenis populi tui illum junge, ut in uno tempore opportuno regenerationis indumenti incorruptibilis lavacro dignus fiat. *Deinde rurſus Cruce illum ſignat, & nomen ejus inter Catechumenos ſcribit &c.* Atque hic Ordo videri poteſt apud Martene Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. I. Articulo VII. Ordine XIII.

V. Sed ut explicationem noſtri §. proſequamur, ſtatuit hic quidem, ut Catechumeno Judæo dicatur, *horreſce Judaicam perfidiam, reſpue Hebraicam ſuperſtitionem*. Et recte quidem, non enim ipſi Judæi, idololatræ ſunt, & ethnici, ac Gentiles, ſed perfidi, ac ſuperſtitioſi, ut eos antiqui SS. Patres Eccleſiæ, & Scriptores paſſim appellant. Extat & in Græcorum Euchologio Ordo ſervandus circa eos, qui ex Hebræis ad Chriſtianam Fidem accedunt, ubi ait, quod *profiteri oportet illum, & verbis omnem Hebræorum gentem ſubſannare, & exinde declarare, quia ex toto corde, & fide ſincera cum Chriſtianis verſari voluit; tum manifeſte in Eccleſia omni Judaicæ ſuperſtitioni renunciare, Sacerdote videlicet dicente, & ipſo ad verbum repetente, aut certe ejus Suſceptore, ſi puer ipſe fuerit*. Recenſet mox Renunciationis formulam, quæ ita incipit: *Renuncio omni Hebræorum conſuetudini, & ritibus, & Legalibus &c.* quæque integra a Martene refertur citato loco, Ordine XIV.

VI. Saraceno autem, vel Turcæ, aut Perſæ, ſive alii ex Mahumetanis ad Fidem venienti Catechumeno, vult quidem idem noſter §. ut loco eorumdem verborum, nempe, *horreſce idola, reſpue ſimulacra*, dicatur: *horreſce Mahumeticam perfidiam, reſpue pravam ſectam infidelitatis*. Porro Mahumetani vulgo nuncupantur

tur quicumque apud Agarenos, & Saracenos inſormem ſequuntur, & diabolicam Mahumeticæ religionis formam, ſeu religionem a Mahumete pſeudopropheta, viro natione, & profeſſione mercatore viliſſimo, prænuntio Satanæ, & Antichriſti præcurſore in perniciem animarum infeliciter ortam ſub Heraclio Imperatore, & Honorio I. Romano Pontifice circa annum DCXXX. cujus religionis forma talis erat, ut in ea ad vitandas quaſcumque de Fidei doctrina diſſenſiones, & opiniones, & prætermiſſis ſublimioribus Fidei ſententiis, & articulis, ſola morum doctrina retineretur. Præcepit novus iſte legiſlator in ſuo Alcorano, nequis de ſua ſecta diſputare auſit. Cum vero ſtatuta ab ipſo religio naturæ ſit blandiens, non mirum, ſi eam ſtatim amplexi fuerint homines genere diſpares, lingua diſſimiles, Gentiles, Judæi, & Chriſtianæ Religionis Apoſtatæ varii, & ita coaluerit, excreveritque, ut ſuæ doctrinæ veneno magnam Orbis partem infecerit. Plura de Mahumeto ejuſque ſecta, atque erroribus videri poſſunt apud Baronium ad annum MDCXXX.

VII. Ad hæreticum tandem quod attinet, venienti illi ad Eccleſiam Catholicam, ſi in ejus Baptiſmo debita forma ſervata non eſt, ideoque baptizari debet, ex ejuſdem noſtri §. præſcripto, loco memoratorum verborum, *horreſce idola &c.* dicenda ſunt iſta verba: *horreſce hæreticam pravitatem, reſpue nefarias ſectas impiorum*; vel exprimenda proprio nomine ſecta eſt, de qua Catechumenus venit. Sed notanda potiſſimum ſunt illa verba noſtri §. *Si in ejus Baptiſmo debita forma ſervata non eſt*; nam alias valere Baptiſmum ab hæreticis collatum, ubi ſcilicet debita materia, ac forma ſervata fuiſſet, conſtanti Eccleſiæ traditione docemur, de qua ſupra non uno in loco diximus. Puto equidem optimum eſſe, ac neceſſarium, ut ubi hæreticus eſſet baptizandus, hic prius bene examinaretur, de ſecta, ejuſque erroribus, ut tempore Baptiſmi notum foret baptizanti, an Catechumeno adhibita fuerit, vel non, debita materia, & forma in Baptiſmo ab eo prius recepto. Cæterum licet ſuperius notavimus jam nonnullas hæreticorum ſectas, quæ in materia, vel forma Baptiſmi errarunt, neceſſe eſt, ut Catechiſta, vel Miniſter Baptiſmi de hujuſmodi ſectis, earumque circa Baptiſmum erroribus ſit bene inſtructus, ut aſſignare verba propria poſſit in facienda Catecheſi, atque exorciſmis peragendis. Id enim expreſſe noſter idem §. mandat, ubi nimirum ait, ut *exprimatur proprio nomine ſecta, de qua Catechumenus venit*.

§. XI.

Si plures ſunt Electi, omnia ſupradicta dicantur ſingillatim ſuper ſingulos.

Oremus.

Te deprecamur, Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, ut huic famulo tuo N. qui in hujus ſæculi nocte vagatur incertus, ac dubius, viam veritatis, & agnitionis tuæ jubeas demonſtrari; quatenus, reſeratis oculis cordis ſui, te unum Deum Patrem in Filio, & Filium in Patre cum Spiritu Sancto recognoſcat, atque hujus confeſſionis fructum, & hic, & in futuro ſæculo percipere mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. DAri profecto caſus poteſt, ut multi adſint Catechumeni ſimul baptizandi, omneſque ejuſdem ſectæ, & religionis, vel etiam diverſæ, ut exempli gratia unus Ethnicus, alter Hebræus, tertius Mahumetanus, quartus hæreticus, qui perperam fuerat in ſua ſecta Baptiſmo initiatus; in quocumque caſu fieri debet iſte exorciſmus *ſingillatim ſuper ſingulos*, ut ait hic noſter §. quia cum Miniſter Baptiſmi debeat ſignare Crucis ſignaculo frontem, & pectus uniuſcujuſque Catechumeni, debet quoque unicuique proferre formulam in §. x. præſcriptam, *N. accipe ſignum Crucis &c.* ſed mutatis tamen verbis, juxta pravitatem religionis, & legis, in qua degebant, uti ſuperius notatum fuit. Porro Oratio, *Te deprecamur &c.* in præſenti §. & in mſs. Sacramentorum Libris annorum circiter mille, ſcilicet, Gellonenſi, Remenſi S. Remigii, Anglicano Monaſterii Gemmeticenſis, Noviomenſi B. Mariæ, Pictavienſis, Moiſacenſi, Colbertino, & aliis multis præſcripta, cum communis ſit, eaque pro cunctis imploret Sacerdos Dei auxilium, ut viam veritatis omnibus demonſtret, ſi plures ſint Catechumeni baptizandi, dicenda eſt *in numero plurali*, ut ait ſequens §. XII. & quidem in genere ſuo; ſi enim Catechumena eſſet baptizanda, vel etiam plures feminei ſexus, tunc maſculini generis verba verti in femininum debent. Sed hæc jam alias ſupra admonuimus.

§. XII.

Si plures ſint Electi, præcedens Oratio dicatur in numero plurali. Sequentes autem ſignationes fiant cum ſuis verbis ſingillatim, ſuper ſingulos.

§. XIII.

Deinde ſignet Electum ſigno Crucis cum pollice in fronte, dicens: *Signo tibi frontem ✠, ut ſuſcipias Crucem Domini.* In auribus: *Signo tibi aures ✠, ut audias Divina præ-*

præcepta. In oculis: *Signo tibi oculos* ✠, *ut videas claritatem Dei*. In naribus: *Signo tibi nares* ✠, *ut odorem ſuavitatis Chriſti ſentias*. In ore: *Signo tibi os* ✠, *ut loquaris verba vitæ*. In pectore: *Signo tibi pectus* ✠, *ut credas in Deum*. In ſcapulis: *Signo tibi ſcapulas* ✠, *ut ſuſcipias jugum ſervitutis ejus*. In toto corpore illud non tangens, manu producit ſignum Crucis, & dicit: *Signo te totum, in nomine Patris* ✠, *& Filii* ✠, *& Spiritus* ✠ *Sancti, ut habeas vitam æternam, & vivas in ſæcula ſæculorum*. ℟. *Amen*. Oremus.

Preces noſtras, quæſumus Domine, clementer exaudi, & hunc Electum tuum N. Crucis Dominicæ, cujus impreſſione eum ſignamus, virtute cuſtodi, & magnitudinis gloriæ tuæ rudimenta ſervans, per cuſtodiam mandatorum tuorum ad regenerationis gloriam pervenire mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen*.

Oremus.

Deus, qui humani generis ita es conditor, ut ſis etiam reformator, propitiare populis adoptivis, & novo Teſtamento ſobolem novæ prolis adſcribe; ut filii promiſſionis, quod non potuerunt aſſequi per naturam, gaudeant ſuſcepiſſe per gratiam. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen*.

COMMENTARIUS.

I. PRæter Crucis ſignationem, quæ in Baptiſmo infantium, & adultorum fit primum in fronte, & in pectore, ut ſuis locis diximus, ampliatur quidem hic ritus in ſolo adultorum Baptiſmo, in quo præſens hic noſter §. XII. pervetuſtis Ritualibus inhærens, plures alias ſignationes præſcribit faciendas cum ſuis verbis ſingillatim ſuper ſingulos, ubi plures adeſſent Catechumeni ſacro lavacro abluendi. Diſſeruimus jam & de hoc ritu, tum alibi, tum ſupra in Commentario ad §. X. Myſticas tot ſignationum in variis corporis membris ſignificationes, addiſcere plane ex earundem formulis licet, atque ex Enchiridio Chriſtianæ Inſtitutionis edito in Concilio Colonienſi anno MDXXXVI. ubi ſic inquit: *Deinde ſignum Crucis fit principio in fronte, ad ſignificandum, quod baptizandus nomen dat Chriſto Crucifixo, in quo confidat, & quem pollicitus confiteri, nunquam erubeſcat. Super oculos dein, ut intelligamus, baptizandum preparari ad videndum claritatem Dei. Super aures quoque, ut intelligamus, eum conſecrari, ut audiat verbum veritatis Dei. Super nares etiam, ut percipiat ſuavitatem odoris Dei. Signatur quoque pectus, ut credat in eo, quia corde creditur ad juſtitiam. Scapulæ quoque, ut ſuſcipiat jugum ſervitutis Dei, juxta Chriſti præceptum, Tollite jugum meum ſuper vos. Os denique, ut confiteatur illi, quia ore confeſſio fit ad ſalutem*.

II. In antiquo Rituali Eccleſiæ Leodienſis præter prædictas ſeptem conſignationes cum precibus, myſticis hiſce rationibus reſpondentibus, duæ aliæ ſuperadduntur, una in fronte, altera in pectore; nimirum duæ iſtæ corporis partes bis ſignandæ præſcribuntur, ſemel initio, & ſemel poſt ſeptimam conſignationem. Fiebant præterea & aliæ Crucis conſignationes, tam inſufflando, quam inungendo, aut benedicendo Catechumenos, quas videre licet apud Martene Lib. I. Cap. I. Articulo VII. & XVIII. Quamobrem errat Barruſaldus in Commentariis ad Rituale Romanum Tit. XIII. §. XI. num. 37. & ſeqq. ubi ait parvulis quidem in ſola fronte ſignum Crucis imprimi, quia infantes non alia labe maculantur, niſi originali, quæ in fronte deſignatur, & in capite, quia ibi ſenſus hominis initium capiunt; adultos vero, quod per alios ſenſus deliquerint, ideo in variis corporis membris Cruce ſignari. Nam in primis ex noſtri Ritualis Romani præſcripto, quod ipſe exponit, ut legitur Tit. II. Cap. II. §. IV. infantes *in fronte, & in pectore*, Crucis ſignaculo a Sacerdote conſignantur. Deinde vero, ex multis Ritualibus conſtat, varias Crucis conſignationes factas olim in variis eorum membris fuiſſe; ad quas quidem Tridentini Concilii Catechiſmus alluſit Parte II. *De Baptiſmi Sacramento*, num. LX. ubi ſic inquit: *Obſignatur præterea ſigno Crucis frons, oculi, pectus, humeri, aures; quæ omnia declarant, Baptiſmi myſterio ſenſus baptizati aperiri, ac roborari, ut Deum excipere, præceptaque ejus intelligere, ac ſervare poſſit*. His ſimilia, ac longe plura legere eſt apud Authores complures, tum veteres, tum recentiores, qui Baptiſmi ritus varios ex profeſſo enarrarunt; optandumque eſſet, ut Parochi, aliique Concionatores, ubi ſe ſe illis præbet occaſio, Fidelibus eoſdem exponerent, uti S. Carolus, aliique religioſiſſimi Epiſcopi mandant.

III. Præter varias corporis partes, mandat etiam hic noſter §. ut Sacerdos in toto corpore Catechumeni baptizandi, illud non tangens, manu ſignum Crucis producat, & dicat: *Signo te totum in nomine Patris &c.* In toto corpore benedicitur per ſignum Crucis, ut ita totus homo benedictus, & paratus remaneat ad recipiendam gratiam ſanctificantem Baptiſmi. Sed manu tamen non tangit Miniſter Catechumeni corpus, quia ſcilicet iſta Crucis ſignatio fieri debet ante oculos baptizandi in tota ſua extenſione, ut eam quodammodo ante oculos habeat, & intueatur. Ultra quamquod magni eſſet incommodi, ſi manu tangere deberet Miniſter Catechumenum baptizandum a capitis vertice uſque ad plantam pedis, ut recte notat Barruſaldus Tit. XIII. §. XI. num. 40. Ad orationes vero quod ſpectat in §. noſtro præſcriptas, utraque legitur in variis antiquis Ritualibus Libris, apud Martene citato loco, Ordine IV. & ſeqq. ac in aliis etiam ab eodem Auctore relatis Articulo XVIII. Sed notandum tamen ait noſter ſequens §. XV. ut, ſi plures ſint baptizandi, prima Oratio, quæ incipit, *Preces noſtras*, in numero plurali dicatur, quinimo etiam in genere feminino, ſi ſolæ feminæ fuerint baptizandæ.

§. XIV.

§. XIV.

Tunc imponit manum ſuper caput Electi, & dicit:

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti reſpicere digneris ſuper hunc famulum tuum N. quem ad rudimenta Fidei vocare dignatus es; omnem cæcitatem cordis ab eo expelle; diſrumpe omnes laqueos Satanæ, quibus fuerat colligatus; aperi ei, Domine, januam pietatis tuæ, ut ſigno ſapientiæ tuæ imbutus, omnium cupiditatum fœtoribus careat, & ad ſuavem odorem præceptorum tuorum lætus tibi in Eccleſia tua deſerviat, & proficiat de die in diem, ut idoneus efficiatur accedere ad gratiam Baptiſmi tui, percepta medicina. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

§. XV.

Si plures ſint, hæc, & præcedens Oratio, *Preces noſtras*, dicantur in numero plurali.

COMMENTARIUS.

I. Ritus inſtituendi Catechumenos apud veteres, jam non modo per Crucis impreſſionem in fronte, atque in aliis corporis partibus, ut in præcedenti Commentario dictum eſt, peragi conſuevit, verum etiam per manuum impoſitionem cum oratione, & per exorciſmos, alioſque ritus, de quibus & diſſeruimus ſupra in Commentariis ad Ordinem Baptiſmi parvulorum, & diſſeremus etiam inferius in Commentariis ad ſequentes Paragraphos Baptiſmum adultorum ſpectantes. De manuum impoſitione inſignis eſt Auguſtini locus, Lib. II. *De peccatorum meritis*, Cap. xxvi. *Non uniuſmodi eſt*, inquit, *ſanctificatio; nam & Catechumenos ſecundum quemdam modum ſuum per ſignum Crucis, & orationem manus impoſitione puto ſanctificari*. Idem non minus conſtat ex Sermone lii. S. Petri Chryſologi ſic ajentis: *Hinc eſt, quod veniens ex gentibus, impoſitione manus, & exorciſmis ante a dæmone purgatur, & aperitionem aurium percipit, ut Fidei capere poſſit auditum*. Et Sermone di. ubi ſic habet: *Ut incurvus peccatis gentilis erigatur ad Cælum, prius a gentili per impoſitionem manuum nequam ſpiritus effugatur*.

II. Inſigne ritus hujus antiqui exemplum ſuppeditat Euſebius Lib. iv. Vitæ Conſtantini, Cap. lxi. ubi agens de Conſtantini Baptiſmo Nicomediæ in exitu vitæ percepto, ita inquit: *Quo in loco manuum impoſitionem cum ſolemni precatione primum meruit accipere*. Sed clariora ſunt illa, quæ refert Severus Sulpitius, unum ex Libro, *De vita S. Martini*, Cap. x. alterum ex Dialogo II. de virtutibus ejuſdem S. Epiſcopi, Cap. v. Primum ſic ſe habet: *Nemo fere ex immani illa multitudine fuit gentilium, qui non impoſitione manus deſiderata, in Dominum Jeſum, relicto impietatis errore, crediderit*. In ſecundo poſtquam narravit factam coram innumera fere paganorum caterva a S. Præſule mortui reſurrectionem, ſic infert: *Tum vero multitudo omnis in Cælum clamore ſublato, Chriſtum Dominum fateri, poſtremo cuncti catervatim ad genua Beati Viri ruere cœperunt, fideliter poſtulantes, ut eos faceret Chriſtianos; nec cunctatus, in medio, ut erat, campo, cunctos, impoſita univerſis manu, Catechumenos fecit. Cum quidem ad nos converſus diceret, non irrationabiliter in campo Catechumenos fieri, ubi ſolerent Martyres conſecrari*.

III. Oratio tandem cum manuum impoſitione ſuper Catechumenum a Sacerdote dicenda in noſtro §. xiv. præſcripta, legitur quidem in duobus mſs. Sacramentorum Libris Eccleſiæ Turonenſis annorum circiter CM. & in aliis a Martene relatis Lib. i. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Capite i. Articulo vii. Ordine iv. & ſeqq. ex quorum tamen præſcripto dicebatur poſt inſufflationem, ſine ulla manuum impoſitionis rubrica, una cum Oratione, *Preces noſtras &c.* & alia, *Deus qui humano generi &c.* quæ leguntur ſupra in §. xiii. Non deſunt tamen apud eundem Martene citato Articulo vii. & xviii. alii veteres Sacramentorum Codices, in quibus una cum manuum impoſitione, Oratio ipſa, *Omnipotens ſempiterne Deus &c.* in præſenti §. notata a Sacerdote pronunciatur. Ceterum ſi plures ſint, qui ſalutari lavacro ſunt abluendi, mandat quidem noſter §. xv. ut hæc, & præcedens Oratio, *Preces noſtras*, quæ legitur ſupra in §. xiii. *dicantur in numero plurali*; & in genere etiam feminino, ſi baptizandæ feminæ ſint. Atque hic notandum eſt, quod ubi ſunt plures baptizandi, tunc quidem, ſingulis manu impoſita, ſemel Oratio ipſa, *Omnipotens ſempiterne Deus &c.* plurali numero recitabitur.

§. XVI.

Deinde Sacerdos benedicit ſal.

Benedictio ſalis dandi Catechumeno.

Exorcizo te creatura ſalis in nomine Dei Patris Omnipotentis ✠, *& in charitate Domini noſtri Jeſu Chriſti* ✠, *& in virtute Spiritus Sancti* ✠. *Exorcizo te per Deum vivum* ✠, *per Deum verum* ✠, *per Deum ſanctum* ✠, *per Deum* ✠, *qui te ad tutelam*

lam humani generis procreavit, & populo venienti ad credulitatem, per ſervos ſuos conſecrari præcepit, ut in Nomine Sanctæ Trinitatis efficiaris ſalutare Sacramentum ad effugandum inimicum. Proinde rogamus te, Domine Deus noſter, ut hanc creaturam ſalis ſanctificando ſanctifices ✠, & benedicendo benedicas ✠, ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in viſceribus eorum, in Nomine ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos, & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

§. XVII.

Tunc pollice, & indice accipit de ipſo ſale, & immittit in os Catechumeni, dicens: *N. accipe ſal ſapientiæ; propitiatio ſit tibi in vitam æternam. ℟. Amen.* Sacerdos: *Pax tibi. ℟. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.*

Deus Patrum noſtrorum, Deus univerſæ conditor veritatis, te ſupplices exoramus, ut hunc famulum tuum N. reſpicere digneris propitius, & hoc primum pabulum ſalis guſtantem, non diutius eſurire permittas, quo minus cibo expleatur cæleſti, quatenus ſit ſemper ſpiritu fervens, ſpe gaudens, tuo ſemper nomini ſerviens. Perduc eum Domine, quæſumus, ad novæ regenerationis lavacrum, ut cum fidelibus tuis promiſſionum tuarum æterna præmia conſequi mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

§. XVIII.

Si plures ſint, dicatur ſingulis: *N. accipe ſal &c.* & præcedens Oratio, *Deus Patrum noſtrorum*, in numero plurali.

COMMENTARIUS.

I. De ſalis uſu, ejuſque benedictione in Sacramento Baptiſmi, late jam diximus ſupra in Commentariis in Ordinem Baptiſmi parvulorum. Abs re tamen non erit aliqua in præſenti Commentario, quo uno plures Paragraphos amplectimur, de eo ritu adnotare; ac primo quidem pervetuſtum fuiſſe Eccleſiæ morem, ut Catechumeni Baptiſmo proximi minutis quibuſdam, ut ajunt Sacramentis, ſive potius ſacramentalibus uterentur; ut nimirum per ea ad vera Eccleſiæ Sacramenta ſuſcipienda paulatim diſponerentur, quemadmodum exponit doctiſſimus Gabriel Albaſpinæus Lib. II. Obſervationum, Cap. ultimo: *Inter cæteros ritus*, ait, *quibus olim formabantur Catechumeni, minutis quibuſdam Sacramentis utebatur Eccleſia, non ſolum, ut myſteriorum rudes Euchariſtiæ paulatim aſſueſcerent, ſed etiam, ut vitæ Chriſtianæ ſemina, quæ in ipſa auditione* (erat hæc una e Catechumenorum claſſibus) *animis combiberant, horum Sacramentorum uſu foverent. Nam quamvis Corporis Chriſti perfecta illi, & omnino formata membra non erant, utcumque tamen ei adhærebant, Chriſtianitatiſque ſpiritum quodammodo ducere incipiebant.*

II. Sacramenti hujus Catechumenorum meminit quidem S. Auguſtinus Lib. *De catechizandis rudibus*, Cap. XXVI. ubi ſic inquit: *De Sacramento ſalis*, *quod accipit*, Catechumenus, *cum ei bene commendatum fuit, ſignacula quidem rerum Divinarum eſſe viſibilia, ſed res ipſas inviſibiles in eis honorari; nec ſic habendam eſſe illam ſpeciem benedictione ſanctificatam, quemadmodum habetur in uſu quolibet; dicendum etiam, quid ſignificet & ſermo ille, quem audivit, quid in illo condiat, cujus illa res ſimilitudinem gerit*. Notant hic eruditiſſimi Operum Auguſtini Reviſores, Lovanienſem editionem legere *condatur*, ſed recte ajunt legendum *condiat*; nam agitur hic *de Sacramento ſalis, quo Catechumenus initiatur*. Atque huc pertinet illud ejuſdem Auguſtini Lib. I. Confeſſionum, Cap. IX. *Et ſignabar jam ſigno Crucis ejus, & condiebar ejus ſale jam inde ab utero matris meæ*. Per ſacramentum denique ab Auguſtino intelligi ſal Catechumeno dari ſolitum, probat quoque Concilium III. Carthaginenſe, cui ipſe Auguſtinus interfuit, Can. V. decernens: *Item placuit, ut per ſolemniſſimos Paſchales dies Sacramentum Catachumenis non detur, niſi ſolitum ſal, quia ſi Fideles per illos dies Sacramentum non mutant, nec Catechumenis oportet mutari*. Canonem videtur ſic eſſe intelligendum, quod cum per octo dies illos Paſchales non offeretur a Fidelibus, niſi panis, & vinum, quibus in Chriſti Corpus, & Sanguinem mutatis, pro Euchariſtico Sacramento conficiebantur; ſic Catechumeni contenti eſſent uti ſale ſolito, quod illud facile ex aliis oblatis reſervari poſſet; hæ quippe omnes Oblationum ſpecies benedici ſolebant, *quamvis non eſſent Corpus Chriſti*, ut loquitur Auguſtinus Lib. II. *De peccatorum meritis*, Cap. VI. ideoque Sacramentum potuerunt appellari, & præcipue ſal, quod Catechumenis Euchariſtiæ loco, & in ſpiritualis alimoniæ ſymbolum præbebatur, ac medicinæ; cujus benedicendi morem, & antiqui Romani Ordines, & Rituales priſci Codices, & Libri Sacramentorum referunt, & quidem cum ea oratione, ſeu exorciſmo, *Exorcizo te creatura ſalis &c.* in noſtro §. XVI. præſcripto.

III. Quemadmodum autem antiquus eſt exorciſmus ſalis, ita & formula, quam ex noſtri §. XVII. præſcripto dicit Sacerdos, quum ſal in os Catechumeni immittit, tametſi in aliquibus Sacramentorum Libris aliquantum variet, ut in duobus Eccleſiæ Turonenſis annorum circiter CM. & in aliis non paucis relatis a Martene

Lib. I.

Lib. I. Cap. I. Articulo VII. Ordine IV. & ſeqq. ubi poſt exorciſmum ſalis, & orationem, quæ dicitur, *Benedictio ſalis Caticumino dandi*; & incipit: *Benedic Omnipotens Deus hanc creaturam ſalis &c.* quæ quidem repetitio eſt prædicti exorciſmi, hæc extat formula in ſalis immiſſione recitanda: *Accipe ſal ſapientiæ propitiatus in vitam æternam*. In ms. Miſſali Romaricenſi annorum circiter DCC. legitur: *Accipe ſal ſapientiæ, ut propitiatus ſit tibi Deus in vitam æternam. Amen*. In tribus Libris mſs. Pontificalibus, Conſtantinopolitano annorum circiter DC. Aquenſi annorum D. & Romano annorum CD. quibus concinit noſter §. ſic habetur: *Accipe ſalem ſapientiæ, propitiatio tibi ſit in vitam æternam. Pax tibi*. ℟. *Et cum ſpiritu tuo*. Antiqua itidem eſt illa oratio, quæ ex præſcripto noſtri §. XVII. poſt ſalis immiſſionem dicitur, cujus initium eſt, *Deus Patrum noſtrorum*, legiturque *poſt datum ſalem*, in ms. Codice Parthenonis B. Mariæ Calenſis in Diœceſi Pariſienſi annorum circiter CM. & in aliis a Martene deſcriptis citato Articulo VII. & XVIII. ex quibus etiam addiſcimus, ſal in quibuſdam Codicibus ſcribi in genere neutro, in nonnullis vero maſculino. Quicquid autem de hac re ſit, ſi plures ſunt baptizandi, recte ait noſter §. XVIII. *ut dicatur ſingulis*, Accipe ſal &c. *& præcedens Oratio*, Deus Patrum noſtrorum &c. *in numero plurali*; & in genere etiam feminino, ſi baptizandæ ſint ſolæ feminæ.

IV. Quare dari Catechumenis ſal conſueverit, jam alias explicatum a nobis fuit. Teſte Magno Archiepiſcopo Senonenſi in Libello, *De myſteria Baptiſmatis*, juſſu Caroli Magni edito, *Salem accipiunt in Baptiſmatis Sacramento, ut guſtu ejus percipiant ſapientiæ condimentum, neque deſipiant a ſapore Chriſti, & inſulſi, & fatui ſint*. Juxta Anonymum Scriptorem in brevi Tractatu, *De Sacramenta Baptiſmi*, apud Martene Lib. I. Cap. I. Articulo XVII. pag. 161. *Accipit Catichuminus ſalem, ut putrida, & fluxa ejus peccata ſapientiæ ſale divino munere mundentur*. Vide alias explicationes in Commentariis ſuperioribus, quibus ritus Baptiſmi parvulorum expoſui.

§. XIX.

Quod ſi Catechumenus fuerit Gentilis, ſeu ex idololatris venerit ad Fidem, benedicto ſale, priuſquam ejus medicinam guſtet, Sacerdos addat ſequentem Orationem, dicens.

Oremus.

Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui es, qui eras, & qui permanes uſque in finem, cujus origo neſcitur, nec finis comprehendi poteſt: te ſupplices invocamus ſuper hunc famulum tuum N. quem liberaſti de errore gentilium, & converſatione turpiſſima: dignare exaudire eum, qui tibi cervices ſuas humiliat ad lavacri Fontem, ut renatus ex aqua, & Spiritu Sancto, expoliatus veterem hominem, induat novum, qui ſecundum te creatus eſt; accipiat veſtem incorruptam, & immaculatam, tibique Deo noſtro ſervire mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

§. XX.

Si plures ſint, præcedens Oratio dicatur in numero plurali.

COMMENTARIUS.

I. QUod in noſtro §. XIX. præſcribitur de Catechumeno gentili, ſeu ex idololatris veniente ad Fidem, ut nempe, benedicto ſale, priuſquam ejus medicinam guſtet, Sacerdos addat prædictæ orationi in §. XVII. præſcriptæ hanc aliam in præſenti §. XIX. notatam, licet in multis antiquis Ritualibus deſideretur, ſtatutum nihilominus fuit in Sacramentario S. Gregorii Papæ, & in mſs. Sacramentorum Libris annorum circiter mille, Gellonenſi, Remenſi S. Remigii, Anglicano, & Monaſterii Gemmeticenſis, Noviomenſi B. Mariæ, Pictavienſi, Regio, Colbertino, & Moiſſacenſi, in Ordine, *Ad catichuminum ex pagano faciendum*, apud Martene Lib. I. Cap. I. Articulo VII. Ordine III. ut *poſtquam guſtaverit medicinam ſalis*, Catechumenus ſcilicet, *& ipſe ſe ſignaverit*, Sacerdos benedicat eum his verbis: *Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui es, & eras, & permanes ſine fine &c.* Si pauca excipias, totidem pene verbis conſtat oratio, ac illa in præſenti noſtro §. notata. In eo autem potiſſimum variat hic noſter §. a memoratis Sacramentorum Libris, quod ubi illi dicendam orationem ipſam præſcribunt, *poſtquam guſtaverit medicinam ſalis*, §. noſter ſtatuit, pronunciandam a Sacerdote, benedicto quidem ſale, ſed priuſquam Catechumenus ejus medicinam guſtet. Ceterum ſi plures ſunt, illud præcipitur in §. XX. ut ipſa oratio, *Domine Sancte &c.* dicatur in numero plurali; & uti ſæpe a nobis notatum fuit, in genere etiam feminino, ſi ad ſacroſancti Baptiſmi lavacrum Catechumenæ gentiles feminæ acceſſerint.

§. XXI.

Deinde Sacerdos dicat ſuper maſculum tantum: *Ora Electe, flecte genua & dic, Pater noſter*. Et Electus genu flexo orat, & dicit: *Pater noſter*. Et cum oraverit, & di-

xerit,

xerit, *Pater noſter*, uſque ad, *ſed libera nos a malo*, incluſive, Sacerdos ſubjungit, *Leva*, *comple orationem tuam*, *& dic*, *Amen*. Et ille reſpondet, *Amen*. Et Sacerdos dicit Patrino, *Signa eum*. Deinde Electo, *Accede*. Et Patrinus pollice ſignat eum in fronte, dicens: *In Nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti*.

§. XXII.

Tum quoque Sacerdos facit Crucem in fronte ejus, ita dicendo: *In Nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti*; & imponit manum ſuper eum, & dicit.

Oremus.

Deus Abraham, *Deus Iſaac*, *Deus Jacob*, *Deus*, *qui Moyſi famulo tuo in Monte Sinai apparuiſti*, *& filios Iſrael de Terra Ægypti eduxiſti*, *deputans eis Angelum pietatis tuæ*, *qui cuſtodiret eos die*, *ac nocte*: *te quæſumus Domine*, *ut mittere digneris Sanctum Angelum tuum de Cœlis*, *qui ſimiliter cuſtodiat & hunc famulum tuum N. & perducat eum ad gratiam Baptiſmi tui*. *Per Chriſtum Dominum noſtrum*. ℟. *Amen*.

Exorciſmus.

Ergo, *maledicte diabole*, *recognoſce ſententiam tuam*, *& da honorem Deo vivo*, *& vero*, *da honorem Jeſu Chriſto Filio ejus*, *& Spiritui Sancto*, *& recede ab hoc famulo Dei N. quia iſtum ſibi Deus*, *& Dominus Jeſus Chriſtus ad ſuam ſanctam gratiam*, *Fontemque Baptiſmatis vocare dignatus eſt*; *& hoc ſignum ſanctæ Crucis* ✠, *quod nos fronti ejus damus*, *tu*, *maledicte diabole nunquam audeas violare*. *Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum*, *qui venturus eſt judicare vivos*, *& mortuos*, *& ſæculum per ignem*. ℟. *Amen*.

§. XXIII.

Sed ſi plures ſint Catechumeni, hic, & in ſequentibus Sacerdos dicat in numero plurali: *Orate Electi*, *flectite genua*, *&c.* ut ſupra uſque ad finem præcedentis Exorciſmi, qui incipit: *Ergo maledicte diabole*.

§. XXIV.

Item ſuper unum ſecundo, dicat: *Ora Electe*, *flecte genua*, *& dic*, *Pater noſter*, & reliqua, ut ſupra uſque ad Orationem, *Deus Abraham*, excluſive; deinde imponit manum ſuper eum, & dicit.

Oremus.

Deus immortale præſidium omnium poſtulantium, *liberatio ſupplicum*, *pax rogantium*, *vita credentium*, *reſurrectio mortuorum*, *te invoco ſuper hunc famulum tuum N. qui Baptiſmi tui donum petens*, *æternam conſequi gratiam ſpirituali regeneratione deſiderat*. *Accipe eum Domine*, *& quia dignatus es dicere*, Petite & accipietis, quærite, & invenietis, pulſate, & aperietur vobis; *petenti præmium porrige*, *& januam pande pulſanti*, *ut æternam cæleſtis lavacri benedictionem conſequutus*, *promiſſa tui muneris regna percipiat*. *Qui cum Patre*, *& Spiritu Sancto vivis*, *& regnas in ſæcula ſæculorum*. ℟. *Amen*.

Exorciſmus.

Audi, *maledicte Satana*, *adjuratus per Nomen æterni Dei*, *& Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti Filii ejus*, *cum tua victus invidia tremens gemenſque diſcede*; *nihil tibi ſit commune cum ſervo Dei N. jam cæleſtia cogitante*, *renuntiaturo tibi*, *& ſæculo tuo*, *& beatæ immortalitati victuro*. *Da igitur honorem advenienti Spiritui Sancto*, *qui ex ſumma Cæli arce deſcendens*, *proturbatis fraudibus tuis*, *Divino Fonte purgatum pectus*, *ſanctificatum Deo templum*, *& habitaculum perficiat*, *ut ab omnibus penitus noxiis præteritorum criminum liberatus Servus Dei*, *gratias perenni Deo referat ſemper*, *& benedicat Nomen ſanctum ejus in ſæcula ſæculorum*. ℟. *Amen*.

§. XXV.

Item ſuper unum maſculum tertio dicat, ut ſupra, *Ora Electe*, *flecte genua*, *& dic Pater noſter*, *&c.* uſque ad Orationem, *Deus Abraham*, excluſive; deinde imponit manum ſuper eum, dicens:

Exorciſmus.

Exorcizo te, *immunde Spiritus*, *in Nomine Patris* ✠, *& Filii* ✠, *& Spiritus* ✠ *Sancti*, *ut exeas*, *& recedas ab hoc famulo Dei N. Ipſe enim tibi imperat*, *maledicte*, *damnate*, *qui pedibus ſuper mare ambulavit*, *& Petro mergenti dexteram porrexit*.

§. XXVI.

Exorciſmus. *Ergo maledicte diabole &c.* & repetit totum, ut ſupra habetur.

COMMENTARIUS.

I. EXplicari ſatis nequit, quanta, ac qualis fuerit primis Chriſti Sæculis ad Baptiſmum præparatio. Datis Catechumeni nominibus, nihil aliud cogitabant, quam ut variis pietatis operibus, duriſque, ac ſedulis pœnitentiæ exercitiis ad recipiendam novæ in Chriſto nativitatis gratiam ſe ſe præparent; uti jam nos ſuperius non uno in loco oſtendimus, & late probant Joſephus Vicecomes in Libris, *De ritibus Baptiſmi*, & Martene, Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. I. Articulo X. num. IX. & ſeqq. Sed ut hic etiam nonnihil dicamus, cogunt nos varii Paragraphi, quos uno Commentario explicandos ſuſcipimus; ſpectant enim varias genuflexiones, orationes, exorciſmos, manuumque impoſitiones, quæ in adultorum præſertim Baptiſmo fieri, ac recitari, ex antiquo Eccleſiæ ritu, expreſſo in priſcis Romanis Ordinibus, ac variis Ritualibus, debent. Et ratio eſt illa, quia non tantum de peccato originali eſt mundandus adultus, ſed & de multis actualibus, quæ in ſua ipſorum falſa religione, vel ſecta patrarunt.

II. Eſſe autem antiquum ritum, quod ait noſter §. XX. ut nempe, *Sacerdos dicat ſuper maſculum tantum, ora Electe, flecte genua &c.* conſtat plane ex Ordinibus Romanis I. & VII. apud Mabillonium Tomo II. Muſei Italici, ex antiquiſſimo ms. Miſſali Gellonenſis Monaſterii annorum mille, & ex ms. Pontificali Eccleſiæ Pictavienſis annorum circiter CM. apud Martene Lib. I. Capite I. Articulo X. Ordine II. & III. & ex aliis Ritualibus multis, in quibus præſcriptum legitur, quod noſtri Paragraphi ſtatuerunt circa Catechumenum maſculum; pro femina enim aliæ præſcriptæ ſunt orationes, atque exorciſmi, de quibus dicemus infra in Commentario ad §. XXVII. & ſeqq. Crebra Catechumeni genuflexio, quam noſtri Paragraphi præſcribunt, in memoriam revocant antiquum illum Catechumenorum gradum, ſeu claſſem, qui Genuflectentes dicebantur, quod in Templis genua flecterent, & ſuper quibus genuflexis, & manus pluries imponebantur, & orationes, atque exorciſmi proferebantur. Atque hujus quidem claſſis, ſicut & Audientium meminit inter alia Concilium Neocæſarienſe anni CCCXIV. Canone V. ex interpretatione Dionyſii Exigui, ubi ita ſtatuit: *Catechumenus, ſi ingrediatur Eccleſiam, & in ordine eorum, qui inſtruuntur, aſſiſtat; hic autem deprehenſus fuerit peccans, ſiquidem genuflectit audiat, ut non delinquat ulterius; ſi vero & audiens peccaverit, expellatur vi.* Ubi nota duos Catechumenorum gradus, ſeu stationes, Audientium, & Genuflectentium, qui videlicet crebris manuum impoſitionibus, & Crucis conſignationibus, exorciſmis, atque orationibus expurgabantur, hoſque in altiori gradu conſtitutos in crimen lapſos mandat Canon ad claſſem Audientium rejici, illos vero de ſua, in qua ſunt ſtatione expelli.

III. Manuum impoſitionis, Cruciſque conſignationis, orationiſque ſuper Catechumenos frequens eſt apud Veteres mentio, præſertim vero apud S. Auguſtinum, qui, ut alia ejus loca omittam, Lib. II. *De Baptiſmo parvulorum*, Capite XXXVII. ſic inquit: *Non uniuſmodi eſt ſanctificatio, nam Catechumenos ſecundum unum quemdam modum, per ſignum Chriſti, & orationem, manus impoſitione puto ſanctificari.* Præparatos fuiſſe olim potiſſimum Catechumenos ad Baptiſmum per varios exorciſmos, docent nos paſſim priſci Occidentalis, & Orientalis Eccleſiæ Patres, atque antiquiſſimi Sacramentorum Codices, & Rituales mſs. Libri variarum Orbis Eccleſiarum. Huc enim facit, quod tradit Gennadius in Libro, *De Eccleſiaſticis dogmatibus*, Cap. XXXI. ubi ſic loquitur: *Illud etiam, quod circa baptizandos in univerſo Mundo ſancta Eccleſia uniformiter agit, non otioſo contemplamur intuitu, cum ſive parvuli, ſive juvenes ad regenerationis veniunt Sacramentum, non prius Fontem vitæ adeant, quam exorciſmis, & exſufflationibus Clericorum, ſpiritus ab eis immundus abigatur.* Alia id genus loca hic recenſere, ſupervacaneum eſt, cum de hujuſmodi exorciſmis jam ſupra variis in locis, in quibus ſe ſe nobis dedit occaſio, abunde diſſeruerimus.

IV. Ritus denique in noſtris Paragraphis, ut nimirum poſt acceptum ſal, ter Catechumeni orent, ter ſignentur, ter Dominicam reddant Orationem, ter manus impoſitionem accipiant, ter ſuper ipſos exorciſmi, & orationes dicantur, in honorem ſcilicet Sanctiſſimæ Trinitatis, cujus Divinæ Perſonæ ſæpe ac nominatim in ipſis orationibus, exorciſmiſque invocantur, ad expellendum nempe diabolum, qui per originale peccatum adhuc Catechumenis dominatur, veteri quidem diſciplinæ concinit, ac priſcis Sacramentorum Libris, in quibus totidem pene verbis leguntur orationes ipſæ, atque exorciſmi, ritulque, ſuper maſculos Catechumenos recitandi, ac peragendi, uti videre eſt apud laudatum Martene Lib. I. Capite I. Articulo VII. XII. & XVIII. ubi varios Rituales Codices deſcribit, in quibus etiam diſtincti extant exorciſmi, & orationes ſuper feminas Catechumenas pronunciandæ.

§. XXVII.

Super feminam vero Sacerdos dicit, *Ora Electa, flecte genua, & dic, Pater noſter &c.* ut ſupra uſque ad Orationem, *Deus Abraham* excluſive. Deinde imponit manum ſuper eam, & dicit. *Oremus.*

Deus Cæli, Deus terræ, Deus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Patriarcharum,

Deus

Deus Prophetarum, Deus Apoſtolorum, Deus Martyrum, Deus Confeſſorum, Deus Virginum, Deus omnium bene viventium, Deus, cui omnis lingua confitetur, & omne genu flectitur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, te invoco Domine ſuper hanc famulam tuam N. ut eam cuſtodire, & perducere digneris ad gratiam Baptiſmi tui. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

§. XXVIII.

Deinde dicatur Exorciſmus: *Ergo, maledicte diabole, recognoſce ſententiam tuam*, & cætera, ut ſupra §. XXII.

§. XXIX.

Si plures fuerint feminæ Catechumenæ, hic, & in ſequentibus Sacerdos dicat in numero plurali, *Orate Electæ, flectite genua, & dicite, Pater noſter*, & reliqua, ut ſupra uſque ad Orationem, *Deus Abraham*, excluſive; deinde imponit manum ſuper capita ſingularum, & poſtea in eodem numero plurali dicit Orationem, *Deus Cæli, Deus terræ, &c.* & Exorciſmum, *Ergo maledicte diabole &c.* ut ſupra §. XXII.

§. XXX.

Interim ſuper unam tantum ſecundo, & tertio repetit, *Ora Electa, flecte genua, & dic, Pater noſter*, & reliqua, ut ſupra uſque ad finem Orationis, *Deus Abraham*, qua finita, imponit manum ſuper caput ejus, & poſt tertiam ſignationem, dicit.

Exorciſmus.

Exorcizo te, immunde ſpiritus, per Patrem ✠, & Filium ✠, & Spiritum ✠ Sanctum, ut exeas, & recedas ab hac famula Dei N. Ipſe enim tibi imperat, maledicte, damnate, qui cæco nato oculos aperuit, & quatriduanum Lazarum de monumento ſuſcitavit. Ergo maledicte diabole &c. totum, ut ſupra §. XXII.

§. XXXI.

Super utrumque, ſive maſculum, ſive feminam, imponit manum ſuper caput ejus, & dicit:

Oremus.

Æternam, ac juſtiſſimam pietatem tuam deprecor, Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, Auctor luminis, & veritatis, ſuper hunc famulum tuum N. ut digneris eum illuminare lumine intelligentiæ tuæ; munda eum, & ſanctifica; da ei ſcientiam veram, ut dignus efficiatur accedere ad gratiam Baptiſmi tui; teneat firmam ſpem, conſilium rectum, doctrinam ſanctam, ut aptus ſit ad percipiendam gratiam tuam. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

§. XXXII.

Si plures fuerint Electi, ſive mares, ſive feminæ, præcedentes Orationes, & Exorciſmi dicantur in numero plurali, & in genere proprio, ut ſuperius dictum eſt.

COMMENTARIUS.

I. Feminæ Catechumenæ eodem modo exorcizantur, ac maſculi, ſed non tamen iiſdem omnino orationibus, exorciſmiſque, qui antiquiſſimi quidem ſunt, leguntur que in priſcis Sacramentorum Libris in præcedenti Commentario memoratis. Ex quorum tamen præſcripto trina iſta exorcizatio ſuper maſculos, ac ſuper feminas ſimul peragebatur, nempe poſt exorciſmum primo maſculis factum, immediate fiebat & feminæ, eodemque ritu fiebat ſecundus, & tertius exorciſmus. Ceterum quod ter primum exorcizentur maſculi, ac deinde ter etiam feminæ juxta ritum in noſtro Rituali præſcriptum, legitur etiam in Ritualibus non paucis, & in Sacerdotali Romano Venetiis edito anno MDLXVII. nonnullis tamen mutatis, ut cuilibet Codices ipſos legenti patet.

II. Ex iiſdem antiquis Sacramentorum Libris & illud addiſcimus, repetitos toties exorciſmos cum præſcriptis ritibus in noſtris Paragraphis memoratis, conſueviſſe fieri olim etiam in Baptiſmo infantium, & quidem in Scrutinio, quod tertia hebdomada in Quadrageſima fieri ſolitum fuit, ut conſtat ex pervetuſto Miſſali Monaſterii Gellonenſis apud Martene Lib. I. Cap. I. Articulo XII. Ordine II. ex cujus præſcripto, ſtatutis ma-

maſculis ſeorſum ad dexteram partem, & feminis itidem ſeorſum ad partem ſiniſtram, peracta ſalis cæremonia, de qua dictum ſuperius fuit, *eum Proceſſione accedens Sacerdos ante Altare, orat ibi ſecretias. Inde vero vadens retro Altare, dicit:* Dominus vobiſcum. *Et reſpondetur:* Et cum ſpiritu tuo. *Deinde dicit:* Oremus. *Et dicit Orationem hanc ſuper Electis ad Miſſam. Item*, Da quæſumus Domine Electis noſtris &c. *Et vocentur infantes in Eccleſia ab Acolytho per nomina, vel ordine, ſicut ſcripti ſunt, & ſtatuuntur prius modum, admonentur a Diacono ita:* Orate Electi, flectite genua Deo. *Et poſtquam oraverint, ita dicit:* Levate, complete orationem veſtram in unum, & dicite Amen. *Et reſpondeant omnes*, Amen. *Ita dicit Diaconus:* Signate illos, accedite ad benedictionem: *Et ſignant ipſos infantes in frontibus eorum Patrini, & Matrinæ de pollicis ſuis, dicentes:* In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. *Tunc venit Acolythus iterum faciens Crucem in frontibus ſingulorum, dicens:* In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. *Et imponit manum ſuper eos dans orationem excelſa voce his verbis:* Deus Abraham, Deus Iſaac &c. *Vertit ſe ad feminas, facit Crucem in frontibus ſingularum, ut ſuperius. Ponit manum ſuper capita ſingulorum, dicens:* Deus Cæli &c. *Et adnunciat Diaconus, dicens:* Orate Electi, flectite genua, *& reliqua ut ſupra. Et ſignant Patrini, ut prius. Et ſequitur alius Acolythus, facit Crucem ſuper maſculos, ſicut fecit prior; & imponit manum ſuper eos, dicens:* Deus, immortale &c. *Item ſuper feminas ſimiliter faciens, & imponit manum ſuper eas, ita dicendo:* Deus Abraham &c. *Dicit Diaconus, ut orent electi, & reliqua, ut ſupra, & ſignant Patrini, ut prius. Inde tertius Acolythus facit Crucem in frontibus puerorum, ſicut anterior fecit, & imponit manum ſuper capita eorum, ſicut prior fecerat, ſic dicendo:* Exorcizo te, immunde &c. *Item ſuper feminas, faciens Crucem, ut prius, & imponit manum ſuper capita earum, dicendo*, Exorcizo te, immunde ſpiritus &c. *Annunciat Diaconus:* Orate Electi, *& reliqua. Signant Patrini, ut prius. Et tunc Presbyter accedit, faciet Cruces in ſingulorum frontibus, ut primitus, & imponit manum ſuper capita ipſorum, dicens orationem hanc:* Æternam, ac juſtiſſimam &c. *Item ipſe facit ſuper feminas, ſimiliter dicens ipſam orationem. Iſta omnia conſummata, iterum amonitur a Diacono ita:* Orate Electi, flectite genua, complete orationem veſtram in unum, & dicite, Amen. *Et reſpondent omnes*, Amen. *Iterum dicit:* Signate illos, ſtate cum diſciplina, & ſilentio. *Et ſignant Patrini, ut prius.*

III. Similia leguntur in aliis antiquis Sacramentorum Codicibus, in quibus tamen ſemper aliqua variatio reperitur, licet ea non magni momenti ſit, cum conſtet, omnes in eo convenire, ut pluries exorciſmi fierent ſuper maſculos æque, ac feminas, & tam ſuper adultos Catechumenos, quam ſuper infantes, & quidem cum repetitis manuum impoſitionibus, Cruciſque ſignationibus, adgeniculationibus, & crebra Dominicæ Orationis redditione. Porro verbum *Electi*, quod ſæpe in noſtro hoc Rituali, ubi agitur de adminiſtratione Baptiſmi occurrit, antiquum eſt, alluditque ad illum Catechumenorum gradum, ſeu claſſem, qui Electi dicebantur, quod abſoluto Catechumenatus tempore, ad recipiendum ſacræ regenerationis Sacramentum eſſent electi, diligenter jam inſtructi de Fide, & Chriſtiana doctrina, præſertim vero Fidei Symbolo, atque Dominica Oratione, quæ Catechumenis ipſis in Scrutiniis exponebantur, & teneri memoriter, atque ab eiſdem reddi, non modo cum baptizabantur, verum etiam cum ſacro Chriſmate confirmabantur, debebant, teſte Theodulpho Aurelianenſi Epiſcopo in Capitulari ad ſuos Parochos labente Sæculo VIII. ſcripto, Capite XXII. ubi poſtquam edixit, ut omnes Fideles Orationem Dominicam, & Symbolum diſcant, & memoriter teneant, ita ſubdit: *Conſtitutum namque eſt, ut nullus chriſmetur, neque baptizetur, neque a lavacro Fontis illius ſuſcipiatur, neque coram Epiſcopo ad confirmandam quemlibet teneat, niſi Symbolum, & Orationem Dominicam memoriter tenuerit, exceptis his, quos ad loquendum ætas minime perduxit.*

§. XXXIII.

His peractis, Sacerdos ſiniſtra manu apprehendens dexteram Electi prope brachium, vel ei porrigens extremam partem Stolæ, introducit eum in Eccleſiam, dicens: *N. Ingredere in Sanctam Eccleſiam Dei, ut accipias benedictionem cæleſtem a Domino Jeſu Chriſto, & habeas partem cum illo, & Sanctis ejus.* ℟. *Amen.*

§. XXXIV.

Si plures fuerint, dicat in numero plurali: *Ingredimini in Sanctam Eccleſiam Dei &c.* & introducat eos, ut ſupra.

COMMENTARIUS.

I. Ergo vel ex hiſce Paragraphis conſtat, quod alias iterum, iterumque dictum fuit, & quidem ex veteri, probatoque Eccleſiæ inſtituto, debere primum Catechumenos baptizandos, adultos, infanteſve, ante fores Eccleſiæ conſiſtere, quouſque exorciſmi, aliique ritus præſcripti, explicatique, abſolvantur, ac iis nonniſi peractis, Eccleſiam ingredi, juxta ritum in præſenti §. XXXIII. expreſſum: *His peractis*, inquit, *Sacerdos ſiniſtra manu apprehendens dexteram Electi, vel ei porrigens extremam partem Stolæ, introducit eum in Eccleſiam, dicens &c.* In Baptiſmo quidem parvulorum ex præſcripto noſtri Romani Ritualis, *Sacerdos imponit*

ponit extremam partem Stolæ ſuper infantem, & introducit eum in Eccleſiam. At hic vero in adultorum Baptiſmo, uti obſervat Barruſaldus ad hunc præſentem §. num. 51. latius loquitur, & primo proponit, ut Sacerdos apprehendat dexteram Catechumeni, deinde vero extremam partem Stolæ. Utrumque relinquit arbitrio Sacerdotis, ſed puto equidem, decere quammaxime, ut cum introducenda ſit ad Eccleſiam ſemina adulta, porrigat ei Sacerdus Stolam potius, quam manum; nihil autem referre, ſi maſculus, Stola, vel manu ſiniſtra ſcilicet, ut ait noſter §. Sacerdotis introducatur, ut nempe dextera liberior ſit illi ad operandum. Atque hic illud etiam nota, quod ait idem noſter §. apprehendi debere dextram Electi *prope brachium*, ideoque non manum ejus, aut pulſum; quod quidem in feminis potiſſimum dedeceret.

II. Omiſſa verborum formula, *N. ingredere in ſanctam Eccleſiam &c.* quod de ea late diximus in Commentariis ad infantium Baptiſmum, notandum quod ait §. XXXIV. ut nempe, *ſi plures fuerint, dicat in numero plurali*, Ingredimini in Sanctam Eccleſiam Dei &c. *& introducat eos, ut ſupra*. Quod quidem ita puto explicandum, ut nimirum, ſi plures fuerint mares, ac feminæ ſimul baptizandi, ſufficit ſiniſtra manu apprehendere dexteram unius maris prope brachium, cæteris catervatim eum ſequentibus; ſi vero ſolæ feminæ, ſatis ſit uni extremam Stolæ partem porrigere, uti jam ſupra explicuimus.

§. XXXV.

Et ingreſſus Electus procumbit, ſeu proſternit ſe in pavimento, & adorat.

COMMENTARIUS.

I. DEcet profecto, ut vix Electus in Templum ingreſſus, procumbat, ſeu proſternat ſe in pavimento, & adoret, gratias ſcilicet Deo agens, quod dignus tandem effectus ſit, ut Domum Dei ingrederetur, qui prius ante fores Eccleſiæ, dum exorciſmi, aliique ſacri ritus peragerentur, manſit, atque ab ejus introitu omnino prohibitus fuit, quod indignus eſſet, qui Dei Domum ingrederetur, antequam a ſe turpiſſimæ ſervitutis jugum repuliſſet, & totum ſe Chriſto addixiſſet, ut alibi diximus. Merito itaque illud uſurpare tunc poteſt, quod ajebat Regius Propheta in Pſalmo v. *Ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ, introibo in Domum tuam, adorabo ad Templum ſanctum tuum in timore tuo*. Porro brevis eſſe debet iſta adoratio, immediate enim ſequens §. ſubdit: *Deinde ſurgit, & Sacerdos imponit manum &c.*

§. XXXVI.

Deinde ſurgit, & Sacerdos imponit manum ſuper caput ejus, & Electus cum eo recitat Symbolum Apoſtolorum, & Orationem Dominicam.

§. XXXVII.

Ita etiam ſi plures fuerint, omnes ſurgunt, & ſimul recitant.

Credo in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem Cæli, & terræ. Et in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum, Dominum noſtrum; qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine; paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus; deſcendit ad inferos; tertia die reſurrexit a mortuis; aſcendit ad Cælos, ſedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis; inde venturus eſt judicare vivos, & mortuos. Credo in Spiritum Sanctum, Sanctam Eccleſiam Catholicam; Sanctorum communionem; remiſſionem peccatorum; carnis reſurrectionem; vitam æternam. Amen.

Pater noſter, qui es in Cælis, ſanctificetur nomen tuum; adveniat Regnum tuum; fiat voluntas tua, ſicut in Cælo, & in Terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie; & dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos a malo. Amen.

COMMENTARIUS.

I. FActa proſtratione in pavimento Eccleſiæ in primo ſuo ad eam ingreſſu, brevique ibidem adoratione peracta, ut in præcedenti Commentario diximus, Catechumenus, ut ait hic noſter §. XXXVI. *deinde ſurgit, & Sacerdos imponit manum ſuper caput ejus, & Electus*, Catechumenus ſcilicet mox baptizandus, *cum eo recitat Symbolum Apoſtolorum, & Orationem Dominicam*; & ut ſubdit §. XXXVII. *ita etiam ſi plures fuerint, omnes ſurgunt, & ſimul recitant*; ſatiſque iccirco videtur factum noſtræ Rubricæ, ſi Sacerdos, quum una cum ipſo omnes recitant Symbolum, & Orationem Dominicam, uni ſoli manum imponat.

II. Sed omiſſa manus impoſitione, quæ ex pervetuſto Eccleſiæ ritu ſæpe fieri ſuper Catechu-

Digitized by Google

chumenos ſolet, operæ plane pretium puto de Symbolo potius, & Oratione Dominica diſſerere in adminiſtratione Baptiſmi adultorum: *Symbolum*, ut ait S. Auguſtinus Sermone ccxiii. *eſt breviter complexa regula Fidei, ut mentem inſtruat, non oneret memoriam*. *Quæ ideo Symbolum dicitur*, ut addit idem Auguſtinus in Sermone ccxiv. qui ex ms. Codice Sancti Remigii Remenſis editioni Patrum Benedictinorum S. Mauri acceſſit: *Quia ibi noſtræ ſocietatis Fides placita continetur, & ejus confeſſione tanquam ſigno dato Chriſtianus Fidelis agnoſcitur*. Cum ergo Symbolum ſit brevis Fidei noſtræ regula, tot poſſunt eſſe Symbola, quot formulæ Fidei Chriſtianæ normam continentes formari queunt, uti recte notat Martene Lib. i. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. i. Articulo xi. num. x. ubi etiam ſcite obſervat, celebriora præ omnibus, duo fuiſſe, Apoſtolorum ſcilicet, & Nicænum, primiſque Eccleſiæ temporibus traditum quidem fuiſſe Electis Catechumenis Apoſtolorum Symbolum; deinde vero tradi cœptum Nicenum, ita dictum, quod ſcriptum probatumque fuerit a trecentis decem & octo Patribus Nicæni Concilii; itemque Conſtantinopolitanum, quod paſſim etiam Nicæni nomine appellatur.

III. Et quidem viguiſſe hunc morem in Eccleſia Orientali, ut baptizandis Nicænum Symbolum, Conſtantinopolitanumve traderetur, docet in primis S. Epiphanius in ſuo Libro Ancorato, Cap. xix. ubi de Conſtantinopolitano Symbolo loquens, ſic ait: *Idem Catechumenis omnibus, qui ad Baptiſmum ſe ſe comparant, inculcate diligenter. Neque filiis veſtris id præcipere dumtaxat, ut credant, oportet, ſed & hanc illis formulam expreſſe, ac diſerte proponere*. Affirmat, Conſtantinopolitanum Symbolum, & tradendum in Baptiſmo, & a cunctis Fidelibus quotidie recitandum. Idipſum probatur teſtimonio Chariſii Philadelphienſis in Lydia Eccleſiæ Presbyteri, qui in Epheſino Concilio Antonium, & Jacobum Presbyteros hæreſiarchæ Neſtorii emiſſarios accuſavit de variis, ac præſertim de hoc articulo: *Cum oportuiſſet Evangelicam, & Apoſtolicam Fidei traditionem, quam olim Sancti Patres apud Nicæam congregati expoſuerunt, proponere his, qui ex errore ad veritatem redire, & e tenebris ad lucem venire quærebant, quamdam impiorum dogmatum expoſitionem redactam in Symboli formulam obtruſiſſe, utque huic ſubſcriberent, miſeros induxiſſe*. Lucide affirmat, baptizari ab omnibus oportere in Nicænum Symbolum, illoſque emiſſarios accuſat, quod baptizarent in blaſphemum compoſitum a Theodoro Epiſcopo Mopſueſteno; & ſuo Accuſationis Libello Chariſius ſubnexuit Conſtantinopolitanum Symbolum, quod nempe in illud eſſet baptizatus, & baptizaret. Hinc adverſus Theodori audaciam laudata Synodus Epheſina rigidiſſime vetuit, aliud a Nicæno Symbolo componi per quemlibet, & addit: *Qui vero auſi fuerint aut componere Fidem alteram, aut proferre, vel afferre converti volentibus in agnitionem veritatis, ſive ex gentilitate, ſive ex Judaiſmo, ſive ex qualicumque hæreſi, hos quidem, ſi ſint Epiſcopi, aut Clerici, alienos eſſe Epiſcopos ab Epiſcopatu, & Clericos a Clericatu, decrevit Sancta Synodus; ſi vero laici fuerint, anathemati ſubjici*. Ubi nota quanto rigore vetet Epheſina Synodus, ſub alio Symbolo baptizari.

IV. Confirmatur præterea magis magiſque eadem diſciplina auctoritate Synodi Chalcedonenſis, Actione II. ubi ad ſolemniter ab Eunomio Nicomedienſi Epiſcopo recitatum Nicænum Symbolum unanimiter ſic exclamavit: *Hæc Catholicorum Fides, in hac baptizati ſumus, & in hac baptizamus*. Et ex Synodalibus ad Imperatorem poſt laudatam Synodum extantibus Literis, quas ſcripſit Epiphanius Pergenſis Epiſcopus Metropolita Pamphyliæ, ſic inquiens: *Nulla alia doctrina a nobis tradita eſt accedentibus ad ſalutare, ſanctumque Baptiſma, niſi quæ a ſancto Nicæno Concilio prolata eſt*; itemque ex Literis, quas dedit Patricius Thyanenſis Epiſcopus ſecundæ Cappadociæ Metropolita: *Secundum antiquum, ſanctum, & univerſale Concilium Sanctorum trecentorum decem & octo Patrum in Nicæna Urbe celebratum baptizati ſumus, & noſmetipſos bonæ confeſſioni tradidimus*; ac præterea ex illa omnium Epiſcoporum exclamatione ad laudatum Symbolum facta in Joannis II. Patriarchæ Conſtantinopolitani Synodo, Actione v. *In quo baptizati ſumus, & baptizamus*. Quæ exclamatio in illa, quam Conſtantinopolitanam ſub Menna Patriarcha Synodum appellant vulgo variorum Synodalium Actorum congeſtione ſæpius fuit repetita. Denique, ut alia omittam loca, etiam in v. Generali Concilio omnes Epiſcopi ad recitatum Theodori Mopſueſteni blaſphemum Symbolum exclamarunt: *Unum tantummodo Fidei Symbolum ſcimus, quod Nicæni Sancti Patres expoſuerunt, & tradiderunt. In hoc omnes baptizati ſumus, & nos in hoc baptizamus*. Utique in Nicæno ſuppleto, & adaucto per Conſtantinopolitanam Synodum; hoc enim probarunt, & baptizandis tradi juſſerunt Generales, & Œcumenicæ Synodi, Epheſina, & Chalcedonenſis.

V. Hæc, & alia id genus loca congeſſit eruditus Lupus Tomo i. Operum in Diſſertatione, *De Symbolo Apoſtolico, & Nicæno*, Cap. iii. Quæſtione i. ubi probare conatus eſt Orientalis Eccleſiæ baptizandis non ſemper traditum fuiſſe Apoſtolicum Symbolum, ſed Nicænum, Conſtantinopolitanumve; ſubditque mox Quæſtione II. haudquaquam eam diſciplinam fuiſſe univerſalem per omnes Orientis Eccleſias. Sed quicquid ſit de Orientali Eccleſiæ ritibus, pluribus idem Auctor, Quæſtione iii. contendit, Latinam Eccleſiam *ſemper manſiſſe conſtantem in uſu ſolius Apoſtolici Symboli*, in adminiſtratione ſcilicet Sacramenti Baptiſmi. Diſerte id affirmat in Apoſtolici Symboli expoſitione Ruffinus Presbyter Aquileenſis, agens de Romana præſertim, & Aquileenſi Eccleſia, teſtaturque, ſe eſſe ibidem in iſto Symbolo baptizatum. Rationem ejus diſciplinæ reddit idem Ruffinus in citata ſua Explicatione: *In diverſis Eccleſiis*, inquit, *aliqua in Symboli verbis inveniuntur adjecta. In Eccleſia tamen Urbis Romæ hoc non deprehenditur factum. Quod ego propterea eſſe arbitror, quod neque hæreſis ulla illic ſumſit exordium; & mos ibi ſervatur antiquus, eos, qui gratiam Baptiſmi ſuſcepturi ſunt, publice, ideſt, fideli populo audiente, Symbolum reddere; & utique adjectionem unius ſaltem ſermonum eorum, qui præceſſerunt in Fide, non admittit auditus*.

VI. Porro antiquum, quo Romana Eccleſia Competentes cogebat ad publicam Symboli recitationem coram omni populo morem laudat in

in Sermone IV. de Dominica Nativitate S. Leo Magnus Pontifex Maximus: *Permanete ſtabiles in ea Fide, quam confeſſi eſtis coram multis teſtibus, & in qua renati eſtis per aquam, & Spiritum Sanctum, accepiſtis Chriſma ſalutis, & ſignaculum vitæ æternæ.* Et ſtatim ſubjungit, iſtam Fidem eſſe *regulam Catholici, & Apoſtolici Symboli*. Scribit item in Epiſtola LXXXIII. ad Palæſtinæ Epiſcopos, Cap. VIII. *Obliti eſtis Symboli ſalutaris, & confeſſionis, quam pronunciantes coram multis teſtibus, Sacramentum Baptiſmi ſuſcepiſtis?* Omnino laudat Romanum morem, & quaſi ſupponit, eum etiam in Palæſtina viguiſſe. Alludit plane & ad Apoſtolicum Symbolum Bracarenſis Synodus III. Can. I. ubi ſtatuit, ut *Catechumeni Symbolum, quod eſt*, Credo in Deum Patrem Omnipotentem, *doceantur*. Perſpicue loquitur de Symbolo Apoſtolico, quod illis verbis incipit. Et adverſus Elipandum Toletanum Archiepiſcopum ſcribit Etherius Uxamenſis Epiſcopus: *Surgamus cum ipſis Apoſtolis, & Fidei noſtræ Symbolum, quod tradiderunt nobis, brevi compendio recitemus. Et Fidem, in qua baptizati ſumus, in hac perverſitate, & duplicitate hæreticorum non negemus.* Recitat totum Apoſtolorum Symbolum, ipſumque affirmat eſſe Apoſtolicum, & omnem Hiſpaniam in ipſo baptizari. Quod ipſum diſerte docet S. Iſidorus Epiſcopus Hiſpalenſis Lib. II. *De Eccleſiaſticis Officiis*, Cap. XXII.

VII. Addit & his Lupus alia teſtimonia, ut ſuam ſententiam probet de ſolius Apoſtolici Symboli uſu in adminiſtratione Baptiſmi apud Latinos, cum tamen conſtet ex multis priſcis Sacramentorum Libris, & Ritualibus, in uſu etiam fuiſſe apud eoſdem Symbolum Nicænum, ſive Conſtantinopolitanum. Certe in duobus mſs. Libris Sacramentorum inſignis Eccleſiæ Turonenſis annorum circiter CM. & in alio Majoris Monaſterii annorum DCCC. ac Rituali Monaſterii Sancti Salvatoris de Villalupe annorum DC. apud Martene Lib. I. Cap. I. Articulo VII. Ordine IV. ita legitur: *Accipiat Sacerdos manum dexteram infantis, & tenens eam, dicat.* Pater noſter, Credo in Deum, *ſive*, Credo in unum Deum. *Poſt hæc ſignet ipſum &c.* Pontificale quoque mſ. Sancti Luciani Bellovacenſis annorum circiter DCCC. apud eundem Auctorem, Ordine V. ſic habet: *Poſtea tenens manum ſuper capite infantis, dicat*: Credo in unum Deum; *deinde*, Pater noſter, *totum*. Pontificale Pictavienſe annorum circiter CM. apud eundem, Articulo XII. Ordine III. ita inquit: *Dicit Symbolum latine decantando*: Credo in unum Deum, Patrem Omnipotentem &c. Longum eſſet & alia veterum Ritualium teſtimonia, & loca referre, ex quibus addiſcimus etiam aliquando ſaltem, & alicubi dictum fuiſſe Symbolum Conſtantinopolitanum, cujus initium eſt: *Credo in unum Deum, Patrem Omnipotentem &c.*

VIII. Sed relicta hac controverſia, conſtans quidem ſemper fuit hæc in utraque Eccleſia diſciplina, ut Baptiſmo initiandi memoriter diſcerent, ac recitarent Symbolum Fidei, & Orationem Dominicam. Symbolum enim eſt cunctorum, quæ dicimus neceſſaria juſtificationis media, credendorum compendium, ideoque ab omnibus ſciri, ac teneri debet ante Baptiſmum. Hinc olim Feria V. in Cœna Domini traditum in Scrutiniis Symbolum, Epiſcopis, vel Presbyteris electi ad Baptiſmum reddere debebant, ut præſcribit Concilium Laodicenum Can. XLVI. & Martinus Bracarenſis Cap. XLIX. his verbis: *Oportet autem in ipſis diebus, ut hi, qui baptizandi ſunt, Symbolum diſcant, & quinta Feria noviſſimæ ſeptimanæ Epiſcopo, vel Presbytero reddant.* Id quod etiam confirmavit Concilium Trullanum Canone LXXVIII. in quem videri poteſt, quod nos ſcripſimus Tomo II. Commentariorum in Concilia Oecumenica. At vero ex Ordine Gelaſiano, cui conſentiunt varii antiqui Sacramentorum Codices, id præſtabant *Sabbatorum die mane*. Porro in Eccleſia Africana Symbolum tribus ante Paſcha hebdomadis, ſcilicet Sabbato ante Dominicam quartam Quadrageſimæ tradebatur, reddendum octo poſt diebus, ſcilicet Sabbato ante Dominicam quintam, in quo tradebatur Oratio Dominica, & ipſa octavo poſt die reddenda, nimirum Sabbato ante Dominicam Palmarum, ac demum Sabbato Sancto redditum fuiſſe ſecundo Symbolum propter eos, qui prima vice illud memoria minus tenaci retinuerunt.

IX. Hæc plane omnia, uti obſervat Martene Lib. I. Cap. I. Articulo XI. num. XIII. nondum hactenus ſatis cognita, aut expoſita, patent ex S. Auguſtino. Et primo quidem traditum fuiſſe Symbolum octo ante Orationem Dominicam diebus, declarat idem S. Doctor in Sermone CCXIII. novæ editionis, qui ſecundus eſt in traditione Symboli, his verbis: *Remiſſio peccatorum non eſt in ſola ablutione Baptiſmatis, ſed etiam in Oratione Dominica, & quotidiana, quam poſt octo dies accepturi eſtis.* Redditum vero primo fuiſſe octavo poſt die, cum traderetur Oratio Dominica, eamque octavo alio poſt die redditam, idem S. Pater docet in Sermone LVIII. ubi ſic loquitur: *Tenete ergo hanc Orationem, quam reddituri eſtis ad octo dies. Quicumque autem veſtrum non bene Symbolum reddiderunt, habent ſpatium; teneant, quia die Sabbati audientibus omnibus, qui aderunt, reddituri eſtis; die Sabbati noviſſimo, quo die baptizandi eſtis. Ad octo autem dies ab hodierno die reddituri eſtis hanc Orationem, quam hodie accepiſtis.* Neceſſaria itaque erat Symboli redditio ante Baptiſmum, meritoque iccirco Gabinianum Catechumenum, quod illud memoriæ mandare negligeret, aut ſe non poſſe ſimularet, fuiſſe Divinitus percuſſum, atque ita deductum ad ſaniora conſilia, ſcribit idem Auguſtinus in Epiſtola LXVII. ad Alipium Tagaſtenſem Epiſcopum data.

X. Baptizandi ordinem præſcripſit quidem in Evangelio Matthæi Chriſtus Dominus Capite XXVIII. *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Quibus verbis egregie confutantur errores quidam antiqui, qui prius baptizandum, ac deinde docendum cenſebant, quoſque merito ſuggillavit S. Auguſtinus in Libro, *De Fide, & operibus*, Cap. VI. *Sit hoc, ubi quemquam forte dies urget extremus, ut ad verba pauciſſima, quibus tamen omnia continentur, credat, Sacramentumque percipiat, ut ſi ex hac vita migraverit, liberatus exeat de reatu præteritorum peccatorum.* Iſta pauciſſima verba omnino ſunt Apoſtolicum Symbolum, ſine cujus notitia etiam Clinicos baptizari nunquam permiſit Eccleſia, licet Clinici ipſum memoriter tenere non potuerint; ſine plena tamen ejus notitia nullam habuere ſpem ſalutis. Dictos fuiſſe Clinicos, qui lecto decumbentes, Baptiſmo initiabantur, jam alias diximus.

XI. Ea-

XI. Eadem fuit ratiu ſurdurum, ac mutorum, de quurum nnu Marcellinus Comes in ſuu Chrunicu, ubi Hunarici Vandalorum in Aſrica Ariani Regis perſecutiones exponit, ita ſcribit: *Hunaricus Rex unius Catbolici adoleſcentis vitam a nativitate ſiue ullo ſermone ducentis linguam præcepit abſciudi, idemque mutus, quod ſine bumano auditu Chriſto credens Fide didicerat, mox præciſa ſibi lingua, locutus eſt, gloriamque Deo in primo vocis ſuæ exordio dedit.* Poſt exciſam linguam prima ea vox ſuit Catholica, quam Ariani peſſime deteſtantur, glorificatiu, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*. Ejuſmodi mutos, ſurdoſque divina gratia eligit, & illuminat. Atque hinc Atto Vercellenſis Epiſcopus in ſuu Capitulari, Cap. XVIII. recte ſtatuit: *Hi qui ab infantia muti ſuerint, ſi aliquibus nutibus, aut indiciis, Chriſtianos ſe eſſe velle, vel Baptiſmum petere videantur, non eſt illis vetandum*. Eus præſumimus eſſe adeu inſtructos, ideoque nun videntur ſubſiſtere illa Honurii Auguſtodunenſis verba: *Parvuli, vel muti, vel ſurdi, vel fatui, per petitionem Fidelium catecbizantur, baptizantur, & per fidem illorum ſalvantur*. Surdi a uativitate, & muti plurimum diſtant a parvulis, & ſatuis, & licet auditu, & loquela careant, habent tamen mentem, ac ratiunis uſum, ideuque omnino eredere debent ad juſtitiam, ut recte notat laudatus ſuperius Lupus, Cap. V.

XII. Opus itaque eſt, ut adulti baptizandi Fidei Symbolum, atque Orationem Dominicam memuriter diſcaut, atque ante Baptiſmum recitent, ut SS. Patres præſcribunt, Rituales Codices, atque omnis ævi Scriptores, inter quos Theodulphus Arelianenſis Epiſeopus in ſuo celebri Capitulari, quod ſcripſit labente Seculo DCCC. Capite XXII. ſic inquit: *Commoniendi ſunt Fideles, ut generaliter omnes a minimo uſque ad maximum Orationem Dominicam, & Symbolum diſcant. Et dicendum eis, quod in bis duabus ſententiis omne Fidei Chriſtianæ fundamentum incumbit, & niſi quis bas duas & memoriter tenuerit, & ex toto corde crediderit, & in oratione ſæpiſſime frequentaverit, Catbolicus eſſe non poterit*. Nutanda putiſſimum, quæ ſtatim ſubijcit: *Conſtitutum namque eſt, ut nullus cbriſmetur, neque baptizetur, neque a lavacro Fontis illius ſuſcipiatur, neque coram Epiſcopo ad confirmandum quemlibet teneat, niſi Symbolum, & Orationem Dominicam memoriter tenuerit, exceptis bis, quos ad loquendum ætas minime perduxit*. Quod & ipſum ſtatuunt multi alii Canunes, ratiuuemque docet S. Auguſtinus in Enehiridiu, Cap. VII. diſerte affirmans, Chriſtiauam dignitatem cunſiſtere iu Fide, Spe, & Charitate: *Ecce tibi*, inquit, *eſt Symbolum, & Oratio Dominica. Quid brevius, auditur, & legitur? Quid facilius memoriæ commendatur? In bis duobus tria illa intuere. Fides credit, Spes, & Charitas orant. Sed ſine Fide eſſe non poſſunt*. Apuſtolorum Symbulum, ac Oratio Dominica ſunt noſtræ Fidei, Spei, & Charitatis cumpendia, idcoque ſine ipſurum nutitia nemu eſt Chriſtiauus, nemo aptus ulli Sacramentu, nemu dignus Eccleſiaſtiea ſepultura, uti citato loco, ut alios eruditus Scripturcs omittam, idem Lupus oſtendit.

XIII. Præter Apuſtolicum Symbolum, ac Dominicam Oratiunem, ex variurum Ritualium præſcripto, memuriter diſcere, ac etiam recitare Salutatiunem Angelicam, ideſt, *Ave Maria gratia plena &c.* debent Baptiſmo initiandi, & ſi infantes ſuerint, eurum Patrini, ac Matrinæ. Ita plane ſtatuit antiquum Rituale Eccleſiæ Lemovicenſis apud Martene, Lib. I. Capite I. Articulo XVIII. Ordine XVII. itemque Rituale Munaſterii S. Genuveſæ Pariſienſis ſcriptum ad uſum Dioceſis Trecenſis annorum circiter CD. apud eundem Martene Articulo VII. Ordine X. Porru quod Symbulum ſpectat, & Orationem Dominicam, de quibus in præſenti Commentariu agimus, tria adhuc breviter nutanda ſuperſunt. Primum eſt, ex præſcripto plurium Ritualium, cunſueviſſe ipſa recitari a baptizandis, antequam Eccleſiam ingrederentur, ideoque ante Fures Eccleſiæ. Id plane liquet ex memoratis Ritualibus Lemuvicenſi, S. Genoveſæ, & Sueſſionenſi apud memuratum Aucturem, Articulu VII. Ordine IX. Alterum eſt, conſueviſſe ipſum Symbolum in Scrutiniis Græce ſuper maſculos, Latine ſuper feminas recitari; idque conſtat ex Ordine Romanu VII. num. 4. apud Mabillonium Tumu II. Muſæi Italiei pag. 81. itemque ex Miſſali Gellonenſi in primu Ordine ad faciendum Scrutinium, & ad Baptiſmum cunferendum, teſte Martene in Nota ad ipſum Miſſale citatu loco Articulu XII. Ordine II. pag. 100. in fine, ex ms. Poutificali Pictavienſi aunurum circiter CM. & ex ms. Codice Eccleſiæ Viennenſis iu Gallia, apud eundem ibidem, Ordine III. & IV. Tertium eſt, in quibuſdam antiquis Ritualibus primum recitari Orationem Duminicam, & deinde Symbolum, ut habetur in Ritnali Eccleſiæ Sueſſionenſis tempore Nivelonis Epiſcopi ſcripto, ac relato ab eudem Martene Articulo VII. Ordine IX.

§. XXXVIII.

Tunc rurſus Sacerdos imponat manum ſuper Caput Electi, & dicat.

Exorciſmus.

Nec te latet, Satana, imminere tibi pœnas, imminere tibi tormenta, imminere tibi diem Judicii, diem ſupplicii ſempiterni; diem, qui venturus eſt velut clibanus ardens, in quo tibi, atque univerſis angelis tuis præparatus ſempiternus erit interitus. Proinde damnate, atque damnande, da honorem Deo vivo, & vero, da honorem Jeſu Chriſto Filio ejus, da honorem Spiritui Sancto Paraclito, in cujus Nomine, atque virtute præcipio tibi, quicumque es, ſpiritus immunde, ut exeas, & recedas ab hoc famulo Dei N. quem hodie idem Deus, & Dominus noſter Jeſus Chriſtus ad ſuam ſanctam gratiam, & benedictionem, Fontemque Baptiſmatis dono vocare dignatus eſt, ut fiat ejus templum per aquam regenerationis in remiſſionem omnium peccatorum. In Nomine ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos, & mortuos, & ſeculum per ignem. ℟. *Amen.*

§. XXXIX.

§. XXXIX.

Similiter ſi plures fuerint, imponit manum ſuper capita ſingulorum, & dicit eundem Exorciſmum in numero multitudinis, & genere ſuo.

COMMENTARIUS.

I. ECce hic alia manus impoſitio a Sacerdote facienda ſuper caput electi cum Exorciſmo, qui omuium poſtremus eſt, terribilis, ac validiſſimus ad effugandum dæmonem, legiturque paſſim in antiquis Sacramentorum Libris, ac Ritualibus. Ex ms. Codice S. Remigii Remenſis annorum circiter mille apud Marteue Lib. I. Cap. I. Articulo XVIII. Ordine VIII. *Sabbatorum die mane* reddebant Catechumeni Symbolum, impoſitaque manu ſuper capita ſingulorum, prouunciabat prædictum Exorciſmum, *Nec te latet Satanas &c.* Rurſus ex ms. Codice Parthenonis B. Mariæ Calenſis in Diœceſi Pariſienſi annorum circiter CM. in Rubrica, quæ inſcribitur, *In Sabbato Sancto, Oratia ad Catechizandum infantem*, cautum eſt quidem, *ut primum faciat Sacerdos Crucem in frontibus ſingulorum, & impaſita manu ſuper capita eorum dicat:* Nec te latet Sataua, imminere tibi pœnas &c.

II. Cæterum, *ſi plures fuerint*, ex præſcripto noſtri §. XXXIX. *ſimiliter imponit manum ſuper capita ſingulorum, & dicit eundem Exarciſmum in numero multitudinis, & genere ſuo.* Quæ poſtrema verba, *in numero multitudinis, & genere ſuo*, omiſit quidem Barruſaldus in ſuis ad Rituale Romanum Commentariis Tit. XIII. §. XXV. ſuoque arbitrio ait mox num. 59. vetare Rubricam, *ne fiat Exorciſmus in generali ſuper omnes Catechumenos, ſed ſingillatim*; & ratiouem aſſignat, *quia in ſingulis Catechumenis peccatum aliquod particulare ineſſe poteſt, & facile eſt, quad unus majorem, alter minorem diſpoſitionem habeat ad Fidem ſuſcipiendum; propterea ad hoc ut omnes, & ſinguli gaudeant beneficio hoc expulſionis, dicitur Exarciſmus in particulari.* Sed corruit prorſus hujuſmodi ratio, eum memoratus noſter §. expreſſe edicat, ut *ſimiliter ſi plures fuerint*, imponat quidem manum ſuper capita ſingulorum, & dicat eundem Exorciſmum *in numero multitudinis*, ideſt plurali, *& genere ſuo*, ideſt maſculino, ſi baptizandi ſunt maſculi, feminino autem, ſi feminæ.

§. XL.

Poſtea Sacerdos pollice accipit de ſaliva oris ſui, & tangit aures, & nares Electi; tangendo vero dexteram, & ſiniſtram, dicat: *Ephpheta, quod eſt adaperire*; deinde tangendo nares, dicat: *Inodorem ſuavitatis*; & dicit: *Tu autem effugare diabole, appropinquabit enim judicium Dei.*

NOTA.

Quum hæc Rubrica de coutactu ſalivæ Sacerdotis in aures, & nares Catechumeni baptizandi ſub præſeriptis verbis, eadem ſit, quæ habetur in Baptiſmo iufantium, jam a nobis ſuo loco explicata, ibidem curioſus lector inveniet, quæ & ad huuc §. ſpectant.

§. XLI.

Deinde interrogat Electum: *Quis vocaris?* Et ipſe reſpondet: *N.* Interroget: *Abrenuntias Satanæ?* ℟. *Abrenuntio.* Interroget: *Et omnibus operibus ejus?* ℟. *Abrenuntio.* Interroget: *Et omnibus pompis ejus?* ℟. *Abrenuntio.*

COMMENTARIUS.

I. DUo potiſſimum notanda in hunc §. ſunt, quæ in Baptiſmo infautium deſiderantur. Primum eſt nova ad Catechumeuum adultum de ejus nomine interrogatio. Alterum, nova itidem interrogatio de abrenuntiatiouibus ab eo faciendis Satanæ, omnibuſque jus operibus, ac pompis. In ipſorum ſiquidem infantium Baptiſmo juxta ordinem a Rituali Romauo præſcriptum, nulla de uomine interrogatio legitur, de abrenuntiationibus autem ſemel interrogantur. Verum ex pervetuſtis Sacramentorum Libris, ac variarum Eccleſiarum Ritualibus conſtat, fieri conſueviſſe ad Catechumenum interrogationem de ejus nomine, ac deinde de ipſis abrenuntiationibus, uti videre eſt in antiquo Sacramentario Gallicauo, quod ex ms. Codice Bobienſi vulgavit Mabillouius Tomo I. Muſei Italici. Sic euim legitur iu Ordine Baptiſmi: *Interrogat nomen ejus, dicens*: Quis dicitur? ill. Abrenuntias Satanæ, pompis ejus, luxuriis ſuis, ſæculo huic? ℟. Abrenuntiat. *Hoc ter dices.* Idipſum liquet ex antiquiſſimo Sacramentorum Libro Gelaſii Papæ edito a Cardinale Thomaſio, ex ms. Codice annorum mille, atque ex aliis Ritualibus paſſim a Martene deſcriptis Lib. I. Cap. I. Articulo XVIII. Ordine IV. & pluribus ſequentibus. Puto equidem, novam interrogationem, quæ ex noſtri §. præſcripto ad Catechumenum adultum fit de ejus nomine, & abrenuntiationibus, eo tendere, ut magis magiſque certus fiat Sacerdos de ejus propoſito, conſtantiaque Chriſtianæ Religionis amplectendæ

dæ per ſacrum regenerationis lavacrum. Quod autem abrenuntiationum formulam ſpectat, jam nos in ipſam plura tradidimus, ubi egimus de infantium Baptiſmo, ſupervacaneumque exiſtimo hoc loco illa repetere, quæ jam alias late explicata fuerunt.

§. XLII.

Tunc Sacerdos intingit pollicem dextræ manus in Oleo Sancto Catechumenorum, & inungit Electum, primum in pectore, deinde inter ſcapulas in modum Crucis, dicens: *Ego te linio Oleo ſalutis* ✠ *in Chriſto Jeſu Domino noſtro in vitam æternam.* ℟. *Amen.* ℣. *Pax tibi.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

§. XLIII.

Mox bombacio, vel re ſimili, tergit pollicem, & loca inuncta, & ſubjungit, dicens: *Exi immunde ſpiritus, & da locum Deo vivo, & vero. Fuge immunde ſpiritus, & da locum Jeſu Chriſto Filio ejus. Recede immunde ſpiritus, & da locum Spiritui Sancto Paraclito.*

COMMENTARIUS.

I. De ritu inungendi Catechumenum Oleo Sancto, quod Catechumenorum vocatur, in ejus primum pectore, ac deinde inter ſcapulas in modum Crucis ſub præſcripta formula, *Ego te linio &c.* jam ſatis diximus, ubi parvulorum Baptiſmi ritus explicuimus. Unum eſt, quod in hoc noſtro §. XLII. additum video, nempe ℣. *Pax tibi*, quod quidem puto recentioris eſſe inſtituti, quum ipſum verſiculum in nullo ms. antiquo Rituali invenerim. Quicquid autem de ejus verſiculi additamento ſit, quod edicitur in noſtro §. XLIII. ut nempe poſt inuncta prædicta loca, dicat Sacerdos, *Exi immunde ſpiritus &c.* deſideratur etiam in parvulorum Baptiſmo. Sed non mirum videri debet, ſi in adulti Baptiſmo variis erroribus implicati, ac diu a dæmone poſſeſſi, Exorciſmi, Orationes, ritusque complures, quam in Baptiſmo infantis ſolo originali peccato obſtricti, adhibeantur.

§. XLIV.

Quando plures ſunt Electi, idem fit circa ſingulos eorum; & ducitur Electus ad Baptiſterium, ubi, ſi ob aliquam cauſam non habeatur, ſive præparata non fuerit aqua Baptiſmalis, fiat benedictio Fontis, ut infra ponitur; & cum fuerit prope Fontem, Sacerdos interrogat: *Quis vocaris?* Reſpondet: *N.*

§. XLV.

Interrogat: *N. Credis in Deum Patrem Omnipotentem Creatorem Cæli, & terræ?* ℟. *Credo.* Interrogat: *Credis in Jeſum Chriſtum, Filium ejus unicum, Dominum noſtrum, natum, & paſſum?* ℟. *Credo.* Interrogat: *Credis & in Spiritum Sanctum, Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem, remiſſionem peccatorum, & vitam æternam?* ℟. *Credo.*

COMMENTARIUS.

I. Recte admonet noſter §. XLIV. ut ubi plures ſunt baptizandi, Sacerdos non modo ſingulos in pectore, & inter ſcapulas inungat, verum etiam ut & ſingulis dicat ea verba, *Exi immunde ſpiritus &c.* in §. XLIII. notata. Quo ritu peracto, ex præſcripto prædicti §. XLIV. *Ducitur Electus ad Baptiſterium, ubi, ſi ob aliquam cauſam non habeatur, ſive præparata non fuerit aqua baptiſmalis*, fieri debet benedictio Fontis, ut infra ponitur, nempe Capite VII. hujus Tituli. Porro cum fuerit prope Fontem adultus, iterum Sacerdos eum interrogat: *Quis vocaris?* trinamque illam interrogationem ſubjungit: N. *credis in Deum Patrem Omnipotentem &c.* ut ſupra in §. XLI. Atque hæc quoque trina de Fide interrogatio, eſt repetitio ejuſdem interrogationis jam factæ initio Catechiſmi, uti ſuperius videre eſt in §. VII. Quod quidem ideo iterum factum puto, ut conſtantia Electi iterum exploretur, an in ſua vocatione perſiſtat. Ceterum de hujuſmodi interrogatione videri poſſunt quæ ſcripſimus in noſtris ad parvulorum Baptiſmum Commentariis, Capite II. Unum illud hoc loco addiderim, quod præſcribit Cæremoniale Ambroſianum, & Sanctus Carolus de Baptiſmo adultorum, debere nempe genuflexum, qui baptizandus eſt, Fidem profiteri. Atque hic eſt ritus, qui hodieque, etiam cum extra Baptiſmum Fidem profitemur, pie, & religioſe ſervatur; genuflexi enim Epiſcopi, Parochi, Confeſſarii, aliique complures, quorum meminit Romanum Concilium Benedicti XIII. anno MDCCXXV. habitum, Fidei formulam a Pio Papa IV. editam profiteri ſolent.

§. XLVI.

§. XLVI.

Iterum iterrogat, dicens: *N. Quid petis?* Reſpondet: *Baptiſmum*. Interrogat: *Vis baptizari?* ℟. *Volo*.

COMMENTARIUS.

I. FActa eſt quoque de induſtria & hæc interrogatio a Sacerdote ad Catechumenum adultum, quid nempe petat, & an velit baptizari? Nam licet conſtet Sacerdoti petitio Electi, ut baptizetur, quippe qui initio Catechiſmi interrogatus, quid peteret ab Eccleſia Dei, protinus reſponderit, *Fidem*; recte admodum nihilominus hic iternm interrogatur, ut vere per reiteratos actus conſtet libera, ac prompta ejns voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum; atqne ut Catechumenus per repetitionem ſni conſenſus, meritum, & gratiam majorem adipiſcatur ex ingeminatis deſiderii ſui actibua. Exploratnr autem illiua voluntas, quia, ut ait Tridentini Concilii Catechiſmus, *De Baptiſmi Sacramento*, Parte II. num. LX. *quemadmodam bomo ſna voluntate ſerpenti obediens merito damnatut eſt; ita Dominus neminem in ſuorum numerum, niſi voluntarium militem adſcribi voluit, ut divinis juſſis ſponte obtemperans, æternam ſalutem conſequeretar*. Nititnr plane exemplo Chriſti hic ritus, qui paralyticum ad Probaticam Piſcinam ſanaturus, Joannis Cap. V. illnm prius interrogavit: *Vis ſanus fieri?* Et ſane quod de eleemoſyna dixit Apoſtolns in Epiſtola 1. ad Corinthios Cap. IX. faciendam eſſe *non ex triſtitia, aat ex neceſſitate; bilarem enim datorem diligit Deus*; id multo potiori ratione, affirmandum eſt de ſuſceptione ipſius Sacramenti, qua homo ſe Chriſto Domino reddit, ac in perpetuum donat, devovet, & totum ſe mancipat.

II. Siquis autem hic roget, qnid dicendum de eo, qui minia, terroribus, plagis compulſus Baptiſmum poſtulet, quamvis ſecundnm quid nolens dicatur. Reſponderi poteſt, eum non ideo abſolute eſſe invitum, ſed abſolutam habere volnntatem, tametſi minis, & terroribus excitatam. Atque huc facit quod in Capite, *Majoret*, *De Baptiſmo, & ejas effectu*, docet, deciditque Innocentius Papa III. ubi ſic inquit: *Id eſt Religioni contrarium, ut ſemper invitus, & penitus contradicens ad recipieadam, & ſervandam Chriſtianitntem aliquis compellatur. Propter quod inter invitum & invitum, coactum & coactum alii non abſurde diſtingnunt. Qnod it, qui terroribus, atque ſuppliciis violenter attrabitur, & ne detrimentum incurrat, Baptiſmi ſuſcipit Sacramentam, talis, ſicut & is, qui ficte ad Baptiſmum accedit, Cbaracterem ſuſcipit Cbriſtianitatis impreſſum, & ipſe tanqnam conditionaliter volens, licet abſolnte non velit, cogendus eſt ad obſervantiam Fidei Cbriſtianæ*. Explicat mox Canonem LVI. Concilii Toletani XI. & deinde adjungit: *Ille vero, qui nunquam conſentit, ſed penitus contradicit, nec rem, nec Cbaracterem ſuſcipit Sacramenti; quia plus eſt expreſſe contradicere, quam minime conſentire*. Qui invitus itaque, ideſt, penitus cuntradicens baptiaatnr, non recipit Sacramenti Characterem; qni coactus vero baptiaatnr, tanquam conditionaliter volens, Characterem Baptiſmi lnſcipit. Et ratio diſtinctionia eſt, qnod nemo invitus compellitur ad Fidem, Can. *De Judæis*, Diſtiuctione XLV. coactum vero baptiaari nihil vetat; qnia coacta voluntas, volnntas eſt, Lege, *Si mnlier*, §. *Si metu*, ff. *Quod metus Cauſa &c.* Lege, *Si patre cogente*, ff. *De ritu nuptiarum*, Capite, *Cum inter R. De electione*. Altaſerra in dictum Capnt, *Majores*, *De Baptiſmo*, in fine. Sed plane prorſus cavendum eſt ab hujuſmodi coactione, quum & Patrea, & Canonea, ac Rituales Codices illud potiſſimnm mandent, ut non niſi volentes, & ſervide Baptiſmnm puſtulantes ſacro lavacro abluantur. Quamquam denique plura, quæ ad præſentem hunc noſtrum §. ſpectant, jam alibi notarim, prætermitti illnd nnn debet, quod S. Carolua, & Cæremoniale Ambroſianum de adultorum Baptiſmo ſtatuerunt, debere ſcilicet genuflexum, qui baptizandus eſt, non modo Fidem profiteri, verum etiam Baptiſmum petere.

§. XLVII.

Tunc Patrino, vel Matrina, vel utroque, ſi ambo admittantur, admota manu, tenente, ſeu tangente Electum, vel Electam, aperto capite, & laxatis a collo veſtibus, inclinatum, Sacerdos vaſculo, ſeu urceolo hauriat aquam baptiſmalem de Fonte, & cum ea ſub trina ſupra caput in modum Crucis infuſione baptizet Electum, ſeu Electam in Nomine SS. Trinitatis, ſic dicens: *Ego te baptizo in Nomine Patris* ✠, fundat primo; *Et Filii* ✠, ſundat ſecundo; *Et Spiritus* ✠ *Sancti*, fundat tertio.

COMMENTARIUS.

I. BReviter me in hoc Commentario expediam, quod ea, quæ ad hunc §. attinent, jam late alibi explicuerim, ubi nempe & de Baptiſmo per effuſionem, & de forma Baptiſmi, ac de Patrinis egimus. Unum eſt, quod quammaxime notandum, atque admonendum cenſui, ubi nempe adultna baptizandus eſt, debere eſſe *aperto capite*, ideſt omnino nudo, abſque nllo prorſus capillamento externo, ſeu cæſarie fictitia, quam vulgo appellant *perucca*. Idem ajo de ſeminis, quas iccirco puto prius admonendas, ut ſi & ipſæ, ut alicnbi mos eſt, comas fictitias geſtent, omnino deponant, ut aqua nempe baptiſmalis non ſnpra alienos, ſed ſupra proprios capillos, & caput defluat, uti ex hoc noſtro §. addiſcimus.

§. XLVIII.

Si aqua, quæ ex capite baptizati defluit, non dilabitur in Sacrarium Baptiſterii, recipiatur in ſubjecta aliqua pelvi, & in illud poſtmodum projiciatur.

§. XLIX.

Cum plures ſunt Electi, ſingillatim ſinguli interrogantur, & baptizantur, ut ſupra.

§. L.

Si ſunt mares, & feminæ, primum mares, deinde feminæ.

§. LI.

Verum ſi probabiliter dubitetur, an Electus fuerit alias baptizatus, dicat Sacerdos: *Si non es baptizatus, Ego te baptizo in Nomine Patris ✠, & Filii ✠, & Spiritus Sancti.*

N O T A.

Nihil in quatuor iſtis Paragraphis occurrit, quod ſuperius ſuis propriis locis non fuerit a nobis late explicatum; ideoque minime oportet luculenter alias dictum hic iterum repetere.

§. LII.

Deinde Sacerdos intingat pollicem dextrum in ſacrum Chriſma, & perungat verticem Electi in modum Crucis, dicens: *Deus Omnipotens, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui te regeneravit ex aqua, & Spiritu Sancto, quique dedit tibi remiſſionem omnium peccatorum, ipſe te liniat Chriſmate ſalutis ✠ in eodem Chriſto Jeſu Domino noſtro in vitam æternam.* ℟. *Amen.* ℣. *Pax tecum.* Reſpondet: *Et cum ſpiritu tuo.*

COMMENTARIUS.

I. TAmetſi de verticali cum Chriſmate inunctione in Baptiſmo, ejuſque formula in hoc §. præſcripta, ubi tractavi de Baptiſmo infantium, jam diſſeruerim, lubet nihilominus de ipſo ritu hic denuo, latiuſque diſſerere. Ergo abſoluto Baptiſmate, Sacerdos ſummum baptizati verticem Chriſmate inungit, & quidem ex pervetuſto Eccleſiæ Latinæ inſtituto, cujus originem S. Silveſtro Papæ I. adſcribit Auctor Libri Pontificalis his verbis: *Et hoc conſtituit, ut baptizatum liniat Presbyter Chriſmate levatum de aqua propter occaſionem tranſitus mortis.* Auctori Libri Pontificalis concinunt Amalarius Lib. I. *De Eccleſiaſticis Officiis*, Cap. XXVII. Walfridus, Libro, *De rebus Eccleſiaſticis*, Cap. XXVI. Rabanus, Lib. I. *De inſtitutione Clericorum*, Cap. VIII. Rupertus Abbas Tuitienſis Lib. V. *De Divinis Officiis*, Capite XVI. & Hugo Victorinus, Lib. II. *De Sacramentis*, Parte VII. Cap. III. Ex quibus, ut inquit Edmundus Martene Libro I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. I. Articulo XIV. num. II. merito infert Menardus in Notis ad Librum Sacramentorum S. Gregorii Papæ pag. 144. antiquos Scriptores Silveſtro ſuperiores, ubi de unctione, ſeu chriſmatione, loquuti ſunt, intelligendos eſſe de Confirmationis Sacramento, & quia Græci verticali in Baptiſmo unctione carent, eorum Patres antiquos, cum de unctione Chriſmatis agunt, de illa, quæ fit in fronte ab Epiſcopo, eſſe interpretandos. Ex ejuſdem porro Silveſtri inſtitutione hæc unctio ad ſolos Presbyteros, non vero ad Diaconos ſpectat, unde in Concilio Toletano I. anni CD. Can. XX. ſtatutum eſt, *Diaconum non chriſmare, ſed Presbyterum abſente Epiſcopo, præſente vero, ſi ab ipſo fuerit præceptum.* Cæterum quod aliquando etiam apud Græcos in uſu fuerit unctio in Baptiſmo præter illam, quæ fit ab Epiſcopo in Confirmatione, addiſcere licet ab antiquiſſimo Apoſtolicarum Conſtitutionum Auctore Lib. III. Cap. XV. ubi habetur, quod, *cum primum illuminantur*, ideſt baptizantur, *mulieres, Diaconus ungit frontem ipſarum, & deinde Diaconiſſa ipſas abſtergit.*

II. Circa hanc unctionem apud nos Latinos illud quoque obſervandum eſt, aliquando non ab ipſo Baptiſmi Miniſtro, ſed ab alio Presbytero peractam fuiſſe, in parvulorum ſaltem Baptiſmo; id enim nos docet creditus Alcuinus in Libro, *De Divinis Officiis*, Cap. XIX. ubi ſic inquit: *Poſtquam Pontifex baptizaverit, vel quibus juſſerit ipſe, levant ipſos infantes in manibus, & offerunt uni de Presbyteris; ipſe vero facit Crucem de Chriſmate cum pollice in vertice eorum, dicens*: Deus Omnipotens &c. ut in præſenti noſtro §. & ratio eſt, quia propter baptizandorum multitudinem, unus & idem, & abluendis & liniendis omnibus ſancto Catechumenorum Oleo ſatisfacere non poſſet, ut cenſet Martene citato loco num. III. Sed puto equidem, conceſſam quidem fuiſſe Presbytero eam

in

in Baptiſmo verticalem unctionem, cum Epiſcopus Baptiſmum adminiſtrabat, ne ſi ab Epiſcopo ea inunctio fieret, Confirmationi adſcriberetur. Sive etiam dici poteſt, id aliquando factum, ut memorato Silveſtri Papæ Decreto pareretur, qui conſtituit, ut *baptizatum liniat Presbyter Chriſmate levatum de aqua*. Ceterum licet huic Conſtituto inhærens Toletanum I. Concilium, recitato Canone XX. Diaconis eam verticalem unctionem in Baptiſmo vetuerit, in Galliis tamen uſum alium obtinuiſſe, idque Diaconis permiſſum fuiſſe, non obſcure innuit Concilium Vaſenſe anno CDXLII. celebratum, Can. III. ubi ſtatuit, ut *per ſingula Territoria Presbyteri, vel Miniſtri*, ideſt Diaconi, *ab Epiſcopis, non, prout libitum fuerit, a vicinioribus, ſed a ſuis propriis per annos ſingulos Chriſma petant, appropinquante ſolemnitate Paſchali*; quia inquit: *Optimum eſt, ut ipſe ſuſcipiat, qui in tradendo uſurus eſt.* Miniſtri ergo, ſeu Diaconi Chriſma baptizatis tradebant, quod ab Epiſcopis petere, & ſuſcipere ſoliti erant. Unde & in Concilio I. Arauſicano in Gallia celebrato anno CDXLI. Can. II. ſtatutum fuit, *nullum Miniſtrorum, qui baptizandi recepit officium, ſine Chriſmate uſquam debere progredi*.

III. Miſticæ ritus rationes, ungendi ſcilicet Chriſmate verticem baptizati, jam variæ a Patribus offeruntur. S. Ambroſius Lib. III. *De Sacramentis*, Cap. I. ex quo deſumptus eſt Canon, *Accepiſti*, De conſecratione, Diſtinctione IV. Chriſmate caput liniri ait, *quia oculi ſapientis in capite ejus*; eoque ſignificari, quod *friget ſapientia ſine gratia, ſed ubi ſapientia acceperit gratiam, tunc opus ejus incipit eſſe perfectum*. Eandem rationem affert Innocentius Papa III. in Capite, *Cum veniſſet, De ſacra unctione*; additque unctionem fieri in capite baptizati, *ut ſit paratus omni petenti de Fide reddere rationem*. Alia hujus ritus ſignificatio eſt, ut intelligat baptizatus, ſe ab eo die Chriſto Capiti tanquam membrum conjunctum eſſe, atque ejus Corpori inſitum, ut ea re *Regni Chriſti particeps fiat, & a Chriſto Chriſtianus poſſit vocari*; ut ait Rabanus citato Lib. I. Cap. XXVIII. ex quo Canon, *Poſtquam*, De conſecratione, Diſtinctione IV. ſumptus eſt. Chriſtus enim a Chriſmate appellatur, quem ſcilicet, ut dicitur in Pſalmo XLIV. *Unxit Deus oleo lætitiæ præ conſortibus ejus*; ſive ipſo *Spiritu Sancto, & omni plenitudine Divinitatis, quæ in illo inhabitat corporaliter*, ut ait Apoſtolus in Epiſtola ad Coloſſenſes, Cap. II. ideſt, ſubſtantialiter, ut explicant Sacri Interpretes. S. Iſidorus Hiſpalenſis Lib. II. *De Eccleſiaſticis Officiis*, Cap. XXVI. & Ivo Carnotenſis in Sermone I. *De Sacramentis Neophytorum*, ajunt, baptizatum, cum de ſacro Fonte aſcenderit, Chriſmate ungi in vertice, *ut cognoſcat ſe promotum in Regium genus, & Sacerdotale*, juxta illud S. Petri in Epiſtola I. Cap. II. *Vos autem genus electum, Regale Sacerdotium, Gens ſancta*. Atque his fere omnibus concinit, quod de eodem ritu ſcribit Magnus Senonenſis Archiepiſcopus in Libello, *De Myſterio Baptiſmatis*, juſſu Caroli Magni edito, ubi ſic inquit: *Demum ſacro Chriſmate caput perungitur, quod unctio Latine dicitur, ut Regno, & Sacerdotio Eccleſiæ delibuti, & Chriſti nominis accipiant gratiam, & ejus membra, qui eos redemit, & eorum caput eſt, effici valeant*. Idem legere eſt in Catechiſmo Tridentini Concilii, Parte II. *De Baptiſmi Sacramento*, num. LX.

IV. Omiſſis aliis ejus ritus ſignificationibus ab antiquis Patribus traditis, formula quoque in §. noſtro præſcripta, *Deus Omnipotens &c.* dicenda, dum ipſe ritus peragitur, pervetuſta eſt quidem, occurritque in omnibus Sacramentorum Libris, ac Ritualibus a Martene allatis Lib. I. Cap. I. Articulo XVIII. in quibus tamen verba illa in fine recitanda, *Pax tecum*, deſiderantur, quod indicium eſt, recentioris eſſe inſtituti. Ut ut autem ſe ea res habeat, adnotanda, atque explicanda plane cenſeo illa prædictæ formulæ verba, quibus dicitur dari a Deo per regenerationem ex aqua & Spiritu Sancto, ideſt per Baptiſmum, baptizato *remiſſionem omnium peccatorum*. Atque hic quidem primus eſt effectus Baptiſmi, ad quem probandum nihil ſolidius dici, ac luculentius poteſt, quam quod docet idem Concilii Tridentini Catechiſmus Parte II. *De Baptiſmi Sacramento*, num. XLII. his verbis: *Ut Fideles magis perſpiciant, ſe in altiſſimo dignitatis gradu poſitos eſſe, nec ſe ab eo dejici ullis adverſarii inſidiis, vel impetu ullo unquam tempore patiantur, hoc primum tradere oportet, peccatum, ſive a primis parentibus origine contractum, ſive a nobis ipſis commiſſum, quamvis etiam adeo neceſſarium ſit, ut ne cogitari quidem poſſe videatur, admirabili hujus Sacramenti virtute remitti, & condonari. Id vero multo ante ab Ezechiele* (Capite XXXVI.) *prænuntiatum eſt, per quem Deus ita loquitur.* Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris. *Et Apoſtolus ad Corinthios* (Epiſtola I. Cap. IV.) *poſt longam peccatorum enumerationem ſubjecit*: Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis. *Atque hanc doctrinam perpetuo a Sancta Eccleſia traditam eſſe, perſpicuum eſt. Sanctus enim Auguſtinus in Libro, quem de Baptiſmo parvulorum conſcripſit, ita teſtatur*: Generante carne, tantum contrahitur peccatum originale; regenerante autem ſpiritu, non ſolum originalium, ſed etiam voluntariorum peccatorum fit remiſſio; *& Sanctus Hieronymus ad Oceanum*, Omnia, *inquit*, in Baptiſmo condonata ſunt crimina.

V. Docet hæc quidem Tridentini Concilii Catechiſmus, quibus duo alia memoratorum Patrum Auguſtini, ac Hieronymi teſtimonia addi poſſunt, quorum primus Lib. III. *De Symbolo ad Catechumenos*, Cap. X. ſic loquitur: *Omnia prorſus delicta delet ſanctum Baptiſma, originalia, & propria, dicta, facta, cogitata, cognita, incognita, omnia dimittuntur.* Alter vero in citata ad Oceanum Epiſtola ita inter alia ſcribit: *Omnia ſcorta, & publicæ colluvionis ſordes, impietas in Deum, parricidium, & inceſtus in parentes, atque in extraordinarias voluptates utriuſque ſexus mutata natura, Chriſti Fonte purgantur*. Atque his lubet etiam adjungere celebrem S. Gregorii Papæ Magni locum, qui Libro IX. Epiſtola XXXIX. eandem Baptiſmatis vim, & efficaciam ex profeſſo docet, atque confirmat, ſic inter alia inquiens: *Qui dicit peccata in Baptiſmate non funditus dimitti, dicat in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos*. Quid quod ita apud primos Chriſtianos trita erat, & publica veritas hujus doctrinæ, ut ad gentilium etiam no-

notitiam perveniſſet? Ex illa nimirum adverſus Chriſtianam Religionem argumentum ducebant, ubi contendebant, uti videre eſt apud Baronium, & alios Scriptores, Fidei noſtræ principiis immania ſcelera foveri, quod, ut ajebant, balneum ſibi proprium jactaret, quo omnia omnino flagitia abſtergerentur.

VI. Ex hactenus dictis confotatus penitus jacet error Lutheri, jam alias a Leone Papa X. peculiari Conſtitutione una cum multis aliis damnatus, quod diceret: *Aliud eſt, omnia peccata remitti, aliud omnia tolli, Baptiſmo omnia remitti, ſed nullum penitus tolli*. Luthero ſubſcripſit Calvinus, ubi in Antidoto Concilii Tridentini ita loquit: *Manet vero peccatum in nobis, neque per Baptiſmum ſtatim uno die extinguitur; ſed quia deletur reatus, imputatione nullum eſt*. Sed ecce hic opportune, quod adverſus hoſce hæreticos docet citato loco Catechiſmus Tridentini Concilii: *Ac ne dubitare amplius ea de re cuiquam liceret, poſt aliorum Conciliorum definitionem Sacra etiam Tridentina Synodus idem declaravit* (Seſſione v. Cap. v.) *cum anathema in eos decrevit, qui aliter ſentire auderent, quive aſſeverare non dubitarent, quamvis peccata in Baptiſmo remittantur, ea tamen prorſus non tolli, aut radicitus evelli, ſed quodammodo abradi, ita ut peccatorum radices animo infixæ adhuc remaneant. Namque, ut ejuſdem Sanctæ Synodi verbis utamur*, in citata Seſſione v. in Decreto, *De peccato Originali*, Can. v. citato: *In renatis nihil odit Deus, quia nihil damnationis eſt his, qui vere conſepulti ſunt cum Chriſto per Baptiſma in mortem; qui non ſecundum carnem ambulant, ſed veterem hominem exuentes, & novum, qui ſecundum Deum creatus eſt, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti ſunt*.

§. LIII.

Tunc bombacio, vel re ſimili, pollicem tergit, & imponit capiti Electi Chriſmale, ſeu candidum linteolum, & dat illi veſtem candidam, dicens: *Accipe veſtem candidam, & immaculatam, quam perferas ante Tribunal Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut habeas vitam æternam*. ℟. *Amen*.

§. LIV.

Et Electus deponit priores veſtes, & induitur novis albi coloris, vel ſaltem exteriore candida, quam a Sacerdote accepit.

COMMENTARIUS.

I. PEracta verticali unctione, ex pervetuſto ritu, quem fuſe explicuimus ſupra Cap. II. in Commentariis ad Ordinem Baptiſmi parvulorum, poſtquam Sacerdos bombacio, vel re ſimili, pollicem Chriſmate inunctum terſit, ut ait hic noſter §. LIII. *imponit capiti electi Chriſmale, ſeu candidum linteolum, & dat illi veſtem candidam, dicens &c.* Variat hic nonnihil ritus ab eo, qui in ipſo parvulorum Baptiſmi Ordine præſcriptus legitur §. XXIV. his verbis: *Imponit capiti ejus linteolum candidum loco veſtis albæ*. At vero in citato noſtro §. duplicis veſtis mentio fit imponendæ, ac tradendæ baptizato adulto, Chriſmalis ſcilicet, ac veſtis candidæ. Dicitur Chriſmale linteum, quod capiti baptizatorum ſtatim poſt ejus inunctionem imponebatur, diſtinctum a veſte alba, quod ita deſcribit Anonymus Toronenſis in ms. Speculo apud Martene Lib. I. Cap. I. Articulo XV. num. VI. his verbis: *Induitur deinde Chriſmali Neophytus, ſcilicet alba veſte, quæ inſtar Cappæ lineæ caputium habet, quo caput quaſi quadam Mitra operitur, & filo rubeo ſuperſuitur*. Occurrit ea vox in variis antiquis Ritualibus, ac præſertim in Ordine Romano VII. apud Mabillonium Tomo II. Muſei Italici, ex cujus præſcripto baptizatis Pontifex dabat *ſingulis Stolam, Caſulam, & Chriſmale, & decem ſiclos*.

II. Præter Chriſmale, dat etiam ex noſtri §. præſcripto Sacerdos baptizato adulto veſtem candidam dicens, *Accipe veſtem candidam &c.* quæ quidem verborum formula in antiquis paſſim, recentibuſque Sacramentorum Libris, ac Ritualibus reperitur, ejuſque ritus mentionem quoque faciunt Patres, ac rerum ritualium Scriptores, inter quos S. Ambroſius in Libro, *De initiandis*, Cap. VII. ſic ait: *Accepiſti candida veſtimenta, ut eſſet indicium, quod exueris involucrum peccatorum, & indueris innocentiæ caſta velamina*. Varias alias myſticas ejuſdem antiqui ritus ſignificationes legere eſt apud Sanctum Auguſtinum in Sermone CCXXIII. alias de diverſis LXXXI. Rabanum Maurum Libro I. *De inſtitutione Clericorum*, Cap. XXIX. ex quo deſumptus eſt Canon, *Poſt Baptiſmum*, De conſecratione, Diſtinctione IV. Ivonem Carnotenſem Sermone IV. *De Sacramentis dedicationis*, & Sermone I. *De Sacramentis Neophytorum*, Rupertum Abbatem Tuitienſem, Durandum, alioſque complures.

III. Candida accepta veſte, adultus baptizatus, ut ait noſter §. LIII. *deponit priores veſtes, & induitur novis albi coloris, vel ſaltem exteriore candida, quam a Sacerdote accepit*; eſtque hic antiquus ritus, cujus & S. Carolus in Inſtructionibus, *De Baptiſmi adminiſtratione*, & Cæremoniale Cæſaris Montii Cardinalis, & Archiepiſcopi Mediolanenſis, de adultorum Baptiſmo agentes meminere. Antiquæ ſiquidem diſciplinæ inhærentes, inter alia ſtatuerunt, ut baptizandus adultus *ad Eccleſiam ducatur communi veſtitu, albam veſtem mox poſt Baptiſmum rite accepturus*. Cæterum quod tum alibi, tum Romæ ritus iſte negligeretur, Catechumenique baptizandi alba induti veſte ad Eccleſiam accederent, abuſui huic occurrit veterum Chriſtianæ Religionis rituum peritiſſimus, ac tenaciſſimus ſanctæ memoriæ Benedictus Papa XIII. in Con-

Concilio Romano, quod celebratum vidimus in Baſilica Lateranenſi anno Jubilei MDCCXXV. hoc edito Decreto Tit. XXVI. Cap. II. *Non eſt in ſolemni adultorum Baptiſmate ſine redargutione prætereunda illa ſacri ritus inverſio, dum Catechumeni ad Divinum permittantur accedere lavacrum candida induti Neophytorum veſte, quam tantummodo poſt Baptiſmum tradimus baptizatis in glorioſæ ſignum reſurrectionis, ad quam homines e Sacro Fonte regenerantur, novæque vitæ innocentiam ſignificandam, quam poſt veteres ablutas maculas ſervare debent, immaculatam ante Chriſti Tribunal perferendam.* Tum vero ſic ſtatim ſubjicit: *Hæc itaque, & ſimilia a Sacrarum Cæremoniarum Magiſtris animadvertantur; caveantque Parochi, ne ſuarum inſtructionum defectu, quod Fidelibus ab Eccleſia myſtice traditum eſt ad ſalutem, pompæ ſerviat, & vanitati.* Sed mortuo Benedicto, non modo hoc Decretum, ſed alia non pauca ab eo ſapientiſſime conſtituta una cum ipſo Sanctiſſimo Pontifice interiere.

IV. Præterir. hic tandem non debet alius ritus, quo olim qui Sabbato Sancto baptizati erant, per totam hebdomadam albis veſtibus utebantur, & in Octavis Paſchæ ſanctis Sacrificiis Angelico illo habitu induti aderant, ut docet Alcuinus in Epiſtola ad Carolum Magnum, ubi ait Neophytos ſui ævi per ſeptem dies *in Angelico caſtitatis habitu, & luminibus cæleſtis claritatis Sanctis aſſiſtere Sacrificiis conſueviſſe.* Quæ totidem verbis apud Rabanum Lib. II. *De inſtitutione Clericorum*, Cap. XXXIX. reperiuntur; idemque etiam docet Amalarius Lib. I. *De Eccleſiaſticis Officiis*, Cap. XXIX. Cæterum quod albæ Neophytorum veſtes in Octava Paſchæ deponerentur, hinc Dominica ipſa *in Albis* dicta antiquitus fuerit, ut teſtis eſt S. Auguſtinus Sermone I. in Octavis Paſchæ, qui eſt CLVII. de tempore, ubi ita inquit: *Paſchalis ſolemnitas hodierna feſtivitate concluditur, & ideo hodie Neophytorum habitus commutatur; ita tamen ut candor, qui de habitu deponitur, ſemper in corde teneatur.* Vide omnino ſequentem Commentarium, in quo plura ſcitu digna invenies, quæ ad veſtem baptizatorum candidam ſpectant.

§. LV.

Poſtea dat ei Sacerdos cereum, ſeu candelam accenſam in manu dextra, dicens: *Accipe lampadem ardentem, & irreprehenſibilis cuſtodi Baptiſmum tuum. Serva Dei mandata, ut cum Dominus venerit ad nuptias, poſſis occurrere ei in Aula cæleſti, in vitam æternam.* ℟. *Amen.* Ipſe vero Neophytus eundem cereum accenſum manibus teneat uſque in finem, præterquam dum confirmatur.

COMMENTARIUS.

I. Cerei, ſeu candelæ accenſæ traditio baptizato antiquiſſimus eſt Eccleſiæ ritus in parvulorum Baptiſmo jam a nobis late enarratus, probatuſque veterum Patrum teſtimoniis, ac præſertim S. Ambroſii, qui in Libro, *De lapſu Virginis*, Cap. V. ſic eam adoritur: *Non es memorata diei Sanctæ Dominicæ Reſurrectionis, in quo Divino Altari te obtuliſti velandam. In tanto tamque ſolemni Conventu Eccleſiæ Dei, inter lumina Neophytorum ſplendida, inter candidatos quaſi Regi nuptura proceſſeras.* Extat & hic ritus in variis Sacramentorum Libris, præſertim vero in Gemmeticenſi tempore Theodorici Abbatis, qui obiit anno MXXXII. deſcripto, in quo etiam habes verborum formulam, qua cereus ipſe accenſus baptizato porrigebatur: *Poſtea*, inquit, *ponit Sacerdos candelam in manu ſua, ita dicendo: Accipe candelam irreprehenſibilem, cuſtodi Baptiſmum tuum, ut cum Dominus venerit ad nuptias, poſſis occurrere ei in Aula cæleſti in vitam æternam in ſæcula ſæculorum. Amen.* Variat nonnihil a formula in noſtro §. præſcripta, a qua etiam nonnihil variat illa, quæ legitur in ms. Pontificali inſignis Eccleſiæ Apamienſis in Syria annorum circiter DC. eſtque hujuſmodi: *Accipe lampadem irreprehenſibilem, cuſtodi Baptiſmum tuum, ut cum Dominus venerit ad nuptias, poſſis occurrere ei in Aula cæleſti.* Atque hæc eadem formula legitur etiam in Ordine antiquo Romano X. apud Mabillonium Tomo II. Muſei Italici pag. 106. cum reſponſione tamen, *Amen*, in fine. Porro variat & formula ipſa in hoc noſtro §. deſcripta pro Baptiſmo adultorum ab illa ſuperius poſita pro parvulorum Baptiſmo, quæ ita habet: *Accipe lampadam ardentem, & irreprehenſibilis cuſtodi Baptiſmum tuum. Serva Dei mandata, ut cum Dominus venerit ad nuptias, poſſis occurrere ei una cum omnibus Sanctis in Aula cæleſti, habeaſque vitam æternam, & vivas in ſæcula ſæculorum.* ℟. *Amen.* Itaque verba illa, *una cum omnibus Sanctis*, ſicut & iſta, *vivas in ſæcula ſæculorum*, deſunt in formula in præſenti §. præſcripta pro Baptiſmo adultorum. Quicquid ſit de ea varietate, alludit formula ad illud quod dicitur in Evangelio Matthæi Cap. XXV. de decem Virginibus, *quæ accipientes lampades ſuas exierunt obviam ſponſo, & ſponſæ.* Atque huc facit, quod ait inter alia S. Gregorius Nazianzenus in ſua celebri de Baptiſmo Oratione his verbis: *Lampades, quas accendis, venturæ eſt illuminationis myſterium, cum qua obviabis ſponſo.*

II. Ex recitato Nazianzeni loco jam illud addiſcimus, etiam apud Græcos in uſu olim fuiſſe hunc ritum tradendi ſcilicet baptizato cereum accenſum; in cujus confirmationem lubet inſignem locum deſcribere ex Epiſtola Marci Gazenſis ad Arcadium Imperatorem de Baptiſmo Theodoſii junioris apud Baronium ad annum CDI. *Baptizato*, inquit, *juniori Theodoſio, & ab Eccleſia egreſſo in Palatium, licebat rurſus intueri decorem eorum, qui præerant multitudini, & veſtem eorum refulgentem, erant enim omnes candidati, ut exiſtimaretur multitudo eſſe nive repleta. Præcedebant autem Patricii illuſtres, & omnis dignitas cum Ordinibus militaribus, omnes portantes cereos, ut putarentur aſtra cerni*

in

in terra. Ex quo loco illud quoque colligi poteſt, quod alias notavit Martene Lib. I. Cap. I. Articulo XV. num. IX. in Regum, & Principum Baptiſmate, non ſolum ipſos veſtem albam, & cereum accenſum accepiſſe, ſed omnes inſuper aulicos, & eorum milites, qui cereum etiam accenſum manu tenentes ſolemni veluti cum proceſſione baptizatum Principem ab Eccleſia ad Palatium deducebant. Viguiſſe autem potiſſimum hunc ritum apud Latinos, ut nempe baptizatis accenſus cereus traderetur, probat plane inſignis locus Gregorii Turonenſis Lib. V. Hiſtoriæ Francorum, Cap. XI. ubi agit de multitudine Judæorum, quos Avitus Epiſcopus ſalutari lavacro abluerat: *Gaviſus*, inquit, *eſt autem Pontifex nuntio, nocte ſancta Pentecoſtes, Vigiliis celebratis, ad Baptiſterium foraſmuraneum egreſſus eſt, ibique omnis multitudo coram eo proſtrata Baptiſmum flagitavit. At ille præ gaudio lacrymans, cunctos aqua abluens, Chriſmate liniens, in ſinu Matris Eccleſiæ congregavit. Flagrabant cerei, lampades refulgebant, albicabat tota Civitas, grege candido*. Alludit poſtremis verbis ad ritum ſuperius deſcriptum veſtis nempe candidæ, qua baptizati donabantur. Atque ad utrumque etiam ritum alluſit Fortunatus Libro IV. in Carmine de eiſdem Judeis ſic inquiens:

Undique rapta manu lux cerea provocat aſtra,
Credas ut Stellas ire trahendo comas.
Lacteus hinc veſtis color eſt, hinc lãpade fulgor,
Ducitur, & vario lumine picta dies.

III. De cereis Neophytorum illud præterea eſt obſervatu dignum, quod jam inter alios notavit laudatus Martene citato loco, num. X. quod nempe eis extincti porrigebantur, ſub finem Litaniæ, quæ poſt Baptiſmum decantabatur, tantum accendendi. Cujus quidem ritus teſtes inter alios ſunt Amalarius, & eruditus Alcuinus, quorum primus in Libro, *De Ordine Antiphonarii*, Cap. XLIV. hæc habet: *Reſervetur ignis de ſexta Feria, ut illuminetur Cereus, qui ponitur in vice columnæ ignis ad benedicendum, qui ab initio benedictionis illuminatus eſt; & cum benedictus eſt, ab eo illuminetur ſecundus Cereus. Cætera luminaria extincta permaneant uſque ad noviſſimam Litaniam, quæ pertinet ad officium Miſſæ de Reſurrectione Domini. Tunc accendantur luminaria Eccleſiæ, & Neophytorum*. Clarius vulgatus Alcuinus, Capite, *De Sabbato Sancto*, ubi ſic inquit: *Tunc ingreditur Pontifex de Sacrario cum ingenti decore, & prædicta ceroſtata ante illum cum thymiamateriis, & cum dixerit Schola*, Agnus Dei, *dicat Cantor excelſa voce*, Accendite: *Tunc primum illuminantur omnes cerei Neophytorum, quos manibus tenent, demonſtrantes hoc, quod per illum Agnum, qui tollit peccata mundi, unuſquiſque lumen accipere debeat*. Addit poſtea hic idem Auctor: *Noſtri baptizati ducuntur quotidie ad Eccleſiam, columna Cerei illuminata præcedente eos*. Ubi quod ait, *quotidie*, verus Alcuinus in Epiſtola ad Carolum Magnum exponit *per ſeptem dies*, quibus *in Angelico caſtitatis habitu, & luminibus cæleſtis claritatis, Sanctis aſſiſtere Sacrificiis ſolent*. Quæ totidem verbis legere eſt apud Rabanum Maurum Lib. II. *De inſtitutione Clericorum*, Cap. XXXIX. uti jam ſupra in Commentario præcedenti notavimus.

IV. Cerei ardentis traditione facta baptizato jam plura nobis ſignificantur. Nam præter myſticam explicationem a S. Gregorio Nazianzeno ſuperius traditam, quam etiam ex ipſis traditionis formulæ verbis addiſcere licet, illud quoque nobis inſinuatur, quod ait Chriſtus Dominus in Evangelio Matthæi, Cap. V. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in Cælis eſt*; itemque Lucæ Capite XIII. *Sint lumbi veſtri præcincti, ut lucernæ ardentes in manibus veſtris*. Significatur etiam id quod ſcribit Apoſtolus in Epiſtola ad Epheſios, Cap. V. *Eratis*, inquit, *aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate. Fructus enim lucis eſt in omni bonitate, & juſtitia, & veritate; probantes quid ſit beneplacitum, & nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, ſed magis redarguite*. Porro illuminationem, & bonorum operum fœcunditatem, eſſe unum ex Baptiſmi effectibus, ex eodem Apoſtolo probari poteſt, qui in Epiſtola ad Hebræos, Cap. VI. & X. baptizatos, *illuminatos* appellat; itemque ex priſcis Patribus, qui Baptiſmum paſſim vocant *illuminationis Sacramentum*. Ita ſane S. Dionyſius in Libro, *De Eccleſiaſtica Hierarchia*, Cap. II. Clemens Alexandrinus Lib. I. Pædagogi, Cap. VI. Cyrillus Hieroſolymitanus in Catecheſibus Illuminatorum, Gregorius Nazianzenus in Oratione de Baptiſmo, & inter Latinos S. Ambroſius, S. Auguſtinus, & alii.

V. Cum denique in hoc noſtro §. primum vox Neophyti occurrat, mandat enim, ut *ipſe Neophytus eundem cereum accenſum manibus teneat uſque in finem, præterquam dum confirmatur*. Quia ſcilicet cum adulti baptizantur, ex antiquo ritu, de quo diximus in Commentariis ad Titulum I. Partis I. Romani Pontificalis, ſtatim ipſis poſt Baptiſmum Confirmatio confertur; quo caſu cereum accenſum, quem in Baptiſmo adultus accepit, tenere non debet, dum confirmatur. Quod ſi ſtatim poſt Baptiſmum minime confirmetur, tunc quidem *uſque in finem* tenebit accenſum ipſum cereum, quouſque Baptiſmi functio fuerit abſoluta. Ceterum licet apud Scriptores Eccleſiaſticos multum late pateat Neophyti nomen, in præſenti autem noſtro §. de eo dicitur, qui a reprobata Religione converſus, Chriſtianæ militiæ nomen dedit, & ſalutari lavacro recens ablutus eſt; uti etiam conſtat ex Can. *Sicut Neophytus*, Diſtinctione XLVIII. qui deſumtus eſt ex S. Gregorio Papa in Epiſtola ad Syágrium Epiſcopum. Nam alias, qui a multo tempore ad Chriſtianiſmum ſunt converſi, & Baptiſmo donati fuere, proprie Neophyti nuncupandi non ſunt; quamvis per injuriam ita appellitentur ab aliquibus, quos recte gravibus verbis arguunt Turrecremata ad citatum Canonem, *Sicut Neophytus*, ſub num. 2. & Navarrus in Manuali Cap. XXVII. apud Ricciullum, *De Neophytis*, Cap. I. num. I. & 2. Atque hic itidem illud adnotandum cenſeo, ſumma quoque reprehenſione dignam eſſe illam quorundam Chriſtianorum inſolentiam, qui miſeros Hebræos per Urbem ambulantes, ſibi attendentes, nullique moleſtiam facientes, atrocibus injuriis laceſſant; nec enim addubito, quin læthaliter peccent, obnoxiique ſint gravi Magiſtratuum coercitioni; quorum intereſt, ut hujuſmodi injuriæ in bonum Chriſtianæ Religionis, quæ nulli male, bene autem omnibus facere debet, & ad aliorum exemplum, quammaxime vindicentur.

§. LVI.

§. LVI.

In Eccleſiis autem, ubi Baptiſmus fit per merſionem, ſive totius corporis, ſive capitis tantum, Sacerdos accipiat Electum per brachia prope humeros, & ſuperiore parte corporis nudatum, reliqua honeſte contectum, ter illum, vel caput ejus mergendo, & toties elevando, baptizet ſub trina merſione, Sanctam Trinitatem ſemel tantum, ſic invocando: *Ego te baptizo in Nomine Patris* ✠, mergat ſemel; *& Filii* ✠, mergat iterum; *& Spiritus* ✠ *Sancti*, mergat tertio, Patrino, vel Matrina, vel utroque eum tenente, vel tangente.

COMMENTARIUS.

I. EXplicantur hoc loco ritus, qui ſervari debent, *ubi Baptiſmus fit per merſionem, ſive totius corporis, ſive capitis tantum*. Et quidem conſueviſſe aliquando ablui ſacro lavacro totum corpus per immerſionem, ſuperius demonſtratum jam fuit, probarique hic iterum poteſt ex Canone, *Prima*, De conſecratione, Diſtinctione IV. deſumpto ex Sermone III. S. Auguſtini ad Neophytos, ubi ſic inter alia inquit: *In hoc ergo Fonte antequam vos toto corpore tingeremus, interrogavimus &c.* Huc plane ſpectat, quod ait S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi XVII. eos nempe, qui baptizantur, undique aquis circomdari, ideoque nudos toto corpore; & quod S. Chryſoſtomus in Epiſtola ad Innocentium Papam I. & Palladius in ejuſdem Chryſoſtomi Vita, excitatum in Baptiſterio a Theophili Satellitibus tumultum referentes aſſerunt, ſcilicet, *mulieres, quæ in ſacris Ædibus id temporis ad Baptiſmum ſe exuerant, metu acerbæ illius irruptionis nudas aufugiſſe*. Porro ad conſulendum pudori, feminæ a viris ſeparatæ baptizabantur, eiſque auxilio erant Diaconiſſæ, a quibus veſtibus exutæ, Epiſcopo, aut Presbytero baptizanti offerebantur, qui eas non tam videbat, quam audiebat. Aliquando etiam viris eæ corporis partes, quæ ſine verecundia a nobis nominari nequeunt, velo obtigebantur, uti docet Martene Lib. I. Cap. I. Articulo XIV. num. XI. Ceterum Eunomiani hæretici, ut ſcribit S. Epiphanius Hæreſi LXXVI. quotquot baptizabant, in aquis caput demergebant, pedibus in ſublime porrectis, & quidem medio corpore abluto, ut addit Theodoretus Libro IV. *De hæreticorum fabulis*, ſic inquiens: *Baptizantes, uſque ad pectus aqua madefaciunt; reliquis autem corporis partibus, tanquam abominandis aquam adhibere prohibent*. Sed hæc falſa erat hæreticorum opinio; nam ſancte, recteque conſuevit Eccleſia aliquando toto nudos corpore, ſive per immerſionem, ſive per effuſionem baptizare. Quod tandem utplurimum ſolum caput aquis ſalutaribus immergeretur, ſatis indicat S. Hieronymus in Dialogo adverſus Luciferianos his verbis: *Nam & multa alia, quæ per traditionem in Eccleſiis obſervantur, auctoritate ſibi ſcriptæ Legis obſervarunt, velut in lavacro ter caput mergitare*.

II. Sive autem toto corpore, ſive ſolo capite, fieret immerſio, illud plane conſtat ex antiquis Sacramentorum Codicibus, ac variarum Eccleſiarum Ritualibus paſſim, pene ſemper collatum fuiſſe per immerſionem Baptiſmum, ſolumque in caſu neceſſitatis, ubi ſcilicet tanta non eſſet copia aquæ, quæ mergendo corpori, vel capiti ſatis eſſet, vel ubi ageretur de ægroto lecto decumbente, aut etiam ſi Sacerdos adeo debilis eſſet, ut immergere non valeret, ſive ob aliam neceſſitatis cauſam, permiſſum quidem fuiſſe, ut per effuſionem baptizari poſſet. At vero licet ubique fere locorum invaluerit jam Baptiſmus per effuſionem, probat nihilominus noſtrum Rituale Romanum non uno in loco, præſertim vero in hoc §. ritum illum baptizandi per immerſionem, ſive totius corporis, ſive capitis tantum, ſtatuitque iccirco, ut, ubi viget hic ritus, *Sacerdos accipiat Electum per brachia prope humeros, & ſuperiore parte corporis nudatum, reliqua honeſte contectum, ter illum, vel caput ejus mergendo, & toties elevando, baptizet ſub trina merſione &c.* Sed hoc opus, hic labor eſt, ut nempe poſſit Sacerdos, gracilis, præſertim, ac ſenior, adultum Catechumenum per brachia acceptum, ter immergere, terque elevare. Ceterum quicquid ſit de adultis maſculis, non puto præſcriptum ritum habere poſſe locum in feminis Catechumenis adultis; non enim honeſtas patitur, ſuperiorem partem corporis illius nudari, accipique a Sacerdote per brachia prope humeros, & ter immergi in ſacrum Fontem, ac ter inde elevari. Ut conſultum fuerit olim feminarum pudori in illarum per immerſionem Baptiſmo, jam alibi fuſe explicuimus. Illud vero hic minime omittendum, quinimo ſummopere adnotandum, quod nempe S. Carolus in Inſtructionibus, *De Baptiſmi adminiſtratione*, & Cæremoniale Ambroſianum Cæſaris Montii Cardinalis & Archiepiſcopi Mediolanenus juſſu editum, prævidentes difficultates baptizandi adultos per immerſionem, ubi de ipſorum Baptiſmo tractant, providentiſſime ſtatuerunt: *Baptizetur*, inquiunt, *per immerſionem, ut ritus Ambroſianæ Eccleſiæ poſtulat, ſiquidem commode fieri poſſit, alioqui per infuſionem*. Recedendum putarunt ſapientiſſimi Antiſtes a ritu Ambroſiano, cujus ſemper tenax, & cuſtos fuit Eccleſia Mediolanenſis, ut & ſine ſummo incommodo, & cum honeſtate Baptiſmus homini adulto miniſtraretur.

III. Inſuper quod noſter §. præſcribit, ut Sacerdos, ubi nempe Baptiſmus fit per merſionem, *baptizet ſub trina merſione ſanctam Trinitatem ſemel tantum ſic invocando*, Ego te baptizo in nomine Patris ✠, *mergat ſemel*; Et Filii ✠, *mergat iterum*; Et Spiritus ✠ *mergat tertio*, cohæret plane antiquis multis Sacramentorum Libris, ac Ritualibus longo agmine a Martene relatis Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. I. Articulo XVIII. itemque Romanis priſcis Ordinibus I. & X. apud Mabillonium Tomo II. Muſei Italici pag. 87. & 106. ubi interrogato baptizando,

do, an baptizari velit, & reſponſo ab eo, *Volo*, mox ita legitur: *Tunc baptizet eum ſub trina immerſione, Sanctam Trinitatem ſemel tantum invocando ſic*: Et ego te baptizo in Nomine Patris, *& immergat ſemel*; Et Filii, *& immergat ſecundo*; Et Spiritus Sancti, *& immergat tertio*. Fieri debere, ac conſueviſſe etiam antiquitus trinam ipſam immerſionem in modum Crucis, docent paſſim antiqui Sacramentorum Codices, qui etiam expreſſe mandant, quod & in hoc noſtro §. edicitur, & a nobis jam alias notatum fuit, atque explicatum, ut ſcilicet in ea trina immerſione, ſemel tantum Sacerdos Sanctam Trinitatem invocet; non enim licet ad ſingulas immerſiones, ſemel formam ipſam Baptiſmi, *Ego te baptizo &c.* repetere. Fuit enim hic abuſus quarumdam Eccleſiarum Hiſpaniæ, in quas vehementius excandeſcit Alcuinus in Epiſtola CLXXX. ad Paulinum Patriarcham data, uti ſuperius non uno in loco adnotavi.

IV. Quod tandem in noſtro §. edicitur, ut quum baptizatur adultus, eum Patrinus, vel Matrina, vel uterque teneat, vel tangat, jam alias id fuit a nobis explicatum, ideoque non mirum videri debet, ſi nihil de hac re in hoc Commentario dixerim.

§. LVII.

Et cum Electus ſurrexerit de Fonte, Patrinus, vel Matrina cum linteo in manibus ſuſcipit eum de manu Sacerdotis, & Sacerdos, intincto pollice dextro in Sacro Chriſmate, illum in vertice in modum Crucis perungit, dicens: *Deus Omnipotens, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti &c.* ut ſupra §. LII.

COMMENTARIUS.

I. Creſcit magis magiſque difficultas ritus baptizandi per immerſionem, de qua alias loquuti fuimus in Commentario præcedenti, ob multa nempe incommoda, quæ inde oriri poſſunt. Ex præſcripto ſiquidem præſentis §. *cum Electus ſurrexerit de Fonte*, poſtquam ſcilicet tertio in eum fuit immerſus, *Patrinus, vel Matrina cum linteo in manibus ſuſcipit eum de manu Sacerdotis*, Patrinus nempe baptizatum maſculum, feminam vero Matrina; neque enim deceret, ut mas feminam vel a ſuperiori parte nudam, vel marem femina, ſive uterque ſimul, Patrinus, & Matrina, marem, feminamve, qui de Fonte nudi ſurrexerant, cum linteo in manibus ſuſcipiant. Puto equidem, adhibendum tunc linteum a Patrino, Matrinave, ad cooperiendam maris, feminæve jam baptizatæ nuditatem, quouſque a Sacerdote cum Chriſmate inuncti fuerint in vertice, & ab eodem candidam veſtem acceperint, ut in ſequentibus Paragraphis præſcribitur, & uti jam alias ſupra non uno in loco explicuimus.

§. LVIII.

Deinde Sacerdos imponit capiti ejus linteolum, ſeu Chriſmale, & dat ei veſtem candidam, dicens: *Accipe veſtem candidam &c.* ut ſupra §. LIII.

§. LIX.

Et ſtatim prædicto linteo abſtergitur, & in loco ſemoto veſtitur novis, & albis veſtibus, & exteriore candida, quam accepit.

COMMENTARIUS.

I. Omiſſo §. LVIII. quod in eo præſcriptum de linteolo, ſive Chriſmali, veſteque candida baptizato imponenda, explicatum ſuperius fuerit, devenio ad §. LIX. ex cujus præſcripto baptizatus per immerſionem *ſtatim prædicto linteo abſtergitur, & in loco ſemoto veſtitur novis, & albis veſtibus, & exteriore candida, quam accepit*. Ex quo magis magiſque probatur, quod etiam ſuperius notavimus, Catechumenos ſcilicet, non ante, ſed poſt Baptiſmum veſtibus albis eſſe induendos; & quidem *in loco ſemoto*, ut ait hic noſter §. ob honeſtatem. Si enim Neophytus, ut recte obſervat Barrufaldus in Commentariis ad Rituale Romanum, Titulo XIII. §. XLIII. num. 87. totus expoliari debet, decet quammaxime, ut remote ab oculis adſtantium hoc fiat. Ubi vero addit, *& exteriore candida, quam accepit*, demonſtrat, quaſcumque veſtes tum exteriores, tum interiores debere ibi eſſe paratas, ut Neophytus illis indui poſſit. Ergo ſupponit, quod illis nondum indutus fuerit; ideoque male ſe gerere, qui ducunt Catechumenum baptizandum ad Eccleſiam veſtibus albis indutum; nam exterior veſtis, quam Neophytus accipit a Sacerdote, non eſt tota veſtis, ſed tantum exterior pars, quam ei Sacerdos imponit ſub præſcripta illa formula, *Accipe veſtem candidam &c.* Porro perſpicue loquitur hic noſter §. eique parere debent, qui Catechumenis præſunt, præſertim vero Cæremoniarum Magiſtri, & Sacerdotes, qui illos baptizant. Nihil enim præcipit, quod in aliis Sacramentorum Codicibus, atque Conciliis conſtitutum non fuerit. Sed de hac re jam aliis locis abunde diximus, Decretumque Romani Concilii Benedicti XIII. attulimus.

§. LX.

Poſtea dat ei Sacerdos candelam accenſam in manu dextra, dicens: *Accipe lampadem &c.* ut ſupra §. LV. Eodem modo, ſi plures fuerint, fit pro ſingulis.

NOTA.

Quæ de traditione cerei accenſi dari ſoliti ex antiquo ritu baptizato poſt acceptum ſalutare lavacrum diximus ſupra Cap. II. in Commentariis ad Ordinem Baptiſmi parvulorum, faciunt quidem & ad hujus §. explicationem; illa ergo quærenda, itidemque quæ diximus paulo ſuperius in Commentario ad §. LV.

§. LXI.

Poſtea dicat: *N. vade in pace, & Dominus ſit tecum.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. PRæſcribitur in hoc §. ultima actio, qua ritus Baptiſmi abſolvitur, ut nempe Sacerdos, tradito cereo accenſo in manu dextera baptizati, & recitata formula: *Accipe lampadem &c.* de qua jam alibi diximus, *poſtea dicat: N. Vade in pace, & Dominus ſit tecum.* Cui ille reſpondet: *Amen*. Eſt idem hic plane ritus, quem præſcriptum vidimus in Baptiſmo parvulorum, in quem etiam nonnulla adnotavimus. Porro variant nonnihil Rituales Eccleſiarum Codices, præſertim vero ille Bibliothecæ S.Genovefæ Pariſienſis annorum circiter ccc. in quo nonnulli ritus Eccleſiæ Laudenſis in Italia continentur; ex eo namque præſcriptum eſt, ut Sacerdos cum ſigno Crucis ſignet baptizatum, dicens: *In Nomine Patris ✠, & Filii ✠, & Spiritus ✠, Sancti.* ℟. *Amen. Vade in pace.* Ex Rituali autem Ambroſiano juſſu Cæſaris Montii Cardinalis & Archiepiſcopi Mediolanenſis edito. Sacerdos poſt traditum accenſum cereum, & dictam eam verborum formulam, *Accipe lampadem ardentem &c.* dicit: *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo.* Tum ſequitur Oratio: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui regeneraſti famulum tuum ex aqua, & Spiritu Sancto, quique dediſti ei remiſſionem omnium peccatorum, tribue ei continuam ſanitatem ad cognoſcendam Divinitatis tuæ virtutem. Per Dominum noſtrum &c.* ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo. Kyrie eleiſon, Kyrie eleiſon, Kyrie eleiſon.* ℣. *Benedicat, & exaudiat nos Deus.* ℟. *Amen.* ℣. *Procedamus cum pace.* ℟. *In nomine Chriſti.* ℣. *Benedicamus Domino.* ℟. *Deo gratias.* ℣. *Benedictio Dei Omnipotentis Patris ✠, & Filii ✠, & Spiritus ✠ Sancti, deſcendat ſuper te, & maneat ſemper.* ℟. *Amen.*

II. Fuit vero pervetuſtus Eccleſiæ ritus, ut quemadmodum alias notavimus, baptizatis legeretur initium Evangelii S. Joannis, ut ex eo caperent altitudinem Divinæ gratiæ, qua Filius Dei natus hominis filius, ipſos homines regeneratos fecerat Filios Dei, uti obſervarunt Patres Benedictini S. Mauri in Gallia in Nota ad Sermonem ccxxv. S. Auguſtini novæ editionis, quam ipſi feliciter peregerunt; idque evidenter colligitur ex ſequenti Sermone ccxxvi. Ceterum conſueviſſe idem Evangelium, completis omnibus Baptiſmi cæremoniis, legi ſuper baptizatum delatum ad Altare, & quidem a Sacerdote, poſita Stola ſuper baptizati caput in modum Crucis, ex antiquo Rituali Lemovicenſis Eccleſiæ addiſcimus apud Martene Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. I. Articulo xviii. Ordine xvii. quem quidem ritum ſervatum in Eccleſia Pariſienſi ab annis circiter D. tradit idem Auctor, Articulo xv. num. xviii.

§. LXII.

Si adſit Epiſcopus, qui id legitime præſtare poſſit, ab eo Neophyti Sacramento Confirmationis initiantur. Deinde, ſi hora congruens fuerit, celebratur Miſſa, cui Neophyti interſunt, & Sanctiſſimam Euchariſtiam devote ſuſcipiunt.

COMMENTARIUS.

I. TAnta eſt Sacramenti Baptiſmatis cum Sacramento Confirmationis connexio, ut ab invicem olim vix ſepararentur. Confirmatio quippe, quam Veteres manuum impoſitionem, conſignationem, ſpiritale ſignaculum, & Græci præſertim Chriſma, Chriſmatis, ſeu Unguenti myſterium appellitabant, tanquam ultimum Baptiſmi complementum, perfectio, & conſummatio ſemper ſuſpecta eſt, non quaſi illius integritati aliquid deſit, quo minus veri, & ſinceri cenſeamur Chriſtiani; ſed quod per Baptiſmum quaſi modo geniti infantes, per Confirmationem virtute Spiritus Sancti imbuti, in viros perfectos creſcamus. Hinc vetus illa Eccleſiæ conſuetudo ad noſtra fere tempora praxi ſaltem quibuſdam in locis deducta, baptizatos etiam parvulos ſtatim percepto Baptiſmatis Sacramento, confirmandi. Cujus fidem certam, & indubitatam faciunt non modo Rituales, & Pontificales Codices, Libriquc antiqui Sacramentorum, ſed & priſci Patres, quos longo agmine recenſet Martene Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. I. Articulo xvii. ac deinde etiam Cap. II. viderique de hac re poſſunt, quæ ſcri-

ſcripſimus nos Tomo I. & III. Commentariorum ad Pontificale Romanum.

II. Recte itaque ex hoc noſtro §. ubi de adultis baptizatis præſertim agitur, cautum eſt, ut, *ſi adſit Epiſcopus, qui id legitime præſtare poſſit, ab eo Neophyti Sacramento Confirmationis initientur*. Similia his ſunt, quæ edicit ms. Pontificale inſignis Eccleſiæ Apamienſis in Syria annorum circiter DC. ubi poſt relatum ritum tradendi accenſam candelam baptizato ſub recitata ſuperius formula, *Accipe lampadem &c.* ita & mox ſubjicit: *Tunc, ſi Epiſcopus adeſt, ſtatim oportet eum confirmari Chriſmate, & communicari ſecundum conſuetudinem quarundam Eccleſiarum*. Quibus ex verbis quamvis colligi poſſit, hunc ritum in aliquibus dumtaxat locis viguiſſe, docet nihilominus laudatus Martene, certiſque teſtimoniis probat ex Ritualibus ſequioris ævi deſumtis, ritum ipſum confirmandi ſtatim baptizatos, in multis Eccleſiis perſeveraſſe, vigereque etiamnunc apud Græcos, apud quos, teſte Allatio Lib. III. *De perpetua conſenſione Eccleſiæ Occidentalis, & Orientalis*, Cap. XVIII. nullus eſt, *qui, Sacramento Baptiſmi accepto, domum abſque Sacramento Confirmationis redeat*. Idem de Maronitis, & Syris aſſerit Naironus in Euoplia Catholicæ Fidei, Parte II. Capite III. idemque de Jacobitis Vanslebius in Gallica Hiſtoria Eccleſiæ Alexandrinæ, Parte II. Cap. XXI. quibus adſtipulatur orthodoxa Confeſſio Orientalis Eccleſiæ anno MDCLXII. a Nectario Patriarcha probata, Quæſtione CV. primæ Partis.

III. Sed hæc quidem intelligenda ſunt, quando Baptiſmus ab Epiſcopo ipſo, aut eo præſente, a Parocho, vel alio ſimplici Sacerdote celebratur; nam alias baptizati, abſente Epiſcopo, confirmari ſolebant ab Epiſcopo Diœceſim viſitante, teſte S. Hieronymo in Dialogo adverſus Luciferianos: *Non quidem abnuo*, inquit, *hanc eſſe Eccleſiarum conſuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus Urbibus per Presbyteros, & Diaconos baptizati ſunt, Epiſcopus ad invocationem Spiritus Sancti manum impoſiturus excurrat*. Plura de tempore conferendæ Confirmationis baptizatis diximus jam in citatis Tomis noſtri Romani Pontificalis. In præſenti autem hic illud notandum, in adultorum Baptiſmate jam nec ſatis eſſe, ut adſit Epiſcopus, qui eos confirmet, ſed requiri præterea ex hoc noſtro §. ſacris Canonibus concordante, ut adſit Epiſcopus, *qui id legitime præſtare poſſit*, Epiſcopus ſcilicet proprius, & in ſua Diœceſi; alienus enim in alterius Diœceſi prohibitus eſt Sacramentum iſtud conferre, aliave Pontificalia exercere, invito, inſciove proprio Epiſcopo, ut inter alia ſtatuit Tridentinum Concilium Seſſione VI. *De reformatione*, Cap. V. & alibi.

IV. Eſt tandem & ille antiquus ritus, qui in eodem hoc noſtro §. præſcriptus eſt, ut nimirum recens baptizatis, & ſacra Confirmatione donatis, *ſi hora congruens fuerit, celebretur Miſſa, cui Neophyti interſunt, & Sanctiſſimam Eucharistiam ſuſcipiunt*. Miſſæ hujus mentionem paſſim faciunt antiqui Codices Sacramentorum, ac Rituales a Martene allati Lib. I. Cap. I. Articulo XVIII. præſertim vero Sacramentorum Liber Gelaſii Papæ ex ms. Codice Bibliothecæ Colbertinæ ab annis circiter mille exarato, Regius, Noviomenſis ejuſdem ætatis, Gellonenſis, S. Remigii Remenſis, atque alii paſſim, quos non opus eſt hic recitare. Ex quibus etiam addiſcimus, quod, ubi Baptiſmus conferebatur in Paſchate, *omnibus diebus ſeptem Paſchæ ſemper ad Miſſas* debuerint baptizati etiam parvuli procedere, offerri pro ipſis, & communicare omnes. Idque præſcripſit etiam Romanus Ordo I. apud Mabillonium Tomo II. Muſei Italici, Cap. VII. n.46. pag.28. *Illud autem de parvulis providendum eſt, ut poſtquam baptizati fuerint, nullum cibum accipiant, nec lactentur, antequam communicent Sacramenta Corporis Chriſti; & omnibus diebus ſeptimanæ Paſchæ ad Miſſas procedant, & parentes eorum offerant pro ipſis, & communicent omnes*. Addit mox etiam, *hunc ſupradictum Ordinem Baptiſmi in hoc Sabbato Paſchæ, ſicut & in Sabbato Pentecoſtes, omnimodis celebrandum*.

§. LXIII.

Si vero ob baptizandorum multitudinem, ut in India, & in novo Orbe quandoque contingit, in ſingulorum Baptiſmo præſcripti ritus adhiberi non poſſunt, tunc vel pluribus ſimul adhibeantur, vel, ſi urget neceſſitas, omittantur.

COMMENTARIUS.

I. Quamvis omnes explicatæ hactenus ſacræ Baptiſmi cæremoniæ, ſive illæ Baptiſmum præcedant, ſive comitentur, ſive ſubſequantur, non ſint ad ſubſtantiam hujus Sacramenti neceſſariæ, adeoque ſine illis valide conferatur Baptiſmus, non tamen prætermitti poſſunt ſine læthali peccato, niſi certis caſibus, quos recenſet hic noſter §. qui plane edicit, ut, *ſi ob baptizandorum multitudinem, ut in India, & in novo Orbe quandoque contingit, in ſingulorum Baptiſmo prædicti ritus adhiberi non poſſunt, tunc vel pluribus ſimul adhibeantur, vel, ſi urget neceſſitas, omittantur*.

II. Cavendum vero illud potiſſimum, ne ubi non adſit urgens, graviſque neceſſitas, ritus ipſi omittantur, arbitrio Miniſtrorum. Quod idcirco dixi, quia, ut alias ſupra adnotavi, Miſſionarii in India non defuerunt, qui ut de numero a ſe baptizatorum potius, quam de virtute, gloriarentur, ritus non modo in adminiſtratione Baptiſmi omittebant, verum etiam obvium quemque adultum, & ſine ullo fere delectu, modo Baptiſmum peteret, ſalutari lavacro abluebant. Teſtantur id quidem duo ſanctiſſimi, doctiſſimique Præſules Franciſcus Epiſcopus Heliopolitanus, & Petrus Epiſcopus Berytenſis, qui in Tunchini, & Cochinnæ Regnis, incredibili cum fructu Chriſtum annuntiarunt, quique pro feliciori Evangelii progreſſu quaſdam ediderunt Inſtructiones, quas Joannes S. R. E. Cardinalis Bona juſſu Sacræ Congregationis de Propaganda Fide recenſens, Apoſtolico ſpiritu ſcriptas fuiſſe teſtatur, unde etiam eas Typographus ejuſdem Congregationis Romæ typis evulgavit. Cæte-

terum quod Miſſionarii ſuo arbitrio ſacros ritus, cæremoniaſque in Ritualibus, ac Synodis præſcriptos omitterent, vetuit merito hunc abuſum in celebri ſuo Decreto Cardinalis Tournonius, longeque ante ipſum Alexius de Menezes in Synodo Diamperitana anni MDXCIX. Actione IV. Decreto XIV. quam quidem Synodum e Luſitano idiomate in Latinum vertit, Notiſque egregiis, ac Diſſertationibus illuſtravit amicus noſter Vir Clariſſimus Joannes Facundus Raulin Cæſaraugustanus Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Exgeneralis, ac Romæ edidit anno MDCCXLV.

CAPUT V.

Ordo ſupplendi omiſſa ſuper Baptiſmum.

§. I.

Cur urgente mortis periculo, vel alia cogente neceſſitate, ſive parvulus, ſive adultus, ſacris precibus, ac cæremoniis prætermiſsis, fuerit baptizatus, ubi convaluerit, vel ceſſaverit periculum, & ad Eccleſiam delatus fuerit, omiſſa omnia ſuppleantur; idemque ordo, ac ritus ſervetur, qui in Baptiſmo parvulorum, ſi fuerit parvulus; ſeu adultorum, ſi fuerit adultus, præſcriptus eſt. Excepto quod interrogatio, an velit baptizari, formaque Baptiſmi, & ablutio prætermittuntur, & quædam Orationes, & Exorciſmi ſuo quique loco immutati, ut infra, dicuntur.

COMMENTARIUS.

I. Quum, uti ſuperius notatum fuit, in Commentario ſcilicet ad §. ultimum Capitis præcedentis, ſacræ Baptiſmi cæremoniæ, licet non ſint ad ſubſtantiam Sacramenti neceſſariæ, nullatenus tamen omitti debeant, & quidem ſub pœna peccati læthalis; hinc ſupplendæ illæ in iis ſunt, qui, urgente neceſſitate, vel apud hæreticos, aut quocumque errore, ſine ipſis ſacro lavacro regenerati fuerunt. Atque hæc eſt vetus, ac recens Eccleſiæ praxis, cujus multæ ſunt rationes, quas poſt S. Thomam Parte III. Quæſtione LXX. Articulo III. inſigniores Theologi adnotaverunt, præſertim vero Guillelmus Eſtius in Libri quarti Sententiarum Diſtinctionem ſextam §. V.

II. Prima itaque ratio eſt, ne Sacramentum careat ſua ſolemnitate. Referuntur enim tunc cæremoniæ ad Baptiſmum præcedentem, ideoque non eſt abſurdum, etiam illas adhiberi, quæ ſolent Baptiſmo præmitti, veluti Catechiſmum, Exorciſmum &c. Ratio altera eſt, quia Exorciſmus etiam poſtea aliquid agit. Nam ut ait Sanctus Thomas loco citato, ſicut impediri poteſt effectus Baptiſmi, antequam percipiatur, ita & fruſtrari poteſt, poſtquam fuerit perceptus; & quemadmodum S. Cyprianus ait in fine Epiſtolæ LXXVI. ad Magnum de baptizandis Novatianis, & de iis, qui in lecto gratiam conſequuntur, ſicut diabolus in Baptiſmo Fide credentis excluditur, ita ſi Fides poſtmodum defecerit, regreditur. Tertia ratio eſt, ut, quemadmodum Sanctus Thomas ibidem ait, ſervetur uniformitas; ſicut enim unum eſt Baptiſma, ita convenit omni Baptiſmo eaſdem cæremonias adhiberi. Quarta eſt, ut publico hoc ritu Eccleſia declaret, ratum ſe habere Baptiſmum a quocumque collatum, ut a laico, femina, hæretico &c. Quinta, ut baptizatus habeat publice deputatum ſibi Suſceptorem, cujus cura Chriſtiane, Catholiceque inſtituatur. Sexta, ut expreſſa per Suſceptores ſponſione facta, baptizatus, cum adoleverit, magis agnoſcat, intelligatque obligationem ſuam.

III. Ne autem novitium, recenſque inſtitutum hoc eſſe quiſpiam ſuſpicetur, quod de cæremoniis in Baptiſmo omiſſis, poſtea ſupplendis Rituale Romanum præſenti hoc Capite ſtatuit, ſciendum plane eſt, quod vel a primis ſæculis, qui lecto decumberent, baptizabantur, dicti iccirco a verbo Græco *Clinici*, cum ea infirmitate convaleſcebant, Epiſcopo ſe ſe exhibere tenebantur, ut ea, quæ cogente neceſſitate prætermiſſa fuerant, ſupplerentur. Teſtem vetuſtæ hujus diſciplinæ habemus S. Cornelium Papam, qui claruit medio ſæculo tertio in Epiſtola ad Fabium Antiochenum Epiſcopum apud Euſebium Lib. VI. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Cap. XLIII. ubi agens de Novato, qui jamjam moriturus baptizatus fuerat, eum redarguit, quod, *poſtquam liberatus eſt morbo, reliqua non percepit, quæ juxta Eccleſiaſticam regulam percipi debent, neque ab Epiſcopo conſignatus eſt*. Huc quoque potiſſimum ſpectat, quod refert Nicephorus Lib. VIII. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Capite XLIV. ex Sozomeno Lib. II. Cap. XXVII. & Ruffino Lib. X. Cap. XIV. quod & habetur in Decreto Gratiani, Can. *Spiritus Sanctus*, Cauſa I. Quæſtione I. quod Athanaſii nempe pueri baptizantis actum ratum habuerit quidem Alexander Alexandriæ Epiſcopus, ſed per Eccleſiæ Miniſtros ſuppleri poſtea juſſerit ſolemnes illius Sacramenti cæremonias: *Ubi ex reſponſis eorum vidit, ſecundum Religionis noſtræ ritum cuncta conſtare, ſtatuit, illis, quibus integris interrogationibus, & reſponſionibus aqua fuerat infuſa, iterari Baptiſmum non debere, ſed adimpleri ea, quæ Sacerdotibus mos eſt*. Ita plane apud Gratianum, loco citato, & apud alios Scriptores, a quibus etiam integra ejus rei hiſtoria refertur.

§. II.

Sacerdos igitur, antequam immittat ſal in os baptizati, manum ſuper caput ejus imponit, dicens.

Ore-

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti reſpicere digneris ſuper hunc famulum tuum N. quem dudum ad rudimenta Fidei vocare dignatus es; omnem cæcitatem cordis ab eo expelle; diſrumpe omnes laqueos ſatanæ, quibus fuerat colligatus; aperi ei Domine januam pietatis tuæ, ut ſigno ſapientiæ tuæ imbutus, omnium cupiditatum fœtoribus careat, & ad ſuavem odorem præceptorum tuorum lætus tibi in Eccleſia tua deſerviat, & proficiat de die in diem, ut idoneus ſit frui gratia Baptiſmi tui, quem ſuſcepit, ſalis pertepta medicina. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. TRia ſuut in hac Oratione obſervanda, quæ in ſupplendis omiſſis ſuper baptizatum nonnihil variat ab ea, quæ ex antiquo ritu ſolet ſuper baptizandum a Sacerdote proferri. Primum eſt adverbium *dudum*, quod quidem in præſenti Oratione additum eſt, nam ubi in illa dicitur, *reſpicere digneris ſuper hunc famulum tuum N. quem ad rudimenta Fidei vocare dignatus es*; in hac poſt relativum *quem*, additum legitur adverbium *dudum*; quod quidem licet de exiguo tempore dicatur, teſte Valla, dimidiæ ſcilicet horæ, vel horæ unius, duarum, vel trium, ita tamen ut tempus unius diei apud elegantes Latinos raro excedat, apud Scriptores nihilominus Eccleſiaſticos pro longo etiam temporis ſpatio accipitur, uti conſtat ex Capite, *Dudum*, 2 1 1. *De electione &c.* & ex aliis pluribus Juris Pontificii locis. Sive itaque eodem die, ſive poſt menſem, longiuſve tempus omiſſa ſuper baptizatum ſuppleantur, debet profecto ſemper Oratio ipſa cum additamento *dudum* pronunciari. Altera additio, ſeu immutatio legitur in fine ejuſdem Orationis, *ut idoneus ſit frui gratia Baptiſmi tui*, cum alias ſuper baptizandum dicatur, *ut idoneus efficiatur accedere ad gratiam Baptiſmi tui*. Additio tandem tertia eſt illa, quod ubi in Oratione ſuper ipſum baptizandum, poſt recitata verba *Baptiſmi tui*, ſtatim ſequitur, *percepta medicina*; in Oratione ſuper baptizatum ita plane legitur: *Ut idoneus ſit frui gratia Baptiſmi tui, quem ſuſcepit, ſalis percepta medicina*. Quod quidem optime additum eſt, nam re vera Baptiſmum ille ſuſcepit, nec indiget accedere ad Baptiſmum, ad quem jam antea acceſſerat, ubi in caſu neceſſitatis, omiſſis cæremoniis, Orationibuſque, Exorciſmiſque, privatim, ſub præſcripta forma ſalutari lavacro fuit ablutus.

§. III.

Deinde, poſtquam modicum ſalis immiſit in os baptizati, dicens: *Accipe ſal ſapientiæ, propitiatio ſit tibi in vitam æternam.* ℟. *Amen.* Dicit:

Oremus.

Deus Patrum noſtrorum, Deus univerſæ conditor veritatis, te ſupplices exoramus, ut hunc famulum tuum N. reſpicere digneris propitius, & hoc pabulum ſalis guſtantem, non diutius eſurire permittas, quo minus cibo expleatur cæleſti; quatenus ſit ſemper ſpiritu fervens, ſpe gaudens, tuo ſemper Nomini ſerviens; & quem ad novæ regenerationis lavacrum perduxiſti, quæſumus, Domine, ut cum Fidelibus tuis promiſſionum tuarum æterna præmia conſequi mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. ORatio ordinaria, & ſolemnis ſuper baptizandum diei ſolita ita quidem habet in fine: *Perdue eum, Domine, quæſumus, ad novæ regenerationis lavacrum &c.* At vero recte admodum in altera ſupplementi nonnihil mutata eſt; poſt illa enim verba, *tuo ſemper Nomini ſerviens*, ſic ſubdit: *& quem ad novæ regenerationis lavacrum perduxiſti, quæſumus, Domine, ut cum Fidelibus tuis &c.* Iſta diverſitas, ſive mutatio conſonans plane eſt cæremoniæ poſt Baptiſmum ſupplendæ, demonſtratque, adimpletum jam eſſe id, pro quo Sacerdos in hac præſenti Oratione rogat, ut obſervat Barruſaldus ad hunc §.num. 14. in fine.

§. IV.

Poſt hæc, facto ſigno Crucis in fronte baptizati, dictiſque illis verbis, *Et hoc ſignum Crucis, ✠ quod nos fronti ejus damus, tu maledicte diabole, numquam audeas violare. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum.* ℟. *Amen.* Manu ſuper caput ejus impoſita, dicit.

Oremus.

Æternam, ac juſtiſſimam pietatem tuam deprecor, Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, Auctor luminis, & veritatis, ſuper hunc famulum tuum N. ut digneris illum illuminare lumine intelligentiæ tuæ; munda eum, & ſanctifica; da ei ſcientiam veram, ut dignus ſit frui gratia Baptiſmi tui, quem ſuſcepit; teneat firmam

ſpem

ſpem, conſilium rectum, doctrinam ſanctam, ut aptus ſit ad retinendam gratiam Baptiſmi tui, Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Similiter & in hac Oratione facta eſt mutatio, de qua diximus in Commentario ad §. II. ubi enim in ipſa Oratione, quæ dicitur ſuper baptizandum legitur, *ut dignus efficiatur accedere ad gratiam Baptiſmi tui*; ſuper baptizatum ex præſcripto hujus noſtri §. dicendum eſt: *Ut dignus ſit frui gratia Baptiſmi tui, quam ſuſcepit.*

§. V.

In Baptiſmo autem adultorum, præter illa, quæ ſupra notata ſunt, quando ſupplentur omiſſa, hæc mutari debent. Primum in Exorciſmo, *Audi maledicte Satana*, ubi dicitur, *habitaculum perficiat*, dicatur, *habitaculum perfecit*. Deinde in Exorciſmo, *Nec te latet*, ubi dicitur, *ut fiat*, dicatur, *ut fieret*.

COMMENTARIUS.

I. Satis me facturum puto, ſi in hoc Commentario illud adnotem, quod alias obſervavit, admonuitque Barruſaldus, ubi ad hunc §. ſcripſit, mutationes, de quibus loquitur hic noſter §. quandocumque occurrant faciendæ, debere prævideri a ſacro Miniſtro, ut poſſint libere pronuntiari, nec interrumpi extemporanea lectione. Ideo nonniſi laudandi ſunt, qui ſejunctas pro quocumque Baptiſmo habent formulas, vel in ſcriptis, vel impreſſas in Libellis a Rituali diſtinctis, ut poſſint eſſe ad manus tunc, quando opus eſt. Parochi, ac Cæremoniarum Magiſtri præcipue hoc curare deberent, eo quia in arena quandoque conſilium capere periculoſum eſt, & deformitatem gignit, ex qua debita Sacramenti, & functionis ſacræ veneratio imminuitur. Cæterum mirum videri poſſit, cur novæ hujus editionis Ritualis Romani Curatores integrum Ordinem non deſcripſerint ſupplendi in Eccleſiam ſolemnes Baptiſmi Cæremonias, pro iis, qui ſine illis, neceſſitate urgente, privatim baptizati ſunt, exemplo S. Caroli, qui Ordinem ipſum concinnavit, quem legere eſt Parte IV. Actorum Eccleſiæ Mediolanenſis, pag. 506. Extat quoque in Rituali Ambroſiano juſſu Cæſaris Montii Cardinalis & Epiſcopi Mediolanenſis edito, apud Martene Lib. I. Cap. I. Artic. XVIII. Ordine XX. Titulus inſcriptus: *Ordo ſupplendi in Eccleſia ſolemnes Baptiſmi cæremonias, cum infans domi ob neceſſitatem baptizatus eſt.*

CAPUT VI.

Ritus ſervandus cum Epiſcopus baptizat.

I. Epiſcoporum olim proprium munus fuiſſe Baptiſmi Sacramentum adminiſtrare, jam late oſtendimus ſupra in Commentariis ad Caput II. ubi de Miniſtro Baptiſmi egimus. Hinc veteri diſciplinæ inhærens Benedictus Papa XIII. non modo cum Epiſcopus fuit, verum etiam ad Summi Romani Pontificatus apicem evectus innumeros pene infantes, adultoſque ad Fidem Chriſtianam converſos ſolemni ſalutari lavacro abluere non eſt dedignatus; cujus exemplum ſequutus feliciter regnans BENEDICTUS XIV. non paucos adultos baptizavit. Porro quod in Eccleſia Ambroſiana Mediolanenſi veteris inſtituti, & conſuetudinis eſt, novo etiam Decreto firmavit S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolanenſi IV. Tit. *Quæ pertinent ad Sacramentum Baptiſmi*, ut infantes in hebdomada authentica nati, Sabbato Sancto ad Baſilicam Metropolitanam, & qui item hebdomada Pentecoſten proxime antecedente in lucem editi ſunt, ad eandem Baſilicam Baptiſmo offerantur, id unuſquiſque Parochus ſervet, ut iis ſolemni ritu memoratæ Eccleſiæ Archiepiſcopus Baptiſmum miniſtret. A qua ſolemnitate, quæ Archiepiſcopalis muneris eſt, vult idem S. Antiſtes, ut alius omnis, vel Archipresbyter, vel Præpoſitus, vel Parochus, tam Urbis, quam Diœceſis abſtineat; uti videre eſt in Actis laudatæ Eccleſiæ Mediolanenſi, Parte IV. in Inſtructionibus, quæ ita inſcribuntur, *De Baptiſmi adminiſtratione*, Capite, *De modo miniſtrandi Baptiſmi*, §. *Et vero*, pag. 498.

§. I.

Si Epiſcopus, vel S. R. E. Cardinalis, parvulos, vel adultos baptizare voluerit, parantur, & ſervantur omnia, ut ſuperius de Ordine Baptiſmi dictum eſt, atque hæc præterea, quæ infra notantur.

COMMENTARIUS.

I. Quamquam mandet hic præſens §. noſter, ut, *ſi Epiſcopus, vel S. R. E. Cardinalis parvulos, vel adultos baptizare voluerit, parentur, ac ſerventur omnia, ut ſuperius de Ordine Baptiſmi dictum eſt*, parvulorum nimirum, ſi baptizandi ſint parvuli, & adul-

& adultorum, ſi adulti, atque ea præterea, quæ infra notantur. Verum cum ritus ipſe ſervandus, cum Epiſcopus, aut Cardinalis baptizat, nimis compendioſe a noſtro Rituali præſcriptus ſit, optandum plane eſſet, ut Ordo amplior, & quidem peculiaris pro Epiſcopo, Sanctæque Romanæ Eccleſiæ Cardinale Baptiſmum ſolemniter adminiſtrante, ſuprema auctoritate concinnaretur, & in lucem prodiret, ut inde Cæremoniarum Magiſtri addiſcerent, uti hujuſmodi functiones rite, & cum majeſtate gradui Epiſcopali, atque Cardinalitio conveniente, ſint dirigendæ. Legi nihilominus poſſet, atque ſervari Ritus ille, qui hac in re per extenſum conſcriptus fuit, in peculiare volumen redactus, necnon typis commiſſus Cæſenæ anno MDCLXXXIII. apud Paulum Receputum juſſu Eminentiſſimi S. R. E. Cardinalis Fratris Vincentii Mariæ Urſini tunc illius Eccleſiæ Epiſcopi, qui demum fuit Romanus Pontifex Maximus, Benedictus XIII. Qui Liber valde utilis eſt, ut ait ad hunc noſtrum §. Barrufaldus, & manualis eſt cunctis Epiſcopis, qui talem ritum nonniſi compendioſe ſcriptum in hoc noſtro Rituali Romano habebant. Nobis autem illud ſat erit ea explicare, quæ Romanum ipſum Rituale præſcribit.

§. II.

Adſint Cappellani, vel alii Presbyteri, & Clerici Superpelliceis induti, qui ei aſſiſtant, ac miniſtrent.

COMMENTARIUS.

I. UT Epiſcopales functiones dignius, commodiuſque, in Eccleſiis præſertim, & Divinis Officiis peragi queant, multis profecto opus eſt Presbyteris, quos Cappellanos vocant, Clericiſque inſervientibus, quos recenſet Cæremoniale Epiſcoporum Lib. 1. Capite II. quod inſcriptum eſt, *De numero, qualitate, & officio Miniſtrorum ſervientium Epiſcopo*. Qui quidem Miniſtri Eccleſiaſtici Superpelliceis debent eſſe induti, ad diſtinctionem familiarium laicorum Epiſcopo etiam Pontificalia exercenti inſervientium, quorum habitus decens eſſe debet, ac nigri coloris. Multo autem magis augendus eſt numerus Miniſtrorum, ſi celebrans, ſeu Sacramenta adminiſtrans, vel Pontificalem aliam functionem agens, ſit S. R. E. Cardinalis, ob eminentiſſimam dignitatem, qua fulget in Eccleſia, quaque cæteris antecellit Epiſcopis, ut non uno in loco Commentariorum noſtrorum ad Cæremoniale S. R. E. diximus. Ceterum de numero, & qualitate Miniſtrorum Cardinali celebranti inſervientium videri poteſt Paris de Graſſis, Lib. 1. *De cæremoniis Cardinalium, & Epiſcoporum in eorum Diœceſibus*, Cap. IV.

§. III.

Ipſe vero ſuper Rochetum, ſive Superpelliceum, ſi eſt Regularis, accipiat Albam, & Cingulum & Stolam, & Pluviale violacei coloris, ac Mitram, atque ita paratus cum Miniſtris procedat ad Baptiſmi miniſterium. Et dum interrogat: *N. Quid petis ab Eccleſia Dei?* ac dum facit reliquas interrogationes, ſedet cum Mitra. Cum vero exſufflat, dicendo, *Exi ab eo immunde ſpiritus*, ſurgit cum Mitra. Rurſus ſedet, cum ſignat Cathechumenum ſigno Crucis in fronte, & in pectore, vel dicit, *Accipe ſignum Crucis &c.* Et cum dicit Orationes, quæ præcedunt, vel ſequuntur benedictionem ſalis, ſurgit, depoſita Mitra; ſimiliter cum ipſum ſal benedicit. Cum autem ſal benedictum immittit in os baptizandi, Mitram accipit, & ſedet. Cum vero legit Exorciſmos, & dum ſaliva aures, & nares Catechumeni tangens dicit, *Ephpheta*, ac dum introducit eum in Eccleſiam, ſtat cum Mitra. Cum autem dicit, *Credo in Deum Patrem &c.* & *Pater noſter*, ſuper Catechumenum, ſtat ſine Mitra. Sed cum nomen quærit, & interrogat, *Abrenuntias Satanæ? &c.* & baptizandum Oleo ſacro in pectore, & inter ſcapulas inungit, ſedet cum Mitra. Quo facto, accipit Stolam, & Pluviale album. Et cum rurſus interrogat de Fide, *Credis in Deum &c. Vis baptizari &c.* Et cum baptizat per infuſionem, ſedet cum Mitra. Si vero baptizat per immerſionem, Mitram retinens, ſtare debet. Cum demum Chriſmate verticem baptizati linit, & dat ei veſtem candidam, & candelam accenſam, ac dicit, *Vade in pace &c.* ſedet cum Mitra.

COMMENTARIUS.

I. ECce hic primum diſcrimen inter ſimplicem Sacerdotem, & Epiſcopum baptizantem, ille Superpelliceo, & Stola violacea indutus, ut ſuo loco diximus, Epiſcopus vero Rocheto, ſive Superpelliceo, ſi eſt Regularis, Alba, Cingulo, Stola, & Pluviali violacei coloris, ac Mitra paratus eſſe debet in ſolemni adminiſtratione Baptiſmi. Rochetum, de quo late diximus in Commentariis ad Pontificale Romanum, & ad Cæremoniale Epiſcoporum, veſtis linea eſt ſimilis Superpelliceo, manicas tamen non latas, ut illud, ſed ſtrictas habens & uſque ad manum productas, ad denotandum, quod Epiſcopus (cui olim peculiaris fuit hæc veſtis, & poſtea per privilegium aliis Eccleſiaſticis Epiſcopo inferioribus conceſſa) habere manus

nus promtas, & expeditas ad elargiendam eleemoſynam debet, uti inter alios notat Macrius in ſuo Hierolexico, verbo, *Rochetum*. Porro Epiſcopi Regulares ex antiqua inſtitutione pro Rocheto, Superpelliceo utuntur, quia Monachus factus Epiſcopus, non penitus a Regula Monachali, habituque abſolvitur, ut citatis locis diximus, & Tomo III. Commentariorum ad Concilia Oecumenica in Commentario ad Canonem XVI. Concilii Generalis IV. Lateranenſis. Sunt autem nonnulli ejus opinionis, ideo Regulares Monachos, Fratreſque Epiſcopos ab uſu Rocheti prohiberi, quod cum plerumque manicas latas geſtent in habitu ſuæ Religionis, difficilis eſſet eis uſus Rocheti. Vide Sarnellum Tomo VIII. Epiſtolarum Eccleſiaſticarum, Epiſtola XXIII.

II. Sed quicquid ſit de hac opinione, quo majori cum majeſtate, ac decore, Sacramentum Baptiſmi adminiſtret Epiſcopus, ſuper Rochetum, ſeu Superpelliceum, ſi eſt Regularis, accipit Albam, Cingulum, Stolam, & Pluviale violacei coloris, & Mitram, ut ait hic noſter §. Clarior plane, atque explicatior eſt locus Cæremonialis Ambroſiani juſſu Federici Borromæi Cardinalis, & Archiepiſcopi Mediolanenſis editi, ubi agit de Baptiſmo a Mediolanenſi Archiepiſcopo, ſolemni ritu conferendo: *Cum ad baptizandum procedendum erit, paratis omnibus, & præſertim Parocho adſtante, Archiepiſcopus, adhibitis aſſiſtentibus de more, in Sede ſua induit paramenta violacei coloris, videlicet Albam, Cingulum, Amictum, Crucem, Stolam, Pluviale, & Mitram ſimplicem, cum duobus Acolythis, qui candelabra cum duobus cereis accenſis deferant, cum Baculo Paſtorali ad fores Eccleſiæ accedens, aſcendet ſuper gradum a terra elevatum, atque ſtratum, ſuper quem aſcendet etiam Patrinus, ſi ſit magnus Princeps, vel hujuſmodi.* Atque hic nota, debere etiam Epiſcopum Pontificaliter indutum Baptiſmum adminiſtrantem ad fores Eccleſiæ accedere, ibique nonnulla peragere juxta hujus Ritualis Romani, ac aliorum plurium antiquorum Ritualium præſcriptum, & Conciliorum Decreta, de quibus alias jam diximus. At hunc ad Fores Eccleſiæ acceſſum noſter hic etiam ritus in præſenti §. præſcriptus ſupponit, nam infra ait: *Ac dum introducit eum*, baptizandum ſcilicet, *in Eccleſiam, ſtat cum Mitra*.

III. Porro tota differentia ritus ſervandi ab Epiſcopo baptizante, ut recte obſervat Barrufaldus in Commentariis ad Rituale Romanum, Tit. XV. §. IV. num. 14. conſiſtit in indumentis Epiſcopalibus, in numero Miniſtrorum ei inſervientium, in modo, & tempore ſedendi, vel ſtandi, cum Mitra, vel ſine Mitra, circa quæ totus hic ritus verſatur, qui quidem nulla explicatione indiget Parochis ſaltem, ſimplicibuſque Sacerdotibus Baptiſmum adminiſtrantibus neceſſaria. Si vero quis de hoc Pontificali Baptiſmo ordinem, ac methodum per ſuas partes diſtributam deſideret, legere poteſt memoratum ſuperius Librum Cæſenæ impreſſum, itemque alium ab Horatio Chriſtiano compoſitum ſub Titulo, *Praxis Pontificalis pro majori hebdomada*, in quo per extenſum tota hæc Pontificalis functio expoſita eſt, quæ cum magis pertineat ad Pontificale, ſeu Cæremoniale Epiſcoporum, quam ad Rituale Romanum, conſulto a me prætermittitur, cujus inſtitutum in præſenti eſt ea, quæ ad Parochos pertinent, alioſque ſimplices Sacerdotes, explicare.

§. IV.

Si autem Pontifex quempiam a Presbytero jam catechizatum tantum baptizare voluerit, ſic paratus veſtibus albis incipiat, poſtquam ad Baptiſterium deventum fuerit, dicens: *Quo nomine vocaris?* ℟. *N.* Epiſcopus interroget: *N. Credis in Deum Patrem Omnipotentem &c.* & proſequitur uſque ad finem juxta ordinem Baptiſmi, ut ſupra.

COMMENTARIUS.

I. UNum illud tantummodo hoc loco deſcribam, quod ad hunc §. ſpectare quammaxime puto, incongruum nempe eſſe, & inconveniens, quinimo a præſcripto prædicti §. longe alienum, Baptiſmum extra Fontem Baptiſmalem conferre. Narrat Barrufaldus in ſua ad hunc noſtrum §. adnotatione, num. 15. & ſeq. vidiſſe ſe olim in quadam Cathedrali Eccleſia omnia & ſingula pro adminiſtrando Baptiſmo ab Eminentiſſimo Cardinale parata, ſed quod contra ritum ei viſum fuit, fuiſſe menſam quamdam paratam ante Altare majus, ſupra quam pelvis erat cum aqua baptiſmali a Fonte extracta, qua ab Ipſo Cardinale baptizandus erat Catechumenus quidam, a Presbytero jam catechizatus. Ergo, factis debitis, & præſcriptis in hoc noſtro §. interrogationibus, ipſum Catechumenum Epiſcopus ſedens cum Mitra ſub Baldachino ad menſam, ut ſupra, paratam ante Altare ſalutari lavacro abluit. Sed ſubdit mox Barrufaldus, iſtam ſacri ritus inverſionem nonnullis diſplicuiſſe, quod, licet Miniſter eſſet Cardinalis, nulla tamen dignitati, atque Eminentiæ ſuæ irreverentia, nullumque incommodum inferebatur, accedendo ad Fontem Baptiſmalem, ut ab hoc eodem noſtro §. diſcrte præſcribitur, his verbis: *Poſtquam ad Baptiſterium deventum fuerit, dicens &c.* Sed in hujuſmodi ſacrarum rituum inverſionibus culpandam cenſeo Cæremoniariorum inſcitiam, ſive potius fœdam aſſentationem, quaſi Cardinalibus licitum ſit a ſacris Ritibus ſuprema auctoritate præſcriptis, ac longo Eccleſiæ uſu comprobatis, pro libito ſuo diſcedere. Confutavi jam ego non uno in loco Operum noſtrorum, communem fere abuſum Cæremoniariorum, qui in functionibus Eccleſiaſticis dirigendis, ut ſuum proprium, atque Epiſcoporum, & præſertim S. R. E. Cardinalium, quibus inſerviunt, ſæpe commodum quærant, ſacros Catholicæ ritus non modo invertere, ſed & mutilare, ac penitus prætermittere minime verentur contra Concilii Tridentini Decretum Seſſione VII. Cap. XIII. quod nos ſupra Tit. I. in Commentario ad §. II. late explicuimus.

CAPUT VII.

Benedictio Fontis Baptiſmi extra Sabbatum Paſchæ, & Pentecoſtes, cum aqua conſecrata non habetur.

I. Aquam rite conſecratam duobus Sabbatis immediate Paſcha, & Pentecoſten præcedentibus in Baptiſmo eſſe adhibendam, jam nos late oſtendimus ſupra non uno in loco, probavimuſque veterum Patrum, Conciliorum, ac Ritualium auctoritate, ex quibus etiam docemur, quo ritu peragi olim conſueverit ipſa prædictis Sabbatis Fontis Baptiſmalis benedictio, cum ſolemni ſcilicet proceſſione, ac cæremoniis, quas deſcribit eruditus Jacobus Eveillon in Libro, *De Proceſſionibus Eccleſiaſticis*, Cap. XIII. & Edmundus Martene Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. I. Articulo XVIII. & in Opere, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina in Divinis celebrandis Officiis*, Capite XXIV. num. XX. & ſeqq. Quoniam vero dari cauſa poſſit, ob quam aqua ipſa conſecrata uſui amplius eſſe nequeat, vel quia corrupta, vel quia defecit, hinc Eccleſia ritum inſtituit benedicendi Fontis Baptiſmi extra Sabbatum Paſchæ, & Pentecoſtes, cum aqua conſecrata non habetur. Licet enim benedictio ipſa, quæ adhibetur aquæ ad uſum Baptiſmi, non ſit de neceſſitate Baptiſmi, ſed pertinet ad quandam ſolemnitatem, per quam excitatur devotio Fidelium, & impeditur aſtutia dæmonis, ne impediat Baptiſmi effectum, ut docet S. Thomas Parte III. Quæſt. LXVI. Articulo III. ad V. dicendum tamen cum eodem S. Doctore in IV. Sententiarum, Diſtinctione V. Quæſtione II. Articulo I. Quæſtiuncula V. in Corpore, *quod non licet benedictionem prætermittere propter Eccleſiæ inſtitutionem*.

§. I.

Primum lavatur, & mundatur Vas Baptiſterii, deinde limpida aqua repletur. Tunc Sacerdos cum ſuis Clericis, vel etiam aliis Presbyteris, Cruce, & duobus cereis præcedentibus, ac thuribulo, & incenſo, & cum vaſculis Chriſmatis, & Olei Catechumenorum deſcendit ad Fontem; & ibi, vel ante Altare Baptiſterii dicit Litaniam ordinariam, prout habetur poſt ſeptem Pſalmos Pœnitentiales. Et ante ℣. *Ut nos exaudire digneris*, dicat, & ſecundo repetat ſequentem verſum: *Ut Fontem ipſum ad regenerandam tibi novam prolem benedicere* ✠, *& conſecrare* ✠, *digneris. Te rogamus, audi nos.*

COMMENTARIUS.

I. Jam ſupra edixerat noſtrum hoc Rituale Romanum, Capite I. de materia Baptiſmi loquens, §. VI. ut ſi aqua, benedicta ſcilicet memoratis Sabbatis Paſcha, & Pentecoſten præcedentibus, *corrupta fuerit, aut effluxerit, aut quovis modo defecerit, Parochus in Fontem bene mundatum, ac nitidum, recentem aquam infundat, eamque benedicat ex formula, quæ infra præſcribitur*. Hæc itaque eſt formula ibi indicata, quæ ponitur ultima inter res ad Baptiſmum ſpectantes, peculiarique præſenti hoc Capite explicatur, ad quod enarrandum lubet primum ea adnotare, quæ ſtatuit Sanctus Carolus in ſuo Provinciali IV. Concilio Mediolanenſi, Conſtitutionum Parte II. Capite, *Quæ pertinent ad Sacramentum Baptiſmi*, ubi poſtquam edixit, ut in iis Eccleſiis, quibus Fontis baptiſmalis ſolemniter benedicendi poteſtas data eſt ſtatis illis duobus Sabbatis, *is benedictionis ritus celebretur Sacerdotibus tribus ſaltem præſentibus ad illam adhibitis*, ita ſtatim ad rem noſtram ſubjungit: *Id præterea, de tribus ſcilicet Sacerdotibus adhibendis locum in omni Eccleſia habeat, ſi quando per annum in aliqua Eccleſia extra illa ſtata duo Sabbata, illius Fontis aquam Baptiſmalem ob extraordinariam cauſam renovari neceſſe erit.*

II. His & illud addendum cenſeo, quod idem Sanctiſſimus Præſul præſcribit Parte IV. Actorum Eccleſiæ Mediolanenſis in Inſtructionibus, *De Baptiſmi adminiſtratione*, pag. 497. col. I. *Quod ſi intra annum*, inquit, *præ temporis diuturnitate, aliave cauſa, illam corrumpi contigerit, in Sacrarium prope Fontem Parochus projiciet, ſtatimque & Fontem purgabit; & vero ſi in Urbe eſt, ad Metropolitanam; ſi in Diœceſi, ad Plebanam Eccleſiam veniet, unde proprio Vaſculo nitido aquam baptiſmalem accipiat, in Parochialemque Eccleſiam ſecreto ferat, ubi quamprimum in Fontem effundet, Baptiſmalique aquæ allatæ tantum etiam aquæ puræ, nitidæ, & recentis addet, quantum ſatis erit. Hoc ipſum etiam præſtabit, ſi etiam aqua baptiſmalis per annum aliquo modo defecerit.* Sed hoc ſtatutum editum fuit a S. Carolo pro Eccleſia Mediolanenſi; neque enim Rituale noſtrum præſcribit, ut ubi aqua baptiſmalis deficiat, aut corrupta ſit, Parochus aquam ab Eccleſia Cathedrali accipiat, & ad ſuam deferat. Sed pergit S. Carolus aliaqua edicit, quæ ad rem, de qua agimus, ſpectant, ſic enim mox ait: *Si vero in Eccleſia Metropolitana, vel Plebana, ubi Fontis benedictionem fieri ſolemne eſt, aquam baptiſmalem corrumpi, aut deficere contigerit, tunc Archipresbyter, aut Præpoſitus, Rocheto, Cappa, & Stola violacea indutus, Fonte primum diligenter purgato, & aquæ puræ, mundæ, recentiſque pleno, Oleoque Sacro, quod aquæ immiſceri debet, parato, benedictionem, omiſſis cæteris cæremoniis, peraget, ut infra ſuo loco inter Benedictiones, adhibitis ſaltem duobus Clericis.* Atque hic addiſcimus, duplici ex cauſa poſſe, ac debere peragi, extra duo illa ſtata Sabbata Paſchæ & Pentecoſtes, Fontis baptiſmalis benedictionem, ubi ſcilicet, *aquam baptiſmalem corrumpi, aut deficere contigerit*. Atque tunc quidem, quum hic caſus acci-

ciderit, lavandum primum, ac mundandum vas Baptiſterii, ut ait noſter §. & deinde limpida aqua repletur, naturali ſcilicet, cujuſcumque Fontis, vel fluvii, ſeu putei, ſimiliſve originis, uti diximus ſupra, cum de remota Baptiſmi materia in Commentariis ad Caput 1. hujus Tituli diximus.

III. Quamquam vero hæc Fontis baptiſmalis benedictio, de qua nunc agimus, non ſit illa ſolemniſſima, quæ ex pervetuſto Eccleſiæ ritu fieri quotannis ſolet cum magno apparatu ſtatis illis duobus Sabbatis Paſchatis, ac Pentecoſtes, fieri nihilominus debet cum multo decore, & proprietate, ac Proceſſione juxta præſcriptum hujus noſtri §. ubi mandat, ut *tunc Sacerdos cum ſuis Clericis, vel etiam aliis Presbyteris, Cruce, & duobus cereis præcedentibus, ac thuribulo, & incenſo, & cum vaſculis Chriſmatis, & Olei Catechumenorum deſcendat ad Fontem, & ibi, vel ante Altare Baptiſterii, dicat Litaniam ordinariam &c.* Jam non addubito, quin Clerici, Presbiterive, de quibus in hoc noſtro §. fit mentio, debeant in iſta Proceſſione incedere Superpelliceis induti, præſertim vero principalis Sacerdos benedictionem peracturus, quem iccirco puto debere non ſolum Stola violacea, verum etiam Pluviali ejuſdem coloris eſſe indudutum, tametſi nihil de hac re §. noſter ſtatuerit. Quod autem de Pluviali dixi, hoc dictum volo, ubi commode id fieri poſſit, nam alias ſatis erit,ſi Sacerdos ipſe indutus ſit Superpelliceo, & Stola violacea. Ceterum quod ait idem noſter §. ut Sacerdos cum ea Proceſſione deſcendat *ad Fontem, & ibi, vel ante Altare Baptiſterii dicat Litaniam*, alludit plane ad ea Baptiſteria, quæ ab Eccleſiis ſunt ſeparata, & in quibus non unum modo, ſed plura Altaria erecta, de quibus etiam ſupra ſuo diximus loco.

IV. His ergo omiſſis, eſſe antiquum ritum, ut in Proceſſione ad benedicendum Fontem Litania caneretur, ex antiquis Romanis Ordinibus, & Ritualibus conſtat, præſertim vero ex Libro Sacramentorum Gellonenſis Monaſterii annorum circiter mille apud Martene Lib. 1. Capite 1. Articulo XVIII. Ordine VI. ex quo etiam ritus illuſtrari poſſunt in §.noſtro deſcripti: *Procedit Pontifex de Eccleſia cum omni Ordine Sacerdotum Litaniam cantantes, hoc eſt,* Kyrie eleiſon, *uſque dum perveniant ad Fontes, præcedentes ante eum duobus cereis ardentis, ſtatura hominis in altum habentes, cum thuribulis, & timiamatibus ambulant ad Fontem benedicendum, & tunc circa Fontes incipiunt Litania, qui ſequitur,* Chriſte audi nos, *aut ter dicatur &c.* Sequitur mox Litania, quæ brevis eſt, & legi poteſt apud memoratum Auctorem, loco citato, itemque in alio ejuſdem Opere, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina in Divinis celebrandis Officiis*, Cap. XXIV. ubi antiquos Sabbati Sancti ritus recenſet ex varii Ritualibus, in quibus breves leguntur Litaniæ, quæ ad benedicendos Fontes recitari ſolebant. In quibus etiam cum nihil repererim de eo ritu in §. noſtro præſcripto, ut nempe Sacerdos in Litania ante verſiculum, *Ut nos exaudire digneris*, dicat, & ſecundo repetat, ſequentem verſum, *Ut Fontem iſtum ad regenerandam tibi novam prolem &c.* puto equidem recentioris eſſe inſtituti.

§. II.

Poteſt etiam dici Litania brevior, ut in Miſſali in Sabbato Sancto, & dicto ultimo, *Kyrie eleiſon*, Sacerdos dicat, *Pater noſter*, & *Credo in Deum &c.* omnia clara voce; quibus finitis, dicat ℣. *Apud te Domine eſt fons vitæ*. ℟. *Et in lumine tuo videbimus lumen*. ℣. *Domine exaudi orationem meam*. ℟. *Et clamor meus ad te veniat*. ℣. *Dominus vobiſcum*. ℟. *Et cum ſpiritu tuo*.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus adeſto magnæ pietatis tuæ myſteriis, adeſto Sacramentis; & ad recreandos novos populos, quos tibi Fons Baptiſmatis parturit, ſpiritum adoptionis emitte, ut quod noſtræ humilitatis gerendum eſt miniſterio, virtutis tuæ impleatur effectu. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. *Amen*.

COMMENTARIUS.

I. Si Litania brevior in ſolemniſſima Fontis benedictione, quæ fit in Sabbato Sancto juxta formam in Miſſali Romano præſcriptam dicitur, multo magis brevior ipſa Litania dici poteſt in hac minus ſolemni benedictione, quæ extra Sabbatum ipſum, & Pentecoſtes peragitur, ubi aqua baptiſmalis non habetur. Quæcunque ſit Litania, quæ dicitur, ſive prolixior, ſive brevior, ſignificat conſortium Sanctorum cum baptizandis,ſeu nuper baptizatis, ut poſt Gavantum notat Chriſtianus in Praxi Pontificali majoris hebdomadæ, Sectione V. Capite VIII. in myſticis expoſitionibus, lit. *A.* Ratio autem, cur poſt Litaniam clara voce Dominica Oratio, & Apoſtolorum Symbolum ex præſcripto noſtri §. recitentur, ea traditur a Barruſaldo ad ipſum §. quia cum recitentur ob conſecrandum Fontem, neceſſe eſt, ut palam, & publice innoteſcant articuli Fidei, & petitiones, ſeu ſupplicationes Fidelium contentæ in Oratione ipſa Dominica.

II. Porro completa Litania, ex præſcripto quidem pervetuſti Sacramentorum Libri Monaſterii Gellonenſis, *adſtante omne Clero, vel cuncto populo cum multis luminaribus*, in circuitu ſcilicet Fontis, *facto ſilentio, dicit Pontifex,* Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. *Sequitur Oratio*, eadem nempe, quæ in hoc noſtro §. deſcripta eſt, *Omnipotens ſempiterne Deus adeſto &c.* quæque in veteri Miſſali Gallicano extat, quod Cardinalis Thomaſius publici juris fecit, & in aliis multis Sacramentorum Codicibus. Sed ad-

admonendum hic illud tamen, formulam ipſam benedictionis Fontis tametſi antiquam, jam non eandem fuiſſe ubique, ſed plane diverſum. Alia eſt enim, quæ in Gelaſiano, & Gregoriano Sacramentario reperitur; alia, quæ in Liturgiis Gallicanis; alia, quæ in Miſſali Moſarabum; alia quæ in Ambroſiano; imo nec in variis ejuſdem Nationis Liturgiis una eademque reperitur formula; nam in tribus verbi gratia Gallicanis vetuſtiſſimis Miſſalibus a memorato Thomaſio, & a Mabillonio editis benedictionis formulæ omnino ſunt inter ſe diſſimiles, ut obſervavit Martene in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina in Divinis celebrandis Officiis*, Cap. XXIV, n. XXIII.

§. III.

Exorciſmus aquæ.

Exorcizo te creatura aquæ per Deum vivum ✠, *per Deum verum* ✠, *per Deum ſanctum* ✠, *per Deum, qui te in principio, verbo ſeparavit ab arida, cujus ſuper te Spiritus ferebatur, qui te de Paradiſo manare juſſit.* Hic manu aquam dividat, & deinde de ea effundat extra marginem Fontis, verſus quatuor Orbis partes, proſequens. *Et in quatuor fluminibus totam Terram rigare præcepit. Qui te in Deſerto amaram per lignum dulcem fecit, atque potabilem. Qui te de petra produxit, ut populum, quem ex Ægypto liberaverat, ſiti fatigatum recrearet. Exorcizo te per Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum, Dominum noſtrum, qui te in Cana Galileæ ſigno admirabili ſua potentia convertit in vinum. Qui ſuper te pedibus ambulavit, & a Joanne in Jordane in te baptizatus eſt. Qui te una cum Sanguine de latere ſuo produxit, & Diſcipulis ſuis juſſit, ut credentes baptizarent in te, dicens;* Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. *Ut efficiaris aqua ſancta, aqua benedicta, aqua quæ lavat ſordes, & mundat peccata. Tibi igitur præcipio, omnis ſpiritus immunde, omne phantaſma, omne mendacium, eradicare, & effugare ab hac creatura aquæ, ut qui in ipſa baptizandi erunt, fiat eis fons aquæ ſalientis in vitam æternam, regenerans eos Deo Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, in Nomine ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos, & mortuos, & ſæculum per ignem.* ℟. *Amen. Oremus.*

Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, aquarum ſpiritualium ſanctificator, te ſuppliciter deprecamur, ut ad hoc miniſterium humilitatis noſtræ reſpicere digneris, & ſuper has aquas abluendis, & purificandis hominibus præparatas Angelum ſanctitatis emittas, quo peccatis vitæ prioris ablutis, reatuque deterſo, purum Sancto Spiritui habitaculum regenerati effici mereantur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate ejuſdem Spiritus Sancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. EXorciſmus aquæ baptiſmalis in ejus benedictione eſt plane antiquiſſimus, ſicut & ejus formula ſimiliter eſt antiquiſſima, varia tamen in variis antiquis Sacramentorum Libris allatis a Martene Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. I. Articulo XVIII. præſertim vero in veteri Miſſali Gallicano a Cardinale Thomaſio edito, ubi hic extat Exorciſmus aquæ Fontis baptiſmalis; *Exorcizo te Fons aquæ perennis per Deum ſanctum, per Deum verum, qui te in principio ab arida ſeparavit, & in quatuor fluminibus Terram rigare præcepit. Sis aqua ſancta, aqua benedicta, abluens ſordes, & dimittens peccata. In illius te Nomine exorcizo, qui dedit Diſcipulis ſuis novum Sacramentum, dicens;* Ite in Gentibus, baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. *Fiat nunc, Domine, aqua ſancta exorcizata ad expiandos Filios Dei. Per Patrem, & Filium ejus Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui venturus eſt cum Spiritu Sancto judicare mundum per ignem.* Videtur plane in hoc Exorciſmo in compendium redactus ipſe Exorciſmus in hoc §. noſtro deſcriptus, qui quidem ex variis Veteris Novique Teſtamenti locis compactus eſt, quibus prærogativæ aquæ narrantur.

II. Quod ritus ſpectat in ipſo Exorciſmo ſervandos, præcipuus plane eſt ille exorcizandi aquam variis Crucis ſignaculis; *Quod ſignum*, inquit S. Auguſtinus, *niſi adhibeatur, ſive frontibus credentium, ſive ipſi aquæ, ex qua regenerantur, ſive Oleo, quo Chriſmate unguntur, ſive Sacrificio, quo aluntur, nihil eorum recte perficitur*. Hinc idem S. Doctor Sermone CCLII. ait; *Sed quia Baptiſmus, ideſt ſalutis aqua non eſt ſalutis, niſi Chriſti nomine conſecrata, qui pro nobis Sanguinem fudit, Cruce ipſius aqua ſignatur*. Et Auctor Sermonis, *De Symbolo*, inter Opera ejuſdem Auguſtini Tomo VI. novæ editionis: *Hoc enim ſigno Crucis*, inquit, *conſecratur Corpus Dominicum, ſanctificatur Fons Baptiſmatis*. Signari aquam ipſam Fontis baptiſmalis variis Crucis ſignis per Sacerdotem, dum Exorciſmos, Orationeſque in eandem pronunciat, conſtat paſſim ex pervetuſtis Sacramentorum Libris, ac Ritualibus. Quod ait noſter §. in ipſo aquæ Exorciſmo, ut poſt ea verba: *Qui te de Paradiſo manare juſſit*, Sacerdos *manu aquam dividat, & deinde de ea effundat extra marginem Fontis verſus quatuor Orbis partes*, legitur quidem in variis Miſſalibus, præſertim vero in Eccleſiæ Mediolanenſis Miſſali edito anno MDLX. & MDCLXIX.

mdclxix. ubi tamen poſt ea verba ; *& ex quatuor fluminibus totam Terram rigare præcepit*, hæc Rubrica ſubjicitur : *Hic dividat aquam manu dextra in formam Crucis.* Diviſio itaque facienda eſt per modum Crucis, uti habetur in Ordine i. antiquo Romano, in ejus ſcilicet Appendice, num. 9. apud Mabillonium Tomo II. Muſæi Italici pag. 36. & ſimili modo effuſio, modica tamen, *extra marginem verſus quatuor Orbis partes*, ut ait noſter §. nempe Orientem, Occidentem, Meridiem, & Septentrionem, ad ſignificandam univerſalitatem Baptiſmi per totius Orbis partes diffuſi. Oratio tandem, *Domine Sancte, Pater Omnipotens &c.* in eodem noſtro §. deſcripta, antiquiſſima profecto eſt, legiturque in vetuſtis Sacramentorum Libris, præſertim vero in illo Gelaſii Papæ, ac in aliis multis ante annos mille exaratis, in quibus aliæ etiam extant Orationes.

§. IV.

Tunc ſufflet ter in aquam verſus tres partes ſecundum hanc figuram ✠. Deinde imponit incenſum in Thuribulo, & Fontem incenſat. Poſtea infundens de Oleo Catechumenorum in aquam in modum Crucis, clara voce dicit : *Sanctificetur, & fecundetur Fons iſte Oleo ſalutis renaſcentibus ex eo in vitam æternam. In Nomine Patris ✠, & Filii ✠, & Spiritus ✠ Sancti.* ℟. *Amen.*

§. V.

Deinde infundit de Chriſmate modo, quo ſupra, dicens : *Infuſio Chriſmatis Domini Jeſu Chriſti, & Spiritus Sancti Paracliti, fiat in Nomine Sanctæ Trinitatis.* ℟. *Amen.*

§. VI.

Poſtea accipit ambas ampullas dicti Olei Sancti & Chriſmatis, & de utroque ſimul in modum Crucis infundendo, dicit : *Commixtio Chriſmatis ſanctificationis, & Olei unctionis, & aquæ Baptiſmatis pariter fiat in Nomine Patris ✠, & Filii ✠, & Spiritus ✠ Sancti.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. VArii ſunt plane ritus in tribus hiſce Paragraphis contenti, quos ſimul unico hoc Commentario ob eorum connexionem explicandos agredimur. Ergo poſt Orationem, *Domine Sancte, Pater Omnipotens &c.* de qua ſupra in §. iii. diximus, mandat Rubrica §. iv. ut Sacerdos *tunc ſufflet ter in aquam verſus tres partes ſecundum hanc figuram* ✱. Meminit hujus in aquam baptiſmalem inſufflationis, & quidem *per tres vices*, antiquiſſimum Miſſale Gothicum-Gallicanum a Cardinale Thomaſio editum, aliique non pauci Sacramentorum Libri, & Codices Rituales, in quorum nonnullis illud etiam præſcriptum eſt, ut fiat ipſa ſufflatio in formam Crucis, quam noſter quoque §. iv. expreſſit in Rituali Romano BENEDICTI Papæ XIV. juſſu edito, auctoque, Romæ mdcclii. Quod iccirco dixi, quia in præcedentibus Romani Ritualis editionibus hæc alia figura inſpicitur Ψ, ſecundum quam ter fieri debet ſufflatio in aquam verſus tres partes. Quicquid ſit de variis figuris, quibus per aliquos fieri ſolet iſta ſufflatio, quaſque recenſet Barruſaldus in Commentariis ad Rituale Romanum, Tit. xvi. §. vi. num. 19. & ſeqq. ſufflationem ipſam præſcribunt etiam Liber Sacramentorum S. Gregorii Papæ, Miſſale Ambroſianum, & Mozarabum, ejuſque ritus meminit Severus Alexandrinus Patriarcha in Tractatu, *De ritibus Baptiſmi*, deſignatque Spiritus Sancti adventum in aquam, quemadmodum Chriſtus Dominus Diſcipulis ſuis dans Spiritum Sanctum inſufflavit.

II. Varias myſticas rationes ejuſdem ritus recenſet Durandus in Rationali Divinorum Officiorum Lib. vi. Cap. lxxxi. num. II. ubi ait, ob triplicem rationem fieri a Sacerdote inſufflationem in ipſam Aquam Fontis baptiſmalis : *Primo, ut ſicut in Exorciſmo Catechumini ſpiritus immundus inſufflatur, ut ab homine recedat, ita & in Exorciſmo aquæ, ut ab ea expellatur, & adimpleatur, quod Dominus inquit* : Nunc princeps mundi hujus ejicietur foras. *Secundo, ut intelligat Satanas, quantus habeatur, quam tam leviter videlicet per ſuavem exſufflationem poteſt expelli. Tertio, ut Sacerdos oſtendat, quali ignominia diabolus dignus ſit ab aquis expelli.* Explicat mox rationem, cur ter fiat iſta inſufflatio : *Inſufflat autem Sacerdos ter, quia Spiritus Sanctus tria in Baptiſmo operatur, a vitiis purgat, virtutibus ornat, & tandem præmio æterno coronat eos, in quibus ſit hæc inſufflatio.* Ut alios demum omittam, Gavantus in Rubricas Miſſalis, Parte iv. Tit. x. *De Sabbato Sancto*, num. 26. docet, Sacerdotem ſufflare, *ter in modum* ✱, *ut cum Cruce Trinitatem conjungat, a quibus habet vim Baptiſmus, majorem autem a Trinitate.* Atque ex hoc teſtimonio Gavanti recte factum puto in citata nova noſtri Romani Ritualis editione, ut ubi primum exprimebatur in ipſa ſufflatione in aquam figura Ψ, figura ✱ exprimeretur.

III. Facta ſufflatione, ex præſcripto noſtri §. iv. Sacerdos *deinde imponit incenſum in thuribulo, & Fontem incenſat.* Quamvis nulla in antiquis Sacramentorum Codicibus, ac Ritualibus Libris mentio fiat incenſandi Fontis, forte antiquus

quus quoque hic ritus eſt, quia ſcilicet ex antiquo inſtitutò, cujus inter alios meminit antiquus Ordo Romanus VII. num. 10. apud Mabillonium Tomo II. Muſei Italici, in ſolemni Proceſſione, quæ Sabbato Sancto ad baptiſmales Fontes benedicendos, recenſentur etiam thuribula, ac thymiateria. Certe addubitari illud nequit, quin antiquus ſit ritus in ipſo noſtro IV. §. & ſequentibus præſcriptus, ut ſub ipſis formulis ibidem notatis, Sacerdos in ipſam aquam de Oleo Catechumenorum, & de Chriſmate in modum Crucis infunderet. Sed notandum hic tamen eſt, quod obſervavit accuratus Martene in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina in Divinis celebrandis Officiis*, Cap. XXIV. num. XXIV. ſolam nempe Chriſmatis infuſionem in Benedictione Fontis Baptiſmatis decerni in vetuſtiſſimo Codice Gellonenſi, Dionyſiano Sacramentario annorum circiter CM. in Conſtantinopolitano Pontificali, in antiquis Miſſalibus, Lugdunenſi, Narbonenſi, Arelatenſi, Auguſtodunenſi, Tholonienſi, præ ceteris vero in antiquo I. Romano Ordine, in ejus nempe Appendice, num. 9. Chriſmati autem Oleum adjungi in Miſſali Ambroſiano, Mozarabico, Pariſienſi, Pictavienſi, Lemovicenſi, Catalaunenſi, duplici Codice Turonenſi annorum circiter DCC. Ordinario Silvanectenſi, Laudunenſi, Lingonienſi, Carnotenſi S. Joannis, Gaſtinenſi, & aliis multis, quæ recenſere hoc loco ſupervacaneum eſt.

IV. Ad formulas quod attinet, in Miſſali Gothico-Gallicano a Cardinale Thomaſio edito hæc extat formula dicenda, dum Chriſma immittitur in Fontem in modum Crucis: *Infuſio Chriſmæ ſalutaris Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut fiat fons aquæ ſalientis cunctis deſcendentibus in eo in vitam æternam. Amen*. In antiquo Sacramentario Gallicano, quod ex ms. Codice Bobienſi annorum circiter MC. vulgavit Mabillonius Tomo I. Muſei Italici, ſic legitur: *Infuſio Chriſmæ ſalutaris Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut fiat fons aquæ vivæ ſalientis cunctis venientibus in vitam æternam*. In ms. Pontificali Eccleſiæ Apamienſis in Syria annorum circiter DC. ubi ſolius ſit Chriſmatis mentio in aquam baptiſmalem, ſic ritus deſcribitur: *Infundat Chriſma in Fontem in modum Crucis ſuper ipſam aquam, dicens*: Sanctificetur, & fœcundetur Fons iſte in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. *Tunc miſceat ipſum Chriſma cum eadem aqua, & ſpargat cum manu per omnem Fontem*. Idem legitur in antiquo Romano Ordine X. num. 22. apud Mabillonium Tomo II. Muſei Italici, pag. 105. & ſeq. ſignata tamen formula variis Crucibus hunc in modum: *Sancti ✠ ficetur, & fœcundetur Fons iſte in nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti, Amen*. Atque ad hanc formulam, ac ritum reſpexit Durandus, ubi citato ſuperius loco, in fine ſic ſcripſit: *Per hujuſmodi admixtionem unio Chriſti, & Eccleſiæ ſignificatur; nam Chriſma eſt Chriſtus, aqua populus; & dicitur*: Sanctificetur Fons iſte; *ex quibus verbis, ad quid fiat admiſtio, ſatis datur intelligi*.

V. His plane concinit Sacerdotale Romanum Venetiis impreſſum anno MDLXVII. Parte III. *De Proceſſione ad benedictionem Fontis in Sabbato Sancto, & in Vigilia Pentecoſtes*, in qua ſolius Chriſmatis ſit mentio cum hac formula in aquam infundendi: *Sanctificetur, & fœcundetur Fons iſte hoc ſalutifero Chriſmate in Nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti*. At vero conſonat quidem noſtris Paragraphis, ſed cum aliqua etiam variatione, quod legitur in Romanis antiquis Miſſalibus, & illo præſertim Lugduni impreſſo anno MDLXXVIII. in Benedictione Fontis Sabbato Sancto, his verbis: *Sacerdos, qui benedixit Fontem, infundit de Oleo Catechumenorum in aquam in modum Crucis, intelligibili voce dicens*: Sanctificetur, & fœcundetur Fons iſte Oleo ſalutis renaſcentibus ex eo in vitam æternam. ℞. Amen. *Deinde infundit de Chriſmate modo, quo ſupra dicens*: Infuſio Chriſmatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Spiritus Sancti Paracliti fiat in Nomine Sanctæ Trinitatis. ℞. Amen. Porro in Miſſali Ambrosiano anni MDCLXIX. diverſa prorſus eſt formula illa, quæ dicitur in Olei Catechumenorum infuſione in Fontem; ſic enim ait: *Sit Fons iſte Sacer, ſanctificatus, perunctus, benedictus, in Nomine Patris ✠, & Filii ✠, & Spiritus Sancti. ℞. Amen*. At vero illa, quæ dicitur in Chriſmatis immiſſione eadem prorſus eſt, ac ea in noſtro §. V. deſcripta.

VI. Reliquum eſt, ut de eo ritu dicamus, quem noſter §. VI. præſcribit, ut nempe Sacerdos poſt immiſſa Oleum Catechumenorum, & Chriſma in Fontem, ſub prædictis formulis, accipiat ambas ampullas dicti Olei Sancti, & Chriſmatis, & de utroque ſimul in modum Crucis infundendo, dicat, *Commixtio Chriſmatis &c.* Qui quidem ritus licet in multis antiquis Ritualibus, Miſſalibuſque deſideretur, extat tamen in citatis Miſſalibus Romano, & Ambroſiano.

§. VII.

Tum depoſita ampulla, dextera manu Oleum Sanctum, & Chriſma infuſum miſcet cum aqua, & ſpargit per totum Fontem. Deinde medulla panis manum tergit, & ſiquis baptizandus eſt, eum baptizat, ut ſupra. Quod ſi neminem baptizat, ſtatim manus abluat, & ablutio effundatur in Sacrarium.

COMMENTARIUS.

I. Depoſita ampulla, utraque ſcilicet, Catechumenorum Olei, & Chriſmatis, ex præſcripto noſtri hujus §. ac nonnullorum antiquiorum Miſſalium, & Ritualium, Oleum ipſum Catechumenorum, & Chriſma infuſum miſcet demum cum aqua Sacerdos, & ſpargit per totum Fontem, ut ſcilicet, quantum fieri poteſt, per totum vas dilatetur; manuque dextera iccirco utitur, quod ipſa per gyrum ducta, & circumducta, majorem habet vim ad id faciendum. Quod quidem non fieri abſque myſterio, notavit jam poſt Durandum inter alios Paulus

lus Maria Quarti Clericus Regularis in Tractatu, *De benedictionibus*, Tit. II. Sectione VII. Præludio II. in fine his verbis: *Tandem fit admixtio Olei, & Chriſmatis, cum aqua, quia in Baptiſmo fideles populi ſignificati per aquam, uniuntur, & incorporantur Chriſto per Chriſma, & Oleum figurato*. Peracta hac functione, medulla panis manum tergit Sacerdos, & ſiquis baptizandus eſt, eum baptizat. Quod ſi neminem tunc baptizat, mandat noſter §. ut ſtatim manus abluat, & ablutio effundatur in Sacrarium. Atque hic eſt ritus benedictionis Fontis Baptiſmi extra Sabbatum Paſchæ, & Pentecoſtes ſervandus, cum aqua conſecrata in ipſo Fonte deficeret, vel eſſet alias corrupta; qui quidem ritus in compendium ex eo redactus eſt, qui majori cum ſolemnitate in Sabbato ipſo Paſchatis, & Pentecoſtes peragitur.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ

TITULUS III.

I. Poenitentiæ nomen triplici in ſenſu ſumi in Scripturis, docet quidem Catechiſmus Tridentini Concilii, itemque Theologi paſſim, ac poſt alios Doctiſſimi Scriptores, Oratorii Gallicani Presbyteri, Joannes Morinus, *De diſciplina in adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ*, & Gaſpar Jueninus, *De Sacramentis*, in Diſſertatione VI. Sumitur nempe primo pro pœna, qua quis admiſſum ſcelus caſtigat, ſicque intelligi debet illa Chriſti ſententia, Matthæi, Capite XI. *Si in Tyro, & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent*. Sumitur ſecundo pro odio, ac deteſtatione vitæ veteris, juxta illud Apoſtolorum Principis effatum, Capite II. Actuum Apoſtolorum: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum*, ideſt deteſtamini Deicidium, quod admiſiſtis in Chriſti morte: *Hunc definito conſilio, & præſcientia Dei traditum per manus iniquorum affligentes interemiſtis*. Sumitur tertio pro reſipiſcentia, ſeu pro mutatione iniquæ vitæ veteris in novam aliam, quæ pia ſit, atque ſancta, ſecundum illud Apoſtoli dictum in Epiſtola II. ad Corintios, Capite VII. *Quæ ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur*. Cujus quidem pœnitentiæ, ſeu novæ vitæ hæc ſunt argumenta: *Quantam in vobis operatur ſolicitudinem, ſed defenſionem, ſed indignationem, ſed timorem, ſed deſiderium, ſed æmulationem, ſed vindictam*.

II. Triplicem illum Pœnitentiæ ſenſum, Novum Teſtamentum Græce conſcriptum expreſſit Μετανίας nomine. Illum quoque complexus eſt Lactantius Lib. VI. Inſtitutionum, Capite XXIV. ubi ſic loquitur: *Is, quem facti ſui pœnitet, errorem ſuum priſtinum intelligit; ideoque Græci melius, & ſignificantius Μετανίας dicunt, quam nos poſſumus reſipiſcentiam dicere. Reſipiſcit enim, ac mentem ſuam quaſi ab inſania recipit, quem errati piget, caſtigatque ſe ipſum dementiæ, & confirmat animum ad rectius vivendum; tum illud ipſum maxime cavet, ne rurſus in eoſdem laqueos inducatur*. Quamvis autem vera, & proprie dicta pœnitentia, vitæ veteris odium, vindictam, & novæ propoſitum includat, uti mox dictum fuit, nomen tamen habet ſuum præſertim a pœna, qua quis quod deliquerit, animadvertit in ſeipſum, uti docet S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus Lib. VI. Originum, Capite XIX. ubi ſic inquit: *A punitione pœnitentia nomen accepit, quaſi pœnitentia, dum ipſe homo punit pœnitendo, quod male admiſit*. Sed licet Pœnitentia a punitione ſic appelletur, nihilominus punitio non eſt id primum, quod in ea reperitur, ſequitur nimirum ex facti odio, quod importat, uti addiſcere licet ex S. Auguſtino, qui in Epiſtola LIV. ſic habet: *Nihil aliud agunt quos veraciter pœnitet, niſi ut id, quod male fecerint, impunitum eſſe non ſinant. Eo quippe modo ſibi non parcentibus, ille parcit, cujus altum juſtumque judicium nullus contemptor evadet*.

III. Præter multiplicem pœnitentiæ acceptionem, de qua late loquuntur laudatus Catechiſmus Concilii Tridentini Parte II. *De Pœnitentiæ Sacramento*, atque Theologi paſſim in eodem Tractatu, accipitur quoque pro vero, ac propriæ dicto Novæ Legis Sacramento, a Chriſto Domino inſtituto, quo peccata poſt Baptiſmum commiſſa delentur, atque de hoc quidem in præſenti agimus ſecundum ea, quæ in hoc Titulo præſcripta ſunt. Sed pro majori intelligentia eorum, quæ de Sacramento Pœnitentiæ dicenda ſunt, conſiderandum quoque cenſeo hoc loco, quid interſit inter pœnitentiam, quam nobis frequentiſſime commendant Sacræ utriuſque Teſtamenti Paginæ, & eam, quæ inter ſeptem Eccleſiæ Sacramenta medio loco numeratur. Illa enim pœnitentia virtus eſt, vel actus virtutis, hæc autem Sacramentum novæ Legis pro reparatione lapſorum poſt Baptiſmum, ut infra latius in Commentario ad §. 1. dicemus, plus aliquid requirens, quam qualemcumque illius virtutis actum. Illa etiam a baptizandis exigitur, hæc a ſolis baptizatis.

IV. Notat hæc Theologus magni nominis Gulielmus Eſtius in Libri IV. Sententiarum Diſtinctionem XIV. ubi allatis variis Divinæ Scripturæ locis, & Concilii Tridentini Decretis, varia recenſet diſcrimina pœnitentiæ, ut eſt virtus, & ut eſt Sacramentum, ex iiſque etiam illud patere inquit, pœnitentiam in genere a pœnitentia relapſorum non aliter differre, quam ut genus a ſpecie; ab utraque vero diſtingui ipſum Pœnitentiæ Sacramentum tanquam ſignum ſenſibile ad reconciliationem eorum, qui poſt Baptiſmum lapſi ſunt, inſtitutum, ac proinde pœnitentiam relapſorum tanquam neceſſariam diſpoſitionem requirens. Convenire tamen ait Magiſter Sententiarum pœnitentiam, ut eſt virtus, cum Pœnitentiæ Sacramento, quod utrumque eſt cauſa ſalutis, & juſtificationis, etſi differenter. Nam virtus Pœnitentiæ, ſeu actus ejus præparat, & diſponit ad juſtificationem. Sacramentum autem ipſam juſtificationis gratiam confert ex opere operato more aliorum Sacramentorum. Ita plane Eſtius loco citato.

CA-

CAPUT I.

§. I.

Sacrum Pœnitentiæ Sacramentum ad eos, qui poſt Baptiſmum lapſi ſunt, in gratiam Dei reſtituendos, a Chriſto Domino inſtitutum, eo diligentius adminiſtrandum eſt, quo frequentior eſt ejus uſus, & quo plura requiruntur ad illud recte, digneque tractandum, ac ſuſcipiendum. Cum autem ad illud inſtituendum tria concurrat, materia, forma, & Miniſter; illius quidem remota materia ſunt peccata, proxima vero ſunt actus pœnitentis, nempe contritio, confeſſio, & ſatisfactio; forma autem, illa abſolutionis verba: *Ego te abſolvo &c.* Miniſter denique eſt Sacerdos habens poteſtatem, vel ordinariam, vel delegatam. Sed ſi periculum mortis immineat, approbatuſque deſit Confeſſarius, quilibet Sacerdos poteſt a quibuſcunque Cenſuris, & peccatis abſolvere. In ejus Miniſtro requiritur etiam bonitas, ſcientia, atque prudentia cum ſigillo ſecretæ Confeſſionis ſub exacto, perpetuoque ſilentio. Quibus & aliis ad id opportunis ut optime ſint inſtructi, omni ſtudio curare debent Confeſſarii.

COMMENTARIUS.

I. QUum ea ſit humana fragilitas ex peccato primi parentis contracta, ut pauci perceptam Baptiſmi gratiam, de quo in ſuperiori Titulo diximus, uſque in diem mortis illibatam cuſtudiant, ac nullo peccato mortali a ſe repellant, Divina bonitas hac quuque in parte ſaluti noſtræ miſericorditer conſuluit, inſtituens nimirum pro reconciliatione eorum, qui poſt Baptiſmum relapſi eſſent, Pœnitentiæ Sacramentum, ut Patres paſſim, & Concilia obſervarunt, innuitque hic noſter §. ubi initio inquit, *Sacrum Pœnitentiæ Sacramentum ad eos, qui poſt Baptiſmum lapſi ſunt, in gratiam Dei reſtituendos, a Chriſto Domino inſtitutum*. Inſtitutum fuiſſe a Chriſto Domino Sacramentum Pœnitentiæ, & quidem poſt ejus reſurrectionem, Patres æque, ac Theologi ducent. Quamvis enim Chriſtus initio ſuæ prædicationis pœnitentiam indixerit hominibus, ut determinatos modos actuum ſignificaret, qui ad hoc Sacramentum neceſſarii ſunt, cum Matthæi, Capite IV. ait: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim Regnum Cœlorum*; quod vero pertinet ad Officium Miniſtrorum, id determinaverit, cum dixit Petro Matthæi, Capite XXVI. *Tibi dabo claves Regni Cœlorum &c.* declarat tamen Tridentina Synodus Patrum traditioni inhærens, Seſſione XIV. *De Pœnitentia*, Cap. I. quod *Dominus Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipue inſtituit, cum a mortuis excitatus inſufflavit in Diſcipulos, dicens*, Joannis ſcilicet Cap. XX. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*. Porro cum hoc Sacramentum efficaciam habeat ex virtute Nominis Jeſu Chriſti patientis, & reſurgentis, conveniens admodum fuit, ut poſt reſurrectionem Salvatoris noſtri plene, ac perfecte inſtitueretur, & vis ejus prædicaretur juxta illud Lucæ Cap. ultimo: *Sic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere a mortuis tertia die, & prædicari in Nomine ejus Pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes Gentes*. Ita docet S. Carolus Parte III. Quæſtione LXXXIV. Articulo VII.

II. Patrum, ac Synodorum doctrinæ adhærens hic noſter §. recte ait, *Sacrum Pœnitentiæ Sacramentum ad eos, qui poſt Baptiſmum lapſi ſunt, in gratiam Dei reſtituendos, a Chriſto Domino inſtitutum*. Atque hæc eſt Concilii Tridentini doctrina citato Cap. I. Seſſionis XIV. ubi hæc habet: *Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum eſſet, ut juſtitiam in Baptiſmo, ipſius beneficio & gratia ſuſceptam conſtanter tuerentur, non fuiſſet opus, aliud ab ipſo Baptiſmo Sacramentum ad peccatorum remiſſionem eſſe inſtitutum. Quoniam autem Deus dives in miſericordia cognovit figmentum noſtrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui ſe ſe poſtea in peccati ſervitutem, & dæmonis poteſtatem tradidiſſent, Sacramentum videlicet Pœnitentiæ, quo lapſis poſt Baptiſmum beneficium mortis Chriſti applicatur*. Hinc Pœnitentiam, ut idem Concilium ait Seſſione VI. *De juſtificatione*, Cap. XIV. & conſtat ex Canone, *Secunda*, de Pœnitentia, Diſtinctione I. & ex S. Hieronymo in Epiſtolis ad Sabinianum Diaconum increpatoria, & ad Demetriadem, de ſervanda virginitate, *ſecundam poſt naufragium deperditæ gratiæ tabulam Sancti Patres apte nuncupaverunt*. Ut enim confracta navi, unum vitæ ſervandæ perfugium reliquum eſt, ſi forte tabulam aliquam de naufragio liceat accipere; ita poſt amiſſam Baptiſmi innocentiam, niſi quis ad Pœnitentiæ tabulam confugiat, ſine dubio de ejus ſalute deſperandum eſt, ut inquit Catechiſmus Tridentini Concilii, Parte II. *De Pœnitentiæ Sacramento*, num. I.

III. Quoniam vero poſtremis hiſce temporibus ſectarii Sacramenta confundentes, ipſum Baptiſmum docent eſſe Pœnitentiæ Sacramentum, quaſi Baptiſmus ſemel ſuſceptus, ad ſequentium omnium peccatorum remiſſionem valeat, ſola ſui recordatione, abſque alio Sacramento, hinc viſum fuit memorati Tridentini Concilii Patribus, accuratius diſtinguere inter hæc duo Sacramenta, in citata Seſſione XIV. Cap. II. ubi varias rationes afferunt, quibus hoc Sacramentum a Baptiſmo differre dignoſcitur, eamque diſtinctionem interpoſito anathemate ſancire, Can. II. his verbis: *Siquis Sacramenta confundens, ipſum Baptiſmum, Pœnitentiæ Sacramentum eſſe dixerit, quaſi hæc duo Sacramenta diſtincta non ſint, atque ideo Pœnitentiam non recte ſecundam poſt naufragium tabulam appellari, anathema ſit.* Varia inter utrumque Sacramentum Baptiſmi, & Pœ-

Pœnitentiæ diſcrimina recenſere hic ſupervacaneum eſt, cum legi de iis poſſit citatum Caput II. Seſſionis XIV. Concilii Tridentini, itemque Theologi paſſim de Sacramento Pœnitentiæ agentes, inter quos videri Eſtius poteſt in Libri Quarti Sententiarum Diſtinctionem XIV. §. IV.

IV. Cum vero tanta ſit Sacramenti Pœnitentiæ neceſſitas, nulla ut peccatoribus ſine illo ſalus ſperanda videatur; tantaque Eccleſiæ ſollicitudo ſemper extiterit, ut certis, ſtatiſque temporibus ad deponenda apud Sacerdotem peccata, ſalutareque Pœnitentiæ remedium aſſumendum, eos cogeret, mirum plane videbitur, indulgentiam hanc peccatoribus quibuſdam fuiſſe aliquando denegatam. Et certe, ut recte notat Martene, Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Capite VI. Articulo II. num. I. & ſeqq. qui antiqua Eccleſiæ inſtituta ex hodierno uſu metiri ſolent, hi haud dubie non ſine aliquo inhumanitatis ſenſu fieri id potuiſſe exiſtimabunt. Verum in antiqua Eccleſiæ diſciplina verſatis alia profecto mens erit, cum probe noverint, ſub ipſo Chriſtianæ Religionis exordio, flagrante ſtudio pietatis, & improbitatis odio, longe graviores in delicta pœnas conſtitutas fuiſſe. Neque ægre audient, quoſdam aliquando Pontifices peccatis veniam prorſus omnem denegaſſe. Non quod ſolvendi, dimittendique peccata auctoritatem in Eccleſia deſiderarent (quod fuit perverſum Montaniſtarum, & Novatianorum dogma, quos, ut recte notavit laudatum Concilium Tridentinum Seſſione XIV. Cap. I. *magna ratione Eccleſia Catholica tanquam hæreticos exploſit, atque condemnavit.*) Sed quod firmiter crederent, eum, qui ſolvendi, & remittendi delicta, poteſtatem Presbyteris fecit, ligandi ſimul, & retinendi facultatem tribuiſſe. Unde cum tanta peccati ſit deformitas, tanta mentem eorum reverentia Sacramentorum inceſſiſſet, ut illius majus odium incuterent; neve indulgentiæ facilitate, iſta quandoque vileſcerent, nonnunquam peccatoribus veniam omnem funditus denegandam cenſuerunt, adeo ut nullam poſtmodum ab Eccleſia reconciliationem ſperare poſſent.

V. Primo enim de atrocioribus ſceleribus, idololatria, homicidio, & adulterio, id probant veterum Patrum teſtimonia non pauca. De adulterio habemus luculentum de quibuſdam ſuis deceſſoribus S. Cypriani teſtimonium in Epiſtola LI. ad Antonianum: *Et quidem apud anteceſſores noſtros, quidam de Epiſcopis iſtic in Provincia noſtra dandam pacem mœchis non putaverunt, & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauſerunt.* Et nequis de Epiſcopis illis perverſi dogmatis loquutum Cyprianum ſuſpicetur, ait mox, ipſos non propterea ab Epiſcoporum ſuorum Collegio receſſiſſe. Porro quem adulteris Epiſcopi illi Africani clauſerant pœnitentiæ locum, aperuit Zepherinus Papa, quem iccirco Tertullianus in Libro, *De pudicitia*, Capite V. redarguit, quod excluſis, & in perpetuum rejectis idololatris, & homicidis, ſolum adulterii crimen ad veniam exceperit, Decreto etiam de hac re edito: *Pontifex Maximus, Epiſcopus Epiſcoporum dixit: Ego, & mœchiæ, & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto.* Tum mox adverſus idem Decretum ita diſſerit: *Quid agis molliſſima, & humaniſſima diſciplina? Aut omnibus eis id eſſe debebis, beati enim pacifici. Aut ſi non omnibus, noſtra eſſe. Idololatram quidem, & homicidam ſemel damnas, mœchum vero de medio excipis; idololatræ ſucceſſorem, homicidæ anteceſſorem, utriuſque collegam. Perſonæ acceptatio eſt, miſerabiliores pœnitentias reliquiſti. Plane ſi oſtendas, de quibus patrociniis exemplorum, præceptorum cœleſtium, ſoli mœchiæ, & in ea fornicationis quoque januam pœnitentiæ expandas.* Ejuſdem Libri Capite IX. hæc idem Tertullianus Auctor ſecundi Sæculi ſcribit, quæ maxime perſpicua ſunt: *Hinc eſt, quod neque idololatriæ, neque ſanguini pax ab Eccleſiis redditur.* Ex quibus locis illud jam patet, Tertulliano perſuaſum fuiſſe, Zephirinum Papam mœchis abſolutionem fuiſſe impertitum, quamvis eam idololatris, & homicidis pœnitentia functis negaret.

VI. Eſt quidem ejus opinionis Morinus Lib. IX. *De Pœnitentia*, Cap. XX. Zephirinum Papam idololatris, homicidiſque perinde, ac mœchis indulgentiam conceſſiſſe; Tertullianumque hæreticum factum, Eccleſiæque Romanæ hoſtem infenſiſſimum Summo Romano Pontifici impoſuiſſe. Probare hanc ſuam opinionem nititur variis ipſius Tertulliani, aliorumque Sanctorum Patrum teſtimoniis. Verum quaſcumque hujus rei demonſtrandæ gratia adducit auctoritates, non detegunt in Tertulliano calumniam, ſed id unum dumtaxat probant, communem Eccleſiæ Catholicæ doctrinam fuiſſe, penes ipſam reſidere auctoritatem, & poteſtatem omnia omnino peccatorum genera vere pœnitentibus dimittendi, generalemque Eccleſiarum omnium praxim ita paſſim obtinuiſſe, quæ tamen non ſuſtulit exceptiones quaſdam, nec impedivit, quominus Epiſcopi quidam Africani, Romanaque Eccleſia, atque adeo Zephirinus ipſe gravioribus ſceleribus, diſciplinæ ſeverioris cauſa, ad peccatores intra Chriſtianæ Legis limites continendos, veniam denegarent, quam tamen omnibus concedere poſſe, nuſquam dubitarunt. Plura de hac re notavit, explicuitque Jueninus in Opere, *De Sacramentis*, Diſſertatione VI. Quæſtione VII. Capite I. Articulo II. §. I. ubi etiam varios Illiberritani Concilii Canones recenſet, ex quibus docemur, Africanis Epiſcopis haud minus ſeveriores extitiſſe Hiſpaniæ Antiſtites, quippe qui atrocioribus criminibus, qualia ſunt idololatria, homicidium, & adulterium, denegandam eſſe pœnitentiam decernunt. Vide novam Collectionem Conciliorum Hiſpaniæ a me adornatam Tomo II. in quo extat Concilium ipſum Illiberritanum variorum Commentariis illuſtratum.

VII. Secundo præter graviſſima iſta peccata, viguit & hæc in primitiva Eccleſia conſuetudo, ut inveteratis peccatoribus cujuſcumque læthalis culpæ reis, qui, ſpreta, dum ſani eſſent, & incolumes, Dei patientia, in extremis conſtituti pœnitentiam poſtularent, omnis prorſus reconciliatio denegaretur. Teſtem hujus diſciplinæ habemus Innocentium Papam I. qui de illis interrogatus ab Exuperio Toloſano Epiſcopo, ita in Epiſtola III. Cap. II. reſpondit: *Et hoc quæſitum eſt, quid de his obſervari oporteat, qui poſt Baptiſmum omni tempore incontinentiæ, & voluptatibus dediti, in extremo fine vitæ ſuæ pœnitentiam ſimul, & reconciliationem communionis expoſcunt. De his obſervatio prior durior, poſterior, interveniente miſericordia, inclinatior eſt. Nam conſuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentia, ſed communio negaretur. Nam*

cum illis temporibus crebræ perſecutiones eſſent, ne communionis conceſſa facilitas homines de reconciliatione ſecuros non revocaret a lapſu, negata merito communio eſt, conceſſa pœnitentia, ne totum penitus negaretur, & duriorem remiſſionem fecit temporis ratio. Moribundis ergo pœnitentia quidem, ſeu pœnitentiæ exercitia permittebantur, ut cordis contritione, corporis afflictione, lacrymis, & gemitu peccata abſtergerent, ſed reconciliationis, communioniſque ſpes omnis auferebatur. Quam tenacem hujus diſciplinæ ſe exhibuerit S. Cyprianus, declarat ipſe in Epiſtola ſua LI. ad Antonianum, ſic ſcribens: *Et iccirco, Frater cariſſime, pœnitentiam non negantes, nec dolorem delictorum ſuorum toto corde, & manifeſta lamentationis ſuæ profeſſione teſtantes, prohibendos omnino cenſuimus a ſpe communicationis, & pacis, ſi in infirmitate, atque in periculo cœperint deprecari, quia rogare illos non delicti pœnitentia, ſed mortis urgentis admonitio compellit, nec dignus eſt accipere ſolatium, qui ſe non cogitavit eſſe moriturum.*

VIII. Ab hac tamen ſeveritate nonnihil poſtea deflexit Cyprianus in gratiam Martyrum, permittens in Epiſtola XIII. ut lapſis, qui libellos a Martyribus acciperent, infirmitatis periculo occupatis manus in pœnitentiam imponeretur, & ſic cum pace Eccleſiæ migrarent ad Dominum. Ceterum aliis, qui libellos a Martyribus non impetraſſent, quocumque mortis diſcrimine eſſent conſtituti, reconciliationem omnino denegari voluit; perſeveravitque hæc diſciplina etiam poſt S. Cyprianum ſaltem in quibuſdam Eccleſiis; nam in Concilio Arelatenſi I. anni CCCXIV. Canon XXIII. ſic habet: *De his, qui apoſtatant, & nunquam ſe ad Eccleſiam repræſentant, nec quidem pœnitentiam agere quærunt, & poſtea infirmitate correpti petunt communionem, placuit eis non dandam communionem, niſi revelaverint, & egerint dignos pœnitentiæ fructus*. Peccatori enim negare cummunionem, & negare reconciliationem, ut norunt Eruditi, illis temporibus idem ſonabat. Sed tandem Concilium Nicænum I. hanc praxim omnino ſuſtulit, Canone XIII. decernens, ut unicuique in exitu poſito, & poſcenti, communionis gratia ab Epiſcopo impertiatur. Id quod tamen jam paſſim invaluerat, ut ex hujus Canonis verbis facile colligitur, qui juxta antiquam, & Canonicam Legem conditus dicitur; qui nihilominus nequaquam obſtitit, quo minus priſtinam ſeveritatem retinuerint nonnulli Epiſcopi, ut patet ex Concilio Sardicenſi anni CCCXLVII. in cujus Canone II. Patres Præſulibus, qui per ambitionem Sedem mutaverant, nec in exitu communionem laicam permittunt.

IX. Perſeveraſſe adhuc Sæculo V. in Galliis hanc diſciplinam, docet nos Cæleſtinus Papa I. in Epiſtola I. Cap. II. ubi Gallicanos Epiſcopos ſic redarguit: *Agnovimus enim, pœnitentiam morientibus denegari, nec illorum deſideriis annui, qui obitus ſui tempore, hoc animæ ſuæ cupiunt remedio ſubveniri. Horremus, Frater, tantæ impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate deſperet, quaſi non poſſit ad ſe quovis tempore recurrenti ſuccurrere, & periclitantem ſub onere peccatorum hominem, pondere, quo ſe expediri deſiderat, liberare. Quid hoc ergo aliud eſt, quam morienti mortem addere, ejuſque animam ſua crudelitate, ne abſoluta eſſe poſſit, occidere?* Affert mox Sacræ Scripturæ loca, quæ ubi fuſius proſequutus eſt in ſui aſſerti confirmationem, ſic demum concludit: *Cum ergo ſit Dominus cordis inſpector, quovis tempore non eſt deneganda pœnitentia poſtulanti*. Hinc S. Auguſtinus in Sermone CCCXCIII. novæ editionis ſic loquitur: *Si aliquis autem poſitus in ultima neceſſitate ægritudinis ſuæ voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit, fateor vobis, non illi negamus, quod petit, ſed non præſumimus, quia bene hinc exit*. Eadem eſt & aliorum Patrum doctrina, quorum teſtimonia non eſt opus deſcribere.

X. Tertio peccata, quæ pœnitentia ſemel expiata fuerant, ſi denuo committerentur, nullam ab Eccleſia obtinebant veniam, & reconciliationem. Teſtis eſt hujus antiquæ diſciplinæ Tertullianus in Libro, *De Pœnitentia*, quem adhuc Catholicus ſcripſit. Poſtquam enim egit de pœnitentia Catechumenorum, variaſque verſutias diaboli, quibus nos poſt Baptiſmum in peccatum deturbare nititur, expoſuit, de apponendo illis remedio ita ſcribit Capite VII. *Hæc igitur venena ejus prævidens Deus, clauſa licet ignoſcentiæ janua, & intinctionis ſera obſtructa, aliquid adhuc permiſit petere. Collocavit in veſtibulo pœnitentiam ſecundam, quæ pulſantibus pateſiat, ſed jam ſemel, quia jam ſecundo, ſed amplius numquam, quia proxime fruſtra*. Ergo ex Tertulliano, poſt pœnitentiam, quæ Baptiſmum præcedebat, ſecunda adhuc baptizatis peccatoribus patebat pœnitentia, ſed quæ *jam ſemel*, & non ſecundo, quia poſtmodum, *amplius nunquam*, concedebatur. Tertulliano, ut alios Patres omittam, quos longo agmine recenſent Juenninus loco citato, & Morinus in celebri Opere, *De Pœnitentia*, adjungimus S. Ambroſium, qui Lib. II. *De Pœnitentia*, Cap. X. ſic inquit: *Merito reprehenduntur, qui ſæpius agendam pœnitentiam putant, quia luxuriantur in Chriſto. Nam ſi vere agerent pœnitentiam, iterandam non putarent; quia ſicut unum eſt Baptiſma, ita una pœnitentia, quæ tamen publice agitur; nam quotidiani nos debet pœnitere peccati; ſed hæc delictorum leviorum, illa graviorum*. Porro num iis Sæculis, quibus ſemel tantum pro peccatis publicis, aut occultis gravioribus agebatur pœnitentia publica, peccata, propter quæ quis ſubiiſſet illam pœnitentiam, per aliam, ſed ſecretam pœnitentiam, & privatis datam abſolutionem curarentur, memoratus Jueninus citato ſuperius loco diſcutit.

XI. Quarto facinoroſis capite damnatis denegatam, alicubi ſaltem, pœnitentiam fuiſſe, plurima veterum, recentiorumque Scriptorum teſtimonia nos docent. Certe ſub finem Sæculi VI. Daco quidam, teſte Gregorio Turonenſi Lib. V. Hiſtoriæ Francorum, Cap. XXVI. a Chilperico Rege, *cum vinctus teneretur, & cerneret, ſe penitus non evaſurum, a Presbytero, Rege neſciente, pœnitentiam petiit*; quam haud dubie, ſi Rex reſciviſſet, non impetraſſet. Etiam longe poſt annum milleſimum denegatam fuiſſe reis pœnitentiam in Anglia, addiſcere licet ex Concilio Lambetenſi anni MCCLXI. ubi Bonifacius Cantuarienſis Archiepiſcopus in Conſtitutionibus Provincialibus ibidem editis conqueſtus eſt, quod reis hujuſmodi *Sacramentum ſæpius inhumaniter denegaretur*. Cui concinit Concilium Londinenſe anni MCCLXVIII. Can. II. Sed tandem huic

ma-

malo, quod etiam in Gallia, ac alibi in praxi erat, remedium afferre conatus eſt Clemens Papa V. in Viennenſi Generali Concilio, edita Conſtitutione ad hujuſmodi abuſum damnabilem abolendum, quæ habetur Lib. v. Clementinarum, Tit. ix. Cap. i. Quæ tamen diu inolitam praxim non ita ſtatim abolevit in Gallia, cum neceſſe fuerit, ut anno MCCCXCVI. Carolus VI. Francorum Rex Edictum daret pro admittendis ad Pœnitentiæ Sacramentum ſontibus capitis damnatis. Quo beneficio ſub Ludovico XI. potitus eſt Comes a S.Paulo Comes Stabuli, qui, ut ſcribit Guaguinus Lib. x. Cap. xx. *Confeſſione more Chriſtiano expleta*, capite plexus eſt. Caroli tamen Edictum non uſquequaque obtinuiſſe, docet nos Stephanus Poncher, qui in Synodo anni MDXV. hoc ſtatutum edere neceſſarium duxit. *Juxta Concilium Viennenſe ſub pœna excommunicationis moneatis Judices locorum veſtrorum, ordinarios, quatenus damnatis ad mortem, faciant, antequam patiantur, Pœnitentiæ Sacramentum per perſonam idoneam adminiſtrari, contrariam conſuetudinem abolentes.*

XII. Non deſunt autem Scriptorum, ac Synodorum veterum loca, quibus docemur, conceſſam fuiſſe reis capite damnatis Pœnitentiam. Certe Sæculo VIII. Carbonianus Friſigenſis Epiſcopus cum Adalberti cujuſdam ſuſpendio plectendi vitam a Judice obtinere non potuiſſet, *reum admonere ſtuduit, adſiſtenteſque longius amovit, ut omnem ei putredinem, & vulnus animæ ſuæ Confeſſione puriſſima aperiret, tam in factis, quam in locutionibus, atque cogitationibus pravis*; ut ſcribit Aribo in ejus Vita, Cap. VII. Rurſus Sæculo ix. Patres Concilii Moguntini i. interrogati de furibus, & latrunculis, Cap. XXVII. reſponderunt: *Si omnibus de peccatis ſuis puram Confeſſionem agentibus, & digne pœnitentibus Communio in fine ſecundum Canonicum juſſum danda eſt; cur non eis, qui pro peccatis ſuis pœnam perſolvunt?* Idem decernit Concilium Wormacienſe anni DCCCLXVIII. Can. LXXX. ſuffragaturque his Concilium Triburienſe anni DCCCXCV. Canone XXXI. Atque, ut alia omittam Concilia, facinoroſis ipſis, ut nimirum ſi vellent, confiteri poſſent, conceſſerunt quidem Alúredus, Eduarduſque Angliæ Reges, editis in illorum gratiam ſalutaribus Legibus, quas confirmavit Sæculo XI. Canutus Rex, additis pœnis in Judices illis Statutis minime obtemperantes: *Siquis reus capitalis damnatus ſua ingenue peccata confiteri cupiverit, id ei conceditor. Siquis autem denegaverit, numerato Regi centum viginti ſolidos, aut ſaltem adjunctis viris quinque, ſe culpa liberato.*

XIII. Quamquam vero ea fuerit vetus Eccleſiæ diſciplina denegandæ aliquando peccatoribus Pœnitentiæ, ne indulgentiæ facilitate, uti ſuperius dictum eſt, iſta vileſceret; eſt tamen Fidei dogma Canone i. Seſſionis XIV. Concilii Tridentini confirmatum, iterari eam poſſe. Chriſti ſiquidem verba Matthæi Cap. XVI. & XVIII. & Joannis XX. quibus poteſtas ſolvendi peccatores, & peccata remittendi, tribuitur Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus, nullam faciunt reſtrictionem gravitatis, numeri, aut iterationis peccatorum. Nullum enim modum, aut terminum miſericordiæ Dei ſtatuit Scriptura Sacra, ſed cujuſcunque peccati quantumvis gravis, aut ſæpe iterati reos ad pœnitentiam invitat, & veniam pœnitentibus promittit; quæ cum in Nova Lege obtineri a relapſis poſt Baptiſmum non poſſit, niſi Pœnitentiæ Sacramento, recte hinc Theologi colligunt, non modo interiorem pœnitentiam, quæ virtus eſt, ſed exteriorem pœnitentiam, quæ eſt Sacramentum, ſæpius iterari poſſe. Sed de his fuſe, ac paſſim Theologi diſſerunt, ubi de hoc Sacramento tractant.

XIV. Sed ut ea potiſſimum, quæ in hoc noſtro i. §. continentur, explicemus, recte profecto ait, quod *cum ad illud conſtituendum tria concurrant, materia, forma, & Miniſter, illius quidem remota materia ſunt peccata, proxima vero ſunt actus pœnitentis, nempe contritio, confeſſio, & ſatisfactio; forma autem, illa abſolutionis verba*, Ego te abſolvo &c. *Miniſter denique eſt Sacerdos habens poteſtatem abſolvendi, vel ordinariam, vel delegatam.* Ut ergo ſingula enucleemus, ad materiam, quod attinet Sacramenti Pœnitentiæ, duplicem eam eſſe, docent communiter Theologi cum S.Thoma, Parte III. Quæſtione LXXXIV. Articulo II. in Corpore. Proxima ſunt memorati actus pœnitentis, uti poſt Florentinum Concilium declaravit etiam Concilium Tridentinum Seſſione XIV. Cap. III. his verbis: *Sunt autem quaſi materia hujus Sacramenti ipſius pœnitentis actus, nempe contritio, confeſſio, & ſatisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur, hac ratione partes dicuntur.* Ratio cur Concilium dixit, hos actus eſſe *quaſi materiam* Sacramenti Pœnitentiæ, jam non ita intelligenda eſt, quaſi velit eos non eſſe veram materiam, ſed voluit dumtaxat indicare diſcrimen, quod inter hujus, & aliorum Sacramentorum materiam intercedit, in hoc conſiſtens, quod aliorum Sacramentorum materia eſt res aliqua materialis, & ſenſibilis, ut aqua in Baptiſmo. Sacramenti vero Pœnitentiæ materia ſunt actus pœnitentis, quorum præcipuus, ipſa ſcilicet contritio, eſt inſenſibilis, cum actus ſit internus, & ſic non ita proprie appellantur hujus Sacramenti materia. Brevius rem explicat Tridentini Concilii Catechiſmus, Parte II. *De Pœnitentiæ Sacramento*, num. XVII. in Nota, ubi ſic inquit: *Neque vero hi actus quaſi materia a Sancta Synodo appellantur, quia veræ materiæ rationem non habeant, ſed quia ejus generis materia non ſint, quæ extrinſecus adhibeatur, ut aqua in Baptiſmo, & Chriſma in Confirmatione.* Quare cum aliqui Theologi negaſſent, hos actus eſſe proprie materiam hujus Sacramenti, Concilium ne eos damnaret, maluit dicere, quaſi materiam, ut notat Cardinalis Pallavicinus in Hiſtoria Concilii Tridentini ad locum citatum. Ceterum materia remota ſunt ipſa peccata: *Ut enim ignis materiam ligna eſſe dicimus, quæ vi ignis conſumuntur, ita peccata, quæ Pœnitentia delentur, recte hujus Sacramenti materia vocari poſſunt*; ut ait laudatus Catechiſmus citato loco n. XVIII. Licet autem omnia peccatorum genera, ſive mortalium, ſive venialium, quæ commiſit homo poſt Baptiſmum, quamvis alias debite confeſſus fuerit, materia ſint remota Sacramenti Pœnitentiæ, ſciendum tamen omnino illud, ſola mortalia peccata eſſe neceſſariam materiam; nam alias peccata venialia, quæ non excludunt a gratia Dei, aut mortalia, quæ quis rite confeſſus eſt, non quidem neceſſaria, ſed ſufficiens ſunt ejuſdem

dem Sacramenti materia, uti declaravit Concilium Tridentinum Seſſione XIV. Cap. V. docentque Theologi paſſim.

XV. Formam Sacramenti Pœnitentiæ eſſe illa Abſolutionis verba, *Ego te abſolvo &c.* recte ait hic noſter §. conſentitque Decreto Eugenii IV. & Concilio Tridentino, Capite III. citatæ Seſſionis XIV. his verbis: *Docet præterea Sancta Synodus, Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipua ipſius vis ſita eſt, in illis Miniſtri verbis poſitam eſſe*, Ego te abſolvo &c. *quibus quidem de Eccleſiæ ſanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur, ad ipſius tamen formæ eſſentiam nequaquam ſpectant, neque ad ipſius Sacramenti adminiſtrationem ſunt neceſſariæ*. Colligere licet ipſam formam, ut ſapienter obſervat Catechiſmus laudati Concilii n. XX. non ſolum ex illis Chriſti verbis Matthæi Capite XVI. *Quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cælis*; ſed ex eadem Chriſti Domini doctrina ab Apoſtolis tradita. At quoniam Sacramenta id ſignificant, quod efficiunt, & illa verba, *Ego te abſolvo*, oſtendunt peccatorum remiſſionem hujus Sacramenti adminiſtratione effici, planum eſt, hanc eſſe pœnitentiæ perfectam formam; ſunt enim peccata tanquam vincula, quibus conſtrictæ animæ, & ex quibus Pœnitentiæ Sacramento laxantur. Senſus itaque eorum verborum non eſt, quod Abſolutio ſit ſimplex declaratio remiſſionis peccatorum, ſed quod ea effective remittit. Quod quidem conſtat ex citatæ Seſſionis XIV. Tridentini Concilii Canone IX. *Siquis dixerit, abſolutionem Sacramentalem Sacerdotis, eſſe nudum miniſterium pronunciandi, & declarandi, remiſſa eſſe peccata confitenti, anathema ſit*. Rationem affert S. Thomas citata Parte III. Quæſtione LXXXIV. Articulo III. ad V. cujus ſupra meminimus. Sic autem S. Doctor inquit: *Sacramenta Novæ Legis non ſolum ſignificant, ſed etiam faciunt, quod ſignificant; unde ſicut Sacerdos baptizando aliquem, oſtendit hominem interius ablutum per verba, & facta, & non ſolum ſignificative, ſed effective; ita etiam cum dicit:* Ego te abſolvo, *oſtendit hominem abſolutum non ſolum ſignificative, ſed etiam effective.*

XVI. Miniſter denique, ut ait noſter §. *eſt Sacerdos habens poteſtatem abſolvendi, vel ordinariam, vel delegatam*. Idque de Fide definitum eſt ex Decreto Eugenii Papæ IV. in Concilio Florentino, ubi ſic dicitur: *Miniſter hujus Sacramenti eſt Sacerdos, habens auctoritatem abſolvendi, vel ordinariam, vel ex commiſſione Superioris*. Et ex Concilio Tridentino Seſſione XIV. Cap. VI. ubi ſic inquit: *Circa Miniſtrum autem hujus Sacramenti declarat Sancta Synodus, falſas eſſe, & a veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quoſvis homines, præter Epiſcopos, & Sacerdotes, Clavium miniſterium pernicioſe extendunt*. Sed nec ſufficit, ut quis ſit Sacerdos, ad audiendum valide Confeſſiones, ſed ut poſſit valide abſolvere, præter poteſtatem Ordinis, quam univerſi Sacerdotes habent, requiritur poteſtas juriſdictionis, ſive ordinariæ, ſive delegatæ, uti dictum eſt, & habetur etiam definitum in Concilio Tridentino, Capite VII. recitatæ Seſſionis, his verbis: *Quoniam igitur natura, & ratio judicii illud expoſcit, ut ſententia in ſubditos dumtaxat feratur, perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe, Synodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem*. Porro Epiſcopi in tota Diœceſi, & Parochi in propria Parochia ordinariam habent in pœnitentes juriſdictionem; in aliis autem Sacerdotibus omnino requiritur expreſſa Epiſcopi approbatio ad audiendas Confeſſiones, & hæc eſt juriſdictio illa, quæ dicitur delegata. Atque huc ſpectat, quod ait laudatum toties Concilium Tridentinum, Seſſione XXIII. *De reformatione*, Cap. XV. *Quamvis Presbyteri in ſua ordinatione a peccatis abſolvendi poteſtatem accipiant, decernit tamen Sancta Synodus, nullum etiam Regularem poſſe Confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut Parochiale Beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, privilegiis, & conſuetudine quacunque etiam immemorabili, non obſtantibus.*

XVII. Recte autem, atque opportune illud in noſtro §. additum eſt, quod, *ſi periculum mortis immineat, approbatuſque deſit Confeſſarius, quilibet Sacerdos poteſt a quibuſcunque Cenſuris, & peccatis abſolvere*. Atque hæc eſt vetus Eccleſiæ diſciplina, quam memorat, confirmatque Concilium Tridentinum Seſſione XIV. Capite VII. his verbis: *Pie admodum, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibuſvis peccatis, & Cenſuris abſolvere poſſunt*. Omnes Sacerdotes in articulo mortis pœnitentes quoslibet a quibuſvis peccatis, & Cenſuris abſolvere poſſe cum declarat Sacra Synodus, ſuſpenſos, excommunicatos, degradatos, ſchiſmaticos, hæreticos, facta hypotheſi, quod nullus adſit Sacerdos Catholicus, vel a Cenſuris liber, comprehendit, ut communiter Theologi docent. Cenſet tamen S. Raymundus Lib. III. §. XVI. neminem teneri in ea hypotheſi confiteri peccata Sacerdoti hæretico, ſchiſmatico, vel excommunicato; imo Confeſſionem hujuſmodi hominibus etiam in mortis articulo diſſuadet, ob ſubverſionis periculum. Cæterum cum etiam in mortis articulo nullam eſſe reſervationem memoratum Concilium Tridentinum ait, de mortis periculo idem intelligendum eſt, ut habet hic noſter §. illis verbis: *Sed ſi mortis periculum immineat &c.* proximum ſcilicet, non autem remotum. Probari autem ea noſtri §. explicatio poteſt ex variis Sacris Canonibus, qui abſolvendi poteſtatem concedentes cuilibet Sacerdoti, non diſtinguunt inter articulum, & periculum mortis, uti conſtat ex Capite, *Eos qui, De ſententia excommunicationis*, in Sexto; itemque ex Canone, *Siquis*, Cauſa XVII. Quæſtione IV. Non omittendum hic tamen eſt, eos, qui ob mortis periculum abſoluti fuerint a Cenſuris Superiori reſervatis, ſiſtere ſe teneri ei, cui reſervatæ ſunt, quamprimum convaluerint, non quidem ut rurſus abſolvantur, ſed ut mandatis ejus pareant; idque niſi præſtiterint, in eaſdem Cenſuras incurrere. Hæc enim regula nititur citato Capite, *Eos qui*, cujus hæc ſunt verba: *Eos, qui ſententia Canonis, vel hominis, cum ad illum, a quo alias de Jure fuerant abſolvendi, nequeunt propter imminentis mortis articulum, aut aliud impedimentum legitimum,*

pra

pro abſolutionis beneficio habere recurſum, ſi ceſſante poſtea periculo, vel impedimento hujuſmodi, ſe illi, a quo, his ceſſantibus, abſolvi debeant, quam cito commode poterunt, contempſerint præſentare, mandatum ipſius ſuper illis, pro quibus excommunicati fuerant, humiliter recepturi, & ſatisfacturi, prout juſtitia ſuadebit, decernimus, ne ſic Cenſuræ illudant Eccleſiaſticæ, in eandem ſententiam recidere ipſo Jure.

XVIII. Reliquum eſt, ut illas Sacramenti Pœnitentiæ Miniſtri dotes nunc explicemus, quas idem noſter §. memorat, ubi ita inquit: *In ejus Miniſtro requiritur etiam bonitas, ſcientia, atque prudentia, cum ſigillo ſecretæ Confeſſionis ſub exacto, perpetuoque ſilentio.* His plane concinunt, quæ ſtatuit S. Carolus in Concilio Provinciali I. Mediolanenſi, Cap. *Quæ pertinent ad Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem*, ubi ſic ait: *In probandis Confeſſoribus hanc rationem habeant Epiſcopi, ut pii, bene morati, docti, prudentes, de animarum ſalute ſoliciti, & fideles cuſtodes ſint eorum, quæ in Confeſſione dicuntur.* Neceſſaria eſt itaque inprimis Conſcientiarum Moderatoribus, ſeu Confeſſariis bonitas. Quamvis enim Sacramentorum virtus, & efficacia, ex Miniſtrorum Fide, & probitate non pendeat, uti jam diximus ſupra Titulo I. in Commentario ad §. IV. lateque oſtendit, Patres, atque Canones citans Natalis Alexander, *Theologiæ Dogmaticæ & Moralis*, Lib. II. Cap. VII. Articulo II. Propoſitione I. neceſſaria nihilominus eſt probitas morum, ſive ſanctitas vitæ ipſis præſertim Sacramenti Pœnitentiæ Miniſtris, ut irreprehenſibiles ſint, & ſint exemplo Fidelibus in fuga vitiorum, in bonorum operum exercitatione, in omni converſatione. Id plane paſſim docent Sacræ Synodi, ac Sancti Patres, inter quos S. Gregorius Parte II. Curæ Paſtoralis, Cap. III. hæc habet: *Sit Rector operatione præcipuus, ut vitæ viam ſubditis vivendo denuntiet; & grex, qui Paſtoris vocem, moreſque ſequitur, per exempla melius, quam per verba gradiatur. Qui enim loci ſui neceſſitate exigitur ſumma dicere, hac eadem neceſſitate compellitur ſumma monſtrare. Illa namque vox libentius auditorum cor penetrat, quam dicentis vita commendat; quia quod loquendo imperat, oſtendendo adjuvat, ut fiat.*

XIX. Secundo neceſſaria eſt in Sacramenti Pœnitentiæ Miniſtro *ſcientia*, & ratio eſt, quam docet Chriſtus Dominus in Evangelio Matthæi, Cap. XV. *Si cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt.* Hinc recte ait Canon, *Qui vult*, De Pœnitentia, Diſtinctione VI. *Caveat ſpiritualis Judex, ut ſicut non commiſit crimen nequitiæ, ita non careat munere ſcientiæ. Oportet enim, ut ſciat cognoſcere quicquid debet judicare. Judiciaria enim poteſtas hoc poſtulat, ut quod debet judicare, diſcernat.* Huc facit, quod tradit Tridentini Concilii Catechiſmus Parte II. *De Pœnitentiæ Sacramento*, num. LXXIII. nimirum ſatis conſtare, *non vulgarem ſcientiam neceſſariam eſſe, qua & peccata inveſtigare, & ex variis peccatorum generibus, quæ gravia, quæ levia ſint, pro cujuſque hominis ordine, & genere judicare poſſit.* Sane intereſt ad pœnitentium ſalutem, ut doctos eligant Confeſſarios, idque idem Catechiſmus monet citato loco: *Ex quo poterunt Fideles intelligere, cuivis maximo ſtudio curandum eſſe, ut eum ſibi Sacerdotem deligat, quem vitæ integritas, doctrina, prudens judicium commendet; qui, & quantum in eo officio, cui præeſt, ponderis, ac momenti ſit, & quæ cuique ſceleri pœna conveniat, & qui ſolvendi, vel ligandi ſint, optime noverit.* Hanc veritatem perfecte cognovit S. Tereſia, cum in Libro, *De via perfectionis*, Cap. V. ait, magni prorſus intereſſe, ut Confeſſarius vere doctus ſit, eſſe vero omnino periculoſum, ab ignaro regi, licet multum ſit ſpiritualis, aut eſſe poſſit. Præteriri hic tandem non debet monitum S. Gregorii Papæ VII. in Concilio Romano VII. Cap. V. ad pœnitentes datum, atque his verbis expreſſum: *Inter omnia vos hortamur, atque monemus, ut in accipiendis pœnitentiis, non ad illos curratis, in quibus nec religioſa vita, nec eſt conſulendi ſcientia; qui animas hominum magis ad interitum, quam ad ſalutem ducunt, teſte Veritate, quæ ait:* Si cæcus cæcum ducat, ambo in foveam cadunt; *ſed ad eos, qui religione, & Scripturarum doctrina inſtructi, viam veritatis, & ſalutis vobis oſtendere valeant.*

XX. Requiritur tertio *prudentia*, ut congrua pœnitentibus dare conſilia poſsit, pœnitentiaſque imponere ſalutares pro gravitate, numero, & duratione peccatorum; quod quidem explicatur in Canone XXI. Concilii Generali IV. Lateranenſis, quod ab Innocentio Papa III. habitum fuit anno MCCXV. ubi modum omnibus Confeſſariis præſcribit, quem ſervare in adminiſtrando Sacramento Pœnitentiæ debeant: *Sacerdos autem ſit diſcretus, & cautus, ut more periti Medici ſuperinfundat vinum, & oleum vulneribus ſauciati, diligenter inquirens, & peccatoris circumſtantias, & peccati, quibus prudenter intelligat, quale debeat ei conſilium, & cujuſmodi remedium adhibere, diverſis experimentis utendo ad ſanandam ægrotum.* Longum plane eſſet velle hic ea omnia explicare, in quibus conſiſtere Confeſſarii prudentia debet. Legi plane de hac re, ſicut de aliis ad Sacramentum Pœnitentiæ recte adminiſtrandum ſpectantibus, S. Caroli Inſtructiones ad Confeſſarios poſſunt.

XXI. Ut de Sigillo demum ſecretæ Confeſſionis ſub exacto, perpetuoque ſilentio a Confeſſario tenendo dicamus, Confeſſionem quidem ex parte Miniſtri, a quo excipitur, debere eſſe ſecretam, Jure Naturali, Divino, & Eccleſiaſtico, Theologi omnes docent, declaravitque inter alia Concilium Senonenſe MDXXIV. celebratum. Naturali jure nititur, I. quia ex revelatione factæ Confeſſionis plerumque ſequeretur infamia in pœnitentem, cui Jus Naturale vetat, ne detur locus. II. quia quum ea, quæ extra Confeſſionem ſub ſecreti Sigillo excipimus, Jure ipſo Naturali tenemur ſecreta ſervare, a fortiori, & quæ audita ſunt in Confeſſione. III. quia Jus idem Naturale vult, ut quis faciat aliis, quæcumque ſecundum rectam rationem vult ſibi fieri. Quilibet vero ſecundum rectam rationem debet propriam diligere famam, & ex conſequenti celationem ſui ſecreti; ideoque debet potiſſimum Confeſſarius famam confitentis diligere, & ſic celare peccatum ſibi Confeſſione detectum, per quod confitens diffamaretur, ut dictum ſuperius fuit. Per hanc etiam naturæ Legem quilibet tenetur ſervare fidelitatem proximo, quam vellet, aut velle deberet ſibi ſervari, & per conſequens confitenti peccata; atque ad hanc fidelitatem ſpectat illud Proverbiorum, Cap. X. *Qui fidelis eſt, ſervat amici commiſſum.*

XXII. Di-

XXII. Divino Jure poſitivo nititur Sigillum ipſum ſecretæ Confeſſionis, ſicut & ipſa Confeſſio Sacramentalis, quæ ſine ipſo conſiſtere non poſſet, eoque ſublato, veniret in odium hominum, eoſque revocaret ab obſervantia præcepti de Confeſſione facienda, quod eſt Juris Divini. Unde iſtius Sigilli violatio, ſeu Confeſſionis revelatio, ſacrilegium eſt, utpote in gravem Sacramenti Pœnitentiæ redundans injuriam. Nam ut ratiocinatur S.Thomas in iv. Sententiarum, Diſtinctione xix. ſive Supplementi Quæſtione xi. Articulo 1. *In Sacramentis ea, quæ exterius geruntur, ſunt ſigna rerum, quæ interius contingunt, & ideo Confeſſio, qua quis Sacerdoti ſe ſubjicit, ſignum eſt interioris ſubjectionis, qua quis Deo ſubjicitur. Deus autem peccatum illius, qui ſe ſubjicit per pœnitentiam, tegit; unde & hoc oportet in Sacramento Pœnitentiæ ſignificari; & ideo de neceſſitate Sacramenti eſt, quod quis Confeſſionem celet; & tanquam violator Sacramenti peccat, qui Confeſſionem revelat. Et præter hoc ſunt aliæ utilitates hujus celationis, quia per hoc homines magis ad Confeſſionem attrahuntur, & ſimplicius peccata confitentur.* Et in Reſponſione ad ſecundum: *Præceptum*, inquit, *celandi conſequitur ipſum Sacramentum; & ideo ſicut præceptum de Confeſſione Sacramentali facienda eſt de Jure Divino, & non poteſt aliqua diſpenſatione, vel juſſione humana homo abſolvi ab eo, ita nullus ad revelationem Confeſſionis poteſt ab homine cogi, vel licentiari.*

XXIII. Nititur tertio ipſum Sigillum Jure Eccleſiaſtico. Nam S. Leo in Epiſtola lxxx. ad univerſos Epiſcopos per Campaniam, Samnium, & Picenum conſtitutos, *illam, contra Apoſtolicam regulam, præſumptionem modis omnibus ſubmoveri*, conſtituit, *ne de ſingulorum peccatorum genere libellis ſcripta profeſſio publice recitetur, cum reatus conſcientiarum ſufficiat ſolis Sacerdotibus indicari Confeſſione ſecreta*. Extat de eo ſecreto apud Gratiani Decretum Canon, *Sacerdos*, De Pœnitentia, Diſtinctione vi. in quo etiam gravis infligitur Sacerdoti Confeſſionem revelanti: *Sacerdos*, inquit, *ante omnia caveat, ne de his, qui ei confitentur peccata, alicui recitet, non propinquis, non extraneis, nec, quod abſit, pro aliquo ſcandalo. Nam ſi hoc fecerit, deponatur, & omnibus diebus vitæ ſuæ ignominioſe peregrinando pergat*. Contendunt nonnulli, Gregorium, cujus nomine apud Gratianum citatur hic Canon, eſſe Gregorium Magnum Pontificem; ſed æquius tamen cenſere videntur, qui illud Decretum Gregorio Papæ VII. adſcribunt. Gravi etiam pœna Concilium Generale iv. Lateranenſe citato Canone xxi. Sacramentalis Sigilli violationem prohibet, ſic inquiens: *Caveat autem omnino*, Sacerdos ſcilicet, qui pœnitentis Confeſſionem excipit, *ne verbo, aut ſigno, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem; ſed ſi prudentiori conſilio indiguerit, abſque ulla expreſſione perſonæ, caute requirat. Quoniam qui peccatum in Pœnitentiali Judicio ſibi detectum præſumpſerit revelare, non ſolum a Sacerdotali Officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum Monaſterium detrudendum.*

XXIV. Omiſſis aliis Synodis, in quibus variæ pœnæ contra Sacramentalis Sigilli infractores conſtitutæ ſunt, antiquiſſima eſt ſecreti hujus diſciplina, ejuſque teſtem habemus Tertullianum in Libro, *De Pœnitentia*, Capite x. eam ſecreti legem iis opponit, qui præ verecundia confiteri detrectabant: *Quid tuos aliud, quam te opinaris? Quid conſortes caſuum tuorum, ut plauſores fugis?* Quaſi dixiſſet, te ipſum non prodes, occultum crimen tuum coram promiſcua plebe temerario non deteges; ergo nec Miniſtri, nec Fratres tui, cum ſint maxime pii, illud non evulgabunt in publicum; eandem enim fere tecum perſonam conſtituunt. Ita ſane explicat recitatum Tertulliani locum inter alios Jueninus, *De Sacramentis*, Diſſertatione vi. Quæſtione v. Cap. vi. Articulo iv. §. iii.

XXV. Sed audiamus S. Pacianum, qui recitatum Tertulliani locum apud Pamelium in Nota 60. ſic expreſſit: *Conſortes caſuum veſtrorum timere nolite. Nullum corpus membrorum ſuorum vexatione lætatur, immo pariter dolet, & ad remedium collaborat. In uno & altero Eccleſia eſt, Eccleſia vero Chriſtus. At qui adeo qui fratribus peccata ſua non tacet, Eccleſiæ lacrymis adjutus, Chriſti precibus abſolvitur.* Cæterum religionis, qua hujus Sacramenti Sigillum cuſtodire Confeſſarius debet, præclarum exemplum dedit S.Ambroſius, teſte Paulino Presbytero in ejus Vita, ubi ita de eo ſcribit: *Quotieſcumque illi aliquis, ob percipiendam pœnitentiam, lapſus ſuos confeſſus eſſet, ita flebat, ut & illum flere compelleret; videbatur etiam ſibi cum jacente jacere. Cauſas autem criminum, quas illi confitebantur, nulli, niſi Domino ſoli, apud quem intercedebat, loquebatur; bonum relinquens exemplum poſteris Sacerdotibus, ut interceſſores apud Deum magis ſint, quam accuſatores apud homines.*

XXVI. Siquis autem nobis objiciat Hiſtoriam Socratis Lib. v. Cap. xix. & Sozomeni Lib. vii. Cap. xvi. ubi legitur, quod Pœnitentiarii in ſingulis Urbibus conſtituti peccata ſibi privatim confeſſa, populo publicare ſoliti fuerint, & ſic pœnitentes cogere ad publicam pœnitentiam. Reſpondemus cum doctiſſimo Eſtio in iv. Sententiarum, Diſtinctione xvii. §. xiv. eam peccatorum publicationem, vel ab ipſis pœnitentibus, hortatu tantum, vel etiam juſſu Pœnitentiarii ſolitam fieri fuiſſe; vel a Pœnitentiario quidem, ſed ex pœnitentium conſenſu. Atque hoc ſenſu illud etiam accipiendum, quod in Concilio Toletano x. habetur, Epiſcopos ſcilicet ejus Synodi, per Fidelem, ut ibi vocatur, Confeſſorem Potamii Epiſcopi cognoviſſe de eo, quod tactu femineo ſorduiſſet. Siquidem is jam ante hoc ſuum peccatum in conventu Epiſcoporum fuerat confeſſus. Sed non omittendum, quod ad rem noſtram objectus ſupra narrat Sozomenus loco citato, Patres nempe antiquos ab initio dediſſe operam, ut hi, qui Confeſſionibus excipiendis præficerentur, ſecreti maxime tenaces eſſent: *Presbyterum itaque aliquem*, ait, *vitæ integritate quammaxime ſpectabilem, ſecretorum etiam maxime tenacem, ac ſapientem huic officio præfecerunt. Ad eum accedentes, qui peccarant, confitebantur*. Atque hæc ſatis ſint pro explicatione §. i. Tituli iii. *De Sacramento Pœnitentiæ*, quem in præſenti Commentariis perpetuis illuſtrandum ſuſcepimus. Plura alia de hoc Sacramento videri poſſut in peculiari Opere doctiſſimi Joannis Morinus.

§.II.

§. II.

In primis meminerit Confeſſarius, ſe Judicis pariter, & Medici perſonam ſuſtinere, ac Divinæ juſtitiæ ſimul, & miſericordiæ Miniſtrum a Deo conſtitutum eſſe, ut tanquam arbiter inter Deum, & homines, honori Divino, & animarum ſaluti conſulat.

COMMENTARIUS.

I. INter qualitates Miniſtri Confeſſionis, & iſtas quoque initio hujus noſtri §. expreſſas recenſuit, explicavitque Tridentini Concilii Catechiſmus, Parte II. *De Pœnitentiæ Sacramento*, num. LXXIII. ubi poſtquam dixit, quod hujus Sacramenti Miniſter, *Judicis, & Medici ſimul perſonam gerit*, ita ſtatim ſubjicit: *Ac quod ad primum attinet, ſatis conſtat, non vulgarem ſcientiam neceſſariam eſſe, qua & peccata inveſtigare, & ex variis peccatorum generibus, quæ gravia, quæ levia ſint, pro cujuſque hominis ordine, & genere judicare poſſit. Ut autem Medicus eſt, ſumma quoque prudentia indiget; etenim diligenter providendum eſt, ut ea remedia ægroto adhibeantur, quæ ad illius animam ſanandam, & impoſterum contra morbi vim muniendam aptiora eſſe videantur.* Atque huc ſpectant quæ in præcedenti Commentario diximus de ſcientia in Confeſſario requiſita, quia ſcilicet perſonam Judicis, & Medici ſpiritualis ſuſtinet. Qualitas enim Judicis, ut ait relatus ſuperius Canon, *Qui vult*, De Pœnitentia, Diſtinctione VI. in Confeſſario ſcientiam exigit: *Caveat*, ait, *ſpiritualis Judex, ut ſicut non commiſit crimen nequitiæ, ita nec careat munere ſcientiæ. Oportet enim, ut ſciat cognoſcere quicquid debet judicare. Judiciaria enim poteſtas hoc poſtulat, ut quod debet judicare, diſcernat.* Quod vero ſpectat ſpiritualis Medici officium, jam ſupra & illud nos docuit Lateranenſe IV. Generale Concilium Can. XXI. iis verbis: *Sacerdos more periti Medici ſuperinfundat vinum, & oleum vulneribus ſauciati, diligenter inquirens, & peccatoris circumſtantias, & peccati, qui prudenter intelligat, quale debeat ei præbere conſilium, & cujuſmodi remedium adhibere, diverſis experimentis utendo ad ſanandum ægrotum.*

II. Cum ergo Confeſſarius perſonam Judicis gerat, jam non debet in Tribunali Confeſſionis ſe conformare ſententiæ ſui pœnitentis, contra propriam, quando ille aſſerit, opinionem ſuam eſſe probabilem, pluresque affert Caſuiſtas ad illius ſententiæ confirmationem. Vere enim, recteque contra hanc doctrinam a Caſuiſtis non paucis traditam exclamat S. Bonaventura: *O inauditum philoſophandi genus! Judex ſententiam ferre debet ad arbitrium rei, & reus Judicis judicio obtemperare non tenetur?* Idem dici & de Medico poteſt; ſed cavendum pœnitentibus, ne ad eos Medicos ſpirituales confluant, qui vel nolunt, vel neſciunt peccatorum vulneribus remedia opportuna adhibere. Audiant quæſo quid de hujuſmodi pœnitentibus, Mediciſque ſpiritualibus ſui ævi ſcripſerit Jonas Epiſcopus Aurelianenſis, Libro I. *De inſtitutione laicorum*, Capite X. *Quidam peccatorum ſuorum conſcii imperitos animarum ſuarum Medicos expetunt, ut ſibi ad votum ſuum pœnitentiæ tempora imponant; & peritos iccirco declinant, ne auſterius pœnitentiæ eos addicant. Si enim peritus Medicus ad morbos corporis pellendos quæritur, quanto magis Medicus animæ peritiſſimus quærendus eſt? Ut artis medicinæ neſcius dum curare neſcit vulnus corporis, non illud minuit, ſed magis plerumque incrementum ei addit; ita & imperitus Medicus animarum, dum earum languoribus mederi videri vult, quia his congrua medicamenta neſcit adhibere, eoſdem languores creditur incrementare. De talibus inquit Dominus per Prophetam:* Virificabant animas, quæ non vivebant; & mortificabant animas, quæ non moriebantur.

III. Notatu autem digna ſunt illa potiſſimum verba noſtri §. quibus edicitur, meminiſſe debere Confeſſarium, *ſe divinæ juſtitiæ ſimul, & miſericordiæ Miniſtrum a Deo conſtitutum eſſe, ut tanquam arbiter inter Deum, & homines, honori divino, & animarum ſaluti conſulat.* Sed hæc jam alias nos late explicuimus.

§. III.

Ut ergo recte judicare queat, diſcernens inter lepram, & lepram, & tanquam peritus Medicus animarum morbos prudenter curare, & apta cuique remedia applicare ſciat, quantam poteſt maximam ad id ſcientiam, atque prudentiam, tum aſſiduis ad Deum precibus, tum ex probatis Auctoribus, præſertim e Catechiſmo Romano, & prudenti conſilio peritorum ſtudeat ſibi comparare.

COMMENTARIUS.

I. CUm in præcedenti §. dictum jam fuerit, Confeſſarium perſonam Judicis, & Medici ſuſtinere, quia ſcilicet ut Judex debet judicium facere, & ut Medicus medicinam præſtare, opportune hic præſens §. demonſtrat, ac docet ſubjectum, ad quod judicium ipſum, & medicatio dirigitur, diſcernens nempe inter lepram, & lepram, ad quam curandam opus eſt, tum judicio, tum medicina. Cum enim lepra, quæ variæ eſt ſpeciei, peccatum ſignificet, quod multipliciter committitur, debet prudens Confeſſarius diſcernere prius, quænam lepra ſit, ſeu quodnam, & quotuplex peccatum ſit, quo pœnitens gravatur, & hoc eſt officium Judicis; deinde quodnam remedium aptum ſit ad ipſam peccati lepram curandam, & hoc eſt Medici.

dici munus. Porro verbis illis noſter §. *diſcernens inter lepram, & lepram*, alludit plane ad id quod dicitur Capite xvii. Deuteronomii: *Si difficile, & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & lepram, & Judicum intra portas tuas videris verba variari, ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, venieſque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore, quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem; & facies quodcumque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te.* Placuit integrum locum deſcribere, quod inde multa erui poſſunt, quæ hunc noſtrum §. ſpectant; ad eumque locum, ſive ad Caput xiii. Levitici, ubi & de lepræ morbo fit ſermo, reſpexit inter alios S. Joannes Chryſoſtomus Lib. iii. *De Sacerdotio*, Capite v. juxta noſtram editionem, ubi ſic inquit: *Corporis lepram purgare, ſeu verius dicam, haud purgare quidem, ſed purgatos probare, Judeorum Sacerdotibus ſolis licebat.* Tum vero paulo poſt: *At vero noſtris Sacerdotibus non corporis lepram, verum animæ ſordes, non dico purgatas probare, ſed purgare prorſus conceſſum eſt.*

II. Spectant hæc quidem excelſam Sacerdotum Novi Teſtamenti poteſtatem, quod vero ad eorum attinet munus, iterum & illud repetendum eſt, quo magis magiſque hic noſter §. explicetur, omnium conſenſu, Sacerdotes in Sacramento Pœnitentiæ duplices ferre perſonas, Medicorum, & Judicum. Quemadmodum igitur Medico vulnera retegit ægrotus, doloreſque omnes internos exponit, ut applicet morbo pharmaca, & epithemata convenientia; finiſque expoſitionis morbi, non eſt ipſa expoſitio, ſed convenientis medicamenti applicatio, & animæ per illa medicamenta ſanatio, ſic finis Confeſſionis peccatorum omnium Sacerdoti factæ, non eſt ſola Confeſſio, ſed remediorum morbis ſpiritualibus convenientium applicatio, quibus anima curationi diſponatur, & diſpoſita per reconciliationem perfecte ſanetur. Hac ratione, uti obſervat Morinus Lib. i. *De adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ*, Cap. v. num. ix. antiqui Patres de peccatorum medelis ſemper philoſophati ſunt, ut Origenes Homilia i. in Pſalmum xxxvii. Clemens Lib. II. Conſtitutionum Apoſtolicarum, Cap. xx. Cyprianus in Tractatu, *De lapſis*, Gregorius Nazianzenus in Epiſtola Canonica ad Letoium, & inter alios Burchardus Lib. xix. Decretorum, qui *Corrector* vocatur, & *Medicus*, quia correctiones corporum, & animarum medicinas plene continet, & docet unumquemque Sacerdotem, quomodo unicuique ſuccurrere valeat, ordinato, vel ſine Ordine, pauperi, diviti, puero, juveni, ſeni, decrepito, ſano, infirmo, in omni ætate, & in utroque ſexu.

III. Idem judicium eſt de perſona Judicum, quam ſuſtinent Sacerdotes, ut idem Morinus obſervat, num. xi. Extorquetur enim a Judicibus criminum confeſſio, non ut in confeſſione ſubſiſtant, aut veniam ſtatim, nullo, aut leviſſimo criminum examine facto, confitentibus indulgeant, ſed ut criminibus pœna juxta Leges a Principe conſtitutas infligatur; vel ſi pœnam condonet Princeps, ita multetur reus, damnumque alteri illatum reſarciat, ut in poſterum crimen ejuſmodi perpetrare non audeat. Judices igitur ſunt Sacerdotes, ut peccata in Confeſſione audita puniant pœna Evangelica, hoc eſt, ſalutari, quæ non mortem inferat, ut pœnæ ſæculares, ſed vitam reddat confitentibus; & pœnitentes aliquando tradant in interitum carnis, ut ſpiritus eorum ſalvus ſit in die Domini Jeſu Chriſti. Inde eſt quod Doctores Catholici Confeſſionis neceſſitatem ex auctoritate remittendi, & retinendi peccata potiſſimum colligunt. Hoc præcæteris fecerunt Concilii Tridentini Patres Seſſione xiv. Cap. v. Cum enim docuerunt, Chriſtum Sacerdotes inſtituiſſe Præſides, & Judices Chriſtianorum, ſtatim ex illa auctoritate peccatorum confeſſionem colligunt: *Ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ jam explicata, univerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam etiam eſſe a Domino integram peccatorum confeſſionem, & omnibus poſt Baptiſmum lapſis jure Divino neceſſariam exiſtere; quia Dominus noſter Jeſu Chriſtus e Terris aſcenſurus ad Cælos, Sacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquit tanquam Præſides, & Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſtifideles ceciderint; quo pro poteſtate Clavium, remiſſionis, aut retentionis peccatorum ſententiam pronuntient. Conſtat enim, Sacerdotes judicium hoc, incognita cauſa, exercere non potuiſſe, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis ſervare potuiſſe, ſi in genere dumtaxat, & non potius in ſpecie, ac ſigillatim ſua ipſi peccata declaraſſent.* Idem paulo poſt iidem Patres colligunt ex Medicorum officio, quo & ipſi Sacerdotes Sacramenti Pœnitentiæ Miniſtri funguntur: *Si enim erubeſcat ægrotus vulnus Medico detegere, quod ignorat, medicina non curat.*

IV. Longum eſſet hic varias Synodos, & Auctores referre, ex quibus docemur, quod ſuperius toties repetitum fuit, duplicem perſonam Confeſſarium ſuſtinere, Judicis, ac Medici, ut recte judicare queat, diſcernens inter lepram & lepram, & apta cuique remedia applicare ſciat. Sed lubet tamen eam in rem locum referre Petri Bleſenſis, qui agens de ſatisfactione, quæ eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ, ſic inter alia habet: *Sicut confitenti neceſſaria eſt humilis, & ſincera devotio, ſic Pœnitentiali*, ideſt Sacerdoti, *neceſſaria eſt diligens, & circumſpecta diſcretio, ut diſcernat inter lepram & lepram, & habeat in ſe tria, bonitatem, ſcientiam, & diſciplinam; bonitatem in ſanctitate, ſcientiam in eruditione, diſciplinam in correctione. Sit Samaritanus infundens oleum miſericordiæ, vinumque juſtitiæ. Habeat conſcientia ejus quaſi Arca fœderis manna, & virgam, ut ſciat compati & ignoſcere, arguere & monere. Gaudeat de primitivis fructibus pœnitentis, ſicut bonus agricola, compatiatur infirmo, dubiumque confortet, recolens illud Apoſtoli:* Quis infirmatur, & ego non infirmor? *Et audiens tentationes ejus, ſuam infirmitatem cogitans, apud ſe dicat:* Si in tanta tentatione fuiſſem, gravius cecidiſſem. *Nihil dicatur, aut fiat cum indignatione, & ira:* Ira enim viri juſtitiam Dei non operatur. *Medium autem teneat, ne nimia remiſſio, vel nimia auſteritas ſit in eo, certumque pœnitentiæ modum juxta Sanctorum Patrum inſtituta præſcribat.*

V. Tenenda eſt ergo potiſſimum regula illa, quam hic noſter §. præſcribit, ut nempe, quo Con-

Confeſſarius tanquam peritus Medicus animarum morbos prudenter curare, & apta cuique remedia applicare ſciat, *quantam poteſt maximam ad id ſcientiam, atque prudentiam tum aſſiduis ad Deum precibus, tum ex probatis Auctoribus, præſertim e Catechiſmo Romano, & prudenti conſilio peritorum ſtudeat ſibi comparare*. Studium itaque precandi neceſſarium eſt Confeſſariis, cum enim moderator animarum conſilio, & judicio excellere debeat, *ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum*, teſte Iſaia Cap. VII. *& diſtinguere*, ut Deus ad Moyſen loquebatur, Deuteronomii Cap. XVII. *inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & lepram*, id plane a Deo efflagitare debet, ut det ei ſapientiam, & intelligentiam, exemplo Apoſtoli, qui ſuorum etiam Theſſalonicenſium invocavit preces, quo ſuæ prædicationis Evangelicæ curſus eſſet felicior, & fructuoſior, ſic ad eoſdem ſcribens Cap. III. *De cætero Fratres orate pro nobis, ut ſermo Dei currat, & clarificetur*. Atque huc ſpectat, quod ait Apoſtolus Jacobus in ſua Canonica Epiſtola Cap. I. *Siquis veſtrum indiget ſapientia poſtulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei*. Id quod expertus Sapiens fuit, ut idem teſtatur, Sapientiæ Cap. VII. *Optavi, & datus eſt mihi ſenſus; invocavi, & venit in me Spiritus ſapientiæ*. Optimum autem erit, ſi ſe Deo in quotidianis Sacrificiis commendet, juxta illud Pauli in Epiſtola ad Hebræos, Cap. V. *Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis; & propterea debet, quemadmodum pro populo, ita & pro ſemetipſo offerre pro peccatis*.

VI. Jam non ſufficit Confeſſario, Sacerdotique, ac iis, qui conſcientias aliorum moderantur, precandi ſtudium, ſed opus eſt etiam, ut doctrinæ attendant, ſcientiamque ſibi comparent ex probatis Auctoribus, præſertim vero ex Sancta Scriptura, & Sacris Canonibus, ut edicit Canon Concilii Toletani IV. relatus in Canone, *Ignorantia*, Diſtinctione XXXVIII. *Ignorantia*, inquit, *mater cunctorum errorum, maxime in Sacerdotibus Dei vitanda eſt. Sciant igitur Sacerdotes Scripturas Sanctas, & Canones, ut omne opus eorum in prædicatione, & doctrina conſiſtat, atque ædificent cunctos tam Fidei ſcientia, quam operum diſciplina*. Sed nec prætermittendum eſt ſtudium SS. Patrum, multoque minus iis præferendi Caſuiſtæ recentiores, uti addiſcere licet a Cæleſtino Papa I. relato in Canone V. Diſtinctione citata: *Nulli Sacerdotum liceat Canones ignorare, nec quicquam facere, quod Patrum poſſit regulis obviare. Quæ enim a nobis res digne ſervabitur, ſi Decretalium norma conſtitutorum pro aliorum libitu licentiæ populis permiſſa frangatur?* Porro noſtro huic §. concinit S. Carolus in ſuis de Sacramento Pœnitentiæ Inſtructionibus, ubi ſic inter alia inquit: *Quoniam Confeſſionis Miniſter, Judicis, & Medici ſimul perſonam gerit, ut & quod ad Judicem attinet, ex variis peccatorum generibus, quæ gravia, quæ levia ſint, quove modo corrigenda, pro cujuſque hominis ordine, & genere judicare poſſit; & tanquam Medicus ea remedia ægroto adhibeat, quæ ad illius animam ſanandam, & inpoſterum contra vim morbi muniendam aptiora videantur; opus eſt, ut is tum ſcientiam, atque eruditionem, tum prudentiam ſtudeat ſibi, quantum poteſt, comparare; tum ex Divina gratia, quam aſſidua precatione ſupplex a Deo petat, tum ex Auctoribus probatis, qui eam materiam pie pleneque tractarunt*. Probati Auctores jam dici nullatenus poſſunt, in quorum Libris innumeræ pene laxæ, horrendæque propoſitiones occurrunt, quarum multæ a variis Summis Pontificibus, Alexandro VII. Innocentio XI. Alexandro VIII. & noviſſime a regnante Pontifice BENEDICTO XIV. præſcriptæ fuerunt.

VII. Adhibendum a Confeſſario in dirigendis pœnitentium conſcientiis præ ceteris probatorum Auctorum Libris Catechiſmum Romanum juſſu Tridentini Concilii concinnatum, ac S. Pii Papæ V. auctoritate promulgatum, merito mandat hic noſter §. quod in eo ſcilicet ſana, ſolidaque Patrum, & Canonum doctrina continetur, probatuſque ſit a Conciliis paſſim Provincialibus, particularibuſque poſt ejus editionem celebratis, ut alias oſtendimus. Ceterum quod ait tandem noſter §. ut præter probatos Auctores, Confeſſarius in regendis conſcientiis, remediiſque applicandis *prudenti conſilio peritorum* utatur, intelligendum eſt juxta regulam in variis Synodis expreſſam, præſertim Lateranenſi IV. Oecumenica, Can. XXI. atque a S. Carolo traditam in Inſtructionibus, *De Sacramento Pœnitentiæ*, Capite inſcripto, *Quæ in adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ Parochus & Confeſſarius obſervet*, ubi ſic inter alia inquit: *Si prudentiori conſilio indiguerit, illud abſque ulla expreſſione perſonæ caute requirat*. Id quod etiam variæ Synodi ſtatuerunt.

§. IV.

Sciat caſus, & Cenſuras Sedi Apoſtolicæ, & Ordinario ſuo reſervatas, & ſuæ cujuſque Eccleſiæ Conſtitutiones, eaſque diligenter obſervet.

COMMENTARIUS.

I. Caſuum reſervatio juxta modernam phraſim dicitur ea, qua nonnulla graviora peccata majoribus Eccleſiæ Prælatis reſervantur, itaut inferiores ea remittendi poteſtatem non habeant, niſi hæc poteſtas ipſis ſpecialiter fuerit conceſſa. Eſt autem duplex hæc reſervatio, alia Epiſcopalis, alia Papalis; prior eſt, qua ipſi Epiſcopi quædam peccata ſibi, vel generaliter per totam Diœceſim, & reſpectu omnium generaliter Confeſſariorum reſervant, itaut nulli inferiores Confeſſarii quantumvis indefinite, & illimitate approbati, ab iis ſacramentaliter abſolvere queant ſine ſpeciali facultate; vel ſpecialiter reſpectu hujus, illiuſve Confeſſarii, aut pro quadam ſuæ Diœceſis parte reſervant. Sicut enim Epiſcopus poteſt Presbyterorum tam

ſæcularium, quam Regularium, præſertim Parochiale Beneficium non habentium, approbationem ad tempus limitare, ita eandem, quoad materiam, ſive peccata, reſtringere poteſt. Reſervatio Papalis eſt illa, qua nonnulla atrociora crimina Papæ reſervantur, ut nullus ab iis, præter Papam, aut ab eo poteſtatem habentem, abſolvere ordinarie queat.

II. Docent hæc paſſim Theologi de caſuum reſervatione agentes in Tractatu, *De Sacramento Pœnitentiæ*, præſertim vero Vaneſpen, Parte II. *Juris univerſi Eccleſiaſtici*, Tit. VI. Capite VII. ubi etiam opportune deſcribit locum inſignem Concilii Tridentini Seſſione XIV. Capite VII. *Magnopere vero ad Chriſtiani populi diſciplinam pertinere, ſanctiſſimis Patribus noſtris viſum eſt, ut atrociora quædam, & graviora crimina, non a quibuſvis, ſed a Summis dumtaxat Sacerdotibus abſolverentur, unde merito Pontifices Maximi pro ſuprema poteſtate ſibi in Eccleſia univerſa tradita, cauſas aliquas criminum graviores ſuo potuerunt peculiari judicio reſervare. Neque dubitandum eſt, quando omnia, quæ a Deo ſunt, ordinata ſunt, quin hoc idem Epiſcopis omnibus in ſua cuique Diœceſi, in ædificationem tamen, non in deſtructionem, liceat, pro illis in ſubditos tradita ſupra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, præſertim quoad illa, quibus excommunicationis cenſura annexa eſt. Hanc autem delictorum reſervationem, conſonum eſt Divinæ auctoritati, non tantum in externa politia, ſed etiam coram Deo vim habere.* Atque his adde, quod eadem Synodus Tridentina in citatæ Seſſionis Canone XI. ſtatuit his verbis: *Siquis dixerit, Epiſcopos non habere jus reſervandi ſibi caſus, niſi quoad externam politiam, atque ideo caſuum reſervationem non prohibere, quo minus Sacerdos a reſervatis vere abſolvat, anathema ſit.*

III. Plura ſcitu digna de ipſa caſuum reſervatione videri poſſunt apud memoratum Vaneſpen, præſertim vero apud Sanctiſſimum Dominum noſtrum Papam BENEDICTUM XIV. Lib. V. *De Synodo diœceſana*, Cap. IV. & V. nam quod noſtrum §. ſpectat, in quo monetur Confeſſarius ut ſciat caſus, & cenſuras Sedi Apoſtolicæ, & Ordinario ſuo reſervatas, & ſuæ cujuſque Eccleſiæ Conſtitutiones, eaſque diligenter obſervet, omnino neceſſaria eſt illi ſcientia iſta; quilibet enim Judex, cujus perſonam Confeſſarius gerit, ſcire debet quouſque extendatur ſua juriſdictio, nam alias ſi ejus terminos tranſiliat, invalida, & nulla erit ſententia. In omni autem Republica bene ordinata conſtituti ſunt tales termini, ut nempe inferiores Judices minora ſolum delicta judicent, graviora vero Judex Superior, & graviſſima tandem Princeps ipſe, vel hi qui ab ipſo ex ſpeciali commiſſione deputati ſint. Atque hic eſt ordo, quem ſapientiſſime, ſervatum eſſe, ac ſervari debere in Eccleſia, recitato Capite VII. Tridentina Synodus deſinivit. Porro quod ſtatuit hic noſter §. præſcripſit etiam S. Carolus, & quidem luculentius, fuſiuſque, in ſuis de Sacramento Pœnitentiæ Inſtructionibus, ſic inter alia inquiens: *Cenſurarum rationem, & vim recte intelliget*, Confeſſarius ſcilicet, *& quibus criminibus annexæ illæ ſint. Caſus reſervatos in promptu habebit, ita ut recte ſciat, qui Jure Canonum Summo Pontifici, qui rurſus Epiſcopo, qui præterea in Bulla Cœnæ Domini, quique pro varietate temporum Epiſcopo reſervati ſint.* Et paulo poſt: *Cognitum etiam habere Confeſſarius debet, ac præterea animadvertere, antequam ad audiendas confeſſiones accedat, quanta ſit auctoritas, poteſtaſque juriſdictionis ſuæ; ita ut cum norit, & quos, & a quibus peccatis, Cenſuriſque abſolvere poſſit, tum etiam caveat, ne facultatis ſuæ fines prætergrediatur.*

IV. Jam non modo Sacerdotes Sæculares, verum etiam Regulares ad confeſſiones audiendas approbatos, ſtare debere caſuum, ac cenſurarum reſervationi, quam ſibi Ordinarii locorum, in quibus degunt, fecerunt, pluribus probat laudatus Pontifex BENEDICTUS XIV. Cap. V. numer. VI. & ſeq. ubi etiam varia Summorum Pontificum, ac Sacræ Congregationis Concilii Tridentini interpretis Decreta recenſet, quibus edicitur, non poſſe Regulares a caſibus abſolvere, quos ſibi locorum Ordinarii reſervarunt. Ne autem ipſa Decreta ullo unquam tempore e Regularium memoria exciderent, utque continue præ oculis iidem haberent culpas, quas nequeunt relaxare, eadem Sacra Congregatio Concilii in Sublacenſi Juriſdictionis die 10. Octobris 1676. dixit, eos teneri affigere notulas caſuum Epiſcopo reſervatorum, & renuentes opportunis Juris remediis ad id cogi, uti habetur Lib. 29. Decretorum, pag. 284. a tergo, & pag. 285. Ceterum cum ipſa caſuum reſervatio ab Ordinariis non modo in Synodo fieri poſſit, verum etiam extra Synodum peculiari Conſtitutione, ut docet idem memoratus Pontifex BENEDICTUS XIV. loco citato, hinc recte mandat noſter §. ut Confeſſarius ſciat quoque ſuæ cujuſque Eccleſiæ Conſtitutiones, eaſque diligenter obſervet, nec enim debet ab iis recedere.

§. V.

Denique hujus Sacramenti doctrinam omnem recte noſſe ſtudebit, & alia ad ejus rectam adminiſtrationem neceſſaria. Atque in hoc miniſterio ita procedat, ut infra præſcribitur.

COMMENTARIUS.

I. Concinunt & hæc iis, quæ fuſius explicat S. Carolus in ſuis, *De Sacramento Pœnitentiæ*, Inſtructionibus, ubi ſic inter alia inquit: *In primis bene cognita habeat*, Confeſſarius nempe, *quæ Monitis, ſeu Inſtructionibus in hac Eccleſia editis ad Confeſſariorum uſum continentur. Sacramenti igitur hujus doctrinam omnem recte noſſe ſtudebit, itaut quæ illius ratio, qui effectus, quæve illius partes, quæ illarum partium vis, & natura, perite intelligat. Quæ peccata mortalia, & quæ venialia, cognoſcat. Peccati circumſtantias ſciat, quæ præſertim mutant ſpeciem peccati, & quæ in Confeſſione explicanda ſunt, quæ reſtituendi onus inducant.*

§. VI.

Ordo miniſtrandi Sacramentum Pœnitentiæ.

§. VI.

Sacerdos ad audiendam Confeſſionem vocatus, promptum, facilemque ſe præbeat, ac priuſquam ad audiendum accedat, ſi tempus ſuppetat, ad hoc miniſterium recte, ſanctèque obeundum, Divinum auxilium piis precibus implorabit.

COMMENTARIUS.

I. INter alias dotes, quibus præditus eſſe Miniſter Sacramenti Pœnitentiæ debet, illam potiſſimum in variis Synodis, atque Epiſcoporum Conſtitutionibus explicatam habemus, præſertim vero a S. Carolo in Inſtructionibus Confeſſorum variis locis, & in illis, quas de Sacramento Pœnitentiæ conſcripſit, ut ne quemquam pœnitentem, ſubterſugiendi laboris cauſa, rejiciat, ne nutu quidem, nedum verbis; imo ſe paratum ſemper, promptum, facilem, humilemque præbeat. Nam alias non addubito, quin graviter Parochus peccet contra juſtitiam, ſi reſpuat pœnitentem audire, Sacerdos autem ſimplex, qui Confeſſarii munere fungitur, contra charitatem, ſi potens audire pœnitentem, inauditum illum dimittat.

II. Tanti autem eſt peccatorum animas a diaboli laqueis extricare, ut hoc potiſſimom Confeſſarius curare debeat, qua id ratione conſequi poſſit; cumque res ipſa difficilis ſit, recte admodum cautum eſt ex noſtro §. ut, *priuſquam ad audiendum accedat, ſi tempus ſuppetat, ad hoc miniſterium recte, ſancteque abeundum, Divinum auxilium piis precibus imploret.* Ergo, ut inter alios notat doctiſſimus, religioſiſſimuſque Antonius Caraccíolus Clericus Regularis in Notis ad Conſtitutiones ſui Ordinis, Parte I. Capite IV. §. VI. a Confeſſariis, antequam tantum opus aggrediantur, magnopere obſecrandus eſt Deus, animarum omnium Creator, & Amator, ut Spiritum Sanctum ſuum ſuis Operariis infundat, atque adeo id propemodum facere debent, quod vetus Codex Pœnitentialis apud Baronium in Notis ad Martyrologium, III. Idus Junii præſcribit hiſce verbis: *Cum venerit aliquis ad Sacerdotem confiteri peccata ſua, mandet ei Sacerdos, ut expectet modicum, donec intret in cubiculum ad Orationem.* Idipſum conſtitutum legimus in ms. Pontificali Anglicano Monaſterii Gemmeticenſis annorum circiter mille, & in ms. Codice Eccleſiæ Noviomenſis annorum CM. Capite inſcripto, *Qualiter ſuſcipere debeant pœnitentem Epiſcopi, vel Presbyteri*, cujus tametſi prolixum lubet tamen hic locum deſcribere. Sic enim inquit.

III. Quotieſcumque Chriſtiani ad Pœnitentiam accedont, jejunia damus, & non communicare cum eis debemus. Jejunio unam, aut duas hebdomadas, aut qantum poſſumus, ut non dicatur nobis, quod Sacerdotibus Judæorum dictum eſt a Domino Salvatore: *Væ vobis Legis periti, qui adgravatis homines, & imponitis ſuper humeros onera gravia, ipſi autem uno digito veſtro non tangitis ſarcinas ipſas.* Nemo enim poteſt ſublevare cadentem, niſi inclinaverit ſe, & porrigat manum. Neque ullus Medicorum vulnera poteſt curare, niſi fœtoribus particeps fuerit. Ita quoque nullus Sacerdotum, vel Pontifex poterit curare, aut animabus peccata auferre, niſi præſtante ſollicitudine, & oratione lacrymarum. Neceſſe eſt ergo nobis, Fratres chariſſimi, ſollicitos eſſe pro peccatoribus, quia ſumus alterutrum membra; & ſiquis patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra. Ideoque & nos ſi viderimus aliquem in peccatis jacentem, feſtinemus eum ad pœnitentiam per noſtram doctrinam vocare; & quotieſcumque dederis peccanti, ſimulqoe da illi pœnitentiam ſtatim, quantum debeat jejunare, & redimere peccata ſua, ne forte obliviſcaris, quantom eum oporteat pro ſuis peccatis jejunare, tibique neceſſe ſit, ut iterum exquiras ab eo peccata confiteri, & erubeſcet iterum peccata ſua confiteri, & invenietur amplius jam judicari. Non enim omnes Clerici hanc Scripturam uſurpare, aut legere debent, qui inveniunt eam, niſi illi ſoli, quibus neceſſe eſt, hoc eſt, Presbyteris. Sicut enim Sacrificium offerre non debent, niſi Epiſcopi, & Presbyteri, quibus Claves Regni cæleſtis traditæ ſunt, ſic nec judicia iſta alii uſurpare debent. Si autem neceſſitas evenerit, & Presbyter non fuerit præſens, Diaconus ſuſcipiat pœnitentem ad ſanctam Communionem. Sicut ergo ſuperius diximus, humiliare ſe debent Epiſcopi, ſive Presbyteri, & cum triſtitiæ gemitu, lacrymiſque orare non pro ſuis delictis ſolum, ſed etiam pro Chriſtianorum omnium, ut poſſint cum Beato Paulo dicere: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non uror?* Cum ergo venerit aliquis ad Sacerdotem confiteri peccata ſua, mandet ei Sacerdos, ut expectet modicum, donec intret in cubiculum ſuum ad orationem; ſi aotem non habuerit cubiculum, tamen tunc Sacerdos dicat hanc Orationem.

IV. Seqoitur mox Oratio, quam operæ pretium duco & hic referre, eſtque hujuſmodi: *Domine Deus propitius eſto mihi peccatori, ut condigne poſſim tibi gratias agere, qui me indignum propter tuam miſericordiam Miniſtrum feciſti officii Sacerdotalis, & me exiguum, humilemque, mediatorem conſtituiſti, ad orandum, & intercedendum ad Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum pro peccantibus, & ad pænitentiam revertentibus. Ideoque, Dominator Domine, qui omnes homines vis ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; qui non vis mortem peccatorum, ſed ut convertantur, & vivant: ſuſcipe orationem meam, quam fundo ante conſpectum clementiæ tuæ pro famulis, & famulabus tuis, qui ad pænitentiam venerunt. Per.* Alia eſt Oratio, quæ legitur in ms. S. Remigii Codice annorum circiter DC. his verbis: *Adeſto Domine, ſupplicationibus noſtris, & me, qui etiam miſericordia primus indigeo, clementer exaudi; mihique, quem non electione meriti, ſed dono gratiæ tuæ conſtituiſti operis tui Miniſtrum, da fiduciam tui*

tui muneris gratiam exequendi, & ipſe in noſtro miniſterio, quod tuæ pietatis eſt, operare. Per. Sequuntur mox aliæ Orationes, quæ videri poſſunt apud Martene Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. VI. Articulo VII. Ordine XIV. Porro ex ms. etiam Pontificali inſignis Eccleſiæ Aquenſis ejuſdem ætatis, apud eundem Martene Ordine XV cautum eſt, ut, *quando peccata ſua vult aliquis confiteri, Sacerdos dicat apud ſe hanc Orationem*: Domine Deus Omnipotens, qui non vis mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat; propitius eſto mihi peccatori, & ſuſcipe orationem meam, quam fundo ante conſpectum clementiæ tuæ, quo & me pariter, & hunc a peccatis omnibus exuas, &, ut peccare de cetero caveamus, efficias. Per Dominum.

V. Veteris diſciplinæ inſtaurator S. Carolus juſſit & ipſe in Conciliis ſuis, atque Inſtructionibus Confeſſorum, & de Sacramento Pœnitentiæ, ut in Confeſſionali Sede Orationes præparatoriæ ad Confeſſiones audiendas affixæ ſint; quas Confeſſarius ſcilicet præmitteret Confeſſionibus pœnitentium audiendis. Hæc autem eſt formula: ℣. *Cor mundum crea in me Deus.* ℟. *Et ſpiritum rectum innova in viſceribus meis.* ℣. *Ne projicias me a facie tua.* ℟. *Et Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me.* ℣. *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui.* ℟. *Et ſpiritu principali confirma me.* ℣. *Docebo iniquos vias tuas.* ℟. *Et impii ad te convertentur.* ℣. *Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ.* ℟. *Et exultabit lingua mea juſtitiam tuam.* Oratio *Deus omnipotens &c.* ut ſupra ex ms. Codice Eccleſiæ Noviomenſis, additis tamen poſt illam clauſulam, *qui ad pœnitentiam venerunt*, his verbis: *ut des illis ſpiritum compunctionis; reſipiſcant a diaboli laqueis, quibus adſtricti tenentur, ut ad te per dignam ſatisfactionem revertantur. Per eundem Dominum noſtrum &c.* Cæterum recitatæ, aliæve id genus orationes, preceſque ad divinum auxilium implorandum, dicendæ ſunt quidem a Confeſſario, priuſquam ad audiendum accedat, ſed tamen, *ſi tempus ſuppetat*, ut ait hic noſter §. Nam alias ſi inopinato vocatus ille debeat confeſtim ad audiendam Confeſſionem accedere, ſat erit, ſi aliqua ferventi jaculatoria oratione ex ſacris Literis, Sanctis Patribus, ſeu piis Auctoribus ſumta ſe præparet, vel ſubita mentis in Deum elevatione.

§. VII.

In Eccleſia, non autem in privatis ædibus Confeſſiones audiat, niſi ex cauſa rationabili, quæ cum inciderit, ſtudeat tamen id decenti, ac patenti loco præſtare.

COMMENTARIUS.

I. Locum præcipuum excipiendis Confeſſionibus eſſe Eccleſiam, immoque juxta veterem diſciplinam ſervatum fuiſſe locum Altari vicinum, docent nos priſcæ Synodi, inter quas Pariſienſis VI. anni DCCCXXIX. Parte I. Cap. XLVI. ſic habet: *Porro ſi Sacerdotibus Sanctimoniales confiteri voluerint, id non niſi in Eccleſia coram Sancto Altari, adſtantibus haud procul teſtibus, fiat.* Hinc formula Confeſſionis, quæ in Pœnitentiali Egberti Eboracenſis Epiſcopi continetur, ita plane incipit: *Confiteor coram Deo Omnipotente, Creatore Cæli, & Terræ, & coram hoc Altario ſancto &c.* Idem conſtat ex alia Confeſſionis formula, quæ extat in ms. Codice inſignis Eccleſiæ S. Gatiani Turonenſis, annorum circiter CM. apud Martene Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. VI. Articulo VII. Ordine III. *Confiteor tibi Domine Pater Cæli, & Terræ, coram hoc ſancto Altare tuo, & iſtius loci Reliquiis, & coram hoc Sacerdote tuo &c.* Confirmat hanc praxim S. Petrus Damiani in Opuſculo LVI. ubi teſtatur, Agnetis Imperatricis Confeſſionem excepiſſe ſe *ſub arcana Beati Petri Confeſſione ante Sacrum Altare*; legimuſque in Vita S. Bertoldi Abbatis Garſtenſis apud Surium ad diem XXVII. Julii, conſueviſſe & ipſum *ante Altare S. Petri Confeſſiones audire*. Id vero ita expreſſe ſtatuit Concilium Redingenſe, ut alibi factas Confeſſiones, nullas, & irritas decernat: *Circa confeſſiones*, inquit, *taliter duximus ordinandum, ut in loco tantum fiant publico coram Altari expoſito tranſeuntibus univerſis, nec valeat abſolutio ſecus facta.*

II. Quamquam autem hæc communis ſit Epiſcoporum Lex, ut Sacerdotes nonniſi in Eccleſia ſacras pœnitentium Confeſſiones excipiant, & quidem in Confeſſionalibus ſedentes, ut in Commentario ſequenti dicemus, intelligendum id tamen eſt, niſi aliter cauſa rationabilis poſcat, ut habet hic noſter §. Neque enim infirmi, ſi confiteri velint, ad Eccleſiam deferendi ſunt, ſed in ſuis privatis ædibus confiteri poſſunt, decenti tamen, ac patenti loco, ut inquit idem hic §. noſter, & Sacræ Synodi mandant, ac præſertim memorata Pariſienſis, Capite citato: *Si autem infirmitas præpedierit, ut in Eccleſia eadem Confeſſio fieri nequeat, in quacunque Domo facienda eſt, nonniſi teſtibus ſimiliter haud procul adſtantibus fiat.* Atque his concinunt variæ Synodi, inter quas Mediolanenſis S. Caroli Provincialis V. ubi de Pœnitentiæ Sacramento agit, expreſſe Confeſſariis præcipit, *ne extra Eccleſiam, Oratoriumve, Confeſſionem audiant, præterquam ægrotantium, etiam virorum, niſi ob urgentem cauſam.* Cæterum illud quoque paſſim Sacræ Synodi mandant, ut Confeſſarii, ſi in privatis domibus audiendæ ſint ægrotantium, præſertim mulierum, Confeſſiones, id non faciant, niſi cubiculi janua ſit patefacta, ut conſpici, tam confitens, quam Confeſſarius, poſſint. Ita plane ſtatuit Synodus Ferrarienſis Joannis Baptiſtæ Cardinalis Lenii anni MDCXII. *De Pœnitentia*, num. V. & aliæ complures allatæ a pio doctoque Franciſco Genetto Epiſcopo Vaſionenſi Tomo IV. Theologiæ Moralis Tractatu VI. Capite XI. Quæſtione 10. & ab aliis clariſſimis Scriptoribus, qui Theologiam Moralem, non quidem Caſuiſtarum dictis, ineptiſque ratiunculis, ſed ſolidis Conciliorum, Patrum, & Summorum Romanorum Pontificum, inſigniumque Theologorum doctrinis concinnarunt, quas nos ſemper ſequi in his Commentariis jure conſuimus.

§. VIII.

§. VIII.

Habeat in Eccleſia Sedem Confeſſionalem, in qua ſacras Confeſſiones excipiat, quæ ſedes patenti, conſpicuo, & apto Eccleſiæ loco poſita, crate perforata inter pœnitentem, & Sacerdotem ſit instructa.

COMMENTARIUS.

I. EXcipiendas eſſe in Eccleſia ſacras pœnitentium Confeſſiones, jam diximus in Commentario ſuperiori; explicandum nunc illud eſt, quod in præſenti edicit noſter §. ut nempe Confeſſarius *habeat in Eccleſia Sedem Confeſſionalem, in qua ſacras Confeſſiones excipiat*. Porro ſi veterem Eccleſiæ diſciplinam ſpectemus, Confeſſarii Sedes jam non erat, quali nunc utimur, bimembris, atque ideo non ad aurem, latuſque Sacerdotis, figebant genua pœnitentes, ſed in ſimplici Sella aſſidenti Presbytero ſupplex ſe ſe peccator ad genua provolvebat, vultu demiſſo, oculis ad genua illius, pedeſque dejectis. Ex hujuſmodi habitu, ſituque corporis ad humilitatem compoſito ortum habuit obſcœna illa, atque impia Ethnicorum calumnia in Chriſtianos conflata, quos, ut tradit Minutius Felix in Octavio, & ex eo Baronius ad annum LVI. ajebant, adorare ſolitos virilia Sacerdotum, quia ſcilicet illi ad eorum genua procumbentes, ſuaque peccata confitentes, ſummiſſe veniam deprecabantur, uti poſt alios ibidem notat laudatus Baronius. Hunc jam, quod de ſitu pœnitentium dixi, ſignificat Tertullianus Minutio Felice antiquior, in Libro, *De Pœnitentia*, Cap. VIII. his verbis: *Exomologeſis proſternendi, & humilificandi hominis diſciplina eſt, converſationem injungens miſericordiæ illicem; de ipſo quoque habitu, atque victu mandat, ſacco, & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare, animum mœroribus dejicere, ingemiſcere, lacrymari, & mugire dies nocteſque ad Dominum Deum, Presbyteris advolvi, Servis Dei adgeniculari*. Sed de hoc ritu adgeniculationis, proſtrationiſque pœnitentium ad terram opportunius infra dicemus in Commentario ad §. X.

II. Licet autem ex hactenus dictis conſtet, pœnitentes olim peccata ſua confeſſuros conſueviſſe ad genua, non ad latus Sacerdotis ſedentis, accedere, rectior tamen eſt mos recens, magiſque pudori conſulit Confeſſionalis ſedes bimembris crate perforata inter pœnitentem, & Sacerdotem instructa, ut in hoc noſtro §. præſcriptum eſt, atque in variis etiam Synodis conſtitutum. Formam Confeſſionalis egregie deſcribit S. Carolus Lib. I. *Inſtructionum fabricæ Eccleſiaſticæ*, Cap. XXIII. ubi ſingulas earum etiam partes recenſet: *Forma, ad cujus præſcriptum Confeſſionale extruendum erit, hæc eſt, qua ſervata, licebit aliqua præterea ornamenta adhibere, utpote in anteriori parte coronices elaboratas, aliudve ornati genus decens. Primo ex tabulis, vel nuceis, vel certe ulterius cujuſvis generis totum ſit, ſeptum ſcilicet iis, & a latere utroque, & a tergo, & a parte ſuperiori eiſdem intectum, a parte anteriori apertum omnino, neque ullo modo occludatur. Habeat tamen, præſertim in frequentioribus Eccleſiis, oſtium ex crate, cancelliſve ligneis inter ſe unciarum circiter quatuor ſpatio diſtantibus cum ſera, clavique, ut cum Confeſſarius in eo non eſt, ne ibi eum irriverentia miniſterii, quod ibi agitur, laici, vagique, & ſordidi homines ſedeant, otioſeve dormitent.*

III. Pergit Sanctus Antiſtes, ſingulaſque Confeſſionalis partes deſcribens, ſic de baſi inquit: *Baſis hujus Confeſſionalis, ubi Sacerdotis Confeſſarii, & pœnitentis pedes innixi hærent, ab Eccleſiæ pavimento alta extet unciis ad ſummum octo, late cubitis duobus, longe cubitis circiter quatuor pateat*. Tum vero de ſede: *Sedes Confeſſarii in eo ſit, quæ a baſi alta ſit cubito, & unciis circiter tribus; lata a dextera ad ſiniſtram partem cubito item & dimidio; a fronte ad tergum uno tantum cubito*. De Confeſſionalis altitudine: *Totius hujus Confeſſionalis ſtructuræ altitudo a baſi uſque ad ſummum ducta, cubitis quatuor conſtet*. Et de aſſula, in qua Confeſſarius nitatur: *In parte*, inquit, *interiori tabula intermediæ inter Confeſſarium & pœnitentem aſſula item collocetur, in qua ipſe Confeſſarius brachio nixus hærere poſſit; eaque inſtar repaguli ſit, itaut & deprimi, & rurſus pro libito extolli queat*. De ſcabello pœnitentis ita ſtatuit: *A parte exteriori pœnitentis ſcabellum ab ima parte latum unciis quatuordecim, baſi innixum, & tabulæ intermediæ hærens, accliviterque ab imo ad ſummum aſcendens, altum a baſi extet cubito & unciis viginti. Cujus ſummitatis tabella leniter acclivis ſit, in qua pœnitens manibus ſupplicibus niti poſſit, dum in Confeſſione genibus flexis eſt; eademque lata unciis duodecim, longa cubito uno & dimidio*. Loquitur mox & de gradu ſcabelli: *In ima parte habent hoc ſcabellum gradum annexum, ſuper quo pœnitens genua flectat, quod ſupra baſim emineat uncias octo, late pateat uncias ſexdecim, ea longitudine, qua ſcabellum*.

IV. Reſtat ut & de feneſtella intermedia, crateque perforata dicamus, quod unum eſt illud, de quo hic noſter §. loquitur, mandans ut ſedes ipſa Confeſſionalis, quod hucuſque deſcripſimus, *conſpicuo, & apto Eccleſiæ loco poſita, crate perforata inter pœnitentem, & Sacerdotem ſit instructa*. Atque hic potiſſimum præſtat audire S. Carolum citato loco ſic ajentem: *Feneſtella in medio tabulæ, quæ inter Confeſſarium, & pœnitentem interjecta eſt, ſiat; cujus pars ima emineat ſupra ſedem Confeſſarii cubitum & uncias octo, quæ unciis ſexdecim alta, duodecim vero lata ſit. Hæc vero feneſtella diviſa ſit in ſpatia paria tria, relictis in ipſa duabus columellis, ſeu parvis fulcimentis ejuſdem tabulæ. Cui feneſtellæ a parte pœnitentis affigatur lamina ferrea plena foraminum, quæ ſingula inſtar ciceris minuta parvaque ſint. Feneſtellæ præterea a parte Confeſſarii configatur tela tenuis ſuja, aut multitia, quem buratum dicunt.* Similia legere eſt in variis Synodis, præſertim poſt S. Carolum celebratis. Ceterum licet olim alia eſſet Sedis Confeſſionalis forma, ad conſulen-

lendum nihilominus puritati, & famæ Sacrorum Miniſtrorum, ſapientiſſime in variis Conciliis proviſum fuit, ut confeſſiones præſertim mulierum, iis adhibitis cautionibus exciperentur, ut nihil eſſet a tam neceſſarii Sacramenti adminiſtratione timendum. Atque huc ſpectat. Exemplum S. Hugonis Epiſcopi Gratianopolitani, de quo in ejus Vita Guido Carthuſienſis ita ſcribit: *Mulierum confeſſiones non minus caute, quam benigne ſuſcipiebat; non enim in angulis, aut obſcuris, ſecretiſque locis eas audire ſolitus erat, ſed potius ubi a pluribus conſpici poſſet. Et aurem quidem ſatis familiariter applicabat, oculorum autem in alteram partem vertebat aſpectum; auditum ſolum propter inſidias diaboli hujuſmodi negotiis aſſerens applicandum.*

V. Sed omiſſis hujuſmodi exemplis, quæ longo afferri agmine poſſent, illud profecto paſſim ab Epiſcopis, & a Conciliis ſtatutum fuit, ut confeſſiones, maxime mulierum, in loco Eccleſiæ patenti, omnibuſque conſpicuo, exciperentur, ne forte ſiniſtræ famæ aliqua ſuboriretur ſuſpicio: *Confeſſiones mulierum*, ait S. Edmundus Cantuarienſis Antiſtes in Conſtitutionibus ſuis, Cap. XVII. *audiantur extra velum, & in propatulo, quantum ad viſum, non quantum ad auditum.* Concilium vero Colonienſe anno Chriſti MCCLXXX. Can. VIII. ſub pœna excommunicationis vetat, ne Sacerdotes *in locis obſcuris, & tenebroſis confeſſiones audiant. Sub ſimili pœna prohibet, ne Sacerdos mulierem, quæ ſola ſit in Eccleſia, confitentem audiat*; jubetque, *ut Sacerdotes ante ſolis ortum, & poſt ſolis occaſum nullatenus ad confeſſionem audiendam ſedeant, niſi in magna neceſſitate, & in loco illuminato, & aliquibus præſentibus*. Ut confeſſiones *in loco patenti Eccleſiæ, & non in occulto*, audiantur, ſtatuit etiam, ut alia pene innumera omittam, Concilium Provinciale VI. Beneventanum anni MCCCLXXIV. Tit. VI. Cap. VI. in fine, illud præterea mandans, ut *habeat Sacerdos ſolicitudinem diligentem, ne, dum audit confeſſionem, reſpiciat in facie confitentem, & præcipue mulierem, quia dicitur facies mulieris ventus urens*. Tum allegato in ejus rei confirmationem teſtimonio Oſeæ, illud quoque præcipit, ut Sacerdos ipſe *caputium in capite veſtitum teneat, & caput inclinatum, &c.* Similia legere eſt in antiquis Statutis Synodalibus Eliæ Uticenſis Epiſcopi, quorum locum deſcripſit eruditiſſimus Edmundus Martene Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. VI. Articulo III. num. IX.

VI. Quoniam inſuper ex præſcripto noſtri §. Sedes ipſa Confeſſionalis non modo *patenti, conſpicuo*, verum etiam *& apto Eccleſiæ loco poſita* eſſe debet, operæ pretium duxi & illud notare, quod & de ſitu Confeſſionalium in Eccleſia conſtituendorum præſcripſit S. Carolus citato Lib. I. Inſtructionis Fabricæ Eccleſiæ, Capite XXIII. in fine: *A latere Eccleſiæ*, inquit, *extra Cappellæ majoris ambitum loco aperto, patentique Confeſſionalia conſtituantur, partim a Meridionali regione, partim a Septentrionali. In aliis etiam Eccleſiæ locis pro ratione amplitudinis, & ſitus Eccleſiæ Epiſcopi conceſſu aliquando collocare licebit, ut in Cappellis quibuſdam ample patentibus, aut in earum aditu, vel limine*. Tum vero locum Confeſſarii, & Pœnitentis locum in ipſo Confeſſionali deſcribens, ita ſubjicit: *Confeſſionale in Eccleſia ſi ab Evangelii, quod in Altari majori recitatur, latere collocabitur, tunc pœnitentis ſcabellum, & feneſtella a dextra Confeſſarii ſit; rurſuſque ab illius ſiniſtra, cum a latere Epiſtolæ illud erit, ut & Confeſſarius a parte ſuperiori Eccleſiæ ſemper ſit; pœnitens aſpectu ſit ad majus Altare, caputve Eccleſiæ verſus*. Sed loquitur hic S. Carolus de Confeſſionalium forma ſuo ævo uſitata, in quibus ſcilicet ab una tantum parte, in qua erat feneſtella cum crate perforata, confeſſiones pœnitentium audiebantur. Sed hodie alia eſt Confeſſionalium conſtructio, in quibus ab utroque latere extat feneſtella cum crate prædicta, & parva etiam tabula uncinis ferreis innixa, ut ea claudi, aut aperiri poſſit, ad hoc ut dum Confeſſarius ab una parte confeſſionem pœnitentis excipit, pœnitens alter in alia parte exiſtens audire nequeat verba ab eo prolata. Ceterum nequid de Confeſſionali Sede in hoc Commentario deſideretur, mandat quidem S. Carolus in ſuo Provinciali IV. Concilio Mediolanenſi, Conſtitutionum Parte II. ubi agit de iis, quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ pertinent; ut nempe *in Confeſſionali hæc affixa ſint, Sacra ſcilicet Imago, Literæ proceſſus die Cœnæ Domini quotannis editæ, tabella caſuum, quos ſibi Epiſcopus reſervavit, forma abſolutionis, & orationes præterea præparatoriæ ad Sacram Confeſſionem audiendam impreſſæ*. Atque hæc quidem in interiori parte Confeſſionalis, ubi ſedet Sacerdos, nam puto, etiam in exteriori parte, ubi genuflectit pœnitens, debere eſſe affixam ſuper feneſtellam Confeſſionalis, aliquam Chriſti Crucifixi imaginem, ad excitandam pœnitentis compunctionem, ut moris eſt.

§. IX.

Superpelliceo, & Stola violacei coloris utatur, prout tempus, vel locorum feret conſuetudo.

COMMENTARIUS.

I. PRæſcriptus eſt in variis Conciliis hic ritus, ut Sacerdos ſacras confeſſiones excepturus, indutus ſit Superpelliceo, & Stola. Id jam inter alia ſtatuit Concilium Colonienſe anni MCCLXXXII. Cap. VIII. *Ut Sacerdotes*, inquit, *induti Superpelliceis, vel Cappa, Stola ſuperpoſita, ad confeſſionem ſedeant.* Idem legitur in multis aliis Synodis, ac præſertim in Beneventana VI. Provinciali anni MCCCLXXIV. Tit. VI. Cap. VI. in fine, ubi expreſſe præcipitur, *quod illi, qui confeſſiones audierint, in loco patenti Eccleſiæ, & non in occulto, & cum Stola in collo audiant confitentes*. Sed audiendum præ cæteris puto S. Carolum, qui diſciplinæ Eccleſiaſticæ peritiſſimus, & reverentiæ adminiſtrationi Sacramentorum debitæ obſervatiſſimus, tum alibi, tum præſertim in Concilio Provinciali V. Mediolanenſi, Capite inſcripto, *Quæ ad Pœni-*

ni-

nitentiæ Sacramentum pertinent, ſic inter alia ſtatuit: *Epiſcopus, quo decentius, atque adeo religioſius Sacramenti hujus adminiſtratio fiat, Presbyteros Confeſſarios etiam qui alicujus Congregationis Clericorum Regularium, alteriuſve Societatis Regularis ſint, ad audiendæ Confeſſionis officium ne admittat, neve illam audire etiam in ſuis Eccleſiis ſine Superpelliceo, & Stola patiatur. Efficiat vero, ut reliqui Regulares, tam Monachi, quam Mendicantes in hoc miniſterio habitum, veſtitumque adhibeant, quem ex Regulæ præſcripto in Choro ad Divina Officia celebranda adhibent. In his Canonici Regulares Congregationis Lateranenſis cenſeantur, cum ad Rochetum Cappam etiam extrinſecus adhibent.* Rurſus ut alia ejus Concilia omittam, in Inſtructionibus de Sacramento Pœnitentiæ, quas Epiſcopi pene omnes in Diœceſibus ſuis ſervandas Sacerdotibus Confeſſariis præſcribunt, ſic habet: *Superpelliceo, & Stola violacei coloris utetur, nec vero unquam ſtans, ſed ſedens audiet, & abſolvat &c.*

II. Extant & in hanc rem varia Sacræ Rituum Congregationis Decreta, atque Edicta Summorum Romanorum Pontificum, quibus diſtricte præcipitur Confeſſariis, ſi ſcilicet Presbyteri ſæculares, vel Regulares ſunt, ut in Confeſſionibus audiendis, in Eccleſia ſcilicet, & in Confeſſionali Sede, Superpelliceum, & Stolam violaceam adhibeant; ſi vero Monachi, aut Fratres Mendicantes, Stolam. Ceterum licet ex noſtri §. præſcripto videatur poſſe omitti Superpelliceum ipſum, & Stolam, ſi aliter ferat conſuetudo locorum, puto nihilominus, ubi in Eccleſia, & in Sede Confeſſionali Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtretur, adhibendum eſſe Superpelliceum, ac Stolam a ſæcularibus Presbyteris, a Regularibus vero, quicumque illi ſint, Stolam juxta memorata Sacræ Congregationis Decreta, ac omnium fere Diœceſum ſtatuta.

§. X.

Pœnitens, ſi opus fuerit, admoneatur, ut qua decet humilitate mentis, & habitus accedat, & flexis genibus ſigno Crucis ſe muniat.

COMMENTARIUS.

I. Probatiſſimus antiquus ille mos fuit, ut peccator Confeſſionem acturus, humilitatem vultu, & habitu præſeferens, ad Sacerdotem accederet: *Exomologeſis*, inquit Tertullianus in Lib. *De Pœnitentia*, Cap. VIII. *proſternendi, & humilificandi hominis diſciplina eſt .... Presbyteris advolvi, Servis Dei adgeniculari*. Ea de cauſa antiquiſſimi Romani Ordines, vulgatus Alcuinus, Codiceſque Rituales multi jubent, ut ante omnia baculos, ſi quos habent pœnitentes, deponant; idemque dicendum de gladiis, enſibus, & armis. Hanc humilitatem ut magis magiſque exhiberet Pippinus Francorum Rex, *non dedignatus eſt gratia confeſſionis diſcalceatus Sanctum Vironem adire, ejuſque imperio parere*, ut habent Acta Vitæ S. Vironis apud Bollandum die VII. Maji. Proſtratum omnino ad terram conſueviſſe pœnitentem pœnitentiam poſtulare, docent memorati Romani Ordines, ac Rituales Libri non pauci, quibus accedit Concilium Romanum ſub S. Zacharia Papa, Actione I. in qua agitur de præſumptione Adalberti hæretici, qui venienti populo, *& proſtrato ante pedes ejus, & cupienti confiteri peccata ſua dicebat*: Scio omnia peccata veſtra, ideoque non opus eſt confiteri ea.

II. Quamquam vero pœnitentiam petiturus proſtratus ad terram ante pedes Sacerdotis jaceret, fuſis tamen a Sacerdote ſuper pœnitentem precibus nonnullis, eum coram ſe ſedere Sacerdos jubebat, tum de Fidei Symbolo, Oratione Dominica, deque variis peccatis, eorumque circumſtantiis interrogabat, ut fidem faciunt Rituales Libri a Morino editi in celeberrimo Opere, *De adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ*, & a Martene Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. VI. Articulo VII. ubi varios antiquos Rituales Ordines deſcribit, quales inter alios ſunt duo inſignis Eccleſiæ S. Gatiani annorum circiter CM. ex quibus illud cautum eſt, ut, *cum acceſſerit ad Sacerdotem pœnitens, ſi laicus eſt, dimiſſo baculo; quiſquis vero ille eſt, ſive laicus, ſive Clericus, ſive Monachus, ſuppliciter ſe inclinet ante Sacerdotem. Deinde jubeat eum Sacerdos ſedere contra ſe, & interroget, ita dicens:* Credis in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum? *Reſpondeat pœnitens:* Credo. *Interrogatio.* Credis, quia iſtæ tres Perſonæ, quas modo dixi, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, unus ſit Deus? *Reſpondeat*: Credo. Sequuntur & aliæ interrogationes, quas longum eſſet hoc loco referre. Patet hujuſmodi interrogationum ritus ex Actis S. Bertholdi Abbatis Garſtenſis apud Surium die XXVII. Julii, in quibus Cap. XIII. ſic legimus: *Habebat Vir Beatiſſimus in confeſſionum auditione conſuetudinem diligentiſſima indagatione cuncta ſerutari, quæ contra Deum homo feciſſet, ſi Catholicam teneret Fidem, ſi ſciret Dominicam Orationem &c.* Hinc etiam ſecundum antiqua Statuta Eliæ Epiſcopi Uticenſis, *debet eum*, pœnitentem ſcilicet, *interrogare Presbyter, utrum ſciat*, Pater noſter, Credo in Deum, Ave Maria.

III. Quod autem, non genuflectendo, ſed ſedendo etiam a Monachis confeſſio fieret, demonſtrat Martene in Commentario ad Regulam S. Benedicti, Cap. XLVI. Ineunte vero Sæculo XIII. cœpiſſe ſæculares viros genibus flexis Sacerdoti confiteri, aſſerit idem Martene citato Libro I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Capite VI. Articulo III. num. V. quod tamen nullo idoneo monumento probat. Ait, ea in re miram fuiſſe noſtri Joachimi Abbatis Monaſterii Florenſis conſtantiam in Imperatricem Conſtantiam, de quo Lucas Conſentinus in noſtra citeriori Calabria Epiſcopus hæc habet apud Bollandum die II. Maji: *Sexta Feria Paraſceve ſedebam cum eo in Clauſtro Sancti Spiritus de Panormo. Et ecce vocatus ad Palatium fuit ad Imperatricem Conſtantiam, quæ illi confiteri volebat. Ivit, & invenit*

Digitized by Google

venit eam intra Eccleſiam in Sella conſueta ſedentem. Juſſus autem ſedere in ſellula pro ipſo poſita ſedit. Sed cum Imperatrix aperuit ei propoſitum confitendi, eam, qua debuit, auctoritate frænavit, & reſpondit dicens: Quia ego nunc locum Chriſti, tu vero pœnitentis Magdalenes tenes, deſcende, ſede in terra, & ita fideliter confitere, aliter non debeo te audire. *Deſcendit, & ſedit Imperatrix in terra, & humiliter confeſſa eſt peccata ſua.* Labente Sæculo XIV. habitam fuiſſe rationem ætatis, & conditionis confitentis, num ſcilicet ſedere deberet, vel genuflectere, addiſcere licet ex Concilio Provinciali VI. Beneventano anni MCCCLXXIV. Tit. VI. Cap. VI. in fine, ubi inter alia jubetur Sacerdos, ut *confitentem maxime mulierem e tranſverſo ad pedes humiliter ponere inducat, ſedendo, vel genuflectendo, prout ætas, & qualitas ipſius confitentis requiret.*

IV. Quicquid autem de hac praxi ſit ſeſſionis pœnitentium in Confeſſione, quæ hodie adhuc in Oriente ſervatur, quamque alias excuſant Morinus in dicto Opere, Lib. IV. Cap. XX. num. III. & Martene loco citato, quia ſcilicet cum olim non ita frequentes eſſent Fidelium Confeſſiones, nec tam brevi temporis intervallo conficerentur, grave, ac moleſtum fuiſſet pœnitentibus, ex quibus nonnulli infirmi eſſe poterant, & ſenes, per plures horas genibus flexis manere, pervetuſtæ diſciplinæ inſtaurator S. Carolus in Provinciali V. Mediolanenſi Concilio, Capite, *Quæ ad Pœnitentiæ Sacramentum pertinent*, recte ſtatuit, ut, quod in Sacramento Pœnitentiæ magna humilitas neceſſaria eſt, *pœnitentes cum ad Confeſſarium, qui Chriſti Domini locum in eo miniſterio tenet, accedunt, intimo animi dolore, omnique humilitate, non ſubjectis pulvinaribus, ſi neceſſitas aliud non poſtulat, ſe ſe ad illius pedes projiciant, ac proſternant. Id quod ab Apoſtolicis uſque temporibus in more, uſuque poſitum eſt, ut ſe reos agnoſcant, atque profiteantur mortis æternæ.* Mandat præterea, ut, *dum confitentur, ſint manibus junctis, digitis paululum erectis, oculis demiſſis.* Sed audiamus Tridentini Concilii Catechiſmum, Parte II. *De Pœnitentiæ Sacramento*, num. LVI. ubi cæremonias ad Confeſſionem adhibendas recenſet: *Si quemadmodum*, inquit, *Confeſſionem a Domino Salvatore inſtitutam eſſe Fideles docendi ſunt, ita etiam monere eos oportet quoſdam ritus, & ſolemnes cæremonias Eccleſiæ auctoritate additas eſſe; quæ etſi ad Sacramenti rationem non ſpectant, ejus tamen dignitatem magis ante oculos ponunt, & confitentium animos pietate accenſos ad Dei gratiam facilius conſequendam præparant. Cum enim aperto capite ad pedes Sacerdotis abjecti, demiſſo in terram vultu, ſupplices manus tendentes, aliaque hujuſmodi Chriſtianæ humilitatis ſigna dantes, quæ ad Sacramenti rationem neceſſaria non ſunt, peccata confitemur, ex his perſpicue intelligimus, cum in Sacramento cæleſtem vim agnoſcendam, tum a nobis Divinam miſericordiam ſummo ſtudio requirendam, atque efflagitandam eſſe.*

V. Hinc merito monet S. Carolus in ſuis Confeſſorum Inſtructionibus, & alibi, ne hi ad Confeſſionem imparatos admittant: *Monemus*, inquit, *ne ad Confeſſiones admittant, quos ſine debita interiori, aut exteriori præparatione accedentes viderint; eo ideo verbis quidem lenioribus pro cujuſque capacitate præparandos dimittant.* Sed notanda præſertim, quæ ſtatim ſubjicit: *Nullus Confeſſor mulieres excipiat, quæ ad eum accedunt pigmentis, fuco, inauribus, variis ornamentis, & ex aurophrygio veſtibus, alioque vano ſimili apparatu; ſed quæ nonniſi habitu modeſto, & ſimplici induuntur, & velato capite, itaut velum non ſit ſubtilius, ſed pannum ſit ex lino, aut lana, aut ſericum colore obſcuro tinctum; tum ea denique, quæ ad tantum Sacramentum, & ad compunctionem, ſeu contritionem, cum qua ad Dei tremendi Tribunal, & judicium ſiſti debet, reverentia requiretur.* Idem ait ſervandum cum viris, ut nimirum nec ad Confeſſionem ii admittantur, *qui variis ornamentis, auro, aut argento, aut pileorum ornatibus exculti, aut cum armis, & hujuſmodi rebus ad Sacramentum audent accedere.*

VI. Quod ait tandem hic noſter §. ut pœnitens antequam peccata confiteri incipiat, *ſigno Crucis ſe muniat*, recte & id quidem præſcriptum eſt, ob mirabiles ipſius ſigni virtutes ad fugandas dæmonis inſidias, & ad pellenda peccata, uti inter alios Patres docet Prudentius in Hymno ante ſomnum ſic inſiquiens.

Crux pellit omne crimen
Fugiunt Crucem tenebræ.
Tali dicata ſigno,
Mens fluctuare neſcit.

Porro in Sacerdotali Romano admonetur etiam Sacerdos, ut *doceat* pœnitentem, *ſi neſcit facere ſibi ſignum Crucis, quod fieri debet hoc modo. Primo manum dextram ponat ſuper frontem, & dicat:* In nomine Patris; *quia Pater eſt principium totius Deitatis, ut dicit Auguſtinus. Deinde ſuper umbilicum, & dicat:* Et Filii; *quia Filius æternaliter procedens a Patre deſcendit temporaliter in ventrem Virginis. Deinde ponit manum ad ſcapulam ſiniſtram, trahens illam ad dexteram, dicendo:* Et Spiritus Sancti; *quia Spiritu Sanctus procedit ut amor, & eſt tanquam nexus Patris, & Filii, ab utroque procedens. Et nos a ſiniſtra, ideſt a tribulationibus hujus Mundi tranſire ſperamus ad dexteram æternæ felicitatis. Deinde elevata manu dicat, Amen, ideſt,* Fiat.

§. XI.

Mox Confeſſarius inquirat de illius ſtatu, niſi aliter notus fuerit, & quam pridem ſit confeſſus, & an impoſitam pœnitentiam adimpleverit; num rite, atque integre alias confeſſus fuerit; num conſcientiam ſuam, ut debet, prius diligenter diſcuſſerit.

COMMENTARIUS.

I. FUit alicubi mos, ut Sacerdos antequam pœnitentem de iis interrogaret, quæ in hoc noſtro §. notantur, ita primum pœnitenti diceret: *Frater pro qua cauſa veniſti ad iſtam Eccleſiam?* Cui pœnitens poſtquam reſpondiſſet, *Ego veni agere pœnitentiam meam de peccatis*

catis meis, mittebat manos ſuas inter manus Sacerdotis, dicebatque tribus vicibus: *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum*. Tum Sacerdos preces recitabat, oempo: *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio Templi tui*; cum Pſalmo: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis. Gloria*. ℣. *Sicut audivimus. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos*. ℣. *Salvam fac ſervum tuum*. ℟. *Deus meus*. ℣. *Mitte ei auxilium de Sancto*. ℟. *Et de Sion*. ℣. *Domine exaudi*. ℟. *Et clamor*. Et ſeqoebator Oratio: *Deus, qui juſtificas impium, & non vis mortem peccatoris, Majeſtatem tuam ſuppliciter deprecamur, ut famulum tuum de tua miſericordia confidentem cæleſti protegas benignus auxilio, & aſſidua protectione conſerves, ut tibi jugiter famuletur, & nullis tentationibus a te ſeparetur. Per*. Ita plane in multis Ritualibus, ac præſertim in ms. Pontificali ioſignis Eccleſiæ Aquenſis annorum circiter DC. ex cujus etiam præſcripto proſternebat ſe peccator in terram ante Altare, & Sacerdos dicebat Litaniam ona cum verſiculis, & aliis Orationibus, quas legere eſt apud Martene citato toties Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. VI. Articulo VII. Ordine XIV.

II. Ad interrogationes qood attinet faciendis ex præſcripto noſtri §. a Cooſeſſario ad pœnitentem, *niſi aliter notus fuerit*, ut ait hic idem §. inquirere debet *de illius ſtatu, & quampridem ſit confeſſus*. Interrogandum de ejos ſtato, ac miniſterio pœnitentem, Synodi paſſim, ac Ritoales antiqoi Libri præſcribunt, ac præſertim S.Carolus in Ioſtructionibos de Sacramento Pœnitentiæ, ubi etiam illam claoſulam ſubdit: *Si eum minime novit*. Ratio ejus interrogationis eſt, quia in quovis ſtatu hominis, miniſteriove adſunt præcepta obligatoria, cootra quæ delinquere quiſque poteſt, ac ſolet. Vulgaris, ac notiſſimos eſt caſus Confeſſarii illius, qui Sacramentum Pœniteotiæ adminiſtrans Carolo V. Imperatori, poſt audita peccata ab ipſo accuſata, cum nihil aliud habere, quod confiteretur, ſobjunxiſſet, eum ſuaviter, ſed argute redarguens, ea verba protulit: *Dixiſti peccata Caroli, dic nunc peccata Cæſaris*. Porro Libellum edidit anno MDLXXXIV. Laurentius de Pizzis Confeſſarius Monialium Murani prnpe Venetias, Italice ſcriptum, cui Titulus, *Confeſſionario*, in quo compendioſe traditur methodus ſervanda a qoacumque perſona, cojoſvis gradus ſit, exercitiive, in confitendis peccatis. In eo Magnates, Equites, Cives, Milites, Judices, Advocati, Doctores, Magiſtri, Scribæ, Medici, Barbitonſores, Aromatarii, Librarii, ipſique bobulci, aliaqoe perſonarum genera nominatim inſtrountur circa peccata ſtatus ſui, ſeu artis, quam profitentur, & remedia opportuna injunguntur. Meminit hujus Libelli Barrufaldus in ſuo ad hunc §. Commentario, optimumqoe eſſe ait, ut quis hoc exiguum Opuſculum ampliaret, exporgaret, atque illuſtraret.

III. Maodat præterea uoſter §. ut Confeſſarius Pœnitentem interroget, *quampridem confeſſus ſit, & an impoſitam pœnitentiam impleverit*. Idem citato loco S. Carolus præſcribit. Sed fateor equidem, innumeros fere me reperiſſe pœnitentes, qui interrogati de die ultimæ cooſeſſionis ab ipſis peractæ, neſcire ſe reſpoodebant; & quod mirum eſt, ii utplurimom erant, qui ſæpe confiteri ſoliti erant. Ceterum ea temporis interrogatio, ex quo pœnitens non eſt conſeſſus, eo etiam tendit, *quia*, ut ait Sacerdotale Romanum citato loco, *unuſquiſque tenetur ſaltem ſemel in anno, cum ad annos diſcretionis pervenerit, confiteri, & communionem accipere*, De pœnitentiis, & remiſſionibus, *Capite*, Omnis. *Quod ſi non fecerit, mortaliter peccavit, & toties, quoties propoſuit non facere, deliberato animo, etiam mortaliter peccavit*. Explicat mox qui ſint anni diſcretionis, de quibus nos infra opportunius; ac deiode conſentanee ad honc noſtrom §. interrogaodum etiam ait pœnitentem, *ſi fecit pœnitentiam pro peccatis mortalibus confeſſis; quia ſi non fecit eam ex dolo, peccavit, & tenetur eam facere, ſi habet eam in memoria; quod ſi non habet eam in memoria, tenetur iterare Confeſſionem ſecundum opinionem magis communem; quia Sacramentum Pœnitentiæ ſine ſatisfactione non habet ultimam ſuam perfectionem, eo quod una pars deficit ei*. Addit quoque, poſſe eam pœnitentiam, ſi pœnitens illius recordetur, a Cooſeſſario commotari, *dummodo non fuiſſet data ſibi a Superiore, puta ab Epiſcopo propter peccata, & caſus, a quibus ipſe, vel alius inferior non poſſet abſolvere*.

IV. Rurſus ex præſcripto ooſtri §. interrogandos eſt pœnitens, *num rite, atque integre alias confeſſas fuerit*. Id quod etiam Romanum Sacerdotale ſic explicat: *Interrogandus eſt etiam peccator, ſi in ultima confeſtione malitioſe tacuit aliquod peccatum mortale, vel quod credidit eſſe mortale, quia peccavit mortaliter violando Sacramentum Pœnitentiæ, cum abſolutio facta ſit propter ejus malitiam ſuper indebita materia, & indiſpoſita, & ideo tenetur iterare Confeſſionem illam, & omnes præcedentes Confeſſiones imperfectas, quia in illis, quas hoc modo fecit, non fuit vere Sacramentum Pœnitentiæ*. Atque hæc certa eſt, & communis Patrum, atque Theologorum ſententia, quibus inhærens Tridentini Coocilii Catechiſmus, Parte II. *De Pœnitentiæ Sacramento*, num. LXIV. ſic inquit: *Sed ad Confeſtionem adeo neceſſarium eſt, ut, quod antea diximus, integra, & abſoluta ſit; ut ſiquis dedita opera, alia quidem ex iis, quæ explicari debent, prætermittat, alia vero tantummodo confiteatur, non ſolum ex ea Confeſtione it commodum nullum conſequatur, ſed etiam novo ſcelere ſe obſtringat; neque ejuſmodi peccatorum enumeratio, Confeſſionis nomine, in qua Sacramenti ratio inſit, appellanda eſt; quin potius pænitenti Confeſſionem repetere eſt neceſſe; ſeque ipſum illius peccati reum facere, quod Sacramenti ſanctitatem ſimulatione Confeſſionis violarit*. Atque hic non omittendum, quod mox idem Catechiſmus ſubjicit ſequenti num. LV. *At vero ſi alia de cauſa Confeſſioni aliquid deſuiſſe videatur, vel quia pœnitens nonnulla crimina oblitus fuerit, vel quia conſcientiæ ſuæ latebras non ita accurate perquiſierit, cum tamen illud in animo haberet, ut integre peccata omnia confiteretur, nihil ei opus erit Confeſſionem iterare; ſatis autem habebit, ſi quando peccata, quæ oblitus erat, in memoriam reduxerit, ea Sacerdoti alio tempore confiteri*.

V. Ex præſcripto inſuper ejoſdem uoſtri §. interrogandus eſt pœoitens, *num conſcientiam ſuam, ut debet, prius diligenter diſcuſſerit*. Hoc plane facit, quod ſobdit idem Catechiſmos Trideutini Coucilii ſequenti uumero LXVI. ſic in-

quiens: *In quo tamen animadvertendum eſt, ne forte nimis diſſolute, & remiſſe conſcientiam noſtram ſcrutati ſimus, adeoque negligenter peccata admiſſa memoria repetere ſtuduerimus, ut ea ne recordari quidem voluiſſe merito videri poſſimus; id enim ſi factum fuerit, Confeſſionem iterare oportebit.* Accuratum, ac diligens conſcientiæ examen cenſendum plane eſt illud, in quo ea diligentia adhibetur, quæ in gravioris momenti negotiis adhiberi aſſolet ex communi Theologorum ſententia. Fateor tamen, triginta fere annis, quibus ſacras audio Romæ in Templo S.Hieronymi Caritatis confeſſiones, illud me expertum ſæpe, quod ajunt non ſine animi ſenſu Patres Concilii Provincialis VI. Beneventani, anni MCCCLXXIV. Tit. VI. Capite VII. §. *Item doceat*, multos nempe ejus ævi dicere conſueviſſe, cum eſſent coram Confeſſore: *Domine dicatis pro me confeſſionem, quia ego ignoro.* Subdunt mox memorati Patres, *tales multos utrinſque generis* in ſacra Viſitatione inveniſſe; *& utinam*, inquiunt, *non proveniat ex negligentia, & ignorantia Curatorum, de quorum manibus animæ talium exquirentur.*

VI. Unum adhuc reſtat, quod hactenus dictis addamus, quod nempe in citatis ſuis Inſtructionibus de Sacramento Pœnitentiæ docet S. Carolus; poſtquam enim dixit, interrogandum eſſe pœnitentem, *an examinandæ ſuæ conſcientiæ, antequam ad Confeſſionem acceſſerit, diligentiam, prout opus eſt, adhibuerit*, ita ſtatim ſubjicit: *Alioqui differenda eſſet confeſſio.* Quod quidem de eo intelligendum nonnulli putant, qui negligentia ab inertia derivante examen ipſum minime adhibuerit; nam alias ſi hæc negligentia ab ignorantia, & ruditate proveniat, tunc ſi tempus ſuppetat, poſſet eum Confeſſarius inſtruere, & dare manus, ut examen conficiat.

§. XII.

Quod ſi pœnitens aliqua cenſura, vel caſu reſervato ſit ligatus, a quo ipſe non poſſit abſolvere, non abſolvat, niſi prius obtenta facultate a Superiore.

COMMENTARIUS.

I. SPectant ad hujus §. explicationem, quæ S.Carolus in ſuis Inſtructionibus, *De Sacramento*, Capite inſcripto, *Quæ in miniſtratione Sacramenti Pœnitentiæ Parochus, & Confeſſarius obſervet*, inter alia præſcripſit his verbis: *Si cenſura, aut peccato pœnitens ſit irretitus, a quo ipſe non poſſit abſolvere, ne tamen eum rejiciat, ſed potius juvare ſtudeat; qua in re cum liceat eum in quibus poteſt abſolvere, & pro reſervatorum abſolatione mittere ad eum, qui habet abſolvendi facultatem; videbit tamen, utrum animæ illius magis conſulatur, ſi ipſe abſolvendi facultatem impetret coram, ſi fieri poſſit, alioqui per literas ſaltem, idque caute, quantum fieri poſſit, ut ita pœnitentem uno tempore ab omnibus peccatis abſolvat.* Tum vero mox ſubdit: *Caveat, ne excommunicatum prius abſolvat a peccatis, quam ab excommunicatione ſit ſolutus.* Et ratio eſt illa, quam tradit Sacerdotale Romanum loco in ſuperiori Commentario citato, quia ſcilicet *excommunicatus non eſt particeps Sacramentorum; excommunicatio enim eſt excluſio a Sacramentis, communioneque Fidelium.* Atque hæc eſt communis omnium Theologorum doctrina, in variis etiam Synodis expreſſa, ut pœnitens aliqua cenſura irretitus, prius ab illa, quam a peccatis debeat abſolvi. Sed de hac re latius infra opportuniori loco dicemus.

§. XIII.

Si vero Confeſſarius pro perſonarum qualitate, cognoverit, pœnitentem ignorare Chriſtianæ Fidei rudimenta, ſi tempus ſuppetat, eum breviter inſtruat de articulis Fidei, & aliis ad ſalutem cognitu neceſſariis, & ignorantiam ejus corripiat, illumque admoneat, ut ea poſtmodum diligentius addiſcat.

COMMENTARIUS.

I. ANtequam pœnitens confeſſionem peccatorum inciperet, interrogari conſueviſſe illum a Confeſſario de præcipuis Fidei capitibus, jam ſupra oſtendimus in Commentario ad §. X. præſcriptumque eum ritum legimus in variis priſcis Sacramentorum Codicibus, qui quidem diſerte mandant, præmittendam Fidei profeſſionem Confeſſioni. Quod autem in hoc præſenti §. edicitur, ut *ſi Confeſſarius pro perſonarum qualitate cognoverit, pœnitentem ignorare Chriſtianæ Fidei rudimenta, ſi tempus ſuppetat, eum breviter inſtruat de articulis Fidei, & aliis ad ſalutem cognitu neceſſariis, & ignorantiam ejus corripiat, illumque admoneat, ut ea poſtmodum diligentius addiſcat*, conſtitutum etiam legitur in variis Synodis, ac præſertim in Provinciali VI. Beneventana anni MCCCLXXIV. Tit. VI. Cap. VII. ubi inter alia mandat, ut Confeſſarius pœnitentem interroget *de ſtatu, & conſuetudine ſua, & regionis, ac loci; & ſi videat eum ſimplicem, vel idiotam, doceat* Pater noſter, & Ave Maria, & Credo in Deum; *ſi neſciat, moneat, ac addiſcat.* Et paulo poſt: *Doceat ergo Sacerdos articulos Fidei in Confeſſione, & præcepta Legis, & poſtea deſcendat ad peccata mortalia &c.*

II. Plura & in hanc rem ſtatuit S. Carolus in Concilio Provinciali V. Mediolanenſi, Capite inſcripto, *Quæ ad Prædicationem verbi Dei, & Doctrinam Chriſtianam pertinent*, §. *Primo omni-*

nibus &c. Et in Concilio Provinciali VI. Capite, *Quæ pertinent ad Pœnitentiæ Sacramentum*, §. *Quo faciliorem &c.* itemque in Inſtructionibus Confeſſorum, & de Sacramento Pœnitentiæ, ubi expreſſe mandat, ut *Confeſſarius quiſque, antequam confeſſionem audiat, efficiat, ut pœnitens, ipſo audiente, recitet Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Fidei, & Decalogum*. Tum vero paulo poſt ſubjicit, ut *omnino perquirat, ſi rudes quidam homines ad confeſſionem accedentes Fidei articulos ignorent, & ſi opus eſſe viderit, eos doceat, itant explicite eos, & intelligenter ſciant, non autem quaſi recitantes tantum*. Cæterum poſſe Confeſſarios illam Fidei rudimentorum recitationem Concilio V. Provinciali Mediolanenſi decretam, ac præſcriptam pœnitentibus aliquando remittere, quos certo ſciunt illa capita recte noſſe, & iis maxime, quibus Pœnitentiæ Sacramentum frequentius miniſtrabunt, diſerte idem S. Carolus citato Concilio VI. Provinciali declaravit, ſed illud tamen ſtatim ſubjungens, Confeſſario cavendum, *ne ejus recitationis munus illis condonet, quos certo non ſcierit Fidei rudimenta memoriter tenere, ac recte noſſe*.

III. Porro ex variis Synodis, quas longum eſſet hic recenſere, illud addiſcimus, quod ubi rudes perſonæ, quæ præcipua Fidei myſteria ignorant, ad Confeſſionem accedunt, debeat ipſos Confeſſarius inſtruere cum Chriſtiana charitate, & patientia de principiis Religionis, quæ ſcire tenentur, & ſi tunc non vacat, differre ad tempus opportunum, ut melius erudiat, ſimulque ipſis oſtendat, eos ſibi ipſis graviter nocuiſſe, negligentes ea addiſcere, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, ac præterea, ut ait hic noſter §. ignorantiam eorum corripiat, illoſque admoneat, ut ea poſtmodum diligentius addiſcant. Quibus plane concinunt, quæ tradit S. Carolus in laudato Concilio Provinciali V. Mediolanenſi, ubi inter alia Confeſſariis præcipit, ut *eorum rerum ſi quos ignaros, rudeſque offenderint, hanc eorum ſpiritualem ſocordiam acriter reprehendant, oſtendantque, quam gravis eſſe debeat illorum conſcientiæ, ignoratio rerum, quæ ad ſalutem tantopere neceſſariæ ſunt*. Omitto & alias Synodos id ipſum ſtatuentes, unumque hic illud notandum quammaxime cenſui, nequaquam debere Confeſſarium abſolutionem illis impertiri, qui careat ſufficienti notitia præcipuorum Fidei Myſteriorum, tum quia, ut ait S. Thomas II. II. Quæſtione II. Articulo VII. in Corpore, *tam majores, quam minores tenentur habere Fidem explicitam de Myſteriis Chriſti*; tum etiam quia contraria opinio, ac praxis damnata jam eſt ab Innocentio Papa XI. in Decreto contra LXV. Propoſitiones Caſuiſtarum dato die II. Martii MDCLXXVII. quo duæ ſequentes Propoſitiones ſunt confixæ, ſexageſimaquarta, *Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantia Myſteriorum Fidei, & etiamſi per negligentiam etiam culpabilem neſciat Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Et ſexageſimaquinta: *Sufficit illa Myſteria ſemel credidiſſe*. Quas propoſitiones ſaniores Theologi ſequioris ævi egregie confutarunt.

§. XIV.

Tum pœnitens confeſſionem generalem Latina, vel vulgari lingua dicat, ſcilicet, *Confiteor &c.* vel ſaltem utatur his verbis, *Confiteor Deo omnipotenti, & tibi Pater*. Peccata ſua exinde confiteatur, adjuvante, quotieſcumque opus fuerit, Sacerdote, qui confitentem non reprehendet, niſi finita, ut dicetur, confeſſione; neque interpellabit, niſi opus fuerit aliquid melius intelligere; proinde fiduciam ei præbeat, & humaniter ſuggerat, ut omnia peccata ſua rite, & integre confiteatur; remota ſtulta illa quorundam verecundia, qua præpediti, ſuadente diabolo, peccata confiteri non audent.

COMMENTARIUS.

I. ANtiquæ ſunt, prolixæque generalis Confeſſionis formulæ, quæ paſſim occurrunt in antiquis Sacramentorum Libris, in quibus varii ad dandam pœnitentiam, pœnitenteſque reconciliandos, ritus referuntur, uti videre eſt apud Morinum in Opere, *De adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ*, & apud Martene Libro 1. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. VI. Articulo VII. Ordine III. & aliis ſeqq. Sed his omiſſis, facto prius ſibi pœnitens Crucis ſignaculo, de quo diximus in Commentario ad §. X. ex præſcripto præſentis §. *confeſſionem generalem Latina, vel vulgari lingua dicat*, ſcilicet, *Confiteor &c.* vel ſaltem breviorem illam Confeſſionis formulam in eodem noſtro §. relatam, *Confiteor Deo omnipotenti, & tibi, Pater*. Quod quidem patris verbum, quo Confeſſarius a pœnitente appellatur, ſatis oſtendit, quanta, ac qualis debeat eſſe patientia, & charitas Confeſſarii ergs pœnitentes in ſufferendo eorum ruſticos, & agreſtes modos, ignorantiam, atque imbecillitatem: *Memento te*, inquit S. Franciſcus Saleſius in ſuis Inſtructionibus ad Confeſſores, Cap. 1. *miſeros pœnitentes initio confeſſionis ſuæ vos ſtatim Patres vocare; proindeque vos habere debere paternum erga illos affectum, eos ſummo cum amore amplectendo, rudem illorum indolem, ignorantiam, imbecillitatem, tarditatem, aliaſque imperfectiones patienti animo ita tolerando, ut nunquam fatigari videamini in iis adjuvandis, quandiu aliqua in iis supereſt ſpes emendationis*. Et paulo inferius: *Quocirca ſicut filius prodigus licet redierit omnino nudus, ſordidus, & putridus a porcis, bonus tamen Pater eum amplectitur ſuaviter, oſculatur, & præ gaudio lacrymatur, quia Pater ejus erat, & Patres erga ſuos liberos teneri eſſe ſolent*. Porro, quod, facto ſigno Crucis, debeat pœnitens dicere, *Confiteor*, prout dicitur in Miſſa, & ſi ignarus ſit, debeat Confeſſarius una cum pœnitente Confeſſionem ipſam generalem facere *vulgari ſermone*, præſcripſit etiam Sacerdotale Romanum, Parte 1.

Tractatu III. *De Sacramento Pœnitentiæ*, Capite XVI. aliique Rituales Codices permulti.

II. At vero in Ordine miniſtrandi Sacramentum Pœnitentiæ, qui legitur Parte IV. Actorum Eccleſiæ Mediolanenſis in Inſtructionibus a S. Carolo concinnatis de ipſo Pœnitentiæ Sacramento, ritus hic ita præſcriptus eſt: *Cum ad confeſſionem veniendum eſt, pœnitens primum munit ſe ſigno Crucis, dicens*: In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. *Deinde benedictionem ab eo petit his verbis*: Benedicite Pater. *Tum Confeſſarius inquit*: Dominus ſit in corde tuo, & in labiis tuis, ut digne, & competenter confitearis omnia peccata tua. *Deinde pœnitens dicit Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, & Decalogum, cum ex ſupra explicatis debet*; cum ſcilicet certo non ſcierit Confeſſarius, pœnitentem ea memoriter tenere, & recte noſſe: *Tum recitat Confeſſionem generalem uſque ad ea verba*, Ideo precor; *percutitque pectus ad ea verba*, mea culpa &c. *quam ſi memoriter neſcit, adjuvante, ſuggerenteque Confeſſore, id præſtet; & ſi opus eſt, etiam vulgari ſermone*. Hinc corrigendus abuſus ille quorundam pœnitentium, qui nullo ſibi facto Crucis ſignaculo, nec recitata generali Confeſſione latina, vel vulgari lingua, ut ait noſter §. ex abrupto, ut dici aſſolet, peccata recitare incipiunt. Sed nec ſolum pœnitentes, verum Confeſſarii ipſi longe magis reprehendendi ſunt, qui ſcilicet pœnitentes permittunt eo modo confiteri.

III. Pergit autem noſter §. mandatque, ut recitata longiori Confeſſione, vel ſaltem illa brevi, *Confiteor Deo omnipotenti, & tibi, Pater*, de qua ſupra diximus, pœnitens *peccata ſua exinde confiteatur, adjuvante, quotieſcumque opus fuerit, Sacerdote, qui confitentem non reprehendet, niſi finita, ut dicetur, confeſſione; neque interpellabit, niſi opus fuerit aliquid melius intelligere*. Quibus concinit, quod ait Sanctus Carolus in memorato Ordine miniſtrandi Sacramentum Pœnitentiæ, his paucis verbis: *Peccata ſua exinde confitetur, adjuvante, quotieſcumque opus eſt, Sacerdote*. Summa itaque patientia, & benignitate præditos eſſe oportet Sacramenti Pœnitentiæ Miniſtros, ut pœnitentium ruſticitatem, ignorantiam, imbecillitatem, tarditatem, alioſque defectus patienter ferant, eos pro virili juvent, paterna charitate ſuſcipiant, filii prodigi pium, ac miſericordem Patrem imitentur, qui porcorum ſordibus ſquallidum, fœtentem, diſſipati patrimonii reum, meretriciis amoribus inquinatum peramanter amplexus eſt, & ſuper eum flevit. Cavendum quammaxime Confeſſario, ne pœnitentem, dum confitetur peccata, reprehendat, *niſi finita confeſſione*, ut ait noſter §. & ratio eſt, ne occaſionem det ei peccata reticendi, ut frequenter contingit præſertim in rudium, ruſticorum, puerorum, mulierumque confeſſione.

IV. Hinc tum Patres, tum Synodi, Librique Rituales non pauci Confeſſarios monent, ut ſiqui pudore impediti, vel timore deterriti peccata confiteri non audent, ipſis animos addant, ac dicant, nihil eſſe, quod vitia ſua aperire vereantur, neminem hominem eſſe, qui infirmus, fragiliſque non ſit, & in gravia peccata cadere non poſſit: Sacerdotem hominem eſſe pœnitentibus ſimilem, peccatorem, qui compati ſciat peccatoribus: Chriſtum non Angelis, ſed hominibus adminiſtrandæ pœnitentiæ auctoritatem commiſiſſe, ne homines peccata ſua detegere vereantur iis, qui nullam ad peccandum proclivitatem haberent: pudorem, & cruciatum æternum, temporali pudore, & dolore redimi: eos, qui ſtulta quadam verecundia peccatum aliquod mortale, vel circumſtantias ſpeciem peccati mutantes, vel aggravantes in confeſſione ſtudioſe omittunt, pudore ſuffundendos coram Chriſto, & Angelis ejus, omnibuſque Sanctis, quibus eorum peccata in ſupremi Judicii die manifeſta erunt: timendum non eſſe, cum ſe non habeat confeſſio pœnitentium, ut confeſſio reorum coram ſæculari Judice, iſtos torqueri, ut crimen fateantur, confeſſos ad patibulum duci; illos Dei benignitate, & patientia ad peccatorum confeſſionem invitari, confeſſos abſolvi, & in Regnum Cælorum recipi.

V. Plura inſignium Patrum dicta in hanc rem videri poſſunt apud Natalem Alexandrum, *Theologiæ Dogmaticæ, & Moralis*, Lib. II. Capite VI. §. circa finem. Quibus adde quod eandem in rem edixit Concilium Provinciale VI. Beneventanum anni MCCCLXXIV. Tit. VI. Capite VII. ubi Confeſſarius jubetur, *ut moneat eum*, pœnitentem ſcilicet, *familiariter, & benigne, ut omnia peccata ſua confiteatur humiliter, nec ob verecundiam celet aliquod, vel timorem, quia non eſt homini locuturus, ſed Deo, cujus perſonam ipſe Presbyter repræſentat, qui non vult mortem peccatoris, ſeu ut magis convertatur, & vivat, dicendo ſibi, quod & ipſe Sacerdos peccator eſt, & quod ipſe confitens non poteſt tot, & tanta peccata commiſiſſe, quin alii majora, & plura commiſerint, & quod illi, qui bene pœnitent, magis poſtea diliguntur ab eo, & a Deo, ſicut patet in Beato Petro, & Paulo, & Latrone, & Maria Magdalena, & multis aliis; & tota Cæleſtis Curia gaudet in pœnitentia peccatoris*, quia gaudium Angelis Domini ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. *Dicat etiam*: *Frater confitere, quia homines ſumus, & ſine peccato in hoc mundo eſſe non poſſumus; oſtendendo ſibi vilitatem peccati, nam ſi vere confeſſus fueris, & contritus, & proponis amplius non peccare, Deus ſine dubio remittet tibi culpam, & ego auctoritate Dei abſolvam a pœna æterna. Inducendo etiam ad compunctionem, & confeſſionem proponat ſibi beneficia, quæ contulit ei Deus, creando, & recreando, animæ æternitatem, vitæ brevitatem, mundi mutabilitatem, fallaciam, & deceptionem, Chriſti pietatem, qui non venit propter juſtos, ſed propter peccatores, & quod Chriſtus paratus eſt peccatorem ad gratiam recipere pœnitentem*. Addit mox & alia motiva, quæ ne longior fiam, omitto.

VI. Operæ autem illud pretium duco triplicem rationem explicare, qua pœnitentes ſoliti fuere ſua confiteri peccata, verbo ſcilicet, nutu, aut ſcripto. Conſueviſſe aliquando confiteri per nutum non modo mutos, obmuteſcenteſque infirmos, verum etiam loquentes, conſtat ex eodem Beneventano VI. Provinciali Concilio, loco citato, ubi ejuſmodi confeſſio per nutum, ſicut & illa per ſcriptum prohibetur: *Item non debet confiteri per nutum, nec per ſcripturam, ſed viva voce, ore proprio, & principaliter, ut qui per ſe peccaverit, per ſe ipſum confiteatur, & erubeſcat*. Exemplum confeſſionis

nutu

nutu factæ extat in Vita S. Franciſci, Auctore S. Bonaventura, ubi Fratris cujuſdam ſit mentio, qui *omni tempore orationi vacans, tanta diſtrictione ſilentium obſervabat, quod conſueverit, non verbis, ſed nutibus confiteri*. Singulare prorſus exemplum, quod cum alii admirarentur, ſolus, nec immerito, damnavit S. Franciſcus. De Confeſſione per ſcriptum extat Roberti Epiſcopi Cenomanenſis Epiſtola confeſſionis, quam in ægritudine poſitus direxit Epiſcopis circa muros Andegavis cum Carolo Principe in obſidionem Normannorum obſidentibus, petens ab eis abſolvi, quæ habetur in Conciliorum Galliæ Tomo III. pag. 405. cum Epiſtola abſolutionis, quam ei remiſerunt iidem Venerabiles Conſacerdotes de loco obſidionis, quæ inter abſolutionis formulas legitur, quas ex ms. Codice S. Remigii Remenſis profert Martene, Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Capite VI. Articulo VII. Ordine XIV. pag. 85. incipitque: *Sicut principali conſtat ſententia &c.*

VII. Abuſus profecto antiquus eſt, ut aliquando confeſſio ſcripto, vel nutu fieret, idque patet ex Capite X. Libri, *De vera, & falſa pœnitentia*, S. Auguſtino adſcripti, ex quo deſumptus eſt Canon, *Quem pœnitet*, De Pœnitentia, Diſtinctione I. ubi de leproſis a Chriſto mundatis, & ad Sacerdotes miſſis dicitur: *Præcepit Dominus mundandis, ut oſtenderent ora Sacerdotibus, docens, corporali præſentia confitenda peccata, non per nuncium, aut per ſcriptum manifeſtanda. Dixit enim, ora monſtrate, & omnes, non unus pro omnibus, non alium ſtatuatis nuntium, qui pro vobis offerat munus a Moyſe ſtatutum; ſed qui per vos peccaſtis, per vos erubeſcatis. Erubeſcentia enim ipſa partem habet remiſſionis; ex miſericordia enim hoc præcepit Dominus, ut neminem pœniteret in occulto. In hoc enim, quod per ſeipſum dicit Sacerdoti, & erubeſcentiam vincit timore offenſi, venia fit criminis*. Atque his concinit S. Thomas in Quodlibeto I. Quæſtione VI. Articulo I. ſic inquiens: *Ex inſtitutione Eccleſiæ tenetur homo, qui poteſt, ut verbo confiteatur; non ſolum propter hoc, ut ore confitens magis erubeſcat, & qui ore peccavit, ore purgetur; ſed etiam, quia ſemper in omnibus Sacramentis accipitur id, cujus eſt communior uſus; unde & in manifeſtatione peccatorum convenit uti verbis, quibus homines communius, & expreſſius ſuos conceptus ſignificare conſueverunt*. Et certe, cum Sacerdos in Pœnitentiæ Tribunali ſedeat ut Judex vice Dei, jus habet interrogandi pœnitentiam, ut cauſam ipſius, ac ſtatum omnino exploratum habeat, adeoque ore proprio reſpondere pœnitens debet.

VIII. Confirmantur hæc magis magiſque ex Concilio Tridentino, & ex ejus Catechiſmo, quorum primum Seſſione XIV. Cap. II. ait, quod eos qui ſe poſtea crimine aliquo poſt Baptiſmum contaminaverint, *ante hoc Tribunal*, Pœnitentiæ ſcilicet, *tanquam reos ſiſti voluit*, Chriſtus nempe, *ut per Sacerdotum ſententiam, non ſemel, ſed quoties ab admiſſis peccatis ad ipſum pœnitentes confugerint, poſſent liberari*. Catechiſmus vero, Parte II. *De Pœnitentiæ Sacramento*, num. LXIX. diſerte docet, *nemini omnino, neque per nuncium, neque per literas, quoniam ea ratione nihil jam occulte agi poteſt, peccata confiteri licere*. His adde Decretum Clementis Papæ VIII. anno MDCII. editum, quo hanc Propoſitionem, *licere per literas, ſeu per internuncium Confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem petere, ad minus, uti falſam, temerariam, & ſcandaloſam, ſe damnare, ac prohibere*, declaravit; immo præcepit, ne deinceps iſta Propoſitio in publicis, privatiſque lectionibus, & congreſſibus doceatur, neve unquam *tanquam aliquo caſu probabilis* defendatur, aut imprimatur, aut quovis modo ad praxim deducatur, *ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ* Summo ipſi Pontifici reſervata.

IX. Cæterum non defuere qui Propoſitionem ipſam a laudato Clemente VIII. in ſenſu dumtaxat complexo, & copulativo, non autem in ſenſu disjunctivo damnatam eſſe propugnarent, adeoque pœnitentem poſſe in aliquo caſu per literas, ſeu per internuncium confiteri abſenti, etſi non poſſit ab abſente abſolvi. Verum partem utramque Propoſitionis a Summo Pontifice fuiſſe damnatam, inde conſtat, quod Sectionem, in qua celeber Theologus Decretum Clementis Papæ VIII. in eum ſenſum detorquebat, ex ejus Commentariis eradi juſſerit ipſe Pontifex; & doctiſſimus Cardinalis Bellarminus, necnon Armacanus Archiepiſcopus Petrus Lombardus, qui prædictum Clementem Papam privatim rogarunt, quænam ipſius mens fuiſſet, teſtati ſunt, Sanctitatem ſuam declaraſſe, partem utramque Propoſitionis a ſe fuiſſe damnatam laudato Decreto, & prohibuiſſe, ne Confeſſio fiat abſenti, quamvis abſolutio in præſentia danda eſſet. Rem narrat Natalis Alexander Lib. II. *Theologiæ Dogmaticæ, & Moralis*, Capite V. Articulo V. Regula XII. ubi etiam notat, abſolutiones nonnullas, quæ circumferuntur, olim abſentibus conceſſas, fuiſſe abſolutiones a Cenſuris dumtaxat Eccleſiaſticis, non a peccatis; vel cæremoniales tantum, & deprecatorias, non ſacramentales, & judiciarias.

§. XV.

Si pœnitens numerum, & ſpecies, & circumſtantias peccatorum explicatu neceſſarias non expreſſerit, eum Sacerdos prudenter interroget.

COMMENTARIUS.

I. Confeſſario inter alia incumbere, ut ſi pœnitens numerum, & ſpecies, & circumſtantias peccatorum explicatu neceſſarias non expreſſerit, eum prudenter interroget, recte ait hic noſter §. Cum enim, uti dictum ſuperius fuit, Confeſſarius in Sacramento Pœnitentiæ, & Judicis, & Medici officio fungatur, debet profecto omnia rei crimina, omnes infirmi lethales morbos agnoſcere, ut reum illum abſolvat, ut infirmum ipſum curet. Hinc om-

omnes Catholici docent, formalem, ut ajunt, integritatem eſſe ſemper neceſſariam, ut confeſſio valeat. Poſita autem eſt illa formalis integritas in accuſatione eorum omnium peccatorum, quæ pœnitens hic & nunc confiteri tenetur, itaut nullum, ſive quoad numerum, ſive quoad circumſtantias explicatu neceſſarias, abſque ratione prætermittat.

II. Ad probandam Catholicam hanc veritatem jam nihil puto afferri luculentius poſſe, quam quod docet Concilium Tridentinum Seſſione XIV. Cap. V. ubi ſemper Patrum, ac veterum Conciliorum doctrinæ, ac traditioni inhærens, hoc primum dogma præmittit: *Ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ jam explicata, univerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam etiam eſſe a Domino integram peccatorum Confeſſionem, & omnibus poſt Baptiſmum lapſis Jure Divino neceſſariam exiſtere, quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus e Terris aſcenſurus ad Cælos, Sacerdotes ſuiipſius Vicarios velut tanquam Præſides, & Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſtifideles ceciderint, quo pro poteſtate Clavium, remiſsionis, aut retentionis peccatorum ſententiam pronuncient.* Tum vero ſtatim ſubjungit: *Conſtat enim, Sacerdotes judicium hoc, incognita cauſa, exercere non potuiſſe, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis ſervare potuiſſe, ſi in genere dumtaxat, & non potius in ſpecie, ac ſigillatim ſua ipſi peccata declaraſſent.*

III. His ita ſtatutis, definit primo laudatum Tridentinum Concilium, omnia omnino peccata mortalia, quæ poſt diligens examen occurrunt memoriæ, neceſſario ſubjici Confeſſioni debere, non autem venialia, quæ citra culpam taceri poſſe, aliiſque remediis expiari affirmat: *Ex his colligitur, oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem, conſcientiam habent, in confeſſione recenſeri, etiamſi occultiſſima illa ſint, & tantum tum adverſus duo ultima Decalogi præcepta commiſſa, quæ nonnumquam animum gravius ſauciant, & periculoſiora ſunt iis, quæ in manifeſto admittuntur.* Ait mox, venialia peccata, quibus a gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quamquam recte, & utiliter, citraque omnem præſumptionem in Confeſſione dicantur, quod piorum hominum uſus demonſtrat, taceri tamen citra culpam poſſe, aliiſque remediis expiari. Tum vero ad ipſa mortalia peccata rediens, ſic inquit: *Verum cum univerſa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines iræ filios, & Dei inimicos reddant, neceſſum eſt, omnium etiam veniam cum aperta, & verecunda confeſsione, a Deo quærere.* Concludit tandem, & ait: *Itaque dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, peccata Chriſtifideles confiteri ſtudent, procuidubio omnia Divinæ miſericordiæ agnoſcenda exponunt; qui vero ſecus faciunt, & ſcienter aliqua retinent, nihil Divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt. Si enim erubeſcat ægrotus vulnus medico detegere quod ignorat, medicina non curat.*

IV. Definit ſecundo ipſum Concilium citato Capite V. *etiam eas circumſtantias in confeſsione explicandas eſſe, quæ ſpeciem peccati mutant, quod ſine illis peccata ipſa, neque a pœnitentibus integre exponantur, nec Judicibus innoteſcant, & fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte cenſere poſsint, & pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere; unde alienum a ratione eſt, docere, circumſtantias has ab hominibus otioſis excogitatas fuiſſe, aut unam tantum circumſtantiam confitendam eſſe, nempe, peccaſſe in fratrem.* Quibus verbis Lutheranos damnat, quod perperam contenderent, pœnitentes non teneri accuſare circumſtantias, quæ peccatorum ſpeciem mutant. Sed quod de circumſtantiis dixit Tridentinum Concilium, jam longe ante conſtitutum fuerat in Generali Synodo Lateranenſi IV. ſub Innocentio Papa III. anno MCCXV. celebrato, Cap. XXI. quod relatum eſt in Capite, *Omnis utriuſque ſexus, De Pœnitentiis, & remiſſionibus*, ubi expreſſe edicitur, ut Sacerdos *more periti Medici ſuperinfundat vinum, & oleum vulneribus ſauciati, diligenter inquirens, & peccatoris circumſtantias, & peccati, quibus prudenter intelligat, quale debeat illi præbere conſilium, & cujuſmodi remedium adhibere, diverſis experimentis utendo ad ſanandum ægrotum.* Atque huc ſpectat, quod idem Innocentius relatus in Capite, *Deus qui*, Titulo citato, *De Pœnitentiis &c.* ſcripſit Epiſcopo Liburnienſi: *Conſideratis circumſtantiis omnibus, competentem pœnitentiam delinquentibus imponatis, prout ſaluti eorum videritis expedire.*

V. Præteriri vero hic nullatenus debet, quod de peccati circumſtantiis in Confeſſione exprimendis docet S.Thomas in Prima Secundæ, Quæſtione LXXIII. Articulo VII. in Corpore, ubi ſcite explicat quænam ſint circumſtantiæ exprimendæ: *Peccatum*, inquit, *notum eſt aggravari per circumſtantias tripliciter; uno quidem modo in quantum circumſtantia transfert in aliud genus peccati; ſicut peccatum fornicationis conſiſtit in hoc, quod homo accedat ad non ſuam; ſi autem additur hæc circumſtantia, ut illa, ad quam accedit, ſit alterius uxor, transfertur jam in aliud genus peccati, ſcilicet in adulterium, quod eſt gravius peccatum, quam fornicatio. Aliquando vero circumſtantia non aggravat peccatum, quaſi trahens in aliud genus peccati, ſed ſolum, quia multiplicat rationem peccati, ſicut ſi prodigus det, quando non debet, & cui non debet, multiplicius peccat in eodem genere peccati, quam ſi ſolum det, cui non debet, & ex hoc ipſo peccatum ſit gravius. Tertio modo circumſtantia aggravat peccatum ex eo, quia auget deformitatem provenientem ex alia circumſtantia, ſicut accipere alienum conſtituit peccatum furti; ſi autem addatur hæc circumſtantia, ut multum accipiat de alieno, erit peccatum gravius.*

VI. Hactenus Angelicus Doctor, cui doctrinæ adhærentes, Theologi non modo, ſed & ipſi Epiſcopi, ac præſertim S. Carolus in ſuis ad Confeſſores Inſtructionibus, paſſim ajunt, Confeſſarium ſcire debere circumſtantias, aut ſpeciem mutantes peccati, aut illud notabiliter aggravantes, quia illæ circumſtantiæ neceſſario in Confeſſione declarari debent. Atque hæc eſt doctrina, quam variæ Synodi ſervandam mandarunt relatæ a Genetto Tomo IV. Theologiæ Moralis, Tractatu VI. *De Sacramento Pœnitentiæ*, Cap. VI. Quæſtione III. &, quod notatu dignum eſt, ipſe Romanus Pontifex Maximus Innocentius Papa XI. cum in Decreto, quo LXV. Propoſitiones Caſuiſtarum damnavit, huic quoque numero LVIII. cenſuram inuſſit: *Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicujus con-*

conſuetudinem. Cum enim conveniant Theologi, circumſtantiam conſuetudinis, ſeu habitus, eſſe circumſtantiam ſolum notabiliter aggravantem intra eandem ſpeciem; ſi tenemur eam in confeſſione exprimere, manifeſte ſequitur, debere nos explicare circumſtantias notabiliter aggravantes, quamvis ſpeciem non mutent. Vide Jueninum in Opere, *De Sacramentis*, Diſſertatione VI. *De Pœnitentia*, Quæſtione V. Cap. VI. Articulo III. §. I. Cæterum, quod circumſtantias, quæ peccatum non aggravant notabiliter, conſilio potius, quam præcepto confiteri debeamus, communis eſt Theologorum opinio, & ratio eſt, quia tanti non ſunt momenti, ut impediant juſtitiam judicii, quod de pœnitentis conſcientia facere Confeſſarius debet, neque vim remediorum, quæ tanquam Medicus debet adhibere. Atque huc facit, quod ait Tridentini Concilii Catechiſmus, Parte II. *De Pœnitentiæ Sacramento*, num. LXIII. in Nota: *Quæ pravitatem rei magnopere non augent, ſine crimine omitti poſſunt*.

VII. Neque inſuper omittendum hic illud, quod Theologi docent, materialem ſcilicet Confeſſionis integritatem non eſſe ſemper neceſſariam; quia ſcilicet multæ ſunt cauſæ, quæ ab hujuſmodi integritate materiali pœnitentem liberant. Prior eſt oblivio, quando ſcilicet quis, adhibita morali diligentia, non meminit alicujus peccati mortalis, cujus tamen reus ſit a parte rei. Ejuſmodi cauſam recenſet quidem Tridentinum Concilium citato Capite V. Seſſionis XIV. ubi ſic ait: *Sed & impium eſt, Confeſſionem, quæ hac ratione fieri præcipitur, impoſſibilem dicere, aut carnificinam illam conſcientiarum appellare; conſtat enim, nihil aliud in Eccleſia a pœnitentibus exigi, quam ut, poſtquam quiſque diligentius ſe excuſſerit, & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum, & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit; reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in univerſum, eadem Confeſſione incluſa eſſe intelliguntur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus*, Davide ſcilicet in Pſalmo XVIII. *Ab occultis meis munda me Domine*. Altera cauſa eſt impotentia phyſica, ut ſi pœnitens, amiſſo vocis uſu, nequeat peccata exprimere. Tertia eſſe poteſt, ſi pœnitenti grave damnum ex confeſſione alicujus peccati immineret, nam ut docent Theologi, liceret tunc haud dubie peccatum illud ſilentio premere, & indirectæ abſolutioni in peccata omnia, de quibus debitus dolor conceptus fuerit, rite cadenti, illud eradendum permittere.

§. XVI.

Sed caveat, ne curioſis, aut inutilibus interrogationibus quemquam detineat, præſertim juniores utriuſque ſexus, vel alios de eo, quod ignorant, imprudenter interrogans, ne ſcandalum patiantur, indeque peccare diſcant.

COMMENTARIUS.

I. QUamquam Confeſſarius, ut inter alios docet S. Thomas in IV. Sententiarum, Diſtinctione XIX. *debet perſcrutari conſcientiam peccatoris in confeſſione, quaſi Medicus vulnus, & Judex cauſam, quia frequenter, quæ pro confuſione confitens taceret, interrogatus revelat*; ſervanda tamen ab ipſo eſt regula illa, quam hic noſter §. præſcribit, quamque egregie explicat S. Carolus in Inſtructionibus, *De Sacramento Pœnitentiæ*, ubi ſic inter alia inquit: *Prudens, cautuſque erit*, Confeſſarius nempe, *in interrogationibus, ne rudibus præſertim, atque utriuſque ſexus junioribus, ad novum, & nunquam antea attentatum ſcelus occaſionem aperiat, atque det*. Sed non omittenda, quæ ſtatim ſubjungit: *Hi tamen de peccatis, quorum nullam in Confeſſione mentionem fecerunt, & in quibus probabiliter exiſtimari poſſunt deliquiſſe, prudenti cautione interrogandi erunt, ne aut pudore, aut ignorantia celent peccata*. Similia his tradit in Inſtructionibus Confeſſorum, ſed illud tamen præſertim inculcat, ut *ſumma prudentia mulieres, aut adoleſcentes interroget, ne eos, quod ignorant, doceat*. Quod ſpectat ad carnis peccata, vult, ut ſummam adhibeat cautelam in eorum interrogatione, *ut cum peccati ſpeciem, & circumſtantias graviores audierit, a cæteris abſtineat*. Idipſum paſſim & Synodi, ac Rituales Libri præſcribunt, & Theologi communiter docent, præſertim vero Angelicus Doctor loco citato.

§. XVII.

Demum, audita Confeſſione, perpendens peccatorum, quæ ille admiſit, magnitudinem, ac multitudinem, pro eorum gravitate, ac pœnitentis conditione, opportunas correptiones, ac monitiones, prout opus eſſe viderit, paterna charitate adhibebit; & ad dolorem, & contritionem efficacibus verbis adducere conabitur; atque ad vitam emendandam, ac melius inſtituendam inducet, remediaque peccatorum tradet.

COMMENTARIUS.

I. DE cohortatione, & monitione Confeſſoris ad pœnitentem, finita Confeſſione, egregie diſſerit S. Carolus in ſuis, *De Sacramento Pœnitentiæ*, Inſtructionibus, peculiari Capite, ubi ſic habet: *Confeſſione audita, perpendens peccatorum, quæ ille admiſerit, magnitudinem*, nempe qualia ſint, quam gravia, & quoties peccarit, *pro eorum gravitate*,

te, proque illius, qui commiſerit, conditione, cohortationes, monitiones, paterna charitate adhibebit, atque correptiones etiam, reprehenſioneſque graves, prout opus eſſe viderit. Eadem hæc plane ſunt, quæ initio noſtri hujus §. præſcripta ſunt. Sed multa tamen addit S. Carolus, quibus Confeſſarius ad eam cohortationem, monitionemque rite, recteque peragendam, inſtruitur. Porro Sacerdotale Romanum, Parte I. Tractatu III. Capite XIX. quod inſcriptum eſt, *Qualiter ſe habere debet Sacerdos cum pœnitente, audita ejus confeſſione*, ita inquit: *Audita Confeſſione, eum de his, quæ commiſit, redarguat, & increpet ſecundum conditionem perſonarum, & qualitatem delicti, plus, & minus, & oſtendat ei, quanta mala fecerit, & quid meruit propter illa peccata, ſcilicet gehennam inferni in perpetuum, niſi miſericordia Dei ipſum eripuiſſet, & ei in cor miſiſſet accedendi ad Confeſſionem*. Optimum plane eſſet, ut Confeſſarius inter alia & illud monitum det pœnitenti, quod dedit Chriſtus Dominus languido Probaticæ Piſcinæ, Joannis Capite V. *Ecce ſanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*.

II. Neceſſaria ſane eſt Confeſſario ſolicitudo ſalutis animarum, qua placere non quærat hominibus, ſed prodeſſe ad æternam eorum ſalutem procurandam. Quamobrem mollis, & remiſſus eſſe non debet, quinimo, ut ait hic noſter §. *opportunas correptiones, ac monitiones, prout opus eſſe viderit, paterna charitate adhibebit*. Hinc cavendum illi potiſſimum eſt, ne *pulvillos ſub omni cubito manus ponat*, ut verbis utar Prophetæ Ezechielis, Cap. XIII. nec faciat *cervicalia ſub capite univerſæ ætatis, ad capiendas animas*; ut pœnitentium præſertim nobilium, & divitum frequentior fiat ad ipſius Confeſſionalem Sedem concurſus: *Pulvillos quippe ſub omni cubito manus ponere, eſt cadentes a ſua rectitudine animas, atque in hujus mundi ſe delectatione reclinantes, blanda adulatione refovere. Quaſi enim pulvillo cubitum, vel cervicalibus caput jacentis excipitur, cum correptionis duritia peccanti ſubtrahitur, eique mollities favoris adhibetur, ut in errore molliter jaceat, quem nulla aſperitas contradictionis pulſat*. Explicatio eſt S. Gregorii Papæ Parte II. *Paſtoralis Curæ*, Cap. VIII. Arguendi profecto ſunt non pauci id genus Confeſſarii, ac præſertim Religioſorum Sodalitiorum moderatores nonnulli, qui, ne Sodalitium pœnitentium numero decreſcat, laxari omnia ſinunt, nec ad Regularum præſcriptum exigunt mores Sodalium, ſed cuique fas eſſe volunt ſua quadra vivere; nec ſecus ineptientes, quam illi Sacri Oratores, qui ut numeroſa fruantur concione, verbum Dei adulterant, & ad ineptias verbi Dei tractationem rem omnium graviſſimam indigne traducunt. At meminiſſe oportebat, Eccleſiam juxta Origenem Homilia XIV. in Hieremiam, ubi numero crevit, ſanctitate decreviſſe; idque eſt, quod ſcriptum eſt in Evangelio Matthæi Cap. XX. Oraculum illud Chriſti ore prolatum: *Multi ſunt vocati, pauci vero electi*.

III. Sciti ſſime hæc notat eruditiſſimus Theophylus Raynaudus unus ex plurimis, atque inſignibus Societatis Jeſu Scriptoribus, in celebri Diſſertatione, *De ſobria alterius ſexus frequentatione per Sacros, & Religioſos homines*, Capite XIII. §. VIII. ubi etiam & alia hæc habet, quæ digna cenſuimus hoc loco deſcribere: *Sicut ergo Præfectis caſtrorum Domini eo nomine dignis ſatis eſt paucos habere, & probatos, quam multitudine filiorum infidelium ſtulte efferri; & ſicut bono tractatori verbi Dei ſat eſſe debet, ſi vel unum habeat proficientem, neglecto numero inepte applaudentium, nec proficientium, ut Sanctus Chryſoſtomus præclare admonet Homilia in illud*, Adſtitit Regina &c. *ita & quidem multo potiori jure neceſſe eſt, Confeſſarium nihil de ſeveritate debita remittere, ne minuatur pœnitentium mulierum corona frequens*, ſcilicet, *ut bene ajebat in ſimili cauſa Tertullianus Libro*, De velandis Virginibus, *Cap. XIV.* Felices nos facient, ſi plures erunt, & non Dei gratia, vel merita cujuſque? Virgines Eccleſiam, an Eccleſia Virgines ornat Deo, ſive commendat? *Sugillat Tertullianus perverſitatem cujuſdam, qui denudationem capitis Virginum Dei ſatagebat inducere, ut ea quaſi prærogativa pellectæ plures ad Virginitatis profeſſionem concurrerent. Hanc illicii incongrui exhibitionem repudiat Tertullianus, malens, Eccleſiam de numero Virginum periclitari, quam de ruina, captatam eo philtro multitudinem facile conſequente. Idem ad præſens negotium haud difficile transferre liceat. Itaque Confeſſarii, quibus hæc congrue perſpecta, & penſata erunt, non curabunt de mulierum pœnitentium numero, in ſolam virtutem intenti; nec conciliatriculam, ac veluti lænam adhibebunt ignaram abblanditionem, nihil ad normam recti judicii exigentem, quæ eſt turpis nundinatio prorſus indigna perſona, quam Confeſſarius ſuſtinet, cum potius ſit pœnitentium agnoſcere beneficio affici ſe a Confeſſariis*.

IV. Hæc & longe plura laudatus Auctor ad refellendam nimiam quorundam ſui ævi Confeſſariorum mollitiem, qui multitudinis pœnitentium conciliandæ ſibi cauſa, eorum vitiis parcunt, tametſi recidivi ſint, & in proxima peccandi occaſione verſentur. Sed audiamus S. Auguſtinum, qui in Sermone XLV. alias de tempore CLXV. ſive in Libro, *De Paſtoribus*, Cap. III. ſic ad rem inquit: *Abſit, ut dicamus vobis. Vivite, ut vultis, ſecuri eſtote, Deus neminem perdet, tantummodo Fidem Chriſtianam tenete. Non perdet ille quos redemit, non perdet pro quibus Sanguinem fudit. Etſi ſpectaculis volueritis oblectare animos veſtros, ite. Quid mali eſt? Et feſta iſta, quæ celebrantur per univerſas Civitates in lætitia convivantium, & publicis menſis ſe ipſos, ut putant, jucundantium, revera magis perdentium, ite, celebrate. Magna eſt Dei miſericordia, quæ totum ignoſcat*. Tum vero paulo poſt: *Hæc ſi dixerimus, congregabimus turbas ampliores; & ſi ſunt quidam, qui nos ſentiant, hæc dicentes non recte ſapere, paucos offendimus, ſed multitudinem conciliamus. Quod ſi fecerimus, non verba Dei, non verba Chriſti dicentes, erimus Paſtores noſmetipſos paſcentes, non oves*. Operæ pretium duxi aureum hunc Auguſtini locum deſcribere, quod non pauci, proh nefas! Sacri homines inveniuntur, qui, ut divitum, Magnatumque animos ſibi concilient, multa eiſdem ſinunt, in quæ & priſci Eccleſiæ Patres, & ſequioribus ſæculis zelantes Antiſtites in ſuis paſſim Synodis Provincialibus, Diœceſaniſque vehementiſſime invecti ſunt. Atque huc facit acris illa reprehenſio religioſiſſimi Cardinalis Bellarmini Concione VIII. §. II. adverſus Confeſ-

ſeſ-

feſſarios adulatores ſui temporis : *Illi ſe Miniſtros, & diſpenſatores non agnoſcant, qui quaſi non eſſent Domino rationem reddituri, ſumma facilitate omnibus munus imponant, & tam contritos, quam non contritos, quaſi propria poteſtate, & auctoritate abſolvunt. Iſti ſua imperitia, & ſuperbia corrumpunt populos, & ei veræ pœnitentiæ viam præcludunt; nec enim eſſet hodie tanta facilitas peccandi, ſi non eſſet tanta facilitas abſolvendi. Sed væ nobis, cum Dominus rationem ponet cum ſervis ſuis. Illi ambitione, vel pecuniarum cupiditate, vel utraque ſtimulante, viris divitibus, & nobilibus, nec ſolum viris, ſed etiam feminis, quod nefas eſt, & horrendum, adulantur.* Sed nec omittendum, quod paulo poſt ſubdit: *Pudet profecto hæc referre, ſed quid agemus, cum multos non pudeat iſta facere, & ſe ipſos, quibus ſerviunt, in gehennam perducere.*

V. At vero minime diſſimulandum eſt, quod ait hic noſter §. nempe, debere Confeſſarium, *opportunas correptiones, ac monitiones, prout opus eſſe viderit, paterna charitate adhibere.* Neque enim adeo rigidi, ſeverique eſſe Confeſſarii debent, ut pœnitentes dictorum aſperitate a Confeſſione abſterreant. Medicorum imitentur induſtriam neceſſe eſt, qui amaris potionibus nonnihil mellis, aut ſucci ſuavioris inſtillant, ut facilius ab ægris ſorbeantur, ut docet S. Gregorius Parte III. *Paſtoralis Curæ*, Admonitione XVIII. Sed præſtat hoc loco referre, quod Lib. I. *De Pœnitentia*, Cap. I. ſcribit S. Ambroſius, Chriſti Domini exemplum adducens: *Ideo Dominus Jeſus compaſſus nobis eſt, ut ad ſe vocaret, non deterreret. Mitis venit, venit humilis, denique ait:* Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego vos reficiam. *Reficit ergo Dominus Jeſus, non excludit, neque abjicit, meritoque tales Diſcipulos elegit, qui Dominicæ voluntatis interpretes plebem Dei colligerent, non repudiarent. Unde liquet, eos inter Chriſti Diſcipulos non eſſe habendos, qui dura pro mitibus, ſuperba pro humilibus ſequenda opinatur; & cum ipſi quærant Domini miſericordiam, aliis denegant.* Hanc regulam inter alios ſequutus eſt S. Odilo Abbas Cluniacenſis, de quo S. Petrus Damiani in ejus Vita ita ſcribit: *In promulgandis porro judiciis, ac modis pœnitentiæ præfigendis, tam pius erat, & tanta mærentibus humanitate compatiens, ut nequaquam diſtrictum Patris imperium, ſed maternum potius exhiberet affectum. Unde ſe reprehendentibus hujuſmodi verbis ſolebat eleganter alludere.* Etiamſi damnandus ſim, malo tamen de miſericordia, quam ex duritia, vel crudelitate damnari.

VI. Reſtat nunc, ut ea explicemus, quæ tandem idem noſter §. ſtatuit, nam tria adhuc Confeſſario ſervanda edicit, & primo quidem, ut pœnitentem *ad dolorem, & contritionem efficacibus verbis adducere conetur.* Atque huc ſpectat, quod docet S. Carolus in ſuis Inſtructionibus, *De Sacramento Pœnitentiæ*, eo Capite, quod inſcriptum eſt, *Quæ in miniſtratione Sacramenti Pœnitentiæ Parochus, & Confeſſarius obſervet*, ſic inter alia inquiens: *Antequam Pœnitentiam imponat, & abſolutionem tribuat pœnitenti, videbit, an propter Deum veram peccatorum ſuorum contritionem habeat; anque certum, deliberatumque ei ſit, in poſterum, quantum in ſe eſt, Divina gratia adjuvante, a peccatis abſtinere; & quæ antea commiſerit, pro iis ſatisfactionem perſolvere. Quod ſi ita animo affectum viderit, monebit, valdeque hortabitur, ut pro tanto beneficio maximas gratias Deo agat, ab eoque cæleſtis gratiæ præſidium petere nunquam deſinat, quo adjutus pravis cupiditatibus facile reſiſtere poſſit.* Pergit Sanctiſſimus Antiſtes, aliaque docet, quibus noſter §. quammaxime illuſtratur: *Si vero talem contritionem illum non habere intellexerit, illius deſiderio accendere conabitur, hoc admonens, propter Deum ipſum uſque adeo, quantum poteſt, eum peccata dolere oportere, ut ſaltem, adjutrice Divina gratia, quam a Deo intime precetur, ex Sacramentique virtute, ex attrito contritus ſiat.* Concludit demum, & ait, quod ſi pœnitens nullam contritionem, nec vero ſaltem attritionem, aut neque propoſitum abſtinendi inpoſterum ab aliquo mortali peccato oſtendet, eum minime Confeſſor abſolvat; ſed tamen eum ſalutaribus conſiliis, & bonis operibus præſcribendis juvet; quod idem præſtet, ſi ante Confeſſionem id animadvertit, cavendo, ne quemquam aſperius tractans, culpa ſua inducat, ut vel deſperet, vel a Confeſſione abhorreat.

VII. Alterum a Confeſſario obſervandum ex præſcripto noſtri §. illud eſt, ut pœnitentem *ad vitam emendandam, ac melius inſtituendam inducat.* Ad veram enim contritionem ſpectat, ut ait Tridentini Concilii Catechiſmus, Parte II. *De Pœnitentiæ Sacramento*, num. XL. in fine, *ut pœnitens vitæ emendandæ certam, & ſtabilem cogitationem ſuſcipiat.* Quod quidem variis Divinæ Scripturæ Oraculis probat, & primo ex Capite XVIII. Ezechielis Prophetæ, ubi ita Deus ipſe loquitur: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium, & juſtitiam, vita vivet, & non morietur, omnium iniquitatum ejus, quæ operatus eſt, non recordabor.* Et paulo poſt: *Cum averterit ſe impius ab impietate ſua, quam operatus eſt, & fecerit judicium, & juſtitiam, ipſe animam ſuam vivificabit.* Ac paucis interjectis: *Convertimini*, inquit, *& agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite a vobis omnes prævaricationes veſtras, in quibus prævaricati eſtis, & facite vobis cor novum, & ſpiritum novum.* Idem etiam Chriſtus Dominus mulieri, quæ in adulterio deprehenſa eſt, præſcripſit, Joannis Capite VIII. *Vade*, inquit, *& jam amplius noli peccare.* Item paralytico illi, quem ad Probaticam Piſcinam curaverat, *Ecce*, ait, *ſanus factus eſt, jam noli peccare*; uti legitur apud eundem Joannem in Evangelio, Capite V.

VIII. His, aliiſque hujus generis Scripturæ locis nititur Synodus Tridentina Seſſione XIV. Cap. IV. ubi declarat, *Contritionem, ceſſationem a peccato, & vitæ novæ propoſitum, & inchoationem continere*; hoc eſt, propoſitum non amplius peccandi. Quod quidem clariſſime explicatum videmus hoc Spiritus Sancti Oraculo, ab Apoſtoli Pauli ore prolato, qui in Epiſtola II. ad Corinthios, Cap. VII. diſerte ait, quod *quæ ſecundum Deum eſt triſtitia, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.* Quæ quidem triſtitia, ut Theologi exponunt, eſt ipſa vera cordis contritio. Hinc itaque nihil magis Legi Evangelicæ, & vitæ Chriſtianæ opponitur, quam ea crimi-

num, & converſionum viciſſitudo, quæ nunc ita communis eſt, & circulus ille perpetuus Confeſſionum, recurrentibus præſertim Feſtis ſolemnibus, & relapſus paulo poſt in eadem gravia peccata. Atque hunc abuſum damnarunt jam olim Sancti Patres, inter quos S. Auguſtinus in Pſalmum XXXVII. peccatorem admonet, *ne ſecurus ſit, cum confeſſus fuerit peccatum, tanquam ſemper præparatus ad confitendum, & committendum*. Idemque in Libro, quem ſcripſit Quinquaginta Homiliarum, ſic ait Homilia XLIX. Capite VI. *Quid prodeſt, pœnitentes, qui humiliamini, ſi non mutamini?* Quamobrem recte inquit S. Iſidorus relatus in Canone, *Ille*, De Pœnitentia, Diſtinctione III. *Ille pœnitentiam digne agit, qui ſic præterita mala deplorat, ut futura iterum non committat; nam qui plangit peccatum, & iterum admittit, quaſi ſiquis lavet laterem crudum, quia quanto magis laverit, tanto magis lutum facit*. Innumera pene id genus Sanctorum Patrum, & Sacrorum Canonum in hanc rem loca afferri poſſunt, quorum non pauca videri poſſunt apud Gratianum Parte II. Decretorum, in Tractatu, De Pœnitentia.

IX. Tertium tandem, quod ex præſcripto noſtri §. obſervare Confeſſarius debet, illud eſt, quod pœnitenti *remedia peccatorum tradat*. Id enim jam ſtatuit Concilium Lateranenſe Oecumenicum IV. Can. XXI. *ut more periti Medici ſuperinfundat vinum, & oleum vulneribus ſauciati, diligenter inquirens, & peccatoris circumſtantias, & peccati, ex quibus prudenter intelligat, quale debeat præbere conſilium, & cujuſmodi remedium adhibere, diverſis experimentis utendo ad ſanandum ægrotum*. Imitari porro debet Sacerdos Chriſtum Dominum, cujus vicem in Sacramento Pœnitentiæ adminiſtrando gerit. Ille enim, ut ait S. Gregorius Homilia XXXIII. in Evangelia, *Cæleſtis Medicus ſingulis quibuſque vitiis obviantia adhibuit medicamenta. Nam ſicut arte medicinæ, calida frigidis, frigida calidis curantur, ita Dominus noſter contraria oppoſuit medicamenta peccatis, ut lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis manſuetudinem, elatis præciperet humilitatem*. Sed de his videri ea etiam poſſunt, quæ nos late inferius dicemus in noſtro Commentario ad §. XIX.

§. XVIII.

Poſtremo ſalutarem, & convenientem ſatisfactionem, quantum ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit, injungat, habita ratione ſtatus, conditionis, ſexus, & ætatis, & item diſpoſitionis pœnitentium. Videatque, ne pro peccatis gravibus leviſſimas pœnitentias imponat, ne ſi forte peccatis conniveat, alienorum peccatorum particeps efficiatur. Id vero ante oculos habeat, ut ſatisfactio non ſit tantum ad novæ vitæ remedium, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum caſtigationem.

COMMENTARIUS.

I. Ampliſſimam dicendi ſegetem nobis hic quidem §. exhibet, de ſatisfactione ſcilicet, quæ eſt tertia Sacramenti Pœnitentiæ pars. Eſt autem ſatisfactio, ut docet Tridentini Concilii Catechiſmus Parte II. *De Pœnitentiæ Sacramento*, num. LXXXV. rei debitæ integra ſolutio; nam quod ſatis eſt, ei nihil videtur deeſſe. Quare cum de gratiæ reconciliatione loquimur, idem ſatisfacere ſignificat, quod alteri tantum præſtare, quantum irato animo ad ulciſcendam injuriam ſatis eſſe poſſit; atque ita ſatisfactio nihil aliud eſt, quam injuriæ alteri illatæ compenſatio. Quod autem ad hunc locum pertinet, ſatisfactionis nomen Divinarum rerum Doctores ad declarandam eam compenſationem uſurparunt, cum homo pro peccatis commiſſis Deo aliquid perſolvit.

II. Plura ſcitu digna de ſatisfactione, quæ pœnitentiæ nomine vulgo intelligitur, explicat quidem laudatus Tridentini Concilii Catechiſmus, citato num. LXXXV. aliiſque ſequentibus, veteremque de ea Eccleſiæ diſciplinam late exponit eruditiſſimus Morinus in celebri Opere, *De adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ*; ex eoque nonnulla notavit Martene Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. VI. Articulo IV. per totum, in cujus initio tria diſtinguit peccatorum genera, levium, graviorum, & graviſſimorum, quo in poſtremo genere tria primis Eccleſiæ ſæculis dumtaxat, idololatriam, homicidium, & adulterium referebant, quibus temporis ſucceſſu longe plura adjecta fuere. De graviſſimorum ſatisfactione, quæ per publicam pœnitentiam exigebatur, jam late nos egimus Tomo I. Commentariorum in Concilia Oecumenica, in Appendice ad Canonem XI. Concilii I. Nicæni per varios Paragraphos, in quibus & de publicæ Pœnitentiæ gradibus, ac de aliis ſcitu dignis ad veterem Pœnitentium diſciplinam ſpectantibus abunde diximus.

III. Itaque iis omiſſis, quæ ſatisfactionem ſpectant, quæ antiquitus publice pro gravioribus, acrioribuſque ſceleribus exercebatur, ad eam ſatisfactionem explicandam devenio, quæ ad nutum voluntatemque Confeſſarii pro peccatis apud ipſum confeſſis peragi debet, & quidem ex præſcripto noſtri hujus §. in quo jubetur Confeſſarius, ut *poſtremo ſalutarem, & convenientem ſatisfactionem, quantum ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit, injungat, habita ratione ſtatus, conditionis, ſexus, & ætatis, & item diſpoſitionis pœnitentium &c.* Quæ verba, magna ex parte deſumpta ſunt ex Concilio Tridentino Seſſione XIV. *De Pœnitentia*, Cap. VIII. quod inſcriptum eſt, *De ſatisfactionis neceſſitate, & fructu*. Et quidem ſatisfactionis neceſſitatem Dei præcepto peccatoribus impoſitam eſſe, Patres Eccleſiæ omnes affirmant, ac Synodi, probaturque celebri illa S. Joannis Præcurſoris Chriſti ſententia in Evangelio Lucæ, Cap. III. *Facite fructus dignos pœnitentiæ*. Quid enim aliud ſibi volunt digni fructus pœnitentiæ, quam ſatisfactio-

ctionem per opera juſtitiæ? *Pœnitentiam dico*, Inqoit S. Joannes Chryſoſtomus Homilia x. in Matthæum, *non ſolum, ut a malis prioribus deſiſtamur, verum etiam ut bonorum operum fructu impleamur*. Quod aotem ſatisſactio ipſa, ideſt, compenſatio, qua homo pro peccatis commiſſis Deo aliqoid impeodit, in Sacrameoto Pœnitentiæ a Sacerdotibus imponenda, Divioa ſit aoctoritate inſtitota, evidentiſſime teſtatur inter alios S. Leo Magnos Papa in Epiſtola LXXXII. alias XCI. ad Theodorom Forojolienſem Epiſcopum hiſce plane verbis: *Mediator Dei, & hominum Chriſtus Jeſus hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisſactione purgatos ad Communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent*. Conati ſunt qoidem Sectarii omnes noſtri temporis ſatisſactionem negare, quæ ſit Sacramenti Pœnitentiæ pars. Ioter qoos Lutherus eorom dux in aſſertione Articuli v. ſic ioquit: *Vehementer odi, & ſublatam vellem hoc vocabulum* Satisfactio, *quod non modo in Scripturis non invenitur, ſed & periculoſam habet ſenſum, quaſi Deo quiſquam poſſit pro ullo peccato ſatisfacere, cum gratis ille ignoſcat omnia*. Sed hic, aliiqoe inſani hujus homiois errores jam primom peculiari Leonis Papæ X. Conſtitutiooe, tum vero ab uoiverſali Tridentina Synodo in memorata Seſſione XIV. damnati ſunt, ac ſolide pleneque a præſtantiſſimis Theologis coofutati, præſertim vero a Cardinali Bellarmino.

IV. Explicandom ergo hic illud cenſeo, quod maodat noſter §. ſatisfactionem oempe debere eſſe proportionatam gravitati crimioum, & Pœnitentium ſacultati. Hæc quippe veterom eſt Patrom doctrina in variis Conciliis confirmata, & noviſſime etiam io Trideotino, citato Cap. VIII. Seſſionis XIV. *Debent ergo*, inquit, *Sacerdotes Domini, quantum ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares, & convenientes ſatisfactiones injungere*. Erraot autem Caſuiſtæ nonoulli recentiores, dom aſſerunt, io allatis Concilii verbis merum conſiliom, non vero præceptum ſtricte ſomptum contineri. Nam primo vox illa *debent*, qua Synodos utitor, nuſqoam adhibita legitor, ot ſignificetur res, qoæ non ſit præcepti, ſed coofilii taotum. Secundo Sancta Synodus vocem iſtam iſti ſeotentiæ ſubjicit: *Divinæ juſtitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptiſmum per ignorantiam deliquerint; aliter vero, qui ſemel a peccati, & dæmonis ſervitute liberati, & accepto Spiritus Sancti dono, ſcienter templum Dei violare, & Spiritum Sanctum contriſtare non formidaverint*. Cum ergo Synodus Tridentina ex ea ſententia coocludat, Sacerdotibus onos incumbere coovenientes pro qoalitate criminom ſatisfactiones iojungendi; de præcepto ſtricte ſumpto, non autem de mero conſilio intelligi debet. Alioqoi enim dicendum foret, lapſos, ut priſtinam gratiam recipereot, ex conſilio tantom, non autem ex præcepto teoeri viam illam inire difficiliorem, de qoa eadem Sacra Syoodus loquitur.

V. Notat hæc Jueoinos in Opere, *De Sacramentis*, Diſſertatione VI. Quæſtiooe VI. Capite VII. Articulo II. obi etiam mox alios Caſuiſtas reſellit, qoi in verbis ex citata Syoodo depromptis præceptum agnoſceotes, ajunt, debitum, quod Sacerdotibus imponitur injungendi ſatisſactionem gravitati criminom proportionatam, noo eſſe ſub pœna peccati mortalis. Sed hæc alia Caſuiſtarum opinio contemnenda etiam eſt, & improbanda. Siquidem primo declarat Synodus, Miniſtros, qui hoc in capite molliorem, quam par ſit, praxim amplectuntor, ſeu qui convenientes pro crimioom qualitate ſatiſfactiones non injungunt, ſcelerum, quæ pœniteos accuſavit, participem fieri: *Ne ſi forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur*. Secundo idem evincitur ex Judicis officio, qoo Sacerdos ex eadem Tridentina Synodo, in Pœnitentiæ Tribonali fungitur: *Dominus noſter Jeſus Chriſtus*, inquit Capite v. *e Terris aſcenſurus ad Cælos, Sacerdotes ſuiipſius Vicarios reliquit tanquam Præſides, & Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur*. At Judex ſit reus gravis peccati, cum injungit pœnam, quæ plurimum ab ea diſtet, quam Leges præſcribunt, quæque com gravitate criminis neqnaquam conveoiat. Tertio ex eo idem oſtenditur, qood eadem teſte Synodo, eo tendat ſingulorum, tum quoad ſpeciem, tum qooad numerum, peccatorom confeſſio, ut Miniſtri convenientem pro qualitate criminum ſatisfactionem injongere valeant. Hæc autem Synodi verba citato Cap. v. *Conſtat enim, Sacerdotes judicium hoc, incognita cauſa, exercere non potuiſſe, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis ſervare potuiſſe, ſi in genere dumtaxat, & non potius in ſpecie, ac ſigillatim ſua ipſi peccata declaraſſent*.

VI. Argumenti quoque vim mioime eludont Caſuiſtæ illi, qui reſpondent, Tridentinam Synodum exponi debere de ſatisfactiooe, qoæ ſit medicioalis, oon autem, quæ in præteritorum peccatorum vindictam injongatur. Nam primo Textus Synodi, quem protulimus, Lotheranos impetit, qui cenſebant, totam peccati pœnam ſimol com culpa dimitti. Unde concludebant, præſcribi quidem debere remedia, quibus caveatur peccatum, quod pœnitens confeſſus fuerit; ſed negabant, injungi poſſe ſatisſactiooes, quibus dimiſſum qooad culpam peccatum condonetur. Secondo, qoæ a Caſuiſtis proſertur reſponſio, expreſſis Sacræ Syoodi verbis opponitur; ſic enim Cap. VIII. loquitor: *Habeant autem præ oculis, ut ſatisfactio, quam imponunt, non ſit tantum ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam; nam Claves Sacerdotum, non ad ſolvendum dumtaxat, ſed & ad ligandum conceſſas, etiam antiqui Patres, & credunt, & docent*. Atque hæc paulo fuſius explicare libuit ad ſaniorem noſtri §. intelligentiam, qui, uti ſuperius notatum jam fuit, deſumptus eſt ex memorato Coocilio Tridentioo, in cujus Cap. VIII. noſtri §. verba reperiuntur.

VII. Supereſt nunc, ut cum eodem Juenioo varias ratiooes recenſeamus, quibus nixa laodata Synodus Trideotina Satisfactionis neceſſitatem, proportionem, & fructum confirmat, ac probat. Prima itaqoe ratio, quam adhibet Synodus, ut adverſos Lutheranos oeceſſitatem ſatisſactionis adſtruat, ex eo ducitur, quod, ut ait citato Cap. VIII. *Divinæ juſtitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam qui ante*

Digitized by Google

Baptiſmum per ignorantiam deliquerint; aliter vero qui ſemel a peccati, & dæmonis ſervitute liberati, & accepto Spiritus Sancti dono, ſcienter templum Dei violare; & Spiritum Sanctum contriſtare non formidaverint. Hæc Synodi ratio jam ſatis oſtendit, pœnitentem Deo ſatisfacere oportere, ut injuriam ipſi per peccatum illatam pro modulo ſuo compenſet, ipſum placare ſatagat, pœnamque temporariam, imo & æternam, quæ in temporarias Dei miſericordia commutata eſt, redimat. Hæc vero doctrina ſemper a Patribus in Eccleſia Catholica tradita eſt, præſertim vero a S. Cypriano in Libro, *De lapſis*, ubi ſic inter alia inquit: *Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens, & longa medicina non deſit. Pœnitentia crimine minor non ſit. Putaſne tu cito Dominum poſſe placari, quem verbis perfidis abnuiſti? cui patrimonium præponere voluiſti? cujus templum ſacrilega contagione violaſti? &c.* Porro cum dicat Synodus, aliter recipiendos, qui ante Baptiſmum deliquerint, aliter illos, qui poſt Baptiſmum, jam ſatis demonſtrat, debere hos non ſine laborioſa ſatiſfactione reconciliari, cum etiam illi, uti, cum egimus de adultorum Baptiſmo, oſtendimus, nonniſi variis præmiſſis corporis afflictationibus ad Baptiſmum admitterentur; per quem quidem, ut ait eadem Synodus citata Seſſione XIV. Cap. II. *Chriſtum induentes, nova prorſus in illo efficimur creatura, plenam, & integram peccatorum omnium remiſſionem conſequentes.* Additque mox, *ad eam novitatem & integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ ſine magnis noſtris fletibus & laboribus, Divina id exigente juſtitia, pervenire nequaquam poſſe, ut merito pœnitentia laborioſus quidam Baptiſmus a SS. Patribus dictus fuerit.*

VIII. Altera ratio, qua Synodus utitur, ut ſatisfactio proportionata injungatur, ex eo petitur, quod laborum, qui a Pœnitentiæ judicio ſubeundi decernuntur, metus peccantes a peccatis revocet, & quaſi freno quodam coerceat, ne in peccata denuo prolabantur: *Et Divinam clementiam decet, ne ita nobis abſque ulla ſatiſfactione peccata dimittantur, ut occaſione accepta, peccata leviora putantes, velut injurii, & contumelioſi Spiritui Sancto, in graviora labamur, theſaurizantes nobis iram in die iræ. Proculdubio enim magnopere a peccatis revocant, & quaſi freno quodam coercent hæ ſatisfactoriæ pœnæ, cautioreſque, & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt.* Sed iſtius argumenti vis prorſus evaneſcit in eorum Confeſſariorum praxi, qui ſolent leves admodum, & cum gravitate criminum nequaquam convenientes ſatisfactiones injungere. Nemo nempe dixerit, Roſarii exolvendi onere, aut exiguæ ſtipis erogandæ metu, fidelem deterreri ab obſcenis voluptatibus, quæ tot blanditiis, & illecebris corruptum ſemel animum pelliceunt. Imo in eos, qui ſic ſe gerunt, Sacerdotes, intorqueri poteſt illud Paciani Barchinonenſis dictum in Paræneſi ad Pœnitentiam: *Facinoris viam monſtrat innoxiis, qui nocentibus poſt ſcelera blanditur.* Sacerdotes, qui molliorem illam viam ineunt, vereri debent, ne illud S. Ambroſii axioma in hæc verba Pſalmi CXVIII. *Et de Lege tua miſerere mei*, ad ipſos ſpectet: *Facilitas veniæ incentivum tribuit delinquendi. Medicus ipſe, ſi ſerpentis interius inveniat cicatricem, cum debeat reſecare ulceris vitium, ne latius ſerpat, tamen a ſecandi, urendique propoſito, lacrymis inflexus ægroti, medicamentis teget, quod ferro aperiendum fuit; nonne iſta inutilis miſericordia eſt, ſi propter brevem inciſionis, vel exuſtionis dolorem, corpus omne tabeſcat, vitæ uſus intereat.*

IX. Tertia Synodi ratio petitur ex eo, quod inter præcipuos ſatisfactionis fructus recenſeri debeat vitioſorum habituum emendatio, itaut ejuſmodi eſſe debeat ea, quam Sacerdotes injungunt, ut ad tollendos vitioſos pœnitentis habitus conferat: *Medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitioſos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt.* Atqui hic effectus per leviſſimas ſatisfactiones non præſtatur, ſed tantum per contrarios vitiis virtutum actus, ut ipſa mox Synodus loquitur poſt S. Chryſoſtomum, qui hæc habet Homilia X. in Matthæum: *Pœnitentiam dico, non ſolum a prioribus malis recedere, verum, & quod majus eſt, bona præſtare.* Facite, *inquit Joannes*, fructus dignos pœnitentiæ. *Et quomodo id faciemus? Si peccatis adverſa faciamus. Verbi gratia. Aliena rapuiſti? Incipe jam donare propria. Longo tempore fornicatus es? præſcripto tempore ab uxore abſtine, meditare continentiam. Proximum vel verbo, vel facto violaſti? refer benedictionis verba conviciis, & percutientes te beneficiis placare contende. Deliciis ante, & temulentia diffluebas? jejunio, & aquæ potu inde ortas maculas elue. Impudicis alienum decorem oculis vidiſti? feminam jam omnino non videas, ut majori ſecuritate fruaris.* Contrarias peccatis pœnitentias eſſe injungendas, docet etiam noſtrum hoc Rituale Romanum in ſequenti §. XIX. in cujus Commentario aliorum Patrum, ac Ritualium in eam diſciplinam teſtimonia afferemus.

X. Quarta ratio, qua nititur proportionatæ peccatis ſatisfactionis neceſſitas, in eo poſita eſt, quod apta ſit ad avertendam imminentem a Domino pœnam: *Neque vero*, proſequitur Synodus, *ſecurior via in Eccleſia Dei unquam exiſtimata fuit ad amovendam imminentem a Domino pœnam, quam ut hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent.* Sed levia quædam opera, ut eſt acta ſemel, aut bis recitatio Roſarii, aut ſeptem Pſalmorum pœnitentialium, ſeu Officii parvi Beatæ Virginis, vel aliquid hujuſmodi, ea non ſunt, quibus impiorum cervici impendens calamitas avertatur. Aliquo ſaltem modo accedant oportet opera, de quibus eſt hic quæſtio, ſed ea, quibus Scriptura docemur, pœnitentes intentas a Deo minas avertiſſe. Scidit Rex Achab veſtimenta ſua, cilicio carnem operuit, jejuniis excruciavit ſe ſe, dormivit in ſacco, & cinere, ambulavit demiſſo capite, itaut ne ad Cælum quidem oculos auderet attollere. Nabuchodonoſor veniam conſequutus non eſt, niſi cum beſtiis terræ ſeptem annorum vexationem, & cruciatum pertuliſſet. Aſſyriorum Rex latam in Ninivem ſententiam diſpunxit, abjecto Solio, depoſito Regali ornatu, ſaccum indutus, cineri incubans, jejunio maceratus, *clamans ad Dominum in fortitudine*, ait Scriptura Jonæ III. *& a via ſua mala converſus.* Cæterum eos, qui cum deliciis affluant, levibus quibuſdam operibus in peccatorum vindictam, & ad avertendam Dei iram perfunguntur, præclaris hiſce verbis, quæ multis hujuſce noſtræ ætatis delicatulis conveniunt, irriſit olim Tertullianus in Libro, *De Pœnitentia*, Cap. XI. ſic inquiens:

quiens: *Num ergo in coccino, & tyrio, pro deliciis ſupplicare nos condecet? Cedo acum crinibus diſtinguendis, & pulverem dentibus elimandis, & biſulcum aliquid ferri, vel æris unguibus repaſtinandis.* Additque mox: *Siquid ficti nitoris, ſiquid coacti ruboris in labia, aut genas urgeat; præterea exquirito balneas, lætiores hortulani, maritimive ſeceſſus; adjicito ad ſumptum, conquirito altilium enormem ſaginam, defæcato ſenectutem vini; cumque quis interrogarit, cur animæ largiaris? Deliqui, dicito, in Deum, & periclitor in æternum perire. Itaque nunc pendeo, ac maceror, & excrucior, ut Deum reconciliem mihi, quem delinquendo læſi.*

XI. Quinta, & poſtrema ratio, quam Synodus Tridentina adhibet, ut ſatisfactionis peccatis congruæ neceſſitatem demonſtret, deſumitur ex conformitate, quam quiſque pœnitens debet habere cum Chriſto, quem Deus Pater ſingulis pœnitentibus ad exemplum propoſuit; *Accedit ad hæc, quod ſatisfaciendo patimur pro peccatis, Chriſto Jeſu, qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, ex quo omnis noſtra ſufficientia eſt, conformes efficimur, certiſſimam quoque inde arrham habentes, quod ſi compatimur, & conglorificabimur.* At vana, & inutilis redditur hæc Synodi ratio ab iis Sacerdotibus, qui mollem, ac degenerem cum peccatoribus agendi rationem amplectuntur. Quis enim, quæſo, dicere audebit, peccatorem, qui deliciis affluit, opipare convivatur, molli recubat in lecto, pretioſis veſtibus induitur, vitam Chriſto pœnitenti conformem ducere, ſi vel aliquoties in hebdomada Roſarium revolvat, aut quid ſimile interdum operetur? Velim autem & illud quoque, tum a Confeſſariis, tum a pœnitentibus, ſummopere notandum, quod eadem Tridentina Synodus docet Capite IX. citatæ Seſſionis XIV. *tantam eſſe Divinæ munificentiæ largitatem, ut non ſolum pœnis ſponte a nobis, pro vindicando peccato ſuſceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro menſura delicti impoſitis, ſed etiam, quod maximum amoris argumentum eſt, temporalibus flagellis a Deo inflictis, & a nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Chriſtum Jeſum ſatisfacere valeamus.*

XII. Licet autem, & Synodi, & Patres, atque Rituales Codices generatim præſcribant, ratioque ipſa ſuadeat, ſatisfactionem debere eſſe proportionatam cum gravitate, & qualitate criminum, attendi nihilominus etiam debet pœnitentium facultas, ut expreſſe docet Synodus ipſa Tridentina, Cap. VIII. & ut ait hic noſter §. *ratio ſtatus, conditionis, ſexus, & ætatis, & item diſpoſitionis pœnitentium.* Id quod egregie explicat S. Carolus in Inſtructionibus, *De Sacramento Pœnitentiæ*, in eo Capite, quod inſcriptum eſt, *De modo imponendæ pœnitentiæ*, ubi hæc habet; *Pœnitentia imponenda, adhibebit & prudentiam, & pietatem, & juſtitiam. Habebit rationem ſtatus, conditionis, & ætatis. Videbit, ne ei, qui in aliena poteſtate eſt, eam pœnitentiam injungat, qua vel præjudicium afferatur illius juri, qui pœnitentem in poteſtate habeat; neve eam, qua vel occaſio detur ſpiritualis ruinæ, vel pœnitentis, alteriuſve peccatum detegi, vel aliquod ſcandalum ſuboriri, vel ipſe pœnitens nimium deterreri, remiſſuſve, & tepidus reddi poſſit. Quamobrem talem imponet, qualem ab eo præſtari poſſe judicet; proinde aliquando, ſi ita expedire viderit, illum interroget, an poſſit, anve dubitet pœnitentiam ſibi injunctam peragere; alioquin eam mutabit, aut minuet.* Subditque mox: *Conſiderabit item animum, mentemque pœnitentis, ac fletum, gemitum, & lacrymas intimi doloris indices.* Sed monet tamen, ut Parochus, Sacerdoſve alius Confeſſarius, *cum hæc pro prudentia, charitateque ſua ſpectabit, tum vero maxime videbit, ut ne pro peccatis gravibus leviſſimas pœnitentias imponat.* Atque id eſt quod potiſſimum advertere Confeſſarii debent.

§. XIX.

Quare curet, quantum fieri poteſt, ut contrarias peccatis pœnitentias injungat, veluti avaris eleemoſynas, libidinoſis jejunia, vel alias carnis afflictiones, ſuperbis humilitatis officia, deſidioſis devotionis ſtudia. Rarius autem, vel ſerius confitentibus, vel in peccata facile recidentibus utiliſſimum fuerit conſulere, ut ſæpe, puta ſemel in menſe, vel certis diebus ſolemnibus confiteantur, &, ſi expediat, communicent.

COMMENTARIUS.

I. Contrariis pœnitentiis expianda eſſe peccata, docent nos paſſim Patres, ac Synodi, Librique Rituales, nitunturque illo Apoſtoli teſtimonio in Epiſtola ad Romanos, Cap. VI. *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ, & iniquitati, ita & nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem.* Hunc verborum iſtorum ſenſum eſſe, ut peccata contrariis pœnitentiis expientur, tradit quidem inter alios S. Baſilius, qui explicans verſum illum Pſalmi XXXII. *In Pſalterio decachordo pſallite illi*, ſic ait: *Quoniam in corpore peccavimus, quando membra noſtra ſerva peccati ad iniquitatem præbuimus, corpore item confiteamur, eodem in peccati diſſolutionem uſi inſtrumento. Maledixiſti? Benedicas. Circumveniſti proximum in negotio? Redde. In ebrietatem incidiſti? Jejuna. Arroganter, & ſuperbe egiſti? Humiliare &c.* Rurſus in Homilia contra ebrioſos eandem diſciplinam confirmat his plane verbis: *Medicina magna delicta ſanet. Jejunium ebrietatem curet, Pſalmus turpes cantus, lacrymæ riſum; pro ſaltatione genu Deo flectatur, pro manuum plauſu pectus pulſetur, pro veſtium ſumptu, atque ornatu ſuccedat humilitas &c.* Traditam fuiſſe hanc regulam a Chriſto Domino, notavit jam S. Gregorius Homilia XXXIII. in Evangelia: *Cæleſtis Medicus ſingulis quibuſque vitiis obviantia adhibet medicamenta. Nam ſicut arte medicinæ, calida frigidis, frigida calidis curantur, ita Dominus noſter contraria oppoſuit medicamenta peccatis, ut lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis manſuetudinem, elatis præciperet humilitatem.*

II. Hanc

II. Hanc regulam ſequutæ ſunt paſſim Synodi, ubi loquuntur de ſatisfactione imponenda a Confeſſario pœnitenti, intee quas Beneveotana Provincialis VI. anni MCCCLXXIV. Tit. VI. Cap. X. ſie ait: *Ut autem Sacerdos poſſit eontraria eontrariis carare, eonſulimus, ut ſemper per contrarium pœnitentias imponat ipſi peeeatori, & per eontrarium reſpondeates; ut ſi peccaverit per ſuperbiam, iajungat ei orationem, ut ſaadeat ei humilitatem; ſi pee avaritiam, injungat ei eleemoſynarum largitatem; ſi per guloſitatem, vel nimiam eomeſtionem, abſtinentiam ciboram; ſi per laxariam, injungat ei jejunium, & orationem, diſciplinas, & alias carnis macerationes; aceidioſo peregrinationem*. Tom veeo ita ſtatim ſubjieit: *In omni enim peceato Deam offendimar aut eorde, aut ore, aut opere. Imponatue igitue pœnitentia eontra peeeatum eordis, ſeilieet jejunium, & alia carais maceratio; coatra peccatum oris, oratio, & alia humiliatio; eontru peccatum operis, ſatisfactio, & eleemoſynarum largitio*. Poeeo opera, quibus ſatisfaceee Deo poſſumus, quæque Confeſſaeius in Pœniteotiam peccatoeum imponere debet, reduei ad hæe tria, oeationem ſcilieet, jejunium, & eleemoſynam, teadunt Synodi paſſim, itemque Eugenios Papa IV. in Floeentino Generali Coneilio, in eelebri Uoionis Deceeto, his veebis: *Tertia pars pœnitentiæ eſt ſatisfactio pro peccatis ſecundum arbitrium Saeerdotis, quæ quidem præeipue fit per orationem, jejunium, & eleemoſynam*. Revocantue autem ad oeationem quæcumque Deo peoxime exhibentur, ut Saeeificiom, laus, geatiarom actio, meditatio, contemplatio, piorum libroeum lectio ad meditationem ipſam, & orationem oedinata. Ad jejunium omnia, qoibos caeo maceeaei, & caſtigaei ſolet, nempe aſperitas victos, & veſtitus, vigiliæ, humi cubationes, genuflexiones, tereæ deoſculationes, ſolitudo, ſilentium, abſtinentia a vino, ab eqoitatione, a ludis, itemque piæ peregrinationes, flagellationes, & alia id genus. Ad eleemoſynam tandem omnia miſericordiæ opeea.

III. Ratio, eor opeea omnia ſatisſactoria ad tria illa, orationem, jejooium, & eleemoſynam revocata ſint, eeſertue a S. Thoma in IV. Sententiaeum, Diſtinctione XV. Qoæſtione I. Aeticulo IV. Quæſtione III. io Corpoee, ubi ita ait: *Dicendum, quod ſatisfactio debet eſſe talis, per quam aliqaid nobis ſubtrahamus ad honorem Dei. Nos autem non habemas, niſi tria bona, ſcilicet bona animæ, boaa corporis, & fortunæ, ſcilicet exteriora. Ex bonis quidem fortunæ ſubtrahimas aliqaid nobis per eleemoſynam, ſed ex bonis corporalibas per jejaniam; ex bonis aatem animæ non oportet, quod aliquid ſubtrahamus a nobis, quantam ad diminationem ipſoram, quia per ea efficimar Deo aeeepti; ſed per hoe, qaod ea ſubmittimas Deo totaliter, & hoe fit per orationem*. Tum vero ſubjicit: *Competit autem iſte numerus ex parte illa, qaia ſatisfactio peccatorum eaaſas exeidit, quia radiees peccatorum tres ponuntae, 1. Joannis 2.* Coneupiſcentia earnis, concupiſcentia oeuloeum, & ſuperbia vitæ. *Et contra eoneupiſeentiam earnis ordiaatar jejunium, eontra eoneapiſcentiam oculoram, eleemoſyna, contra ſuperbiam vitæ, oratio, ut Auguſtinus dicit ſuper Matthæum. Competit etiam quantam ad hoc quod ſatisfactionis eſt, peeeatoram ſuggeſtionibus aditum non indulgere, quia omne peeeatam, vel in Deum committitur, & contra hoe ordinatur oratio; vel in proximum, & eontra hoe eleemoſyaa; vel in nos ipſos, & contra hoe ordinatur jejuaium*. Hæe S. Thomas, eujus doctrinam ſequntos Tridentini Coneilii Catechiſmus, Paete II. *De Pœnitentiæ Saeramento*, num. CVI. ita ad rem inquit: *Veram omne ſatiſfactionis genas Paſtores doeebunt ad hæc tria præcipue conferendum eſſe, orationem, jejaniam, eleemoſyaam; quæ quidem tribus bonis, animæ, corporis, & iis, qaæ exteena commoda dicuntur, quæ omnia a Deo accepimus, eeſpondeat. Nihil vero aptius, & convenientius ad extirpandas omnes peecatorum radiees eſſe poteſt*. Statimque hæe addit ſeqoenti num. CVII. *Nam cum omae, quod eſt ia mundo, eoncapiſcentia earnis ſit, aut eoncapiſcentia oculoram, aat ſuperbia vitæ, nemo noa videt, hiſee tribus morbi eauſis, totidem medieinas, priori ſcilieet jejunium, alteri eleemoſynam, tertiæ orationem rectiſſime oppoai*.

IV. Ad hæc itaqoe tria opeea ſpectare Confeſſarius debet, cum contrarias peeeatis pœnitentias injuogit, ex præſceipto oon modo hujos noſtri §. verum etiam ex Patrum, & Coneiliorum Statutis, quibus ioherens S. Caeolns in Inſtructionibos, *De Saeramento Pœnitentiæ*, ubi agit de modo imponeodæ pœnitentiæ, ſie inter alia ait: *Injunget præterea pœaiteatiam pro culpæ, & perſoaæ ratione; itaut ſaoerbis humilitatis opera; carnis voluptatem ſectantibas, jejunia, abſtinentiam, cilicii guſtationem, aliamqae eorporis macerationem, pro peecati gravitate indieat; in orationæ negligeatibus, ut ſingulis diebus mane ſaltem, & veſpere orationi vaceat; feria ſecunda, & aliis certis feriis pro defunctis orent; certis item, definitiſque diebas devote viſitent ſtationales, & præcipuæ devotionis Eccleſias, & Altaria, præſertim in Quadrageſima, & in Adventu*. Sed notatu præſertim ſunt, quæ mox ſubdit: *Mundi pompas, eboreas, aliaqae opera ſatanæ confectantibus eam pœnitentiam imponet, at in hebdomada maae eertis diebus (id qaod in ſingulos dies etiam faeiendum eſſe graviſſime Chryſoſtomus monet) ſancta meditatione ſibi propoſita, ſolemaem illam ſponſionem, quam per Compatres in Baptiſmo ſaacte ſeeerunt, redintegrent, intime Deum precando; in qua precatione firmo ſtabilique aaimi propoſito ſtatuant, ſe Chriſto Domino adhæreee, reaanciareque iteram, atque iteeum ſæeuli pompis, operibus tenebraram, & diabolo inprimis, eui ſe adverſarios eſſe, & profeſſi ſunt, & profiteatue perpetuo*.

V. Quod taodem edieit hic noſter §. quod nempe *earius, vel ſerius confitentibus, vel in peccata facile reeidentibus utiliſſimam fuerit conſulere, ut ſæpe, puta ſemel ia menſe, vel ceetis diebus ſolemaibus confiteantar, & ſi expediat, communieent*; egregie explieat idem S. Carolus in Ioſtroctionibus Confeſſorum, ſed audiendus Cateehiſmus Tridentioi Concilii, Parte II. *De Pœnitentiæ Sacrameato*, num. LXX. ita ioqoiens: *Nulla ees fidelibus adeo earæ eſſe debet, quam ut freqaeati peceatorum Confeſſione animam ſtudeant expiare. Etenim eam aliqais moetifero ſceleee urgetur, nihil ei magis ſalutare eſſe poteſt, ob multa, quæ impendeat, vitæ pericula, quam ſtatim peeeata ſua confiteri. Nam ut ſibi quiſqae diuturnum vitæ ſpatium pollieeri qaeat, turpe profecto eſt, cum in eluendis corporis, aut veſtium ſordibus, tam diligentes ſimus,*

non

Digitized by Google

non eadem ſaltem diligentia curare, ne animæ ſpleudor turpiſſimis peccati maculis obſoleſcat. Optimum plane conſilium, ſed quam diligentiſſime enitendum eſt, ut rite hoc Sacramentum Pœnitentiæ ſuſcipiatur; ſi enim contrarium accidat, nulla ſpes conſequendæ ſalutis ſupereſt, meritoque pii, ſanctique Dei Spiritu afflati homines deplorare ſolebant, majorem Chriſtianorum partem damnari ex pravo Confeſſionis uſu, magiſque timere frequentes populi Confeſſiones, quam peccata. Ceterum notanda ſunt ea noſtri §. verba, quibus dicitur, conſulendnm pœnitentibus, qui rarius, ſeriuſque confiteri ſolent, ut certis diebus confiteantur; *&*, *ſi expediat communicent*; neque enim ſemper expedit, ut Communio pœnitentibus permittatur, ut ſuo loco dicemus infra in Commentariis ad Titulum IV. *De Sanctiſſimo Eucbariſtiæ Sacramento*.

§. XX.

Pœnitentias pecuniarias ſibi ipſis Confeſſarii non applicent, neque a pœnitentibus quicquam miniſterii ſui præmium petant, aut accipiant.

COMMENTARIUS.

I. ELeemoſynas eſſe ad Deo pro peccatis ſatisfaciendum longe efficaciſſimas, Divinæ Scripturæ, Sacræ Synodi, ac Sancti Patres paſſim affirmant. Hinc poſtquam quatuor famoſi antiquæ pœnitentiæ gradus deſcripti a nobis Tomo I. Conciliorum in Appendice ad Canone XI. Nicæni I. Concilii abire cœperunt in deſuetudinem, ipſorum in locum ſucceſſit eleemoſyna, jejuniis tamen, ac variis mortificationibus veſtita, quonſque tandem ſucceſſit & alia pœnitentialis rigoris relaxatio, de qua ad Alexandrum II. Papam S. Petrus Damiani Libro I. Epiſtola XIX. ita ſcribit: *Sanctus Rudolfus*, erat is Eugubii Epiſcopus, *ne a lapſis quidem commodum aliquod præter ſolam pœnitentiam requirebat. Lapſos, inquit, potius erigam, quam ex eorum cadaveribus more corvino pingueſcam*. Pluribus hanc diſciplinam proſequitur doctiſſimus Lupus Tomo IV. Operum editionis Venetæ, in Secunda Procemiali Diſſertatione, *De Simoniæ crimine, & variis ad ipſum ſpectantibus*, Capite VIII. ubi poſt allata varia S. Petri Damiani loca, duo notatu digna nos docet. Primum, redimendæ ſatisſactionis morem tunc, nempe Sæculo XI. quos Damianus claruit, fuiſſe adeo ſolemnem, ut quomodo ſingula peccata ſuam pœnitentiam, ejuſque qualitatem, & tempus, ita & ſingulæ pœnitentiæ ſuam redemptionem, ejuſque modum, & pro ſingulis annis, menſibus, diebus, taxam haberent a Canonibus, & Pœnitentialibus Libris præfixam. Hinc Pœnitentialis Romanæ Eccleſiæ Liber, quem ſuo tempore extantem laudat in ſuo Decreto S. Ivo Carnntenſis Epiſcopus, habebat hanc regulam: *Centum ſolidi dati in eleemoſynam annum excuſant*. Alterum eſt, Epiſcopos non paucos, Presbyteroſque redemptiones iſtas vertiſſe in ſuum lucrum, adeo ut fundos etiam, & alias res immobiles pœnitentium acciperent.

II. Pœnitentia jejunii, eleemoſyna quomodo redimeretur, addiſcere licet ex ms. Pontificali Anglicano Monaſterii Gemmeticenſis annorum circiter mille, in quo multa, quæ ad noſtram hanc rem ſpectant, notantur: *Siquis forte*, inquit, *non poterit jejunare, & habet unde dare ad redimendum, ſi dives fuerit, pro ſeptem hebdomalibus, det ſolidos viginti; ſi autem non habuerit tantum, unde dare, det ſolidos decem. Si autem multum pauper fuerit, det ſolidos tres. Neminem vero conturbet, quia juſſimus viginti ſolidos dare, aut minus, quia ſi dives fuerit, facilius eſt illi dare ſolidos XX. quam pauperi ſolidos tres. Sed unuſquiſque attendat cui dare debet, ſive pro redemptione captivorum, ſive ſuper ſancto Altari, ſive hoc pauperibus erogandum.* Tum vero mox ſubjicit: *Et hoc ſcitote, Fratres, ut dum venerint ad vos ſervi, vel ancillæ, non eos gravetis, neque cogatis tantum jejunare, quantum divites, quia non ſunt in ſua poteſtate, ideoque medietatem pœnitentiæ imponite*. Eadem legere eſt in ms. Codice Eccleſiæ Noviomenſia annorum circiter CM. Cap. XXXI. quod eſt, de Feria IV. in Capite jejunii, apud Martene Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. VI. Articulo VII. Ordine X. viderique apud eundem Auctorem poteſt recitatus locus ex ms. Pontificali Anglicano, Ordine II.

III. Fuit præterea olim & alia exactio fieri conſueta in ipſa Confeſſione, aut Reconciliatione, ut idem Lupus obſervat loco citato. Erat ſtipendium, honorarium, aut xenium Miniſtri injungentis pœnitentiam, vel reconciliationem, aut certe ad reconciliationem adducentis. Omnem enim olim graviorum peccatorum rei impoſitam ſibi a Presbyteris ſatisſactionem adimplere cogebantur ante reconciliationem, quæ omnibus ſimul per Parochos adductis impendebatur ab Epiſcopo Feria V. Cœnæ Domini. Adverſus autem exactionem ipſam ita ſtatuit in ſuo ad Parochos Capitulari Leo Papa IV. *Nullus veſtrum pro infirmis reconciliandis præmium, aut munus exigat. Nullus minus digne pœnitentem cujuſcumque rei gratia ad reconciliationem adducat, & ei reconciliationi teſtimonium faciat*. Quod ipſum habet antiquus Ordo Romanus. Quiſque olim Parochus ſuo, quem Epiſcopo reconciliandum adducebat, Parochiano dabat impartitæ per Epiſcopum reconciliationis literas teſtimoniales. Atque huc ſpectat, quod in ſuo Capitulari mandat Hincmarus Archiepiſcopus Remenſis, Lib. I. Cap. XIII. *Nemo Presbyterorum a quocumque pœnitente, aut gratiam, aut favorem, aut munus ſuſcipere præſumat, aut minus digne pœnitentem ad reconciliationem adducat, atque ei teſtimonium reconciliationis faciat*. Affirmat, eſſe Deo, & hominibus abominabilem ſimoniam. Et in Capitulari ad Archidiaconos Lib. IX. Cap. IX. *Solicite providete*, inquit, *ne vos, vel Presbyteri negligenter pœnitentes pro aliquo munere ad pœnitentiam adducatis, vel poſt reconciliationem eos negligatis, quod ſimoniacum eſt*. Reconciliati per Epiſcopum

pum pœnitentes manebant per aliquud tempus ſub ſingulari ſerula ſuorum Parnchurum, a quibus quutidie inſtruebantur acceptam recunciliatiunis gratiam cum multæ ſulicitudinis cautela cuſtodire.

IV. Eodem teſte Auctore Lupo, damnabatur tunc quidem exactio pru recunciliatiune, nun autem ſpontanea pecuniæ ublatiu a pœnitentibus facta, ublatumque ſponte Confeſſinnis numum, ejuſque avitam conſuetudinem primus damnare cœpit Joannes Wicleffus, garriens, Pœnitentiæ Sacramentum eſſe Sacerdutum commentum antichriſtianum ad pupulum tenendum ſub ſua leunina ſubjectiune, ad nuſcenda ejus ſecreta omnia, & ad venandas ejus puſſeſſiunes. At recte illum confutat in Libro, *De Sacramentis*, Cap. CXLVII. Thumaa Waldenſis Carmelitarum Ordinis in Anglia Priur Pruvincialis, ſic inquiens: *Non ſic, miſer, iſtum cibum, quo carnem paſcat, & impinguet, non quærit ex Confeſſionibus Eccleſia Sacerdotum, qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam. Ambroſius tibi dixit*: Cibus & refectio Orthodoxorum Sacerdutum eſt remiſſio peccaturum. *Tibi cibus iſte hoc nunquam ſapait, ut videtur. Si tibi fuit in Sacerdotio talis eſuries, non miror, ſi cibus putridas coegit ad vomitum.* Omnes Sacerdotea ex ſemetipſo judicavit Wicleffus, umneſque ad ſui normam credidit Pœnitentiæ, & alia Eccleſiæ Sacramenta ex carnali cupidine miniſtrare. Similes in ipſum Cunfeſſiunis denarium, multia in lucis uſitatum, tametſi ſponte oblatum, calumnias vumuerunt etiam Lutherani, & Calviniſtæ; atque hinc eſt, quud ad tollendam omnem hæreticis calumniandi uccaſionem, nuſter hic §. plurimis Synodis conſentiens, generatim ſtatuit, ut *pœnitentias pecuniarias ſibi ipſis Confeſſarii non applicent, neque a pœnitentibus quicquam tanquam miniſterii ſui præmium, petant, vel accipiant.*

V. At veru inficiari nun puſſumus, quin multi Sacerdutes pecuniarias pœnitentias, ac eleemoſynas præſertim Miſſæ, quas pœnitentibus imponebant, ſibi ipſis applicarent; id enim plures Synodi vetuere, inter quas Eboracenſis anni MCXCV. Can. III. ſic inquit: *Prohibemus, ne Sacerdos laico ad pœnitentiam venienti obtentu cupiditatis injungat, ut Miſſas faciat celebrari.* Synudus Beneventana annu MCCCLXXIV. Tit. VI. Capite XVI. abuſum ipſum imprubat his verbis: *Item conſulimus, & monemus, ne Miſſas injungat Sacerdos confitentibus in favorem ipſius Sacerdotis, vel alterius, ut ſuſpicionem cupiditatis fugiat in hac parte &c.* Lungum eſſet omnia huc locu Cuncilia recenſere, quæ variis Decretis cunata ſunt eum abuſum eliminare. Deſcribam tamen, quod in Concilio Provinciali III. Mediolanenſi ſtatuit de elemoſynis, Miſſiſque, quæ in ſatisfactinnem pœnitentibus a Cunfeſſariis impununtur: *Si pœnitentibus pœnitentia præſcribendo eſt aliqua pecuniæ ratione, ne ſibi Sacerdotes Confeſſorii eam pecuniam, ſed locis piis attribui curent, ut in officia, operaque pietatis erogetur; neque vero hujus pecuniæ diſtribuendæ curam ipſi ullo plane modo ſuſcipiant; neque præterea ſibi dare curent, ſiquid eleemoſynæ cauſa pœnitenti eroganduum eſt in Miſſæ Sacris faciendis.* Ita plane ille in citato ſuo III. Cuncilio, Capite inſcriptu, *De iis, quæ ad Pœnitentiæ Sacramentum pertinent.* Porro non dubitatur, quin puſſit Confeſſarius pœnitentibus injungere, ut Miſſarum Sacrificia celebrari faciant in ſatisfactionem ſuurum peccatorum, id enim inter upera ſatiafacturia merito recenſetur, tum quia pœnitentes prupterea aliquam pecuniæ ſummam a ſe abdicant, tum quia ſic Sacrificii oblatinni cooperantes, peculiari quadam ratiune participes efficiuntur illius fructus ſatisfactorii, ut recte docet Sanctiſſimus Dominus Noſter BENEDICTUS Papa XIV. Lib. V. *De Synodo Diœceſana*, Cap. IX. num. VI. Sed ne hac occaſiune, aliqua ſuboriatur avaritiæ ſuſpicio, unu debet Confeſſarius a pœnitente, cui hujuſmodi Miſſarum celebrationem prucurandam injungit, eleemoſynam accipere, ut vel ipſe eas Miſſas celebret, vel in prupria Eccleſia celebrari faciat, ut idem laudatus Pontifex ſubdit citans etiam locum S. Caruli, qui in ſuis Inſtructionibus ad Confeſſarios, ſic inquit: *Cum pro pœnitentia Miſſas injunxerit, ſibi, aut Eccleſiæ ſuæ, aut Monaſterio dicendas non addicat.*

VI. Alium abuſum extirpare cunatus eſt idem Sanctus Antiſtes in Cuncilio Mediulanenſi Provinciali IV. ſub recitatu Capite, *De iis, quæ ad Pœnitentiæ Sacramentum pertinent*, ubi vetat, *ne capſulæ, loculive, colligendæ eleemoſynæ cauſa, ſive Confeſſarii uſui, ſive Eccleſiæ utilitati ea ſit, ac ne ob pium quidem ullum aliud opus loco Confeſſionalibus proximo, ne dum ipſis Confeſſionalibus affigantur, apponanturve.* Idem pruhibent & aliæ Synodi poſt S. Carolum celebratæ in variis Pruvinciis, Diœceſibuſque, quas ſupervaneum eſt recenſere. Quantum veru abhurreat Eccleſia a qualibet hujuſmudi avaritiæ ſpecie, & Sacerdutes Sacramentorum Miniſtrus ab omni illius ſuſpiciune, nedum a crimine, velit immunes, ſatis declarat nuſtrum hoc Rituale Romanum tum Titulu I. *De iis, quæ in Sacramentorum adminiſtratione generaliter ſervanda ſunt*, §. XIII. tum etiam particulariter in hoc præſenti §. quem explicamus. Hinc cum anno MDCCIX. Sacræ Rumanæ Univerſali Inquiſitinni relatum fuiſſet, Presbyterus quuſdam in Eccleſia S. Jacubi de Compuſtella Confeſſionibus addictos, ſub præſidio antiquæ cunſuetudinis eleemoſynas accipere ſulere a pœnitentibus, qui eas poſt Confeſſiunem peractam ſpunte illis dabant, ſanctæ memuriæ Clemens Papa XI. in Cungregatiune Sancti Officii coram ipſo habita die XIV. Februarii prædicti anni mandavit, ad Archiepiſcopum literas ſcribi, ut umni ſtudio, & vigilantia caveret, ne vel minima avaritiæ ſuſpicio in Sacramenti adminiſtratiune miſceretur. Legendæ laudatæ S. Caruli Inſtructiunes ad Cunfeſſarios, in quibus omnem avaritiæ ſpeciem a Confeſſariis vitandam iterum iterumque inculcat: *Ut Sacerdos*, inquit, *liberius circa pœnitentem debito fungatur officio, & auctoritate in ejus utilitatem ſemper gaudeat, ab omni avaritiæ ſpecie alienus videri debet.* Statimque ſubdit: *Hinc non modo non petat, ſed nec velle ſe habere ſignificet pecuniam, aliamve rem pro ſuſcepti in Confeſſione laboris munere; immo verbis, vel potius factis ab his omnibus abhorrere ſe, demonſtret.* Tum puſtquam dixit, quud cum pru pœnitentia Miſſas injunxerit, ſibi, aut Eccleſiæ ſuæ, aut Munaſterio dicendas nun addicat, ita ſubjungit: *Quod idem ſervabitur in reſtitutionibus incertis, aut votorum commutatione, aliiſve hujuſmodi. Nec ipſe pecuniæ, aliuſve rei reſtituendæ provinciam aſſumat, niſi neceſſitas ad id eum adegerit, ne ſcilicet*

licet pœnitens dignoſcatur; tumque apocham recipiat ab eo, cui reſtitutionem contulerit, quam poſtea pœnitenti tradet. Ita denique ſe gerat, ut nec minimam avaritiæ labis ſuſpicionem contrahat.

§. XXI.

Pro peccatis occultis, quantumvis gravibus, manifeſtam pœnitentiam non imponat.

COMMENTARIUS.

I. Veteri Eccleſiæ diſciplina inſpecta, non eſt dubium, quin etiam pro peccatis occultis pœnitentia publica imponeretur, ut late, eruditeque oſtendit Juceninus in Opere, *De Sacramentis*, Diſſertatione VI. Quæſtione VI. Cap. VII. Articulo I. & ſeq. & ante illum Morinus in Opere ſuo celeberrimo, *De adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ*, Libro V. Cap. IX. Non diffitetur tamen hic Auctor, multiplicem fuiſſe inter pœnitentiam publicam impoſitam pro peccatis publicis, & eandem impoſitam pro peccatis occultis differentiam. Pro publicis, ac notoriis, quæ totam Eccleſiam commovebant, manus imponebantur ab Epiſcopo, vel Presbytero publice in medio Eccleſiæ ante abſidem, hoc eſt, in gremio navis Eccleſiæ. Abſis enim, vel abſida eſt Sanctuarium Eccleſiæ, ut non uno in loco Operum noſtrorum diximus. Eaque manus impoſitio eo ritu fiebat tam in pœnitentiæ impoſitione, quam pœnitentis abſolutione. Dum vero pœnitentis occulta erant crimina, neceſſe non erat publice in medio Eccleſiæ per manus impoſitionem pœnitentiam imponere, aut pœnitentem, acta pœnitentia, publice reconciliare; ſed ſicuti peccata illa ſecreto Sacerdoti aperiebantur, ita quoque ſecreto pœnitentia imponebatur, & reconciliatio fiebat.

II. Hinc altera conſequebatur differentia, quod publice pœnitens ob crimen occultum, acta pœnitentia, ſecreto poſſet, inconſulto Epiſcopo, a Presbytero reconciliari, ſecus vero pœnitens ob peccatum publicum. Hic enim, cum nonniſi publice reconciliari poſſet, etiam ſine ſpeciali Epiſcopi licentia, niſi extrema neceſſitas licentiæ petendæ tempus intercluderet, a Presbytero reconciliationem obtinere nequibat. Interdictum erat Presbyteris pœnitentem publice reconciliare. Utrumque non obſcure indicat Canon XXXII. Concilii III. Carthaginenſis anno Chriſti CCCXCVII. qui in duas partes diviſus refertur a Gratiano in ſuo Decreto, Can. XIV. Cauſa XXVI. Quæſtione VI. & Can. V. Quæſtione VII. Verba Canonis ſunt: *Ut pœnitentibus ſecundum pœnitentiam peccatorum, Epiſcopi arbitrio, pœnitentiæ tempora decernantur; & ut Presbyter, inconſulto Epiſcopo, non reconciliet pœnitentem, niſi abſentia Epiſcopi neceſſitate cogente. Cujuſcunque autem pœnitentis publicum, & vulgatiſſimum crimen eſt, quod univerſam Eccleſiam commoverit, ante abſidem manus ei imponantur.* His accedit altera differentia, eaque notabilis erat. Cum publicum erat peccatum, ad agendam publice pœnitentiam peccatores excommunicatione, & omnimoda ab Eccleſia expulſione cogi poterant. At cum peccatum erat occultum, pœnitentiæ publicæ actio erat ſpontanea, hoc eſt, ad eam cogi non poterant ulla excommunicatione, aut Sacramentorum publica denegatione. Peccatori equidem ejuſmodi ſecreto confitenti, niſi pœnitentiam Canonicam agere vellet, reconciliationem ſecreto denegabat Sacerdos, ſed quod ultra in eum ageret, nihil habebat.

III. Neque vero ſoli occulti gravium criminum rei publicam pœnitentiam ſibi a Sacerdotibus ſecreto impoſitam & indictam ſpontanea quadam voluntate, & publice cum aliis pœnitentibus etiam graviorum criminum reis peragebant, ſed & leviorum dumtaxat, aut nullorum criminum ſibi conſcii eam ultro amplectebantur, quemadmodum notat Morinus Lib. V. Capite VII. & nos etiam late diximus Tomo III. Commentariorum ad Romanum Pontificale, in Commentariis ad Titulum III. Porro ex ea praxi jam & illud deducitur, pœnitentiam publicam pro peccatis occultis potuiſſe ſine ullo ſigilli confeſſionalis periculo imponi, ac peragi. Ipſa enim pœnitentiæ impoſitio ſecreto a Sacerdote fiebat; & publica pœnitentiæ actio erat etiam innocentibus, nullorumque criminum reis communis; ac per conſequens crimen occultum ex actione pœnitentiæ publicæ haud facile concludi poterat. Si tamen prævidcrent Patres, ex impoſitione pœnitentiæ publicæ, crimen occultum potuiſſe revelari, tunc pœnitentias publicas in privatas, ob revelationis periculum commutare ſoliti erant, ut monet laudatus Morinus, Lib. V. Cap. VIII. num. XX. Ita enim pœnitentias publicas uſurpabant, ut privatis, & ſecretis virtutem minime adimerent.

IV. Si tandem Morino credimus, docet hic quidem Lib. VII. Cap. 4. diſciplinam imponendi pœnitentiam publicam pro peccatis occultis perſeveraſſe in Eccleſia Latina uſque ad finem Sæculi VII. aut initium VIII. ab eoque tempore cœpiſſe commune, atque hodie ab omnibus receptum axioma: *De peccatis publicis publice, de occultis occulte eſſe pœnitendum.* Ceterum duo adhuc ſunt, quæ idem Auctor ſcite obſervavit. Primum eſt, mutationem illam pœnitentiæ publicæ pro peccatis occultis, factam haudquaquam fuiſſe phyſico more, in momento temporis, aut Concilii Generalis alicujus Decreto, ſed paulatim, & tacito quodam Eccleſiarum conſenſu; atque hinc factum, ut alibi ſerius, alibi citius ea mutatio recepta fuerit. Alterum eſt, quamvis jam recepta hac diſtinctione inter peccata publica, & occulta, deſierit pœnitentia publica pro peccatis occultis, adhuc tamen magnum Sæculis aliquot ſequentibus numerum pœnitentium publicorum veſte, victu, luctu, viſum fuiſſe in ipſa Eccleſia Latina. Quicquid autem de antiquo ritu ſit, certum illud profecto eſt, quod in noſtro §. edicitur, ut nempe Confeſſarius *pro peccatis occultis quantumvis gravibus manifeſtam pœnitentiam non imponat*, jam longe ante in multis Conciliis id ſtatutum fuiſſe, ac præſertim in Provinciali Beneventano VI. anni MCCCLXXIV. Titulo VI. Capite X. his verbis: *Item pro peccato occulto Sacerdos publicam pœnitentiam non injungat.*

V. Quamquam vero pluribus ab hinc Sæculis ea obſoleverit diſciplina imponendi pro peccatis occultis publicam pœnitentiam, adhuc hodie tamen publicis peccatoribus publica imponenda eſt pœnitentia, quam Confeſſarius cum privata commutare, inconſulto Epiſcopo, non debet ex præſcripto Concilii Tridentini, Seſſione XXIV. *De reformatione*, Cap. VIII. his verbis: *Apoſtolus monet, publice peccantes, palam eſſe corripiendos. Quando igitur ab aliquo publice, & in multorum conſpectu crimen commiſſum fuerit, unde alios ſcandalo offenſos, commotoſque fuiſſe, non ſit dubitandum; huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam injungi oportet; ut quos exemplo ſuo ad malos mores provocavit, ſuæ emendationis teſtimonio ad rectam revocet viam. Epiſcopus tamen publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud ſecretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire.* Et Concilii Tridentini Catechiſmus Parte II. *De Pœnitentiæ Sacramento*, num. CXVIII. ita quoque ad rem inquit: *Si interdum etiam ad publicam offenſionem publica pœnitentia præſcribenda fuerit, quamvis eam pœnitens refugit, aut deprecetur, non erit facile audiendus; verum perſuadere ei oportebit, ut quæ tum ſibi, tum aliis ſalutaria futura ſunt, libenti, & alacri animo excipiat.*

VI. Tridentini Concilii Decretum de imponenda publice peccantibus publicam pœnitentiam confirmavit inter alios S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolanenſi I. Capite, *De iis, quæ pertinent ad Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem*, ubi etiam vetat Confeſſariis, ne illud publicæ pœnitentiæ genus, niſi data ab Epiſcopo facultate, ſecreta alia pœna commutare audeant. Rurſus in Concilio Provinciali III. *Studeat*, inquit, *Epiſcopus ad ſacrorum Canonum, & Concilii Tridentini præſcriptum, pro publicorum delictorum gravitatis ratione, & publicam, & ſolemnem pœnitentiam in uſum revocare.* Tum vero mox ritum præſcribit, ſic inquiens: *Quos vero ita ſolemniter pœnitere oportet, menſe ante Quadrageſimæ initium ad ſe per Parochos deferri curet, ut primum ineunte Quadrageſima illi pœnitentia affici, tum die Cœnæ Domini Eccleſiæ reconciliari poſſint ſtato ſolemni ritu.* Atque hic eſt ritus antiquus paſſim in priſcis Conciliis, & Sacramentorum Libris præſcriptus, quem nos late explicuimus Tomo III. Commentariorum in Pontificale Romanum, in Commentariis ad Titulum III. Sed ut videas, quanti momenti ſit renovatio, ac uſus prædictæ diſciplinæ, idem S. Carolus in Provinciali V. Concilio, Capite citato, hæc habet: *Quod in Concilio Provinciali tertio de pœnitentia publica, & ſolemni Sacrorum Canonum jure, & Oecumenicæ Synodi Tridentinæ auctoritate ſancitum eſt, id ad uſum inducatur, vel revocetur, atque adeo rite, recteque præſtetur, prout Inſtructionibus, quæ ad communem totius Provinciæ uſum juſſu noſtro edentur, ex Canonum fontibus, Sanctorum hominum diſciplina, Eccleſiaſticiſque inſtitutis præſcriptum erit.*

VII. Sed nec tandem præteriri debent, quæ de ipſa publica pœnitentia pro peccatis publicis imponenda, monet memoratum Concilium VI. Provinciale Beneventanum citato ſuperius loco; ac primo quidem peccatum publicum intelligi illud, quod tale ſit, *quod totam Civitatem, Caſtrum, vel Villam commoverit, ut pro homicidio, ſacrilegio, inceſtu, & ſimilibus.* Secundo, publicam pœnitentiam *poſſe ab Epiſcopo dumtaxat, vel ab alio de mandato ſuo imponi.* Tertio, *Curiam Romanam non indicere talem pœnitentiam publicam, niſi in loco, ubi reſidet Curia; & ideo non credendum multis ribaldis, qui diſcurrunt per mundum cum catenis, & aliis publice pœnitentibus cum literis falſis Pœnitentiariorum Domini Papæ, quibus de facili non credendum, quia non conſuetum.* Similia habent permultæ aliæ Synodi, quas hic omittimus.

§. XXII.

Videat autem diligenter Sacerdos, quando, & quibus conferenda, vel neganda, vel differenda ſit Abſolutio; ne abſolvat eos, qui talis beneficii ſunt incapaces, quales ſunt, qui nulla dant ſigna doloris; qui odia, & inimicitias deponere, aut aliena, ſi poſſunt, reſtituere, aut proximam peccandi occaſionem deſerere, aut alio modo peccata derelinquere, & vitam in melius emendare nolunt; aut qui publicum ſcandalum dederunt, niſi publice ſatisfaciant, & ſcandalum tollant; neque etiam eos abſolvat, quorum peccata ſunt Superioribus reſervata.

COMMENTARIUS.

I. Obviis quibuſcunque concedendam non eſſe Abſolutionem, ſed iis omnibus negandam, quorum nulla, vel ficta converſio; iis vero differendam, quorum dubia, & incerta pœnitentia eſt, docent paſſim ſanioris Moralis Theologi, probantque variis Divinæ Scripturæ Oraculis, unanimi Patrum conſenſu, ac repetitis Conciliorum Decretis. His itaque adhærens noſter §. Confeſſarium monet, & primo quidem, ne eos abſolvat, *qui nulla dant ſigna doloris*. Idem quoque docet Catechiſmus Parte II. *De Pœnitentiæ Sacramento*, num. LXXXII. ubi poſtquam dixit, poſſe Sacerdotem abſolvere pœnitentem, *ſi audita confeſſione judicaverit, neque in enumerandis peccatis diligentiam, neque in deteſtandis dolorem pœnitenti omnino defuiſſe*, ita ſubdit: *Sin autem utrumque in eo deſiderari animadverterit, auctor illi, & ſuaſor erit, ut majorem curam, quod antea dictum eſt, in excutienda conſcientia adhibeat, hominemque, ut blandiſſime poterit, tractatum dimittet.* Neque vero dubium eſt, quin ſacrilegium committeret Confeſſarius, ſi eum abſolveret, quem cognoſcit carere contritione, aut diſpoſitione debita; nam faceret Sacramentum nullum, dando abſolutionem invalidam, & inutilem defectu materiæ debitæ, quæ inſiſtit in actibus pœnitentis, quales ſunt contritio, confeſſio, & ſatisfactio.

II. Sed

II. Sed nec illud revocari in dubium poteſt, quin teneatur Confeſſarius ipſe diligenter advertere, utrum pœnitens vernm habeat dolorem de ſnis peccatis, priuſquam illum abſolvat. Atque hic lubet varia argumenta referre a Cardinale Denoff tradita in Paſtorali Inſtructione ad Confeſſarios ſuæ Diœceſis, ex quibus judicare Confeſſarius poteſt, eos pœnitentes verum dolorem minime habere, quicqnid aliter affirment. I. Dnm ad Tribunal Pœnitentiæ accedunt eum quadam ſnperbiæ ſpecie, velut aſpernantes Jeſu Chriſti Miniſtrum, dum impatientiam, & indignationem oſtendunt in qualibet interrngatione facta, ot illorum animæ ſtatus dignoſci poſſit. II. Dum peecata narrant velut res plane indifferentes, & magis ad memoriæ, quam conſcientiæ exonerationem. III. Dnm confitentes peccata, culpam, & reatum in alios ttansferre ſatagnnt, & ſæpius magis ſe excnſare, quam accuſare, intendunt. IV. Cum videbit prudens Confeſſarius, pœnitentem data opera voluiſſe aliqnod celare peccatum mortale, & ſola ipſius induſtria fuit detectum. V. Si recuſaverunt pœnitentes ſatisfactionem congruam, & convenientem implere. VI. Dum nolunt uti remediis propriis ad evitanda peccata, quia qni media non vult ad finem neceſſaria, neque ipſum finem velle cenſendns eſt. VII. Quando ſnnt de illoeum pœnitentium numero, qui ſtudioſe Cooſeſſarios ignaros, aut nimis indnlgentes quærunt, qni plures Libros volvnnt, & revolvnnt, donec aliquem Auctorem propriæ cupiditati faventem invenerint; ſimiles omnino ægrotis, qui indoctos, & inexpertos medicos quærerent, qni omnes morbos cum ſolis unctiooibus curare præſumerent.

III. Siquis autem hic quærat, quomodo Confeſſarius dignoſcere poteſt, pœnitentem vere eſſe contritum, recte reſpondet doctus æqne ae eeligioſus Vaſionenſis Epiſcopns Franciſcns Genettus Tomo IV. *Theologiæ Moralis*, Tractatn VI. Cap. V. Quæſtione 19. judicare id poſſe Confeſſarium, ſi pœnitentis contritio qnatnor illas circnmſtantias includat, qnas Tridentina Synodus Seſſione XIV. Cap. IV. cenſnit neceſſarias eſſe ad veram contritionem. Prima eſt odium, ac deteſtatio peccatorum vitæ præteritæ. Secnnda, per qnam prima dignoſcitur, eſt ceſſatio a peccato, ideſt ordinarie loquendo, Confeſſarins non debet abſolvere pœnitentem in mortale peccatum ſæpe delapſum, niſi per aliquod tempns ipſum probaverit, & noverit in eo initium emendationis; quod longiori, vel minori tempore probari debet, qoo pœniteoa ſæpins, aut rarios in peccata mortalia ſolet incidere, niſi in caſu neceſſitatis, verbi gratia, ſi pœnitens eſſet in periculo mortis. Tertia eſt firmum, conſtanſqne, ſeo non vacillans novæ vitæ propoſitum, boc eſt, non amplius peecandi, & ſincerum eliciendi actns juſtitiæ deſideriom. Qnarta eſt ipſa novæ vitæ inchoatio, ubi eevera incipit eas habere diſpoſitiones, quæ eum ad virtutes Cheiſtianas exercendas excitent. Snnt autem hæc citati Concilii verba: *Deelarat igitur Sancta Synodus, banc contritionem non ſolum eeſſationem a peecato, & vitæ nuvæ propoſitum, & inchoatisuem, ſed veteris etium sdium continere.*

IV. Qnæret iterom fortaſſe quiſpiam, an pœnitentis lacrymæ ſint ſigna doloris? Ad quod idem Auctor egregie eeſpondet, quod licet lacrymæ ipſæ frequcotioea ſint eontritionis ſigna, non tamen ſnnt certa illius indicia, quia alio ex ſonte procedere poſſunt, quam ex vera, & ſincera peccatoris converſione; nam ſæpe proveninnt ab humano prorſus affectu, vel ex imaginatione objecto aliquo commota. Videmus etiam nonnullos, qui, oſtenſis his ſpecioſæ pœnitentiæ ſignis, peima data occaſione eelapſi ſnnt in peceatnm; ex quo faeile dignoſcitur, eos non habuiſſe veram peccatorum ſuorum contritionem. Atque huc ſaeit, quod in Tractatu, *De Confeſſione*, ait Petrus Bleſenſis: *Nems de momentanea eontritione, vel nffluentia lacrymurum præſumat. Nonne iſta compunctio eorum excæcat oculas, & aures cordis obturnt, qui credentes ſe eſſe aliquid, cum nibil ſint, abominabiles eriminum maculas ſine fructibus pœnitentiæ, paueis lacrymis æſtimant abluiſſe? Vera ſiquidem pœnitentia, non in lacrymis momentaneis, nut borariu compunctione conſiſtit.* Ubi lacrymæ conjunctæ ſint cum aliis piis pœnitentis actibus, non addubito, quin ipſæ veri doloris ſigna ſint, uti addiſcimus ex S. Baſilio Seleucienſi, qni in Oeatione XII. qnæ eſt prima in Jonam, ſic inquit: *Hæc veræ pœnitentiæ indicia, lugens anima, plorantes oculi, improbitutis correctio, impietutis fuga, carnis contritio, animi contractio, injuſtitiæ deſertia.*

V. Secundo neganda eſt Abſolutio iis, *qui adin, & inimieitias deponere nolunt.* Idqne fundatum eſt in celebri illa Salvatoris noſtri ſententia Matthæi Cap. VI. *Si nutem non dimiſeritis bominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccuta veſtra.* Hinc merito in variis Conciliis, ac præfeetim in Generali II. Lateranenſi anni MCXXXIX. Can. XXII. falſa illins pœnitentia eeputata eſt, *Si sdium in corde geſtetur, nut ſi offenſo euilibet non ſatisfiat, aut ſi offendenti offenſus non indulgeat.* Hine vero eos, *qui diſcordantes ſint, qui inter ſe litem implucubilem babeant*, ſtatim reconcilliari; *quod ſi rennerint pucem ſuſeipere*, ab Eccleſia ejici, *uſquequo ad charitutem redeant*, ſtatnit quidem Namnatenſe antiqnnm Concilium, Can. I. Atque hæc eſt vetns Eccleſiæ diſciplina in vaeiis Conciliis afferta, ac præſeetim in Carthaginenſi IV. anni CCCXCVIII. Can. XCIII. expreſſa, ut *oblationes diſſidentium Fratrum nequn in Suerario, neque in Gazophilaeia recipiantur*; placuitque Concilio Agathenſi anni DVI. Can. XXXI. *ut ſieut plerumque fit, quicumque odis, aut longinqua inter ſe lite diſſenſerint, & ad paeem revocari dintina intentione nequiverint, a Civitatis primitus Sueerdotibus nrguantur; qui ſi inimicitias deponere pernicioſa intentione noluerint, de Eccleſiæ cætu juſtiſſima excommunicatione pellantur.* Idem Decretom io aliis Conciliis legitor, quæ recenſet, confirmatque Coocilium Troſleanum anni CMIX. Can. XII.

VI. Tertio oeganda eſt iis Abſolutio, *qui aliena, ſi poſſunt, reſtituere nolunt.* Notum qoippe illud eſt S. Aoguſtini io Epiſtola CLIII. ad Macedonium, alias LIV. *Peſſimum bominum genus commemoras, cui pœnitendi medicina omnino non prodeſt. Si enim res alienu, propter quam peeeatum eſt, eum reddi poſſit, non redditur, non agitur pœnitentia, ſed fingitur; ſi antem veraciter agitur, non remittitur peccutum, niſi reſtituntur ablutum, ſed, ut dixi, eum reſtitui poteſt.* Qnod a Gratiano in Can. *Si res aliena*, Cauſa XIV. Qoæſtiooe VI. & ab Alexaodro III. laudatnr io Cap. *Cum tu*, *De uſuris*; & relatum eſt inter Regulas Juris in Sexto his verbis: *Peca-*

catum non dimittitur, niſi reſtituatur ablatum. Sola autem promiſſione reſtitutionis facta, pœnitentem abſolvi non debere, maxime ſi alias reſtitutionem, aut ſatisfactionem promiſit, & fidem fefellit, ſed Abſolutionem illius eſſe differendam, donec revera ſatisfecerit, aut reſtituerit, ſtatuit inter alia Concilium I. Provinciale Mediolanenſe a S. Carolo celebratum, ubi agit de iis, quæ pertinent ad Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem, ſic inquiens: *Caveant Confeſſores, ne ante debitam ſatisfactionem illos abſolvant, quibus eum facultas adſit aliena reſtituendi, vel legata, quæ ad pias cauſas facta ſunt, perſolvendi, illiſque, ut id facerent, ſuperiori Confeſſione præceptum ſit, præſtare tamen neglixerunt, exceptis iis, qui periculoſe ægrotant, quos tamen moneant, ut quæ debent, quamprimum ſolvant*. Eadem ſtatuunt & aliæ Synodi, quæ etiam expreſſe jubent, quod alias docent ſanioris Moralis Theologi, eos nec abſolvendos, qui honorem, aut famam læſam, aut quodlibet aliud damnum proximo illatum, reſarcire, cum poſſunt, aut dare operam, ut facultatem iſta præſtandi, ſi non habeant, comparent, nolunt.

VII. Quarto neganda Abſoluto eſt illis, *qui proximam peccandi occaſionem deſerere nolunt*. Occaſio proxima peccati eſt illa, quæ ex natura ſua, aut ſemper, aut fere ſemper ad peccatum inducit. Quod autem abſolvi non debeant, qui in hujuſmodi occaſione verſantur, ratio eſt, quia non habent propoſitum non peccandi de cætero, imo cenſentur velle iterum peccare; qui enim vult cauſam, vult & effectum, qui cum ea moraliter conjunctus eſt. Nititur hæc quidem ratio complurium Patrum, & Conciliorum auctoritate; celebreque eſt illud, quod docet S. Gregorius Homilia XXIV. in Evangelia: *Sunt enim*, inquit, *pleraque negotia, quæ ſine peccatis exhiberi, aut vix, aut nullatenus poſſunt. Quæ ergo ad peccatum implicant, ad hæc neceſſe eſt, ut poſt converſionem animus non recurrat*. Concilium Lateranenſe Generale II. cujus ſupra meminimus, Can. XXII. falſam inquit pœnitentiam fieri, *cum pœnitens ab officio, vel curiali, vel negotiali non recedit, quod ſine peccato agi nulla ratione prævalet*. Atque huc ſpectat, quod docet S. Bernardus Sermone I. *De reſurrectione*, ſic inquiens: *Non ſatis cecidiſſe piget hominem, qui adhuc manere diſponit in lubrico*. Et paulo poſt: *Veræ compunctionis indicium, opportunitatis fuga, ſubtractio occaſionis*. Hinc merito Innocentius Papa XI. inter alias pleraſque laxas, horrendaſque Caſuiſtarum propoſitiones damnavit hanc num. 61. *Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima peccandi occaſione verſatur, quam poteſt, & non vult omittere, quinimo directe, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit*. Itemque iſtam num. 62. *Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua utilis, aut honeſta non fugiendi occurrit*. Præterea hanc aliam num. 63. *Licitum eſt quærere directe occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali, vel temporali noſtro, vel proximi*.

VIII. Porro de proxima occaſione peccati illud eſt omnino adnotandum, quod alia eſt voluntaria, alia vero neceſſaria. Prima dicitur illa, quam quis poteſt, & non vult deſerere; altera vero, quam quis vellet, ſed non poteſt. Itaque, ut docet inter alios S. Carolus in ſuis ad Confeſſarios Inſtructionibus, ſi pœnitens ſit in aliqua proxima mortaliter peccandi occaſione, & poſſit eam deſerere, abſolvi non debet, donec eam deſeruerit; ſi vero non poſſit eam deſerere, differenda eſt abſolutio, donec aliqua dederit emendationis indicia, & legitimum ſit aliquod credendi fundamentum fore, ut deinceps a peccato caveat. Atque hæc eſt communis ſaniorum Theologorum ſententia, cui Summi Romani Pontifices patrocinati ſunt, ubi contrarias Caſuiſtarum opiniones damnarunt.

IX. Quinto neganda eſt Abſolutio iis, *qui peccata derelinquere, & vitam in melius emendare nolunt*. Qui enim pœnitentiam ita agunt, ut in eadem peccata dilabantur, fœdiſſime pœnitentiam agunt, ut loquitur Concilium Toletanum III. anni DLXXXIX. Can. XI. cujus hæc verba ſunt: *Quoniam comperimus, per quaſdam Hiſpaniarum Eccleſias, non ſecundum Canones, ſed fœdiſſime pro ſuis peccatis homines agere pœnitentiam, ut quoties peccare libuerit, toties a Presbyteris ſe reconciliari expoſtulent: ideo pro coercenda tam execrabili præſumptione, id a Sancto Concilio jubetur, ut ſecundum formam Canonum antiquorum detur pœnitentia*. Adverſus hanc alternarum prolapſionum, & abſolutionum fœditatem ſtylum ſuum exacuerunt paſſim Eccleſiæ Patres, quos recenſent Natalis Alexander Lib. II. *Theologiæ Dogmaticæ & Moralis*, Cap. VII. Articulo III. Regula XI. & Jueninus in Opere, *De Sacramentis*, Diſſertatione VI. Quæſtione VII. Capite IV. Articulo V. ubi late probat, eos qui mortaliter peccarent ex conſuetudine, non debere abſolvi, niſi multo ad viri prudentis judicium tempore converſionem piis operibus comprobaſſent. Cui quidem ſententiæ favet Innocentius XI. qui inter alias portentoſas Caſuiſtarum propoſitiones, & hanc num. 60. damnavit: *Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra Legem Dei, naturæ, & Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda Abſolutio, dummodo ore proferat, ſe dolere, & proponere emendationem*. Per ea verba, *etſi emendationis ſpes nulla apparet*, intelligit Pontifex, eum pœnitentem, qui corde emendationem non probat præviis pietatis operibus, ac iis potiſſimum, quæ illi Confeſſarius impoſuit; nam ex hac altera damnatæ propoſitionis parte, *dummodo ore proferat ſe dolere, & proponere emendationem*, invicte colligitur, ſpem emendationis in iis non apparere, qui verbis tantum, non autem operibus Confeſſarium de ſua converſione certiorem faciunt.

X. Sexto neganda eſt Abſolutio iis, *qui publicum ſcandalum dederunt, niſi publice ſatisfaciant, & ſcandalum tollant*; quantum ſcilicet ipſi poſſunt, ut docet S. Carolus in ſuis ad Confeſſarios Inſtructionibus. Huc ſpectare etiam poſſunt quæ ſupra diximus in Commentario ad §. XXI. de pœnitentia publica publice peccantibus imponenda, auctoritate Concilii Tridentini Seſſione XXIV. *De reformatione*, Cap. VIII. ejuſdemque ratione ibidem explicata. Longum plane eſſet commemorare hoc loco reos omnes publici ſcandali, quibus deneganda eſt abſolutio; ſunt plane ipſi multiplicis generis, veluti hiſtriones, mimi, comœdi, itemque illi, qui nimio veſtium luxu, atque ornatu pudicitiam lædunt; de quibus loquitur in ſuis ad Confeſſarios Inſtructionibus S. Carolus, aliique zelantes Epiſcopi in Synodis, ac Paſtoralibus Literis. Cæterum, tametſi

in hoc noſtro §. nulla ſiat mentio de iis, qui Chriſtianæ Fidei, Deique, & Eccleſiæ Præcepta ignorant, tamen negandam ipſis, vel differendam eſſe Abſolutionem, ſicut & patribusſamilias, qui liberos ſuos, & domeſticos ſcientia credendorum, & agendorum ad ſalutem neceſſaria imbuere negligunt, tum loco citato, tum alibi S. Carolus monuit. Atque hanc regulam confirmavit Innocentius Papa XI. hac inter alias Caſuiſtarum propoſitione damnata num. 64. *Abſolutionis capax eſt homo quantumvis laboret ignorantia Myſteriorum Fidei, & etiamſi per negligentiam etiam culpabilem neſciat Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationem Domini noſtri Jeſu Chriſti*; itemque hac alia numero ſequenti: *Sufficit illa Myſteria ſemel credidiſſe*. Sed de his videri poſſunt quæ jam late diximus ſupra in Commentario ad §. XIII.

XI. Septimo tandem neganda eſt iis Abſolutio, *quorum peccata ſunt Superioribus reſervata*; quia ſcilicet, uti docet Concilium Tridentinum, Seſſione XIV. *De Pœnitentia*, Capite VII. natura, & ratio judicii illud expoſcit, ut ſententia in ſubditos dumtaxat feratur; perſuaſumque iccirco ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe Concilium ipſum confirmat, nullius momenti Abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem. Sed non opus eſt hic integrum laudati Concilii Caput deſcribere, quod de ipſo, Caſuumque reſervatione in eo recenſita, atque probata jam ſatis diximus in Commentariis ad §. IV. & XII. Cæterum quænam ſint atrociora, & graviora crimina reſervanda una cum aliis materiam ipſam reſervationis Caſuum ſpectantibus, præſertim quoad Regulares, docte, ſolideque de more exponit Sanctiſſimus Dominus noſter Lib. V. *De Synodo Diœceſana*, Cap. V. per totum. Denique non puto omittendum, quod docet S. Antoninus Parte III. Tit. XVII. Capite XVIII. de eo, qui per inadvertentiam, aut ignorantiam, abſolvit pœnitentem a caſu reſervato, non obtenta a Superioribus facultate, quod nempe, *quamvis graviter peccet, præcipue quando abſolvit ſcienter, vel etiam ex ignorantia Juris craſſa, non tamen cenſuram aliquam, ſeu excommunicationem ex hoc incurrit, ſive ſit Clericus ſæcularis, ſive Religioſus, dictus abſolvens; ſed tenetur illum, quem ſic abſolvit, adviſare de errore ſuo, ſi cognoſcit, vel poteſt invenire; ille tamen quoad Deum excuſatur, qui hoc ignorat*. Nullam quidem S. Antonini tempore ſic abſolventes, ſed nunc excommunicationem ipſo facto incurrunt, qui abſolvere audent, vel præſumunt a caſibus Sedi Apoſtolicæ, aut Ordinariis locorum reſervatis abſolvere, ut conſtat ex Decretis Sacræ Congregationis Cardinalium negotiis Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ a Clemente VIII. Paulo V. & Urbano VIII. confirmatis. Audent autem, & præſumunt, qui ſcienter abſolvunt, vel ex ignorantia juris craſſa, aut affectata.

XII. Præter hactenus nominatos homines, quibus ex noſtri §. præſcripto deneganda eſt abſolutio, ſunt & alii multi, qui ex inſignium Theologorum ſententia, & variorum Conciliorum Decretis, nec licite, nec valide abſolvi poſſunt. Ut autem cæteros omittam, audire certe Confeſſarii non debent, aut abſolvere eos, quorum peccatorum participes, & complices fuerunt. Extat plane hanc in rem celebre S. Caroli Decretum in Synodo Diœceſana Mediolanenſi XI. quo Confeſſariis generatim, atque univerſim facultatem interdixit ſui cujuſcumque criminis ſocium, ſive quoquo modo participem abſolvendi: *Confeſſario*, inquit, *qui cujuſcumque criminis ſocius, particepſve ullo modo fuit, munere interdictum ſit Confeſſionis eorum audiendæ, quos illius ſocios habuerit*. Tum vero ſtatim: *Idem de illis item abſolvendis ſancitum ſit*. Et mox: *Siquam vero auctoritatem, juriſdictionemque habet, ea ne abutatur, illum privamus quoad hunc cauſam, culpamque attinet; nec vero abſolutio, ſiquam impartierit, ullius roboris ſit, ſed irrita plane, ac reſciſſa, nullaque omnino, tamquam ab eo impartita, qui juriſdictionis, & facultatis expers eſt*. Ait demum, mandatque, ut *ſiquis Confeſſarius culpæ ſocius, particepſve aliquid contra auſus erit, excommunicationis ſententiam ſtatim ſubeat, cujus vinculo irretitus ab alio Sacerdote, niſi a nobis, abſolvi non poſſit*.

XIII. Varias Epiſcoporum Synodos Provinciales, Diœceſanaſque idem ſtatuentes congeſſit pius eruditusque Vaſionenſis Epiſcopus Franciſcus Genettus, Tomo III. *Theologiæ Moralis*, Tractatu VI. Cap. XII. itemque Sanctiſſimus Dominus noſter BENEDICTUS XIV. Lib. VII. *De Synodo Diœceſana*, Cap. IV. num. II. in quibus decretum fuit, nedum illicitam, ſed inanem pariter, nullam, atque irritam fore abſolutionem a Sacerdote datam ſocio ſui criminis, præſertim adverſus ſextum Decalogi præceptum. Cui quidem Decreto mirifice ſuffragatur Natalis Alexander Lib. II. Theologiæ Dogmaticæ, & Moralis, *De Sacramento Pœnitentiæ*, Cap. V. Articulo X. Regula LXVI. ubi hæc habet: *Vix contingit, ut peccatores, qui apud ipſos hujuſmodi crimen deponunt, ſinceram illius pœnitentiam agant. Vix contingit, ut criminoſi illi Sacerdotes ſalutaria dent conſilia, & convenientem ſatisfactionis modum præſcribant; & ſi peccata ſint impudicitiæ, periculum eſt, ne nova, cum pœnitenti, tum Sacerdoti in ipſa Confeſſione peccati naſcatur occaſio*. Porro S. Petrus Damiani in Opuſculo VII. Cap. VII. adeo vehementer ſuo ævo, Sæculo nempe XI. quo claruit, in eandem Confeſſionem invectus eſt, ut certe videatur illam non ſolum illicitam reputare, ſed tanquam irritam rejicere, ubi ſic loquitur: *Legis præceptum eſt, ut cum quis lepra perfunditur, Sacerdotibus oſtendatur. Tunc autem, non Sacerdotibus, ſed leproſo potius oſtenditur, cum immundus immundo peractam communem nequitiam confitetur. Sed cum Confeſſio utique manifeſtatio ſit, quid obſecro manifeſtat, qui audienti cognitum narrat? Aut quo pacto Confeſſio illa dicenda eſt, ubi nihil a confitente manifeſtatur, niſi quod jampridem ab audiente cognoſcitur? Et qui ſociali vinculo peractæ iniquitatis adſtringitur, qua lege, quo jure alterum poterit ligare, vel ſolvere? Fruſtra enim quis alium ſolvere nititur, qui & ipſe vinculis irretitur*.

XIV. Cum itaque ſumma ſit, ac graviſſima inhoneſtas, Pœnitentiæque Sacramento valde injurioſa, ut Sacerdos illius perſonæ Confeſſionem excipiat, cum qua impudicitiæ ſcelus admiſit, jure meritoque idem Sanctiſſimus Dominus noſter BENEDICTUS Papa XIV. ſtatim ac ad Petri Cathedram evectus fuit, totiuſque Dominici Gregis curam ſuſcepit, peculiari Conſtitu-

tione

Digitized by Google

tione data Kalendis Junii anni MDCCXLI. quæ extat Tomo I. ſui Bullarii, eſtque ordine vigeſima, inter alia edixit §. IV. ne ullus Confeſſarius, *extra caſum extremæ neceſsitatis, nimirum in ipſius mortis articulo, & deficiente tunc quocunque alio Sacerdote, qui Confeſſarii munus obire poſsit, Confeſsionem Sacramentalem perſonæ complicis, in peccato turpi, atque inhoneſto, contra ſextum Decalogi Præceptum commiſſo, excipere audeat, ſublata propterea illi, ipſo jure, quarumque auctoritate, & juriſdictione ad qualemcumque perſonam ab hujuſmodi culpa abſolvendam*. Cæterum, ut Ipſemet Pontifex conſcientiarum utilitati conſuleret, alia Conſtitutione, quæ citato Tomo I. eſt CXX. data die VIII. Octobris MDCCXLV. declaravit, ad rem, de qua agimus, perinde eſſe, nullum adeſſe Sacerdotem præter illum, cum quo pœnitens inhoneſte peccavit, aut eum tantum adeſſe, quem idem pœnitens conſtitutus in mortis articulo, eligere nequit ſine periculo ſeipſum infamandi, aliiſque malam ſui ſuſpicionem ingerendi; atque ideo, in eo rerum ſtatu, non prohiberi, dixit, Sacerdotem ſuæ impudicitiæ complicem abſolvere; eumque tamen ſimul monuit, ne prædictæ infamiæ, aut ſcandali pericula ſibi confingat, quæ revera abſint; quinimmo voluit, ut ea, cum poteſt, antevertat, & removeat, ſecus enim minime evaſurus pœnas in prima Conſtitutione inobedientibus inflictas.

§. XXIII.

Si vero quis confiteatur in periculo mortis conſtitutus, abſolvendus eſt ab omnibus peccatis, & Cenſuris quantumvis reſervatis (ceſſat enim tunc omnis reſervatio); ſed prius, ſi poteſt, cui debet, ſatisfaciat; ac ſi periculum evaſerit, & aliqua ratione Superiori, a quo alias eſſet abſolvendus, ſe ſiſtere teneatur, cum primum poterit, coram eo ſe ſiſtat, quicquid debet, præſtiturus.

COMMENTARIUS.

I. CErta eſt illa ſententia, quam omnes Theologi communiter tradunt, confitentem in periculo mortis conſtitutum, abſolvendum eſſe *ab omnibus peccatis, & Cenſuris quantumvis reſervatis*, quia ſcilicet, ut ait hic noſter §. antiquæ Eccleſiæ diſciplinæ a Tridentino Concilio commendatæ inhærens, *ceſſat tunc omnis reſervatio*. Sed audiamus ipſa laudati Concilii verba Seſſione XIV. Cap. VII. ubi ſic ait: *Pie admodum, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibuſvis peccatis, & Cenſuris abſolvere poſſunt; extra quem articulum Sacerdotes cum nihil poſsint in caſibus reſervatis, id unum pœnitentibus perſuadere nitantur, ut ad Superiores, & legitimos Judices pro beneficio abſolutionis accedant*. Porro licet in periculo mortis conſtitutus abſolvi ab omnibus peccatis, & Cenſuris quantumvis reſervatis poſſit per Sacerdotem, qui ea abſolvendi facultate careat, ſed tamen, ut ait hic noſter §. & communiter docent Theologi, prius, ſi poteſt, cui debet, ſatisfacere eum oportet, ac ſi periculum evaſerit, & aliqua ratione Superiori, a quo alias eſſet abſolvendus, ſe ſiſtere teneatur, cum primum poterit, coram eo ſe ſiſtere, non quidem ut rurſus abſolvatur, ſed ut mandatis ejus pareat, & quicquid debet, præſtiturus; idque niſi præſtiterit, in eaſdem Cenſuras incurſurus.

II. Hæc regula nititur plane celebri Capite, *Eos qui*, De ſententia excommunicationis in Sexto, cujus hæc ſunt verba: *Eos, qui a ſententia Canonis, vel hominis, cum ad illum, a quo alias de jure fuerant abſolvendi, nequeunt propter imminentis mortis articulum, aut aliud impedimentum legitimum, pro abſolutionis beneficio habere recurſum, ab alio abſolvuntur; ſi ceſſante poſtea periculo, vel impedimento hujuſmodi, ſe illi, a quo, his ceſſantibus, abſolvi debebant, quam cito commode poterunt, contempſerint præſentare, Mandatum ipſius ſuper illis, pro quibus excommunicati fuerant, humiliter accepturi, & ſatisfacturi, prout juſtitia ſuadebit; decernimus, ne ſic Cenſuræ illudant Eccleſiaſticæ, in eadem ſententiam recidere ipſo jure*. Hanc regulam Theologorum omnium Princeps S. Thomas docet in IV. Sententiarum, ſeu Quæſtione VIII. Supplementi, Articulo VI. in reſponſione ad ſecundum: *Non oportet*, inquit, *eum recurrere ad proprium Sacerdotem, ut iterum a peccatis abſolvatur, a quibus in articulo mortis abſolutus eſt, ſed ut innoteſcat ei, quod ſit abſolutus &c.*

§. XXIV.

Quod ſi inter confitendum, vel etiam, antequam incipiat confiteri, vox, & loquela ægrum deficiat, nutibus, & ſignis conetur, quoad ejus fieri poterit, peccata pœnitentis cognoſcere, quibus utcumque, vel in genere, vel in ſpecie cognitis, vel etiam ſi confitendi deſiderium, ſive per ſe, ſive per alios oſtenderit, abſolvendus eſt.

COMMENTARIUS.

I. VEteri quidem Eccleſiæ diſciplina, Patrumque auctoritate probatur, quod in hoc noſtro §. edicitur, ut nempe non modo iis, qui inter confitendum vocem, uſumque loquelæ amiſerunt, verum etiam illis, qui morbo lethali correpti deſiderium confitendi,

ſive

Digitized by Google

ſive per ſe, ſive per alios oſtenderint, Abſolutio præbeatur. Teſtem hujua diſciplinæ habemna Sanctum Leonem Magnum Papam in Epiſtola XCI. ubi ſic loquitur: *Verum etiam talium neceſſitati ita auxiliandum eſt, ut nec actio illis pænitentiæ, nec communis gratia denegetur, ſi eam etiam amiſſo eis vocis officio, per indicium integri ſenſus quærere comprobentur. Quod ſi aliqua vi ægritudinis ita fuerint aggravati, ut quod paulo ante poſcebant, ſub præſentia Sacerdotis ſignificare non valeant; teſtimonia eis Fidelium circumſtantium prodeſſe debebunt, ut ſimul & pænitentiæ, & reconciliationis beneficium conſequantur.* Eorum vero verborum, aliorumque ſimilium interpretatio, quam tradit Dominicna Soto Dominicanns Theologus cæteroqui apprime doctus, nequaquam eſt admittenda, ubi ait, reconciliationem, de qua loquitur S. Leo, eſſe Cæremonialem, non Sacramentalem. Sed recte admodum obſervat Jueninus, *De Sacramentis*, Diſſertatione VI. Quæſtione VII. Cap. IV. Articulo III. Sacramentalem eſſe, non vero Cæremonialem; vox enim illa *reconciliatio* ad pœnitentem comparata, ſemper pro eo ſumitur, quod lapſia dat jua ad Communionem Euchariſticam, ut ex Concilio Carthaginenſi IV. deducitur.

II. Ergo ipſum Concilinm IV. Carthaginenſe anno CCCXCVIII. habitum, Can. LXXVI. ſic ad rem noſtram inquit: *Is, qui pænitentiam in infirmitate petit, ſi caſu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppreſſus infirmitate obmuteſcat, vel in phreneſim verſus fuerit, dent teſtimonium, qui eum audierunt, & accipiat pænitentiam. Et ſi continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori ejus Euchariſtia.* Conſtat plane ex hoc recitato Canone, quod idem Jueninus notavit, per reconciliationem dari jus ad Euchariſticam Communionem, ac proinde Cæremonialis non eſt, ut contra tum Theologos omnes, tum Canoniſtas Dominico Soto viſum eſt. Præterea ſi pœnitentis reconciliatio per manus impoſitionem, non ſignificat Abſolutionem Sacramentalem, nullo veterum teſtimonio probari poterit ejus neceſſitaa contra hæreticos recentiores. Siquidem veteres ſolo, aut pacis, aut communionis, aut reconciliationis nominibus uſi ſunt, cum loquuti ſunt de virtute Clavium lapſis ad juſtificationem conſequendam neceſſaria; pacem autem, communionem, reconciliationem pro eodem ſumunt. Scio equidem, hujus argumenti vim a quibuſdam Scriptoribus ad occultos peccatorea reſtringi, ajentibua datam quidem fuiſſe ſemper abſolutionem occultis peccatoribus, qui ante morbum, aut voce, aut nutibus Sacerdotem advocaſſent. Sed primo laudati in argumentum Patrea nequaquam quoad iſtud caput, diſtinguunt inter occultos, & publicos peccatores; ſecundo Concilium Carthaginenſe a nobis allegatum peccatores in extremis abſolutos, ſi ſupervixerint, ad publicam pœnitentiam dimittit: *Si ſupervixerit*, inquit, *admoneatur a ſupradictis teſtibus, petitioni ſuæ ſatiſfactum, & ſubdatur ſtatutis pænitentiæ legibus, quamdiu Sacerdos, qui pænitentiam dedit, probaverit.*

III. Idem quod S. Leo, & Concilium IV. Carthaginenſe, docuit etiam S. Auguſtinna Lib. I. *De adulterinis conjugiis*, Cap. XXVIII. ubi diſerte ait, moribundis pœnitentibus reconciliationem, ſeu abſolutionem concedendam, etiamſi ipſos vox, & ſenſus defecerint. Idem mandat Concilium Arauſicanum I. anni CDXLI. Canone XII. *Subito obmuteſcens, prout ſtatus ejus eſt, baptizari, aut pænitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet, aut præſentis in ſuo nutu.* Idem habent Concilium Toletanum XII. anni DCLXXXI. Canone II. Toletanum XIII. anni DCLXXXIII. Canone IX. aliaque complura ſequioria ævi, præſertim vero Beneventanum Provinciale VI. anni MCCCLXXIV. Tit. VI. Capite XI. ubi ſic inquit: *Si vero infirmus petiit Sacerdotem pro pænitentia recipienda, vel aliqua alia ſigna pænitentiæ fecit, & interim, dum Sacerdos veniret, obmutuerit, vel factus amens, vel phreneticus, Sacerdos veniens, ſive ad nutum infirmi, ſive teſtimonium eorum, qui audierunt ipſum petentem pænitentiam, vel alia ſigna pænitentiæ facientem, debet ei quidquid humanitatis, & conſolationis poterit impendere, abſolvendo eum de peccatis ſuis, & reconciliando, orationes dicendo, & Crucis oſculum, ſi præſens Crux fuerit, ſibi dando. Et ſi forte mortuus ſit, nihilominus abſolvat eundem, dum tamen habeat de ſignis pænitentiæ teſtimonium, quia forte tendebat manus ad Cælum, percutiebat pectus, dicebat*, Miſerere mei Deus, Eſto mihi propitius, Beata Maria ora pro me, *vel ſimile.* Unum eſt, quod hic diſſimulari non debet, quod ait, mortuum etiam, ſi ſigna pœnitentiæ prius dederit, a Sacerdote eſſe abſolvendum. Quod non de Sacramentali Abſolutione intelligendum, ſed de illa, quæ fieri mortuis ſolet.

§. XXV.

Meminerit porro Sacerdos, ægris non eſſe injungendam gravem, aut laborioſam pœnitentiam, ſed indicendam tantum illam, quam, ſi convaluerint, opportuno tempore peragant. Interim juxta gravitatem morbi, aliqua oratione, aut levi ſatisfactione impoſita, & accepta, abſolvantur, prout opus fuerit.

COMMENTARIUS.

I. QUamquam ægria injungi non poſſit gravis, aut laborioſa pœnitentia, quam ipſi tunc impleant, ſignificanda tamen eſt illis ipſa pœnitentia, quam, ſi convaluerint, implere teneantur, ea interim impoſita, quam in eo ſtatu facile poſſint implere; abſolvi tamen haud dubie poſſunt, ac debent, juxta regulam traditam in Canone, *Ab infirmis*, Cauſa XXVI. Quæſtione VII. qui ex Pœnitentiali Theodori Cantuarienſia Epiſcopi ſumptus eſt: *Ab infirmis*, inquit, *in periculo mortis poſitis per Presbyteros pura inquirenda eſt confeſſio peccatorum; non tamen illis imponenda quantitas pænitentiæ, ſed innoteſcenda, & cum amicorum ora-*

Digitized by Google

orationibus, & eleemoſynarum ſtudiis pondus pœnitentiæ ſublevandum; & ſi forte migraverint, ne obligati a communione, & conſortio veniæ fiant alieni. A quo periculo ſi Divinitus ereptus convaluerit, pœnitentiæ modum a Sacerdote ſibi impoſitum diligenter obſervet. Idem confirmat, præclariuſque explicat inter alia Concilium Provinciale VI. Beneventanum anni MCCCLXXXIV. Tit. VI. Cap. IX. Sed lubet locum deſcribere ex Inſtructionibus S. Caroli, *De viſitatione, & cura infirmorum*, ubi ita ad rem inquit: *Pœnitentiam ne ideo nimis levem imponet, quod juſta ab homine jacente non poſſit præſtari; ſi probabile ſit, quod convaleſcet, & tunc præſtare poterit, quod non potuerat jacens. Quod ſi credibile ſit, eum non amplius ſurrecturum, rationes pœnitentiæ juſtæ eliget, quæ poſſint præſtari a jacente, veluti magnam eleemoſynam pro facultatum modo. Suadebit vero ſemper, ut morbi afflictiones, pœnitentiæ loco libenter accipiat, Dominoque pro peccatis ſuis offerat.* Fuiſſe autem hanc veterem Eccleſiæ diſciplinam, ut qui in infirmitate ſine congrua pœnitentia abſolvebatur, ſi convaleſceret, ſubderetur ſtatutis pœnitentiæ Legibus, addiſcere licet ex Concilio Carthaginenſi IV. Canone LXXVI. quem jam in Commentario præcedenti deſcripſimus, aliiſque permultis, quæ opus non eſt recenſere.

CAPUT I.

Abſolutionis Formula.

I. ABſolutionis nomen, uti recte omnes Theologi docent, deſumptum eſt ex iis Chriſti verbis ad ſuos Apoſtolos, & Epiſcopos eorum primarios ſucceſſores, necnon & ad inferioris Ordinis Sacerdotes: *Quæcumque ſolveritis ſuper terram &c.* Et rurſum: *Quorum remiſeritis peccata &c.* Eſſe autem Abſolutionem formam Sacramenti Pœnitentiæ, Dogma Fidei eſt definitum, tum in Decreto Florentini Concilii, tum in Tridentina Synodo, Seſſione XIV. *De Pœnitentia*, Cap. III. Nec quidem immerito, efficit enim, quod ſignificat, nempe peccatorum remiſſionem. Nonnumquam illa eadem forma, ut inter alios obſervat Jueninus, *De Sacramentis*, Diſſertatione VI. Quæſtione VII. vocata fuit a Patribus *impoſitio manuum*, vel quod extenſis manibus ſupra pœnitentes eam proferret Miniſter, vel quod antiquitus deprecative proferretur, ideſt, per modum Orationis, idque juxta illud Auguſtini Lib. III. contra Donatiſtas, Capite XVI. *Quid eſt aliud manus impoſitio, niſi Oratio ſuper hominem?* vel denique, quod Oratio quædam per illam impoſitionem manuum deſignata præmitteretur a Sacerdote Abſolutioni, ſicut & nunc præmittitur, ad impetrandum pro pœnitente effectum Sacramenti.

§. I.

Cum igitur pœnitentem abſolvere voluerit, injuncta ei prius, & ab eo acceptata ſalutari pœnitentia, primo dicit: *Miſereatur tui Omnipotens Deus, & dimiſſis peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam. Amen.*

§. II.

Deinde dextera verſus pœnitentem elevata, dicit: *Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem peccatorum tuorum, tribuat tibi Omnipotens, & miſericors Dominus, Amen.*

Dominus noſter Jeſus Chriſtus te abſolvat, & ego auctoritate ipſius te abſolvo ab omni vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, in quantum poſſum, & tu indiges. Deinde ego te abſolvo a peccatis tuis, in Nomine Patris ✠, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

§. III.

Si pœnitens ſit laicus, omittitur verbum ſuſpenſionis.

Paſſio Domini noſtri Jeſu Chriſti, merita Beatæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, quidquid boni feceris, & mali ſuſtinueris, ſint tibi in remiſſionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.

COMMENTARIUS.

I. TRes ſimul Paragraphos uno Commentario enarrandos cenſui, quod in iis integra Abſolutionis formula continetur. Ergo eſſe in poteſtate Confeſſarii pœnitentem abſolvere, vel non abſolvere, ex §. I. addiſcimus, nam ait, *cum pœnitentem abſolvere voluerit*; quod tamen intelligendum eſt, ubi adſit rationabilis cauſa, ad abſolvendum illum, vel non abſolvendum, juxta ea, quæ diximus ſupra in Commentario præſertim ad §. XXII. Capitis præcedentis. Volens autem illum abſolvere, ex præſcripto ejuſdem noſtri §. *injuncta ei prius, & ab eo acceptata ſalutari pœnitentia, primo dicit &c.* Quæ hic dicitur ſalutaris pœnitentia, tum a Concilio Tridentino Seſſione XIV. Cap. III. tum ab ejuſdem Catechiſmo Parte II. *De Pœnitentiæ Sa-*

Sacramento, num. lxxxiv. & ſeqq. atque a Theologis paſſim *ſatisfactio* appellatur, itemque tertia Sacramenti Pœnitentiæ pars, ut definit ipſum Concilium Tridentinum loco citato, ideoque jure a Sacerdote pœnitenti imponitur, quam iccirco ita pœnitens acceptare tenetur, ut alioquin non ſit abſolvendus. Primo quidem, quia fruſtra laudatum Tridentinum Concilium citatæ ſuperius Seſſionis Capite viii. præcepiſſet omnibus Sacerdotibus, ut imponant ſatisfactiones gravitati criminum convenientes, niſi velint alienorum peccatorum participes fieri, ſi pœnitentes abſque juſta cauſa tolerabilem pœnitentiam recuſare poſſent. Secundo, quum ex eodem Concilio, Cap. iv. conſtet, Sacerdotes judicium hoc, incognita cauſa, exercere non potuiſſe, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis ſervare non valuiſſe, ſi in genere dumtaxat, & non potius in ſpecie, ac ſigillatim ſua ipſi peccata declaraſſent; evidens eſt, juxta Concilium, eum abſolvendum non eſſe, qui renuit acceptare pœnitentiam peccatis ſuis convenientem; quia tunc non ſervaretur æquitas, cui tamen ſervandæ ſtudere debent Confeſſarii, cum Judices ſint, ut habet Concilium. Tertio, quum ergo Sacerdotes in Sacro Pœnitentiæ Tribunali, ut dictum iterum iterumque ſuperius fuit, Judices ſint, & Medici, tenetur reus pœnam, qua damnatus eſt a Judice, ſubire, & ægrotus ſumere potionem, quam ei Medicus præſcripſit. Quarto denique, ut alia argumenta omittam, quia ita paſſim Sancti Patres, ac Summi Pontifices, & Generalia Concilia tradunt, ac mandant, inter quos S. Cyprianus in Sermone, *De lapſis*, ſic ait: *Is veram pœnitentiam agit, qui Dei, & Sacerdotis præceptis obediens, operibus juſtis Dominum promeretur*. Innocentius tandem Papa III. in Generali Lateranenſi iii. Concilio, Capite xxi. de confeſſis ait, ut *injunctam ſibi pœnitentiam ſtudeant adimplere*. Vide plura apud Eſtium in iv. Sententiarum, Diſtinctione xv. §. xx.

II. Porro ſi veterem Eccleſiæ diſciplinam ſpectemus, addubitari nequit, quin illa multis Sæculis eum morem tenuerit, ut lapſis, & peccata confeſſis, ac reconciliationem petentibus, pœnitentiam, ſeu ſatisfactionem injungeret prius explendam, quam per Abſolutionem Sacerdotis, ad pacem, ſeu reconciliationem pertingerent. Patet id inprimis ex vetuſtiſſimo Tertulliano, qui in Libro; *De Pœnitentia*, lapſos nondum reconciliatos, ſed tamen ad reconciliationem aſpirantes longo ſermone hortatur ad condignam ſatiſfactionem prius ſubeundam. Idem facit S. Cyprianus in Libro, *De lapſis*, & in Epiſtolis ſuis, variis locis; ſatiſque id quoque ſignificavit Origenes Homilia xii. in Leviticum, ubi requirit pœnitentiam pleniſſimæ ſatisfactionis ad hoc ut Chriſtus intret ad animam, ideſt Chriſto tanquam ſponſo ſuo anima reconcilietur. Sed clariſſime idipſum oſtendunt verba S. Leonis Papæ Magni in Epiſtola xci. ubi ſic inquit: *Chriſtus hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & pœnitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad Communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent*. Hinc Toletani iii. Concilii Patres, quod habitum fuit anno DCLXXXIX. Can. xi. veterem morem nonnihil collapſum, renovandum, ac retinendum ſtatuerunt, ſic ajentes: *Quoniam comperimus per quaſdam Hiſpaniarum Eccleſias, non ſecundum Canonem, ſed fœdiſſime pro ſuis peccatis homines agere pœnitentiam, ut quotieſcumque peccare libuerit, toties a Presbytero ſe reconciliari expoſtulent, & ideo pro coercenda tam execrabili præſumptione, id a Sancto Concilio jubetur, ut ſecundum formam Canonum antiquorum dentur pœnitentiæ; hoc eſt, ut prius eum, quem ſui pœnitet facti, a communione ſuſpenſum, faciat inter reliquos pœnitentes ad manus impoſitionem crebro recurrere; expleto autem ſatisfactionis tempore, ſicut Sacerdotalis contemplatio probaverit, eum communioni reſtituat. Hi vero, qui ad priora vitia, vel infra pœnitentiæ tempus, vel poſt reconciliationem relabuntur, ſecundum priorem Canonum ſeveritatem damnentur*.

III. Hæc, & longe plura notavit Eſtius in iv. Sententiarum, Diſtinctione xv. §. xv. ut probaret, juxta veterem Eccleſiæ conſuetudinem, Abſolutioni præcedere debuiſſe ſatisfactionem. Sed advertendum hic tamen eſt, quod ſcite obſervat Jueninus, *De Sacramentis*, Diſſertatione vi. Quæſtione vi. Cap. v. Articulo II. ubi inter alia ait, antiquæ ejus Eccleſiæ conſuetudinis multiplicem vel olim fuiſſe exceptionem. Dabatur enim Abſolutio ante expletam ſatisfactionem multis in caſibus. Primo, cum urgebat mortis periculum, uti ex Epiſtola i. Innocentii Papæ I. Cap. vii. addiſcimus: *Siquis*, inquit, *in ægritudinem inciderit, atque uſque ad deſperationem devenerit, ei eſt ante tempus Paſchæ relaxandum, ne de ſæculo abſque communione diſcedat*. Secundo cum in diſcrimine verſabatur pœnitentis ſalus, veluti cum timebant Miniſtri, ne criminum capitalium rei ad hæreticos, aut Gentiles deficerent, ſecumque abducerent multitudinem; uti ex variis tum Cornelii Papæ, tum Cypriani Epiſtolis colligitur. Tertio concedebatur pax, ſeu Abſolutio lapſis ante pœnitentiam, ut ſubeundo martyrio idonei redderentur, ut eruitur ex eodem Cypriano in Epiſtola liv. ad Cornelium: *At vero nunc non infirmis, ſed fortibus pax neceſſaria eſt; nec morientibus, ſed viventibus communicatio a nobis danda eſt, ut quos excitamus, & hortamur ad prælium, non inermes, & nudos relinquamus, ſed protectione Sanguinis, & Corporis Chriſti muniamus &c.* Quarto, quum abſque periculo ingentis ſchiſmatis diu differri non poterat Abſolutio, tunc diſciplinæ ſeveritatem unitatis amor relaxabat, juxta regulam a S. Auguſtino traditam Lib. iii. contra Epiſtolam Parmeniani, Capite II. Quinto, cum ex reditu lapſorum ingens aliquod bonum redundabat in Eccleſiam, ut eſt ſchiſmatis extinctio, uti colligitur ex modo, quo Cornelius Papa ſe geſſit erga Confeſſores, qui fuerant a Novatiano ſeducti, atque erga Trophimum, qui ab Eccleſia ad hæreticos deficiens, multam ſecum abduxerat multitudinem: *In Eccleſiam Domini non tam Trophimus, quam maximus Fratrum numerus, qui cum Trophimo fuerat, admiſſus eſt; qui omnes ad Eccleſiam regreſſuri non eſſent, niſi cum Trophimo comitante veniſſent*. Verba ſunt memorati Cypriani in Epiſtola lii. ad Antonianum.

IV. Sed omiſſis aliis id genus exceptionibus, explicanda cenſeo hoc loco duo præcipua, ac magni ponderis rationum momenta, quibus nitebatur veterum praxis in Abſolutione non impendenda, niſi ſatisfactione peracta. Primum eſt, quod vererentur, ne Sacramenta conferrentur indignis hominibus, ſeu in affectu peccati mortalis

talis hærentibus, aut quibus mundum, ut par erat, peccata diſplicerent: *Quemadmodam porcis margaritas projicere eſt vetitum*, inquit S. Gregorius Nyſſenus in Epiſtola Canonica, *ita & pretioſa margarita privare eum, qui jam per alienationem a vitio, & purgationem homo factus eſt, abſurdum*. Cavebant ſedulo, ne eum tantum abſolverent, quem, aut jam coram Deo abſolutum, aut Abſolutioni maturum per varia pietatis exercitia probaſſent: *Videndum eſt*, ait S. Gregorius Papa Magnus Homilia XXVI. in Evangelia, *quæ culpa præceſſit, aut quæ ſit pœnitentia ſequuta poſt culpam; ut quos Omnipotens Deus per compunctionis gratiam viſitat, illos Paſtoris ſententia abſolvat. Tunc enim vera eſt Abſolutio Præſidentis, cum æterni arbitrium ſequitur Judicis*. Alterum eſt, quod veteribus videretur prolapſinnis viam eis aperire, qui cito reum abſolveret, uti licet addiſcere ex S. Cypriano in Libro, *De lapſis*, ubi hæc habet: *Infidelis cicatrix, quam cito feſtinans Medicus induxit, & ad quemlibet caſum medela reſcinditur, ſi non fideliter de ipſa tarditate remedia præſtentur*.

V. Cæterum poſterioris temporis Eccleſia juſtis haud dubie rationibus mota eum ſatisfactionis, & Abſolutionis ordinem paulatim immutavit, & Abſolutionem iis, qui vere pœnitentes viderentur, etiam ante peractam ſatisfactionem impendit, idque abſque præjudicio prioris conſuetudinis, quam hac ſua poſteriori damnare nequaquam intendit, ut docet Eſtius loco citato, ubi etiam has rationes iſtius mutationis recenſet. Prima eſt, ut pro proteſtaretur Eccleſia, Abſolutionem Sacerdotis coram Deo valere, nimirum ad ſolvendam obligationem pœnæ æternæ, & non ad hoc tantum, ut externæ fidelium ſocietati pœnitens reſtitueretur. Secunda, quia non minorem fructum ex hac anticipata Abſolutione Fideles conſequerentur, quam ex dilata, ac forte etiam majorem; quandoquidem jam abſoluti a reato æternæ damnationis pro pœnis temporariis reſtantibus tanto deinde ſatisfacerent efficacius, quanto opera a filiis, & amicis Dei ex caritate facta Deo ſunt gratiora, majoriſque apud Deum pretii, quam quæ fiunt ab iis, qui nondum in amicitiam Dei fuerint recepti, ut non immerito dicatur, alteram quidem ſatisfactionem valere tantum de congruo, alteram autem valere etiam de condigno. Tertia, ut pœnitentes per Abſolutionem citius Deo reconciliati, atque in ſtatum gratiæ reſtituti, interim in caritate, gratia, & meritis poſſent proficere.

VI. His ergo, aliiſque rationibus mixa Eccleſia ſapientiſſime morem induxit præmittendi in Pœnitentiæ Sacramento ſatisfactioni Abſolutionem, meritoque iccirco Alexander Papa VIII. Decreto edito die VII. Decembris anni MDCXC. inter alias propoſitiones hanc ordine XVI. damnavit: *Ordinem præmittendi ſatisfactionem Abſolutioni induxit, non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti Lex, & præſcriptio, natura rei idipſum quodammodo dictante*; itemque alias ſequentes num. XVII. *Per illam praxim mox abſolvendi, ordo pœnitentiæ eſt inverſus*; & num. XVIII. *Conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed abuſu*. Teſte Eſtio, jam longe ante Alexandrum Papam VIII. hunc inter alios Petri Oxomenſis articulum Complutenſis Synodus Sixto IV. Pontifice habita damnavit, non eſſe nempe abſolvendos pœnitentes, niſi peracta prius pœnitentia eis injuncta. Quibus tamen Decretis minime adverſatur Confeſſarius, ſi hodieque veterem diſciplinam de non conferenda Abſolutione, antequam adimpleta ſit ſatisfactio, nonnullis in caſibus obſervet; nonnumquam enim vetus hac in parte diſciplina pœnitentis ſaluti prodeſſe plurimum poteſt. Præterea contingit etiam aliquando, Sacerdotem judicare, quod pœnitens, ſi ſtatim Abſolutione donetur, injunctum ſibi onus executurus non ſit, ac proinde tunc cogi debet, ut illud exequatur, antequam Abſolutionem recipiat. Quæ cum ita ſint, colligimus plane, quod inter alios laudatus Eſtius notavit, nec antiquæ Eccleſiæ conſuetudinem nobis eſſe improbandam, nec eam, quæ poſterius introducta fuit, a praxi veterum, in quibuſdam ſaltem caſibus ſuperius memoratis, prorſus alienam, & proinde utramque, velut ab uno Dei ſpiritu, qui totum Corpus Eccleſiæ ab initio uſque ad finem ſæculi regit, profectam, pro temporum, atque hominum diverſitate convenienter eſſe obſervatam, eamque hodie retinendam eſſe, quam ſapientiſſime hodie retinet, ac probat Eccleſia.

VII. His ita explicatis, venio nunc ad ipſam ſacramentalis Abſolutionis formam in noſtro §. II. expreſſam, de qua ſic loquitur Concilium Tridentinum Seſſione XIV. Cap. III. *Docet præterea Sancta Synodus, Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipſius vis ſita eſt, in illis Miniſtri verbis poſitam eſſe*: Ego te abſolvo &c. *quibus quidem de Eccleſiæ ſanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur, ad ipſius tamen formæ eſſentiam nequaquam ſpectant, neque ad ipſius Sacramenti adminiſtrationem ſunt neceſſariæ*. Idem docet ejuſdem Tridentini Concilii Catechiſmus Parte II. *De Pœnitentiæ Sacramento*, num. XIX. ubi ſic inquit: *Eſt autem forma*, Ego te abſolvo, *quam non ſolum ex illis verbis licet colligere*: Quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cælis; *ſed ex eadem Chriſti Domini doctrina ab Apoſtolis traditam accepimus. At quoniam Sacramenta id ſignificant, quod efficiunt, illa*, Ego te abſolvo, *oſtendunt, peccatorum remiſſionem hujus Sacramenti adminiſtratione effici, planum eſt, hanc eſſe Pœnitentiæ perfectam formam; ſunt enim peccata tanquam vincula, quibus conſtrictæ animæ tenentur, & ex quibus Pœnitentiæ Sacramento laxantur. Quod quidem non minus vere de illo etiam homine Sacerdos pronunciat, qui prius ardentiſſimæ contritionis vi, accedente tamen Confeſſionis voto, peccatorum veniam a Deo conſecutus ſit*. Tum vero num. XX. ſic ſubdit: *Adduntur præterea complures preces, non quidem ad formam neceſſariæ, ſed ut ea removeantur, quæ Sacramenti vim, & efficientiam, illius culpa, cui adminiſtratur, impedire poſſent*.

VIII. Porro quod nec prænomen *Ego*, quod in verbo includitur, neque hæc verba, *a peccatis tuis*, ad eſſentiam formæ ſpectent, illiſque prætermiſſis, rata nihilominus eſſet Abſolutio, quamvis Sacerdos illa prætermittens gravis peccati reus eſſet, Theologi paſſim docent, qui & monent, ea etiam verba, *In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, quamvis uſurpari debeant ex Eccleſiæ uſu, & convenientia ſint ad ſigni-

Digitized by Google

gnificandum, Sacerdotes, non principali, ſed miniſteriali dumtaxat auctoritate, ut Chriſti Miniſtros a peccatis abſolvere, minime tamen eſſentialia eſſe, quia non ſunt determinata ex inſtitutione Chriſti, ſicut in forma Baptiſmi. Quod autem ajunt Theologi, Sacerdotes auctoritate dumtaxat miniſterii peccata remittere, Deum vero & Chriſtum Dominum principali auctoritate, probant egregio illo S. Auguſtini teſtimonio, qui Sermone XCIX. alias Homilia XXIII. inter Homilias L. Cap. IX. ita rem luculentiſſime explicat: *Ut evidentius oſtenderet Dominus, ab Spiritu Sancto, quem donavit Fidelibus ſuis, dimitti peccata, non meritis hominum, quodam loco ſic ait reſurgens a mortuis*: Accipite Spiritum Sanctum; *& cum dixiſſet*, Accipite Spiritum Sanctum, *continuo ſubjecit*: Si cui dimiſeritis peccata, dimittuntur ei; *hoc eſt, Spiritus dimittit, non vos. Spiritus autem Deus eſt; Deus ergo dimittit, non vos. Sed ad Spiritum quid eſtis vos?* Neſcitis, quia Templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis? *Et iterum*: Neſcitis, quia Corpora veſtra Templum a vobis eſt Spiritus Sancti, quem habetis a Deo? *Deus ergo habitat in Templo ſancto ſuo, hoc eſt, in ſanctis ſuis Fidelibus in Eccleſia ſua, per eos dimittit peccata, quia viva Templa ſunt; ſed qui dimittit per hominem, poteſt dimittere & præter hominem*. Probant quoque hoc celebri S. Ambroſii loco Lib. III. *De Spiritu Sancto*, Cap. XVIII. ubi ſic ait: *Homines in remiſſionem peccatorum miniſterium ſuum exhibent, non jus alicujus poteſtatis exercent. Neque enim in ſuo, ſed in Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Nomine peccata dimittunt. Iſti rogant, Divinitas donat. Humanum enim obſequium, ſed munificentia ſupernæ eſt poteſtatis*.

IX. Opportune hic explicari quæſtio illa nunc debet, utrum olim apud Latinos Abſolutio Sacramentalis verbis deprecatoriis expreſſa fuerit. Joannes Morinus inſignis Theologus, & antiquarum rerum Eccleſiaſticarum inveſtigator diligentiſſimus in celebri Opere, *De diſciplina in adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ*, Libro VIII. a Capite VIII. probare nititur, in Eccleſia Latina uſque ad Sæculum XIII. non aliam uſurpatam fuiſſe Abſolutionis formam, niſi deprecativam, ac proinde ex natura ſua Abſolutionis formam tametſi deprecatoriis verbis prolatam, validam eſſe propugnat. Quin & Capite XVIII. num. VIII. aſſerere non dubitat, Concilium Tridentinum ſub illa abbreviatione, *Abſolvo te &c.* intelligere potiſſimum Sanctiſſimæ Trinitatis invocationem, ſcilicet, *In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, quam propterea neceſſariam eſſe judicat in hujus Sacramenti adminiſtratione; immo eam formam deprecativam potius, quam indicativam, dicendam eſſe ait. Nimirum quia illam invocationem adjunctam neceſſariam habet. Suam aſſertionem probat Morinus per plura Capita, tum ex Patribus, tum ex Ritualibus Libris, ſeu Pœnitentialibus, quorum excerpta quamplurima affert Cap. X. & XI. & ad calcem ejuſdem Operis nonnullos Libros Pœnitentiales, ſeu Rituales imprimi curavit, quos ex mſs. Codicibus magno labore exſcripſerat. Eundem uſum pronunciandi formam Abſolutionis verbis deprecatoriis olim obtinuiſſe, & modo etiam obtinere apud Grecos, ex eorundem Euchologiis, ſeu Ritualibus eruit idem Morinus Cap. XII. in quo Petri Arcudii, *De concordia Occidentalis, & Orientalis Eccleſiæ*, Lib. IV. Cap. III. ajentis formam indicativam in uſu eſſe per hæc ſcilicet verba, *Habeo te venia donatum*; vel, *Mea mediocritas* (quam formam Antiſtes Græcos humilitatis cauſa adhibere ait idem Arcudius) *habet te venia donatum*, ſententiam plurimis argumentis confutat, ac explodit.

X. Morinum ſequitur ejus ſodalis Jueninus, fuerunt enim ambo Oratorii Gallicani Domini Jeſu Presbyteri. Sed tamen multi adhuc ſunt Theologi inſignes, qui conſtanter aſſerunt, Abſolutionem deprecatoriam, vel nullam, vel certe dubiam eſſe Sacramenti Pœnitentiæ formam. Pluribus inter alios id probat Natalis Alexander Libro II. *Theologiæ Dogmaticæ, & Moralis*, Capite VII. Articulo I. Propoſitione II. ac inprimis celebri Decreto Eugenii Papæ IV. in Concilio Florentino edito pro Armenorum Inſtructione, itemque auctoritate Concilii Tridentini, in quibus diſerte aſſeritur, formam Sacramenti Pœnitentiæ poſitam eſſe in his verbis: *Ego te abſolvo*, quæ quidem abſoluta ſunt, & non deprecatoria, ut cenſet Morinus. Atque huic ſententiæ, quam hodie præſertim Theologi omnes tenent, ſummopere patrocinatur Chriſti Domini Oraculum, qui quidem, ubi Sacramentum ipſum Pœnitentiæ inſtituit, non dixit: *Quorumcumque ſolutionem petieritis*; ſed, *Quæcumque ſolveritis &c.* Præterea cum memoratum Sacramentum inſtitutum a Chriſto ſit ad modum judicii, uti non uno in loco ſupra oſtendimus, jam non debet Sacerdos Judex ſententiam orando ferre, ſed ex Tribunali, ibidem ſedens, pronunciando, & ſolvendo, vel ligando.

XI. Sed audiamus nunc S. Thomam Theologorum omnium Principem, qui quidem ipſam Abſolutionis formam indicativis verbis exprimentibus Miniſtri actionem, neceſſario proferendam eſſe, diſerte, acriterque docuit in Opuſculo XXII. ubi etiam Capite I. temerariam, & præſumtuoſam appellat adſertionem cujuſdam, quem eo in Opuſculo impugnat, dicentis, non debere a Sacerdote Sacramentum Pœnitentiæ miniſtrante proferri illa verba, *Ego te abſolvo*; additque convenire hujus Sacramenti formæ, ut per ea verba exprimantur, imo & ex verbis Domini Salvatoris noſtri, Matthæi Cap. XVI. colligi, eam eſſe formam debitam abſolvendi, ac proinde neceſſariam eſſe videri ait, ut ea forma utatur Sacerdos Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtrans. Deinde Cap. II. Sanctus Doctor quas pro ſua adſertione attulerat ille, quem impugnat, rationes clariſſime, & more ſuo invicte diſſolvit. Et Cap. III. explicat ſenſum eorum verborum, *Ego te abſolvo*, eſſe hunc, ſcilicet, *Sacramentum, vel miniſterium abſolutionis tibi impendo*. Quæ omnia ſummatim repetit, & confirmat in Summa Theologica, Parte III. Quæſt. LXXXIV. Articulo III. Atque hanc S. Thomæ ſententiam, quæ jam olim communiſſima omnium Theologorum erat, ſuis Decretis confirmarunt Concilia, Florentinum, & Tridentinum, locis ſuperius citatis, uti poſt Eſtium nuperus eruditus Auctor in Notis ad Eſtium ipſum obſervat in IV. Sententiarum, Diſtinctione XV. ad calcem §. IV.

XII. Sancti Thomæ argumenta recenſet citato loco Natalis Alexander, ubi etiam Patrum teſtimonia, quæ pro forma deprecatoria objici ſolent, egregie explicat juxta interpretationem ejuſdem S. Doctoris. Quod enim Patres peccata pre-

precibus Sacerdotum remitti aſſerunt, intelligendos illos ait de oratione, quæ præmittitur Abſolutioni, non vero quod Abſolutionis formula ſit ſimplex oratio. Quod præterea objicitur, antiquos Libros Rituales, & Pœnitentiales, alioſque id genus Codices ante annum milleſimum exaratos nullam aliam Abſolutionis formam exhibere, falſum profecto eſt. Varii enim extant Sacramentorum Libri antiquiſſimi etiam ante annos mille ſcripti, in quibus abſoluta legitur forma Abſolutionis. Certe in pervetuſto Pontificali Egberti Eboracenſis Archiepiſcopi, & in Pontificali Anglicano Monaſterii Gemmeticenſis apud Martene Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Capite VI. Articulo VII. Ordine I. & II. ita legitur ipſa Abſolutionis forma: *Abſolvimus vos vice Beati Petri Apoſtolorum Principis, cui Dominus ligandi, atque ſolvendi poteſtatem dedit, & quantum ad vos pertinet accuſatio, & ad nos remiſſio. Sit vobis Deus Omnipotens vita, & ſalus, & omnium peccatorum veſtrorum indultor.* In citato Pontificali Anglicano ſequuntur ſtatim & hæc alia verba: *Et qui vobis compunctionem cordis dedit, det veniam peccatorum, longævamque vobis, atque felicem vitam in hoc ſæculo largiatur, & in futuro cum Chriſto, & omnibus Sanctis ejus in fine manentem. Per eundem Dominum noſtrum.* Cæterum Theologi, qui abſolutam Abſolutionis formam propugnant, recte notant, formulas illas deprecatorias, quæ ex veteribus Ritualibus proferuntur, jam non ſpectare Sacramentalem Abſolutinnem, ſed Canonicam; unde maxima pars orationum, ſive formularum earundem, hunc titulum inſcriptum habet: *Orationes ad reconciliandos pœnitentes Feria V. in Cœna Domini*, uti videre eſt apud laudatum Martene. Spectant igitur publice pœnitentium reconciliationem, quæ mere cæremonialis eſt, non vero ſacramentalis.

XIII. His ita enarratis, explicandus nunc paulo fuſius eſt illorum verborum ſenſus, *Ego te abſolvo*, quibus Sacerdos jam non declarat, confitenti remiſſa eſſe peccata, ſed ſe illi peccata remittere. Chriſtus enim ſe eam poteſtatem Diſcipulis tradere ſignificavit, quam ipſe a Patre acceperat, uti legitur in Evangelio Joannis Cap. XX. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis &c.* Chriſtus autem Dominus non ſolum declarat, remiſſa eſſe peccata, ſed ea remittit. Sacerdotes igitur, accepta ab eo poteſtate, jam non ſolum peccata eſſe remiſſa declarant, ſed ipſi etiam illa remittunt. Unde S. Leo Magnus Papa in Sermone, *De Transfiguratione*, ſic inquit: *Nec in ſolvendis, aut ligandis quorumcumque cauſis aliud ratum eſſet in Cælis, quam quod Petri ſediſſet arbitrio.* Sed quid opus eſt alios Patres referre, cum perſpicua ſit hanc in rem S. Thomæ doctrina, qui in lectione veterum Patrum fuit apprime verſatus. Sic enim ille Parte III. Quæſtione LXXX. Articulo III. ad V. *Iſta expoſitio*, Ego te abſolvo, *ideſt, abſolutum oſtendo, quantum ad aliquid quidem vera eſt, non tamen perfecta. Sacramenta enim Novæ Legis non ſolum ſignificant, ſed etiam faciunt, quod ſignificant. Unde ſicut Sacerdos baptizando aliquem, oſtendit hominem ablutum per verba, & facta, & non ſolum ſignificative, ſed etiam effective; ita etiam cum dicis*, Ego te abſolvo, *oſtendis hominem abſolutum non ſolum ſignificative, ſed etiam effective. Nec tamen loquitur quaſi de re incerta; quia ſicut alia Sacramenta Novæ Legis habent de ſe certum effectum ex virtute Paſſionis Chriſti, licet poſſit impediri ex parte recipientis; ita & in hoc Sacramento. Unde S. Auguſtinus dicit, Lib. II.* De adulterinis conjugiis, *Cap.* IX. Non eſt turpis, nec difficilis poſt patrata, & purgata adulteria reconciliatio conjugii, ubi per Claves Regni Cælorum non dubitatur fieri remiſſio peccatorum. *Unde nec Sacerdos indiget ſpeciali revelatione ſibi facta, ſed ſufficit generalis revelatio Fidei, per quam remittuntur peccata. Eſſet autem perfectior expoſitio*, Ego te abſolvo; *ideſt Sacramentum abſolutionis tibi impendo.*

XIV. Veterum Patrum, atque inſignium Theologorum doctrinam ſequuta Synodus Tridentina definiit tandem Seſſione XIV. *De Pœnitentia*, Can. IX. ut, *ſiquis dixerit, Abſolutionem Sacramentalem Sacerdotis, non eſſe actum judicialem, ſed nudum miniſterium pronunciandi, & declarandi, remiſſa eſſe peccata confitenti, modo tantum credat, ſe eſſe abſolutum .... anathema ſit.* Idem confirmat ejuſdem Concilii Catechiſmus, Parte II. *De Pœnitentiæ Sacramento*, num. XXI. ex Sacerdotum Novæ Legis excellentia ſupra Sacerdotes Veteris Legis: *Neque enim*, inquit, *ut in Veteri Lege Sacerdotes teſtimonio ſuo aliquem a lepra liberatum eſſe dumtaxat renuntiabant; ita nunc in Eccleſia ea tantum poteſtas Sacerdotibus facta eſt, ut aliquem a peccatis abſolutum eſſe declarent, ſed vere tanquam Dei Miniſtri abſolvunt; id quod Deus ipſe gratiæ, & juſtitiæ Auctor, ac Parens efficit.* Atque huc facit, quod ait S. Joannes Chryſoſtomus Lib. III. *De Sacerdotio*, Cap. V. juxta noſtrum hujus Operis cum Notis editionem: *Corporis lepram purgare, ſeu verius dicam, haud purgare quidem, ſed purgatos probare, Judæorum Sacerdotibus ſolis licebat.* Et paulo poſt: *At vero noſtris Sacerdotibus, non corporis lepram, verum animæ ſordes, non dico purgatas probare, ſed purgare prorſus conceſſum eſt.* Cæterum, quod verba ipſa, *Ego te abſolvo*, Catholico, quem expoſuimus, ſenſu intellecta, *non minus vere de illo etiam homine Sacerdos pronunciat, qui prius ardentiſſimæ contritionis vi, accedente tamen Confeſſionis voto, peccatorum veniam conſequutus ſit*, ex laudato Concilii Tridentini Catechiſmo ſuperius diximus. Contritio enim perfecta non delet peccata, aut remittit, niſi in ordine ad Eccleſiæ Claves, & ad Sacramentum, quod his verbis, *Ego te abſolvo*, perficitur, & exhibetur. Quæ quidem verba tam ex Chriſti inſtitutione, quam ex Eccleſiæ, & Miniſtri intentione ſignificant effectum, quem Sacramentum per ſe operatur, ſi aliunde nihil obſtet, ut recte poſt alios obſervat Natalis Alexander citato Libro II. Cap. VII. Articulo II. Propoſitione unica. Quamobrem a S. Pio Papa V. merito damnati ſunt duo illi Michaelis Baji Articuli LIV. & LV. quorum primus ſic habet: *Abſolutione Sacerdotis proprie reatus peccati dumtaxat tollitur, & miniſterium Sacerdotis ſolum liberat a reatu.* Alter vero ita inquit: *Peccator pœnitens non vivificatur miniſterio Sacerdotis abſolventis, ſed a ſolo Deo, qui pœnitentiam ſuggerens, & inſpirans, vivificat eum, & reſuſcitat; miniſterio autem Sacerdotis ſolus reatus tollitur.*

XV. Reliquum eſt, ut alia quædam notemus,

quæ

quæ formulam ipſam Abſolutionis, ejuſque varietatem, ac ritus ſpectant. Et primo quidem jam non eadem omnes Eccleſiæ ante Rituale Romanum, quod nos explicamus, formula utebantur. Ut enim alias omittam, in Eccleſia, & Provincia Beneventana ex præſcripto Concilii Provincialis VI. Beneventani anni MCCCLXXIV. Titulo VI. Cap. X. jubetur Sacerdos, ut *ponens manus ſuper caput ipſius*, ideſt, pœnitentis, *dicat*: Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, pius, & miſericors Dominus. Et ego te abſolvo auctoritate Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & officii mihi commiſſi ab iis peccatis, quæ mihi confeſſus es, & aliis oblitis &c. *Item dicat illi, quod ſi reduceret ad memoriam aliqua alia peccata, quæ non fuerat confeſſus, poſtea rediret ad eum, & confiteretur.* In Eccleſia Romana, aliiſque plurimis, ut docet nos Sacerdotale Romanum Venetiis editum anno MDLXVII. Parte I. Tractatu III. Cap. XXI. prolixior hæc formula adhibebatur: *Miſereatur tui Omnipotens Deus, & donet tibi veniam, & indulgentiam, & remiſſionem omnium peccatorum tuorum, liberet te ab omni malo, ſalvet, & confirmet in omni opere bono, & perducat te Chriſtus Filius Dei vivi in vitam æternam. Amen. Per iſtam veram, & puram Confeſſionem, quam mihi modo quamvis peccatori Sacerdoti feciſti, abſolvat te Omnipotens Deus ab omnibus judiciis, quæ tibi pro peccatis tuis debentur, ſecundum magnam miſericordiam ſuam, & parcat, ac remittat, & deleat omnia peccata tua, & perducat te in vitam æternam. Amen. Filius Dei per ſuam piiſſimam miſericordiam te abſolvat, & auctoritate ejus, qua fungor, ego abſolvo te ab omnibus peccatis tuis mihi modo confeſſis, & ab omnibus aliis, quorum memoriam non habes, ut ſis abſolutus hic, & ante Tribunal ejuſdem Dei, & Domini noſtri Jeſu Chriſti, habeaſque vitam æternam, & vivas in ſæcula ſæculorum. Amen. In Nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti. Amen. Paſſio ejuſdem Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti, & merita Beatæ Mariæ ſemper Virginis, & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & omnium Sanctorum, & Sanctarum Dei, & quidquid boni feceris, & intendis facere, & mala, quæ pateris, & patienter ſuſtinebis, ſint tibi in remiſſionem peccatorum tuorum, in augmentum gratiæ, & in præmium vitæ æternæ. In Nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti. Amen. Vade in pace, & amplius noli peccare.* Atque hæc, aliæque id genus prolixiores Abſolutionis formulæ, in uſu quidem fuerunt, ut ego autumo, quum Fidelium Confeſſiones rariores eſſent. Nam noſtro hoc ævo tanta eſt Confeſſionum frequentia in quibuſdam præſertim ſolemnitatibus, ut opus ſit breviori formula uti juxta noſtri hujus Ritualis Romani præſcriptum in ſequenti §. IV.

XVI. Recte autem & illud cautum eſt ex eodem Sacerdotali Romano, citato loco, Cap. XXI. quod alias ſupra notatum eſt, & conſtat ex formula Abſolutionis in §. II. expreſſa, ut Sacerdos ſcilicet pœnitentem abſolvens a peccatis, prius debeat ipſum abſolvere a Cenſuris ſaltem ad cautelam. Atque hæc eſt vetus probataque Eccleſiæ diſciplina, ut Abſolutioni peccatorum præmittatur Abſolutio a Cenſuris, a jure ſcilicet latis, non reſervatis; diciturque hæc Abſolutio ad cautelam, quæ etiam non petenti, neque de aliqua a ſe contracta Cenſura hæſitanti, aut ſuſpicanti impenditur; & ſemper ſolet præmitti Abſolutioni a peccatis, ne alias iſta Abſolutio, propter Cenſuram a pœnitente contractam, invaliditatis periculo exponatur. Hinc ſimili pariter modo omnibus Reſcriptis, Bullis, Privilegiiſque Apoſtolicis conſuevit eadem Abſolutio inſeri ſub hac formula: *Te ab omni vinculo excommunicationis, quod incurriſti, abſolventes, vel abſolutum fore cenſentes.* Ut nimirum hac mediante Abſolutione, effectum ipſius Privilegii, vel alterius Gratiæ conceſſæ poſſit conſequi, non obſtante excommunicatione, ſi quam incurriſſe potuiſſet. Unde & additur: *Ad effectum præſentium literarum dumtaxat conſequendum, & non alias.* Porro in Abſolutione Sacramentali, ait quidem Sacerdos, cum Clericum abſolvit, *te abſolvo ab omni vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti*; ſed tamen, ut recte in noſtro §. III. ſtatuitur, *ſi pœnitens ſit laicus, omittitur verbum ſuſpenſionis*. Quia ſcilicet ſuſpenſio eſt Cenſura Eccleſiaſtica, qua perſonæ Eccleſiaſticæ interdicitur exercitium ſui officii, vel beneficii, vel utriuſque ſimul, ut docent paſſim Thologi.

XVII. Longum eſſet varias, quæ olim in uſu erant, Abſolutionum, & a Cenſuris, & a peccatis formulas hic recenſere. Illud plane diligenter hodie ab omnibus Sacramenti Pœnitentiæ Miniſtris obſervandum eſt, ut in ejus adminiſtratione minime a præſcripto Romani hujus Ritualis a Paulo Papa V. & noviſſime a BENEDICTO XIV. probato recedant, atque inprimis abſtineant ab additionibus ſuperfluis, ineptis, vitioſis, aut errori occaſionem præbentibus, ut ſcite docet Eſtius in IV. Sententiarum, Diſtinctione XV. §. III. ubi etiam alia ſcitu digna tradit ab ipſis Miniſtris in recitanda formula Abſolutionis cavenda. Quibus adde & ea, quæ docet Natalis Alexander citato ſuperius loco, Capite VII. Articulo III. Regula II. ubi etiam varias Abſolutionis formulas refert, ac præſertim illam a Sancto Carolo in Inſtructionibus, *De Sacramento Pœnitentiæ*, præſcriptam. Sane in id omnes Theologi conveniunt, quod alias Synodus Tridentina docuit, præcipuam Abſolutionis vim ſitam eſſe in illis Miniſtri verbis, *te abſolvo*; verbaque illa, *a peccatis tuis*, invocationem diſtinctam trium Perſonarum Sanctiſſimæ Trinitatis, ſicut & alias preces, quæ ante, & poſt Abſolutionem proferri ſolent, neceſſarias eſſe neceſſitate præcepti, non autem Sacramenti. Neque enim obſtat, quod laudata Synodus Tridentina in recenſenda Abſolutionis forma, poſt ea verba, *Ego te abſolvo*, addiderit, *& cætera*. Nam id plane fecit, *ad indicandum, ſe de hujuſmodi quæſtiunculis definire nolle, ſed eas doctis diſputandas relinquere*; ut idem Eſtius opportune obſervat loco prædicto.

XVIII. Enarrandi nunc alii ſunt ritus in noſtro II. §. præſcripti, qui neque ad hujus Sacramenti neceſſitatem pertinent, quales ſunt elevatio manus dexteræ Sacerdotis, dum dicit, *Indulgentiam, abſolutionem &c.* & efformatio ſigni Crucis ſuper eundem, dum poſt ipſam Abſolutionem a peccatis, dicit: *In Nomine Patris* ✠ *&c.* Ad primum quod attinet, occurrit ille paſſim in antiquis Sacramentorum Codicibus, relatis a Martene Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. VI. Articulo VII. Ordine III. & aliis qui-

quibuſdam ſequentibus; eumque confirmat Sanctus Carolus in Concilio Provinciali Mediolanenſi v. Capite inſcripto, *Quæ ad Pœnitentiæ Sacramentum pertinent*, ubi ſic inter alia inquit: *Quod in Eccleſia antiqui inſtituti, veteriſque conſuetudinis eſt, recte omnino ſervet*, Confeſſarius ſcilicet, *ut dum Abſolutionis formulam, preceſque adjunctas profert, ſuper caput pœnitentis manum dexteram elevet, idque etiam cum myſterii ſignificatione fit.* Poſtquam nova Confeſſionalis Sedis forma introducta eſt duobus nempe circiter ab hinc ſæculis, ut ſcilicet a latere utroque intecta ſit, interjecta feneſtella in medio tabulæ utriuſque lateris, eidemque lamina ferrea plena foraminum affixa, per quam a Sacerdote pœnitentes audiuntur, introducta eſt ipſa elevatio manus in locum impoſitionis manus, quæ quidem ex pervetuſta Eccleſiæ diſciplina, ab ipſis, ut probabile eſt, Apoſtolis tradita, ſuper pœnitentes, quum reconciliabantur, fiebat; adeo ut ob eam cauſam Sacramentum, quod nos Pœnitentiæ appellamus, a veteribus aliquando vocetur *manus impoſitio*, vel *Sacramentum manus impoſitionis*. Quicquid ſit, ritum ipſum, ſive elevandæ manus ſuper pœnitentem, ut eſt diſciplina recentior, ſive manus imponendæ, ut erat antiquior diſciplina, tametſi ad Sacramenti neceſſitatem minime pertineat, ſervandum tamen & Rituales antiqui Codices, & Synodi etiam multæ præſcribunt, inter quas citata ſuperius Beneventana Synodus vi. Provincialis Cap. x. in fine ſic inquit: *Licet quidam dicant, in Sacramento Pœnitentiæ non eſſe neceſſariam manus impoſitionem, quia non eſt ordinatum ad conſequendam aliquam excellentiam gratiæ, ſed remiſſionem peccatorum, & ut aſſerunt, magis competeret Crucis ſignatio, quia per Sanguinem Chriſti remittuntur peccata, utrumque tamen fieri judicamus; & ſic nos obſervamus etiam quandoque, cum virga pœnitentem percutiendo, maxime abſolvendo excommunicatos.*

XIX. Siquis autem hic quærat, quæ ſit cæremoniæ impoſitionis manus ratio? Reſpondeo cum Eſtio citato loco §. v. rationem ejus indicari ab Auguſtino Lib. iii. contra Donatiſtas, Capite xvi. dicente: *Quid eſt aliud manus impoſitio, quam oratio ſupra hominem?* Quibus verbis vult Auguſtinus, manus impoſitionem eſſe cæremoniam externam, qua is, qui utitur, ſignificat, ſe orare, benedicere, bene precari, vel apud Deum intercedere pro eo, cui manum, vel manus imponit. Eſt igitur oratio, non vocalis, ſed, ut ita dicam, cæremonialis, cum vocali tamen, vel ſaltem mentali oratione, ſeu benedictione conjuncta. Id autem ſignificari hoc nomine, vel ex Sacris Literis oſtenditur, ut Matthæi Cap. ix. & xix. Marci vi. vii. & ultimo, Actorum Apoſtolorum ix. & ultimo. Quæ loca, & ſimilia eam, quam diximus acceptionem manus impoſitionis requirunt. Quæ & dum in Sacramenti adminiſtratione adhibetur, ut in Confirmatione, Reconciliatione, & Ordinatione, ideo adhibetur, ut per eam ſignificet Epiſcopus, vel Sacerdos, ſe ad impetrandum effectum Sacramenti, etiam propriam orationem, deſiderium, ac pium affectum adjungere. Quod quidem in Reconciliationis Sacramento fit etiam expreſſis verbis, cum ex præſcripto noſtri §. II. dicit Sacerdos: *Indulgentiam, abſolutionem &c.* Nihil enim vetat, ad conſequenda ea, quæ ex Divina promiſſione per Sacramenta, vel aliter certo expectamus, noſtras etiam Orationes præmitti, ſive adjungi; ſicut & Chriſtum feciſſe conſtat, & in Canone Miſſæ ante Conſecrationem Euchariſtiæ, ac multis aliis facit Eccleſia. Et hæc quidem de manus impoſitione ſuper caput abſolvendi pœnitentis olim fieri ſolita, in cujus locum, ut ſuperius adnotavimus, elevatio manus Sacerdotis ſuper ejuſdem pœnitentis caput facienda ſucceſſit, ſatis ſint.

XX. Quod vero ſpectat alium ritum, ſicut in aliis Sacramentis, ita & in iſto Pœnitentiæ, ſignum Crucis manu efformat Sacerdos, ad deſignandum cujus merito fiat peccatorum remiſſio, videlicet Chriſti Crucifixi. Nam & ea vetuſtiſſima eſt Eccleſiæ conſuetudo omnibus Sacramentis, aliiſque myſticis actionibus ſignum Crucis adhibere, quemadmodum teſtatur S. Auguſtinus Tractatu cxviii. in Joannem. Porro quamvis hominem impœnitentem abſolvere non liceat, debet tamen Sacerdos, ſiquem impœnitentem cogitur a ſe dimittere, præſertim aliis præſentibus, dictas externas cæremonias, manus ſcilicet impoſitionis, ſeu elevationis, & ſigni Crucis etiam tunc adhibere, ne harum cæremoniarum omiſſio ſit impœnitentis animi proditio, & negatæ Abſolutionis indicium. Idque dicendum de eo, cujus abſolvendi poteſtatem, ob caſum aliquem reſervatum, non habet, vel cujus Abſolutionem quacumque ex cauſa differt in aliud tempus. Neque vero hic ulla ſimulatio eſt, quia, ut ex Auguſtino diximus, manus impoſitio non eſt aliud, quam Oratio ſuper hominem. Quare ſicut pro impœnitente, vel alio quocumque peccatore, voce, & mente orare poteſt Sacerdos, ita & ſigno externo, dum tamen abſtineat a proferenda forma Abſolutionis, vel aliis verbis Abſolutionem, ſeu remiſſionem præſentem, vel reconciliationem aliquo modo ſignificantibus, ſed tantum precetur Deum pro peccatore, ut cor ejus illuminet, & ad veram pœnitentiam eum perducat.

XXI. Unum adhuc reſtat, quod hic præteriri nequaquam debet, adverbium nempe illud, *deinde*, quod eodem charactere exaratum Abſolutioni peccatorum immediate præmittitur, ut in noſtro §. II. videre eſt, recitandum eſſe cum ipſa Abſolutione, velut ejuſdem contextum. Non enim ad Rubricam ſpectat, ut inter alios putavit, acriterque probare conatus eſt Vir alioqui eruditus Pompejus Sarnellus Vigiliarum Epiſcopus Tomo iv. Literarum Eccleſiaſticarum, Epiſtola xlviii. Præmittitur ſane illud *deinde* peccatorum Abſolutioni, quia ſcilicet, ut ſæpe admonuimus, primo confitens abſolvendus eſt a Cenſuris, & deinde a peccatis. Recitandum autem ipſum *deinde* cum ipſa peccatorum Abſolutione, docet etiam S. Carolus in rebus Eccleſiaſticis apprime verſatus, ubi ſcilicet in Inſtructionibus, *De Sacramento Pœnitentiæ*, formulam Abſolutionis deſcribit, quam cenſui integram hoc loco referre, quod in ea nonnulli alii recenſentur ritus in noſtris Paragraphis prætermiſſi, qualis eſt ille præſertim aperiendi, ac tegendi capitis, dum Abſolutionis formula pronunciatur. Hæc ejus verba: *Pœnitentiam Confeſſarius imponit, remedia peccatorum tradit; mox, ſi tunc abſolvendus eſt, dicit primo diſtinctis verbis, ut a pœnitente audiatur, capite aperto, & manibus junctis:* Miſereatur tui Omnipotens Deus, & dimiſſis omnibus peccatis tuis, perducat te ad vi-

tam æternam. *Pœnitens reſpondet* : Amen. *Deinde ſignum Crucis dextra formans verſus pœnitentem, dicit* : Indulgentiam, abſolutionem ✠, & remiſſionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, & miſericors Dominus. *Pœnitens reſpondet* : Amen. *Deinde caput operit, manu dextra ſupra caput pœnitentis elevata, & extenta, abſolvit hac formula ; & dum dicit* : In Nomine Patris &c. *Crucis ſignum dextera format verſus pœnitentem* : Dominus noſter Jeſus Chriſtus te abſolvat, & ego auctoritate ipſius, qua fungor, abſolvo te ab omni vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis, & Interdicti, ſi quod incurriſti, quantum ego poſſum, & tu indiges. Deinde ego te abſolvo a peccatis tuis in Nomine Patris ✠, & Filii, & Spiritus Sancti. *Tum Sacerdos capite aperto, & manibus junctis, dicit* : Paſſio Domini noſtri Jeſu Chriſti, merita Beatæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, & quicquid boni feceris, & mali ſuſtinueris, ſint tibi in remiſſionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. *Pœnitens reſpondet* : Amen. *Et Confeſſarius, dicit* : Vade in pace, & noli amplius peccare.

XXII. Hactenus formula, & ritus Abſolutionis a S. Carolo præſcripti. Verum jam dixi, iterumque ajo, ſervandam eſſe ad literam uſque formulam in noſtro Romano Rituali præſcriptam. Cæterum non addubito, quin aperiendum, tegendumve ſit caput a Confeſſario, dum formulam profert juxta S. Caroli monitum, licet nihil de ea cæremonia in noſtris Paragraphis habeatur expreſſum. Decet enim quammaxime, ut cum verba in modum orationis profert Sacerdos, ſit capite aperto, tecto autem cum Judicis inſtar ſententiam Abſolutionis pronunciat.

§. IV.

In Confeſſionibus autem frequentioribus, & brevioribus omitti poteſt, *Miſereatur &c.* Satis erit dicere : *Dominus noſter Jeſus Chriſtus &c.* ut ſupra uſque ad illud, *Paſſio Domini noſtri &c.*

COMMENTARIUS.

I. Quamquam brevis ſit Abſolutionis formula ſupra in §. I. II. & III. præſcripta, & late a nobis in Commentario præcedenti explicata, fieri adhuc brevior poteſt in Confeſſionibus frequentioribus, & brevioribus, in quibus, ut ait præſens §. omitti poteſt, *Miſereatur &c.* ſatiſque erit dicere, *Dominus noſter Jeſus Chriſtus &c.* ut ſupra uſque ad illud, *Paſſio Domini noſtri &c.* quia ſcilicet preces ipſæ licet de more Eccleſiæ Abſolutioni adjungantur, *ad ipſius tamen formæ eſſentiam nequaquam ſpectant, neque ad ipſius Sacramenti adminiſtrationem ſunt neceſſariæ*, ut docet Synodus Tridentina Seſſione XIV. Capite III. Porro tantus eſt hodie in quibuſdam ſolemnitatibus Fidelium pœnitentium ad Confeſſarios concurſus, ut vel ſummo mane ad meridiem uſque in Confeſſionali ſedentes, vix omnium valeant Confeſſiones excipere, oportuitque iccirco, ut noſter §. illis permitteret, ut breviori uti formula poſſint, ea ſcilicet, quam hic idem §. præſcribit. Cæterum frequentiores, brevioreſque Confeſſiones, de quibus loqui mihi videor, ſunt illæ piorum hominum, qui fere quotidie levia quædam peccata confiteri ſolent, & in hujuſmodi quidem Confeſſionibus, ſicut in illis magni concurſus adhiberi brevior formula poteſt in §. noſtro præſcripta.

II. Opportune hic tandem Confeſſarium admonendum cenſeo, ut omnino caveat ab ea quorundam Caſuiſtarum opinione, qui non ſunt veriti aſſerere, ob ipſam magni concurſus rationem, poſſe Confeſſarium dimidiate tantum confeſſos abſolvere. Proſcripta hæc enim propoſitio fuit a ſanctæ memoriæ Innocentio Papa XI. ubi in Decreto edito die II. Martii MDCLXXVII. inter alias portentoſas Caſuiſtarum Propoſitiones hanc damnavit num. 59. *Licet ſacramentaliter abſolvere dimidiate tantum confeſſos ratione magni concurſus pœnitentium, qualis verbi gratia poteſt contingere in die magno alicujus Feſtivitatis, aut Indulgentiæ.*

§. V.

Urgente vero aliqua gravi neceſſitate in periculo mortis breviter dicere poterit : *Ego te abſolvo ab omnibus cenſuris, & peccatis, in Nomine Patris ✠, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Ob eandem rationem, quam memorata toties Tridentina Synodus docet, quod nempe preces, quæ Abſolutioni adjunguntur, ad ipſius eſſentiam nequaquam ſpectent, recte ſtatuit hic noſter §. urgente aliqua gravi neceſſitate in periculo mortis, poſſe Sacerdotem hac uti breviſſima Abſolutionis formula, *Ego te abſolvo ab omnibus cenſuris, & peccatis, in Nomine Patris ✠, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Atque hæc eſt ea formula, quæ, ubi urget mortis periculum, adhiberi a Sacerdote poteſt, non autem in Confeſſionibus magni concurſus, quotidianiſve, extra mortis periculum fieri ſolitis ; corrigendique iccirco ſunt Confeſſarii nonnulli, qui in omnibus Confeſſionibus, quas excipiunt, hac breviſſima formula utuntur. Quod quidem eſt contra id, quod præſcribit hic noſter §. qui urgente tantum gravi neceſſitate in periculo mortis breviſſimam Abſolutionis formulam permittit.

CA-

CAPUT III.

De Abſolutione ab excommunicatione in Foro exteriori.

I. QUamquam quiſque Confeſſarius poſſit a Cenſuris abſolvere in Foro interno, ſi ipſæ nimirum, aut a Jure, aut ab homine latæ, non ſint Superioribus reſervatæ, non poteſt tamen in Foro exterinri, ſine ſpeciali Superioris maudato. Atque hæc eſt praxis, quæ a Sæculo XII. invaluit, neque enim tnto Sæculorum XI. curriculn Forum externum ab interno, ſeu Sacrameutali diajungebatur, ſed hoc illi arcto viuculo connectebatur, ſive potius qnicquid iu Foro externo agebatur, ad Forum internum Sacramenti Pœnitentiæ referebatur, uti oſtendit doctiſſimns Mnrinus, *De diſciplina in adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ*, Lib. I. Capite X. *Nec erat alins*, inquit, *qui excommunicationcm, alins qui peccata ſolverct, ad quem ſoluta excommanicatione peccator eſſet remittendns; nec erat aliud Tribunal, in quo excommunicaudus, vel excommanicatns judicabatur, aliud in qu o pœuitens, excommunicatione ſoluta; ſed unus & idem bomo, Epiſcopus ſcilicet, vel Presbyter, unius ejuſdemque Tribunalis Præſcs id præſtabat*. Hæc Morinus citato Cap. X. uum. I. qui etiam addit num. II. uihil hactenua a ſe inventum, quod probet, ante Sæculum XII. Forum externum ab lnterno ſuiſſe ſeparatum, aut Judicem peculiarem excommuuicatinnis ſolvendæ, alium culpæ eluendæ deſtiuatum fuiſſe. Sed his omiſſis, de quibus alias late diſſerit laudatua Moriuus, ex quo uonuulla etiam recenſuit Van-eſpen Parte III. *Juris Eccleſiaſtici univerſi*, Titulo IV. Cap. I. explicanda ea nobis ſuut quæ iu præſenti Capite de Abſolutioue excommunicatiouis in Foro exteriori ſtatuuntur, præſertim vero ritus iu ipſa Abſolutione ſervandi, qui fere iidem ſunt, ac illi Parte III. Romani Pontificalia Tituln XVII. præſcripti, quos nos alias fuſe enarravimus iu uoſtris ad euudem Titulum Commentariis; unde nnn mirum vidcri debet, ſi aliqua ex monumentis ibidem allatis hic repetamus.

§. I.

Si poteſtas abſolvendi ab excommunicationis ſententia Sacerdoti commiſſa fuerit a Superiore, & in Mandato certa forma ſit præſcripta, illa omnino ſervanda eſt; ſi vero in mandato, ſeu Commiſſione dicitur: *In forma Eccleſiæ conſueta abſolvat*, hæc ſervanda ſunt.

§. II.

Primo, ut excommunicatus ei, ob cujus offenſam in excommunicationem incurrit, prius, ſi poteſt, ſatisfaciat. Quod ſi tunc non poſſit, ſufficientem cautionem præbeat, aut ſaltem, ſi eam præſtare non poteſt, juret, ſe, cum primum poterit, ſatisfacturum.

COMMENTARIUS.

I. NEminem poſſe Maudati fines excedere, utrumque Jus, Civile, & Canonicum ſtatuit. Hinc merito cautum eſt ex noſtro §. I. ut, ſi puteſtaa abſnlveudi ab excommunicatinnis ſententia Sacerdoti commiſſa fuerit a Superiore, & in Maudato certa forma ſit præſcripta, illa omniuo ſervari debeat; ſi vero in Mandato, ſeu Commiſſione dicitur: *In forma Eccleſiæ conſueta*, ſervari opnrtet, primo quidem, qund in §. noſtro II. ſtatuitur, ut excnmmunicatus ſcilicet ei, ob cujus nffenſam in excnmmunicationem incurrit, prius, ſi poteſt, ſatisſaciat. Atque hæc eſt regula, quam præſcripſit Romauum Pontificale Parte III. in en Tituln, qui inſcriptus eſt, *Ordo excommunicandi, & abſolvendi*, ubi ſic iuter alia iuquit: *Si propter maniſeſtam offenſam excommunicatus ſit, ante omnia ſatisfaciat competenter*, parti ſcilicet læſæ, uti edicitur iu Capite, *Porro* VII. & Capite, *Paroecianus* IX. *De ſententia excommunicationis*. Ubi nota præſtandam quidem ab excommuuicato, qui Abſolutionem petit, pro uotoria, & manifeſta offenſa, competentem, ſeu congruam ſatiaſactinnem juxta proprias facultates. Neque enim excommuuicatus abſolvi debet, niſi prius ſatisfaciat, ſi poteſt; uam alias, ut ex ſacria Cannuibus mandat idem noſter §. II. *ſi tunc non poſſit. ſufficientem cautionem præbeat*, pignnratitiam ſcilicet, val fidejuſſoriam de ſatisfaciendo, ſi venerit ad pinguinrem fortunam, ut habetur in Capite, *Odoardus* III. *De ſolutionibus*. Ceterum recte ſubjicit noſter §. ut ſi cautionem ſufficientem præſtare nequeat, *ſaltem juret, ſe, cum primum poterit, ſatisfacturum*. Sufficere enim juratoriam cautionem, ubi alia magis idonea, qualis eſt pignnratitia, ſeu fidejuſſoria præberi non pnſſit, ex utroque Jnre addiſcere licet. Qund autem quidam docent, talem excommunicatnm ad petitionem adverſarii, cedere bonis teueri, id verum intelligi poſſet in Fnro ſolum contentioſo; in Forn enim Pœnitentiæ ſufficit, ſi reſtituat, ſatisſaciatve eo modo, quo poteſt.

§. III.

Secundo, ſi crimen, ob quod in excommunicationem incidit, ſit grave, juramentum ab eo exigatur de parendo mandatis Eccleſiæ, quæ illi fient pro tali cauſa; ac præ-

cipue

cipue ne deinceps delinquat contra illum Canonem, vel Decretum, contra quod faciendo, Cenſuram incurrit.

COMMENTARIUS.

I. Cautum id quoque & ex Sacris Canonibus eſt, ut qui ab excommunicatione, ſive a Canone, ſive ab homine lata Abſolutionem petit, expreſſe juret parere Eccleſiæ mandatis. Sic enim in Capite, *Ex tenore* x. *De ſententia excommunicationis*, Alexander Papa III. Archiepiſcopo Gennenſi reſcribit, qui ipſum rogabat pro Abſolutione cujuſdam Canonici, qui in Subdiaconum manus violentas injecerat: *Mandamus itaque, quatenus recepto ab eo juramento, quod tuo debeat mandato parere, ipſum vice noſtra a ſententia, qua tenetur, abſolvas, ſibique in virtute juramenti præcipias, ne de cætero in Clericum, vel Monachum, vel alicujus Religionis Converſum manus injiciat violentas*. Ubi nota I. præmittendum juramentum de parendo mandatis Eccleſiæ, vel ipſius Sacerdotis abſolventis, quando crimen, propter quod lata fuit in aliquem excommunicatio, horrendum, & grave eſſet, uti paſſim docent citati Capitis Interpretes. II. confirmari, quod ait hic noſter §. præcipuum mandatum, quod illi fiet pro tali cauſa eſſe, *ne deinceps delinquat contra illum Canonem, vel Decretum, contra quod faciendo, Cenſuram incurrit*. An de ſubſtantia Abſolutionis ſit hujuſmodi juramentum, tametſi affirmet Hoſtienſis, contrarium tamen alii tenent, ut nimirum teneat Abſolutio, ſi illud omittatur. Teſtatur id quidem Silveſter in Summa, verbo, *Abſolutio*, III. num. 3. ubi etiam non modo varios Doctores recenſet, verum etiam Textum in Capite, *Cum deſideres*, xv. *De ſententia excommunicationis*, ubi Clemens Papa III. expreſſe inquit, *cautionem juratoriam, quam hodie, qui excommunicati ſunt, præſtant, potius ad cautelam ex conſuetudine Eccleſiæ, quam rigore Canonum eſſe introductam*. Idem addiſcimus ex aliis Decretalibus Romanorum Pontificum, ex quibus etiam docemur, quod, licet ipſum juramentum ad ſubſtantiam Abſolutionis minime requiratur, temere autem non debet omitti, etiamſi mulieres excommunicatæ Abſolutionem peterent, nam illæ quoque indubitanter jurare deberent, uti docet laudatus Silveſter, qui etiam, quantum ad pueros attinet, relinquendum eſſe juramentum arbitrio Epiſcopi ait.

§. IV.

Denique hunc abſolvendi ritum obſervabit. Pœnitentem coram ſe utroque genu flexo, in humero, ſi vir fuerit, uſque ad camiſiam excluſive denudato, virga, aut funiculis, ſedens leviter percutit, dicendo totum Pſalmum, *Miſerere mei Deus &c.* cum *Gloria Patri &c.*

§. V.

Deinde ſurgit, & aperto capite dicit, *Kyrie eleiſon*, *Chriſte eleiſon*, *Kyrie eleiſon*. *Pater noſter*. ℣. *Et ne nos inducas in tentationem*. ℟. *Sed libera nos a malo*. ℣. *Salvum fac ſervum tuum* (vel *ancillam tuam*) ℟. *Deus meus ſperantem in te*. ℣. *Nihil proficiat inimicus in eo*, (vel *in ea*) ℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei*. ℣. *Eſto ei Domine turris fortitudinis*. ℟. *A facie inimici*. ℣. *Domine exaudi orationem meam*. ℟. *Et clamor meus ad te veniat*. ℣. *Dominus vobiſcum*. ℟. *Et cum ſpiritu tuo*. *Oremus*.

Deus, cui proprium eſt, miſereri ſemper, & parcere, ſuſcipe deprecationem noſtram, ut hunc famulum tuum, quem excommunicationis ſententia conſtringit, miſeratio tuæ pietatis clementer abſolvat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen*.

§. VI.

Mox ſedet, & cooperto capite, dicit: *Dominus noſter Jeſus Chriſtus te abſolvat, & ego auctoritate ipſius, & Sanctiſſimi noſtri Papæ* (vel *Reverendiſſimi Epiſcopi* N. (vel talis *Superioris*) *mihi commiſſa abſolvo te a vinculo excommunicationis, in quam incurriſti*, (vel *incurriſſe declaratus es*) *propter tale factum*, vel *cauſam &c. Et reſtituo te communioni, & unitati Fidelium, & Sanctis Sacramentis Eccleſiæ, in Nomine Patris* ✠, *& Filii, & Spiritus Sancti*.

COMMENTARIUS.

I. Ritus antiquus eſt, ut ii, qui ab excommunicatione abſolvendi ſunt, jam non modo genuflexi, verum etiam proſtrati, ac nudis pedibus Abſolutionem peterent. Inter alia ejus rei exempla celeberrimum eſt, quod de Henrico IV. Imperatore a Gregorio Pa-

pa VII. excommunicato, & deinde abſoluto narrat idem Pontifex in quadam Epiſtola in Chronico Hugonis Flaviniacenſis relata, hiſce verbis: *Tandem per ſemetipſum nihil hoſtile, aut temerarium oſtentans, ad Oppidum Canaſi, in quo morati ſumus, advenit; ibique per triduum ante portam Caſtri, depoſito omni regio cultu, miſerabiliter, utpote diſcalceatus, & laneis veſtibus indutus perſiſtens, non prius cum multo fletu, Apoſtolicæ miſerationis auxilium, & conſolationem implorare deſtitit, quam omnes, qui aderant, & ad quos rumor ille pervenit, ad tantam pietatem, & miſericordiam movit &c.* Hoc ritu ab excommunicatione abſolutum Joannem Anglorum Regem narrat Matthæus Pariſius ad annum MDCCXIII. *Videntes ergo Archiepiſcopus, & Epiſcopi tantam Regis humilitatem cum lacrymis illum de terra levaverunt, ducentes a dextris, & a ſiniſtris, ad Oſtium Eccleſiæ Cathedralis, ubi cum Pſalmo quinquageſimo, videntibus Magnatibus cantatis, & ubertim præ gaudio flentibus, ſicut mos eſt Eccleſiæ, illum abſolverunt.*

II. Fit & in variis Sacramentorum Libris ritus mentio, qui in noſtris hiſce Paragraphis deſcriptus eſt. Ex ms. Pontificali Sagienſi, ubi agitur de forma Abſolutionis ab excommunicatione ſecundum Raimundum, & Hoſtienſem, cui conſonat ms. Pontificale Vaticanum Gulielmi Durandi, cautum eſt, ut *excommunicatus ſpoliatus ponat ſe ante januas Eccleſiæ proſtratus, vel flexis genibus coram illo, qui ipſum abſolvere debet, qui tenebit virgas in manibus, & dicendo*, Miſerere mei Deus &c. *verberabit illum, percutiendo ſcilicet in quolibet verſu, vel magis, vel levius, vel acrius, ſecundum quod cauſa contumaciæ major, vel minor, requiret; & poſt Pſalmum dicet*, Gloria Patri &c. Similia legere eſt in aliis Ritualibus, atque Pontificalibus, ac præſertim in Romano Pontificali a nobis illuſtrato, Parte III. Tit. XVII. §. IV. ex cujus præſcripto *dicitur Pſalmus*, Miſerere, *cum* Gloria Patri, *&* Sicut erat, *deinde ſubſequenter Pſalmus*, Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis, *cum* Gloria Patri, *&* Sicut erat, *& in quolibet verſu Pontifex cum virga leviter inter ſpatulas verberat abſolvendum.* Porro ex citato Vaticano Durandi Pontificali unus ex prædictis Pſalmis dicendus præſcribitur; ſic enim de abſolvente Epiſcopo loquitur: *Tenent in manibus corrigiam, vel virgam, dicit Pſalmum*, Miſerere, *vel*, Deus miſereatur noſtri, *cum* Gloria &c. Forte legendum eſt, *&*, non *vel*. Dicendum enim Pſalmum *Miſerere* in ea excommunicati Abſolutione, Libri omnes tum Pontificales, tum Rituales præſcribunt.

III. Si Gratiano fides in Canone CV. Cauſa XI. Quæſtione III. & Burchardo Wormacienſi Epiſcopo Lib. XI. Decreti, Cap. VIII. ex Concilio Arauſicano hæc olim fuit ſolemnis reconciliationis excommunicatorum cæremonia: *Cum aliquis excommunicatus, vel anathematizatus pœnitentia ductus, veniam poſtulat, & emendationem promittit, Epiſcopus, qui eum excommunicavit, ante januas Eccleſiæ venire debet, & duodecim Presbyteri cum eo, qui eum hinc inde circumſtare debent. Ubi etiam adeſſe debent illi, quibus injuria, vel damnum illatum eſt, & ibi ſecundum Leges Divinas oportet damnum commiſſum emendari; aut ſi jam emendatum eſt, eorum teſtimonio comprobari. Deinde interroget Epiſcopus, ſi pœnitentiam juxta quod Canones præcipiunt, pro perpetratis ſceleribus ſuſcipere velit. Et ſi ille terræ proſtratus veniam poſtulat, culpam confitetur, pœnitentiam implorat, de futuris cautelam ſpondet, tunc Epiſcopus ſeptem Pſalmos decantet cum iſtis precibus &c.* Hæc Burchardus, quæ etiam refert Gratianus in citato Canone CV. quibuſdam tamen omiſſis. Quamvis autem in recitato hactenus loco nulla de ea cæremonia mentio fiat, ad quemlibet verſum Pſalmi, *Miſerere*, percutiendi excommunicatum abſolvendum cum virgis, eſt tamen antiquus hic ritus, cujus & antiqui Rituales Libri, & Auctores veteres æque, ac recentiores meminere, inter quos Silveſter in Summa, verbo, *Abſolutio*, num. 4. abſolutionem ipſam, de qua in præſenti loquimur, ſic peragi ait, *ut poſt ſatisfactionem, & juramentum incipiat Abſolvens Pſalmum*, Miſerere, *& ſimul virgis, & flagello percutiens ſcapulas nudas abſolvendi, niſi aliter ſuadeat pudor honeſtatis.* Neque enim, ſi mulier excommunicata ſit abſolvenda, denudandus eſt ejus humerus, ſed, ut ait noſter §. IV. *ſi vir fuerit*, nulla prorſus facta de muliere mentione.

IV. Fuiſſe autem in uſu hanc diſciplinam Abſolutionis in noſtro hoc Rituali, & Pontificali Romano præſcriptam jam ante annos quingentos, teſtatur quidem Scriptor antiquus qui claruit Sæculo XIII. Henricus Cardinalis Hoſtienſis Archiepiſcopus Ebrodunenſis. Is enim Libro V. ſuæ Summæ, ad Titulum, *De ſententia excommunicationis*, §. III. num. 14. ita formam, & ritum abſolvendi excommunicatum ſuo ævo uſitatum recenſet: *Poſtquam is, qui juravit, & ſatisfecit, ſicut debuit, abſolvitur per illum, qui tulit ſententiam, vel Superiorem ſuum, vel alium auctoritate ſua, & per Sacerdotem reconciliatur ſecundum ea, quæ notata ſunt §. proximo, ſub §.* Sed ſi quis abſolvet Regulares, *Verſiculo*, Sed numquid ſi Clericus. *Et honeſtum, & quaſi conſuetum, & tutum eſt, quod fiat hoc modo. Spoliabitur excommunicatus, & ponat ſe ante januam Eccleſiæ proſtratus, vel flexis genibus coram illo, qui ipſum abſolvere debet, qui tenebit virgas, vel corrigias in manibus, & dicendo*, Miſerere mei Deus *verberabit eum, percutiendo ſemel in quolibet verſu, vel majus, vel minus, levius, vel acrius, ſecundum quod cauſa contumaciæ major, vel minor requirit; & poſt Pſalmum dicit*, Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon &c.

V. Sæculo itaque XIII. conſuetum erat, ut abſolvendi ab excommunicatione, flexis genibus, vel proſtrati ante januam Eccleſiæ ab Epiſcopo, vel ab alio, qui eos abſolvebant, ad quemlibet verſum Pſalmi, *Miſerere*, virgis, vel corrigeis percuterentur, ejuſque ritus meminit etiam Azo, qui floruit Sæculo XI. qui etiam, teſte Hoſtienſi Lib. I. Summæ, ad Titulum, *De ſervis non ordinandis*, §. *Qualiter ſervus fiat liber*, ritum ipſum diverberandi abſolvendos, ſuam trahere originem tradit ex quadam manumiſſione ſervorum, qui, uti habetur Lib. I. Inſtitutionum Juris Civilis, Tit. V. *De libertinis*, fiebat vindicta, quæ quidem virgula erat Prætoria, qua tangebatur caput ſervi, qui manumittebatur, ſic dicta, vel a vindicando, quod vindicaretur mancipium in naturalem libertatem, vel a Vindicio quodam, qui cum ſervus Vitelliorum eſſet, juvenum quorumdam Romanorum conjurationem de opprimendis Conſulibus indicio ſuo patefecit, & in

ejus

ejus honorem cautum fuit, ut quicumque manumitterentur apud Magiſtratum, vindicta manumiſſi dicerentur. Vide Livium Libro II. Plutarchum in Vita Publiculæ, & eruditos omnes Interpretes ad laudatum Inſtitutionum Juris Civilis locum. Porro memoratus Hoſtienſis loco citato poſtquam ait ex Boetio vindictam eſſe virgam Prætoris, quia manumittendus ter percutiebatur a Prætore dicente, *Ajo te liberum*, tum ſtatim ſubjicit, *Secundum Azonem ex hac forte proceſſit forma abſolutionis Canonicæ, quæ cum virgis fit, & verbis aliis conſuetis.*

VI. Quamquam vero multis ab hinc Sæculis Sacerdos abſolvens ab excommunicatione, non caput, ſed ſcapulas nudas virgis, vel corrigeis percutiat, mos tamen antiquiſſimus fuit, ut non ſcapulæ, ſed pœnitentium capita in ſua ipſorum reconciliatione verberarentur. Tradit id quidem Optatus Milevitanus Sæculi IV. Scriptor, Lib. I. adverſus Parmenianum, ſic dicens: *Purpurius Donatiſta cum a Cæciliano Carthaginenſi Epiſcopo invitaretur, ut una cum ſuis Donatiſtis iterum Cæcilianum ipſum Epiſcopum ordinarent, ſi male antea ordinatus videretur, dixit Purpurius: Exeat hinc Cæcilianus, quaſi imponatur illi manus in Epiſcopatu, & quaſſetur illi caput de pœnitentia.* Alluſio eſt ex multiplici manuum impoſitione; alia enim in Epiſcopi ordinatione uſitata, alia in reconciliandis pœnitentibus, & ambæ caput reſpiciebant. Erant & aliæ alterius generis manuum impoſitiones, quæ non ſunt hujus loci. Volebat igitur Donatiſta Cæcilianus manuum impoſitionem accipere, velut ac ſi Epiſcopus ordinaretur, quod tamen non probabat, ſed potius more ejus, qui pœnitentiam publice ageret, cujus caput in reconciliatione verberabatur, Vide Concilium Gerundenſe anni DXVII. Can. IX. ubi mentio fit ejus loquendi modi, quem ſcite explicat Joannes Fileſacus in ſuo Libro, *De ſacra Epiſcoporum auctoritate*, Cap. XV. §. VII. pag. 364. & ſeq. Sed his obiter dictis, percutiendus eſt quidem *leviter* ex noſtri hujus Romani, aliorumque antiquiorum Ritualium præſcripto, is qui ab excommunicatione abſolvitur, *in humero, ſi vir fuerit, uſque ad camiſiam excluſive denudato, virga, aut funiculis* a Sacerdote ſedente, tecto capite, ac dicente interim Pſalmum, *Miſerere mei Deus*, cum *Gloria Patri &c.* ut ait §. IV.

VII. Recitato Pſalmo, *Miſerere*, & facta ad quemlibet verſum levi percuſſione cum virga, ſeu funiculis in humero abſolvendi, ex præſcripto noſtri §. V. Sacerdos *deinde ſurgit, & aperto capite dicit*, Kyrie eleiſon &c. Atque hæ ſunt Preces, quæ leguntur etiam in priſcis Ritualibus, ex quibus edoctus memoratus Henricus Cardinalis Hoſtienſis Lib. V. Summæ, ad Titulum, *De Sententia excommunicationis*, §. III. poſtquam explicuit ritum diverberandi abſolvendos proſtratos, vel genuflexos ante januam Eccleſiæ cum virgis, quamdiu Pſalmus ipſe, *Miſerere*, dicitur, ita ſtatim ſubjungit: *Poſt Pſalmum dicit*: Gloria Patri &c. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon, Pater noſter. Et ne nos inducas &c. Salvum fac ſervum tuum, *vel* ancillam tuam, *vel* ſervos, *vel* ancillas, *ſi plures ſunt*. Eſto ei, *vel* eis Domine turris fortitudinis. Domine exaudi orationem meam. Oremus. Deus cui proprium eſt &c. Porro dicta hac Oratione, ut ait noſter §. VI. *mox ſedet, & cooperto capite dicit*, formulam Abſolutionis ab excommunicatione hiſce verbis expreſſam, *Dominus noſter Jeſus Chriſtus &c.* quæ quidem recentioris videtur eſſe inſtituti, & diverſa ab illis, quæ vel in recentibus Ritualibus paulo ante noſtri hujus Romani editionem juſſu Pauli Papæ V. factam leguntur. Certe in Inſtructionibus S. Caroli, *De Sacramento Pœnitentiæ*, ubi agitur de Abſolutione ab excommunicatione, conſiſtit tota abſolvendi ratio in recitatione Pſalmi, *Miſerere*, cum Precibus, & Oratione, *Deus cui proprium eſt &c.* ut in noſtro §. V. ſed cum hac tamen breviori Abſolutionis formula: *Ego abſolvo te a vinculo excommunicationis, & reſtituo communioni Fidelium. In nomine Patris ✠ & Filii, & Spiritus Sancti.* Varios antiquos ritus abſolvendi in Foro exteriori excommunicatos jam late nos explicuimus noſtro Tomo III. Commentariorum in Partem III. Romani Pontificalis, Tit. XVII. in Commentario ad §. IV.

§. VII.

Quod ſi Sacerdoti nulla ſit a Superiore præſcripta forma, nec ſibi Mandatum, ut in forma Eccleſiæ communi, vel conſueta abſolvat, tunc nihilominus pro rei gravitate prædictam cæremoniam, & Preces adhibeat; at vero ſi res non fuerit adeo gravis, abſolvere poterit, dicens: *Dominus noſter Jeſus Chriſtus te abſolvat, & ego auctoritate ipſius, & Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ*, ſi a Papa fuerit delegatus, vel *Reverendiſſimi Epiſcopi* N. vel talis *Superioris*, *mihi conceſſa*, *abſolvo te &c.* ut ſupra.

COMMENTARIUS.

I. SÆpe ſolet contingere, ut in Commiſſionibus nulla præſcribatur forma Abſolutionis, imo nec etiam dicatur, ut in forma Eccleſiæ communi, vel conſueta, abſolvat. Quo caſu ſtatuit hic noſter §. *ut tunc nihilominus pro rei gravitate prædictam cæremoniam, & Preces adhibeat*. Quæ ſit levis, mediocris, gravis, enormiſque injuria, non eſt ita facile definire, conſiderandæ ſunt variæ circumſtantiæ, quarum meminit Imperator Juſtinianus Lib. IV. Inſtitutionum Tit. IV. §. *Atrox injuria*, in quem multa ſcitu digna, & quæ ad hunc noſtrum §. ſpectare poſſunt, notarunt Interpretes, qui Inſtitutiones ipſas Juris Civilis perpetuis, copioſiſque Commentariis illuſtrarunt. Cæterum videri etiam poteſt eruditus Gavantus in Enchiridio, ſeu Manuali Epiſcoporum, verbo, *Violenta &c.* ubi explicat quæ ſit modica, gravíſve percuſſio, ſeu manus violentæ injectio in Clericum, ob quam ipſo jure in excommunicationem, quam majorem appellant, incurritur, de qua late jam diſſeruimus non modo in Commentariis ad Romanum Pontificale, verum etiam ad Concilia Oecumenica Tomo III.

§. VIII.

In Foro autem interiori Confeſſarius habens facultatem abſolvendi excommunicatum, abſolvat juxta formam communem præſcriptam in Abſolutione Sacramentali.

COMMENTARIUS.

I. QUum perſpicua ſint, quæ in hoc ſtatuuntur §. ut nempe in Foro interiori Confeſſarius habens facultatem abſolvendi excommunicatum, abſolvat juxta formam præſcriptam in Abſolutione Sacramentali, quam legere eſt ſupra Capite II. de eo potiſſimum Confeſſarium monitum velim, ut ſumma prudentia utatur in impetrandis, adimplendiſque Literis, quas ad Superiorem ſcribit, accipitque ab eo pro excommunicati Abſolutione. Harum porro Literarum uſus, ut ſcite ad hunc §. ait Barruſaldus, num.35. in fine, requirit Confeſſarium valde prudentem, & in Sacramentali Confeſſione magnopere verſatum, expertumque, ut adamuſſim adimpleantur juxta præſcriptionem, nec citra, nec ultra procedat ejus delegata poteſtas.

CAPUT IV.

Ritus abſolvendi excommunicatum jam mortuum.

§. I.

Siquis excommunicatus ex hac vita decedens dederit ſignum contritionis, ne Eccleſiaſtica careat ſepultura, ſed Eccleſiæ ſuffragiis, quatenus fieri poteſt, adjuvetur, abſolvi poteſt hoc modo.

COMMENTARIUS.

I. POſſe Fideles vita functos excommunicatione innodatos, ſi prius dederint ſignum contritionis, ab eadem abſolvi, certum eſt generatim, & indiſtincte loquendo, ſicque paſſim docent Canonici Juris Interpretes, quinimo ipſe Romanus Pontifex Maximus Innocentius III. in Capite, *A nobis* XXVIII. & Capite, *Sacris* XXXVIII. *De ſententia excommunicationis*, itemque multi antiqui Canones, quos profert Albaſpinæus, Lib. I. Obſervationum Sacrarum, Cap. X. mandantes, ut Fideles vita functi, extorres communionis, receptis eorum oblationibus, per cognatos adductis, reſtituantur communioni. Quod quidem fieri non potuiſſet, niſi extra communionem fuiſſent jam vita defuncti. Sunt & in hanc rem narrationes variæ, quas ex probatis Auctoribus retulit in ſuo Opere, *De Monitoriis Eccleſiaſticis*, Theophylus Raynaudus Parte II. Cap. III. Certe S. Gregorius Lib. II. *Dialogorum*, Cap. III. teſtatur, puerulum, qui excommunicatione innodatus obierat, contineri ſepulchro non potuiſſe, humo cadaver ſemel & iterum rejiciente, donec puer Abſolutionem excommunicationis conſequutus eſt, tranſmiſſa in ſignum exolutionis a S. Benedicto particula Euchariſtiæ, & ſuper cadaveris denuo tumulati pectus collocata, non tamen infoſſa. Tunc enim puer aſylum ſepulturæ eſt aſſequutus. Simile beneficium ab eodem S. Benedicto conſequutæ ſunt ſolutioris linguæ Sanctimoniales, quas ille viventes excommunicatione perculerat.

II. His addi & hæc alia exempla poſſunt. Narrat Raderus Parte I. Viridarii Sanctorum ad diem XV. Octobris, quoſdam contumaces poſuiſſe feros animos, & Templo acceſſiſſe, donec abſolverentur, quod prius obfirmate refugerant, cum vidiſſent quoſdam mortuos dudum ſepultos cum anathemate, ad mandatum Sancti Antiſtitis Gothardi de tumbis ſuis ſurgere, ac Templo excedere. Mortuos S. Gothardus Cenſura ſolvit, moxque inclinatis S. Pontifici cervicibus, ſuum quiſque tumulum repetiere. Dignum præ ceteris notatu eſt illud, quod in Menæis dicta die proditur, Monachum nempe Scetanæ ſolitudinis pro Chriſti Fide cæſum Alexandriæ, ibique in Sacra Æde honorifice ſepultum, Diacono in Sacrificio, ut erat antiquus mos, Catechumenis egreſſum denunciante, ſpectantibus, ac ſtupentibus omnibus, ex ſepulchro ſuo exiluiſſe, & in Atrio, donec res Divina exolveretur, permanſiſſe, finito demum Sacro ad priorem locum rediiſſe. Cauſam exitus illius Angelus Domini virum pium docuit, quod Monachus ille perſeveraret ligatus excommunicatione a Presbytero ſuo irrogata, ideoque non eſſet ſinendus tempore Sacrificii intra Sacrarium quieſcere, donec ille exolviſſet, qui ligarat. Quod ubi Presbyter ille feſtinanter monitus præſtitit, immotus deinceps ſub Altari perſtitit Martyr. Eadem fere recitat Glycas Parte IV. Annalium ex Philone hiſtorico Eccleſiaſtico in Leone Iſaurico, adhibita tamen nonnulla magni momenti varietate, de qua poſtea idem Raynaudus quædam notavit.

III. Narrat præterea Gulielmus Brito Libro XII. Philippeidos, Regem Philippum Auguſtum vita functum, abſolutum eſſe per Honorium Papam III. ab excommunicatione ob repudiatam Gelpergam contracta, id ei beneficium a Papa per viſum poſcente S. Dionyſio. Exemplum ſui temporis refert Abulenſis in Caput XVI. Matthæi, Quæſtione LXXXIX. in fine; & ut alia omittam, apud Petrum Maffeum Lib. V. Hiſtoriæ Indiarum narratur de milite vita functo cum excommunicatione, cui ne Oceanus quidem ſepul-

chri

chri quietem præſtare potuit. Nocte namque intempeſta projectus in mare, exauditis infra ſentinam navis pulſibus frequentibus, deprehenſus eſt hærere carinæ implexus ſub ipſo gubernaculo. Cum autem corpus in litus fuiſſet delatum, & ibi terra contectum, poſtridie rurſus apparuit inhumatum, donec expiatione defuncti adhibita e Pontificia formula per Sacerdotem, pax tandem eſt mortuo data, & vaga oſſa ſuo tumulo quievere. Ex his, & ſimilibus exemplis, quibus hiſtoria Eccleſiaſtica ſcatet, perſpicuum eſt, Fidelem vita functum anathemate conſtrictum, ſolvi ab excommunicatione poſſe, ſed tunc demum, *ſi hac vita decedens dederit ſignum contritionis, ne Eccleſiaſtica careat ſepultura, ſed Eccleſiæ ſuffragiis, quatenus fieri poteſt, adjuvetur*, ut ait hic noſter §.

IV. Duplicem itaque ob cauſam introducta eſt ab Eccleſia Abſolutio defuncti excommunicati, ſi nempe decedens ſignum contritionis, vel pœnitentiæ dederit. Prima eſt, ne Eccleſiaſtica careat ſepultura. Secunda, ut ſuffragiis Eccleſiæ adjuvetur. Atque huic plane diſciplinæ adhæſit Innocentius Papa III. ubi Lib. II. Epiſtola LVIII. ad Abbatem S. Andreæ ſcripta, ac relata in citato Capite, *A nobis*, conſultus, utrum ſi aliquis excommunicatus, in quo indicia fuerint pœnitentiæ manifeſta, nec per eum ſteterit, quo minus reconciliaretur Eccleſiaſticæ unitati, non ſuſcepto beneficio Abſolutionis deceſſerit, pro abſoluto ab Eccleſia ſit habendus, & pro tali recipienda ſit eleemoſyna, & a Fidelibus orandum; poſtquam dixit, excommunicato decedenti cum excommunicatione, quantumcumque contritus deceſſerit, non eſſe communicandum ante Abſolutionem, nec pro eo orandum, licet ſit quoad Deum abſolutus, ſi conſtet tamen Eccleſiæ de contritione præcedenti, abſolvi eum poſſe etiam poſt mortem ab illo, a quo vivus fuerat abſolvendus, & hæredes ejus compelli per Eccleſiam ad ſatisfaciendum pro eo, diſerte mox idem Pontifex aſſerit his verbis: *Poteſt tamen, & debet ei Eccleſiæ beneficio ſubveniri, ut ſi de ipſius viventis pœnitentia per evidentia ſigna conſtiterit, defuncto etiam Abſolutionis beneficium impendatur.*

V. Pergit Pontifex, ſuamque aſſertionem non modo probat, ſed & ab objectione etiam vindicat, quam ſibi proponit, ſic inquiens: *Nec obſtat, quod Eccleſiæ legitur attributa poteſtas ligandi, atque ſolvendi homines ſuper terram, tamquam non poſſit ſolvere, & ligare ſub terra ſepultos; & quod legitur, non communicetur mortuo, cui non eſt communicatum & vivo; cum etſi communicatum non fuerit, communicandum tamen illi fuiſſet, quem non contemptus Religionis, ſed neceſſitatis articulus impedivit; & in certis caſibus a Canonibus denotatis ligaſſe legatur Eccleſia mortuos, & ſolviſſe.* Mentionem jam nos fecimus ſupra Canonicæ hujus diſciplinæ, quam etiam variis exemplis comprobavimus. Sed audienda laudati Pontificis Innocentii III. reſolutio, qui ita in eodem Capite mox ſubdit: *Ut autem in uno pariter, & eodem negotio, & ſervemus rigorem, & manſuetudinem oſtendamus, ſtatuimus, ut illius mortui abſolutio a Sede Apoſtolica requiratur, qui, cum viveret, ab ea fuerat abſolvendus. Aliorum autem Abſolutionem, ex præmiſſa cauſa cæteris indulgemus, a quibus, dum viverent, fuerant abſolvendi.* Tum vero inferius: *Hæredes quoque ipſius ad ſatisfaciendum pro ipſo, ſi monitione præmiſſa noluerint, per diſtrictionem Eccleſiaſticam compellantur.*

VI. Ergo ut defunctus excommunicatus abſolvi poſſit, omnino requiritur, quod hic noſter §. ſtatuit, ut nimirum *ex hac vita decedens dederit ſignum contritionis*, ſive, ut habet in citato Capite Innocentius Papa, *ſi de ipſius viventis pœnitentia per evidentia ſigna conſtiterit*. Sunt autem pœnitentiæ ſigna, verbalis deteſtatio delicti, petitio diſſolutionis, oblatio juramenti de parendo mandatis Eccleſiæ, elevatio oculorum, & manuum ad Cælum, percuſſio oris, & pectoris, quia forte loqui non poteſt, & his ſimilia, ut ex Canone, *Qui recedunt*, & aliis ſequentibus, Cauſa XXVI. Quæſtione VI. tradunt Hoſtienſis, Joannes Andreas, & alii communiter apud Fagnanum in citato Capite, *A nobis, De ſententia excommunicationis*, num. 13. qui etiam ſequenti num. 14. Literarum formulam refert, quæ a Sacra Pœnitentiaria dari ſolent pro Abſolutione illius, qui in excommunicatione deceſſit, eſtque hujuſmodi: *Quare, ſi ſic vobis viſum fuerit, vobiſque de prædicti N. viventis pœnitentia per evidentia ſigna conſtiterit, ut eundem ſic defunctum, dummodo illius hæredes injuriam paſſis, quibus ille ſi viveret, occaſione præmiſſorum ſatisfacere teneretur, prius competenter ſatisfaciant, vel per eos non ſtet, quo minus arbitrio veſtro ſatisfaciant competenter in eo, in quo tenentur, ab excommunicationis ſententia, quam propter præmiſſa incurrit, abſolvere in forma Eccleſiæ conſueta, & in foro conſcientiæ tantum licite valeatis, ad effectum duntaxat, ut pro illius anima publicæ, & privatæ orationes, ac preces fieri, ejuſque corpus Eccleſiaſticæ tradi ſepulturæ poſſit, facultatem vobis concedimus. Datum &c.*

VII. Concinunt hæc quidem iis, quæ ſtatuit ſupra in recitato Capite, *A nobis*, Innocentius Pontifex, ex quibus docemur, non modo teneri hæredes defuncti excommunicati abſolvendi ad ſatisfaciendum pro ipſo, verum etiam, ſi monitione præmiſſa noluerint, per diſtrictionem Eccleſiaſticam ad id faciendum poſſe compelli. Atque hic eſt caſus notabilis obſervatu dignus, in quo Eccleſia exercet juriſdictionem in laicos, compellendo ſcilicet hæredes illius, qui poſt mortem debet abſolvi, ut pro eo ſatisfaciant injuriam paſſo, licet ipſe dum viveret, expreſſe hoc non mandaverit. Nam ex quo dedit ſigna exteriora cotritionis, ſatis videtur debitam ſatisfactionem tacite injunxiſſe, uti in eodem Capite Gloſſa notavit. Unde cum iſte actus reſpiciat favorem animæ defuncti, & hæredis, & piam cauſam, merito Eccleſia vindicat ſibi juriſdictionem ſecundum Abbatem ibidem num. 5. & Marianum Soccinum num. 24. quos citat ſequiturque Fagnanus num. 31. ubi etiam ſcite notat, memoratæ Innocentii Decretali conſentire Textum in Capite, *In literis, De raptoribus &c.* ubi Alexander Papa III. ita Claremontenſi Epiſcopo reſcripſit: *Quapropter ſi ita res ſe habet, mandamus, ut corpus ejuſdem, appellatione ceſſante, facias in Cæmeterio ſepeliri, & hæredes ejus moneas, & compellas, ut his, quibus ille per incendium, vel alio modo damnu contra juſtitiam irrogaverat, juxta facultates ſuas condigne ſatisfaciant, ut ſic a peccato valeat liberari.* Alias legitur, *valeant*, ideſt hæredes, ut notat idem Fagnanus in citato Capite, *A nobis*.

§. II.

§. II.

Si corpus nondum ſepultum fuerit, verberetur, & abſolvatur, ut infra; deinde abſolutum in loco ſacro ſepeliatur.

COMMENTARIUS.

I. QUæ cæremonia in homine excommunicato abſolvendo, eam quoque in defuncto adhibendam, docet nos antiqua Eccleſiæ diſciplina, cui inhærens Innocentius Papa III. in Capite, *A nobis*, *De ſententia excommunicationis*, de mortui excommunicati Abſolutione agens, ita inter alia inquit: *Abſolutionis autem forma ſervetur, ut fiat cum Pœnitentiali Pſalmo, & tam oratione Dominica, quam alia conſueta*. Recte itaque ſtatuit & hic noſter §. ut *ſi corpus nondum ſepultum fuerit, verberetur, & abſolvatur, ut infra*, nempe juxta cæremoniam, & formulam in §. IV. præſcriptam, ejuſdem hujus Capitis IV. Cæremonia autem in eo potiſſimum conſiſtit, ut fiat publice, & coram teſtibus, itemque virga, aut funiculis, non quidem ſuper humerum denudatum, ut in vivis, ſed ſupra totum corpus, quomodocumque abſolventi libuerit, ut poſt Pyrrhum Corradum Libro VIII. Praxis Diſpenſationum Apoſtolicarum, Cap. X. notavit ad hunc noſtrum §. Barruſaldus. Porro abſolutum defuncti corpus in loco ſacro ſepeliendum eſt, hæc enim una ex cauſis fuit, ob quas Eccleſia defunctorum excommunicatorum Abſolutionem introduxit, uti jam ſupra notavimus.

§. III.

Si vero fuerit ſepultum in loco profano, ſi commode fieri poterit, exhumabitur, & eodem modo verberabitur, & poſt Abſolutionem in loco ſacro ſepelietur; ſed ſi commode exhumari non poteſt, locus ſepulturæ verberetur, poſtea abſolvatur.

COMMENTARIUS.

I. CErti juris eſt, excommunicatum denunciatum morientem ante obtentam Abſolutionem ab eo, qui eum poterat vivum abſolvere, vel ſaltem a Sacerdote in articulo mortis, quo tempore ceſſat omnis reſervatio, ut jam ſupra diximus, etiamſi ſigna pœnitentiæ, & contritionis dederit, in loco ſacro ſepeliri non poſſe; nam a quibus per vitam ſejuncti fuerint Fideles, ab illis poſt mortem quoque ſunt ſejungendi; hæc enim eſt antiqua Eccleſiæ regula, cujus inter alios meminit in Capite, *A nobis*, *De ſententia excommunicationis*, Innocentius Papa III. ut nempe, *non communicetur mortuo, cui non eſt communicatum & vivo*. Jam non deſunt, qui volunt, excommunicatos denunciatos decedentes cum ſignis contritionis, & pœnitentiæ, poſſe in loco ſacro humari. Sed hanc opinionem merito refellit Barruſaldus in Commentario ad hunc §. num. 17. ubi recte obſervat, ſigna ipſa unice valere ad impetrandam facultatem abſolvendi, ab eo ſcilicet, qui poteſt eam concedere, juxta ea, quæ ſupra notavimus nos in Commentario ad §. I.

II. Ergo impetrata hac facultate, ex præſcripto hujus præſentis §. ſi defuncti excommunicati corpus *fuerit ſepultum in loco profano, ſi commode fieri poterit, exhumabitur, & eodem modo verberabitur, & poſt Abſolutionem in loco ſacro ſepelietur*. Ubi nota, *ſi commode fieri poterit*; nam alias recte ſubdit idem noſter §. *ſi commode exhumari non poteſt*, ſi nempe quatriduanum ſit, ſi cum aliis cadaveribus commixtum, ſi in ſumma profunditate ſit, *locus ſepulturæ verberetur, poſtea abſolvatur*. Ceterum ſi in flumen, vel in mare fuerit immerſum, cum non poſſit ea cæremonia adhiberi, non enim verberandum eſt flumen, aut mare, privabiturque cadaver quidem Eccleſiaſtica ſepultura, ſed erit hæc privatio materialis, quæ pluribus etiam Fidelibus occurrere ſolet in naufragio, vel in bello, aliove modo. Sed non privabitur Eccleſiæ ſuffragiis anima illius.

§. IV.

Quod ſi in loco ſacro ſit ſepultum, non exhumabitur, ſed verberabitur ſepulchrum. Dum autem corpus, ſive ſepulturam verberat Sacerdos dicat Antiphonam, *Exultabunt Domino oſſa humiliata*. Pſalm. *Miſerere mei Deus &c.* Quo facto abſolvatur, dicendo: *Auctoritate mihi conceſſa, ego te abſolvo a vinculo excommunicationis, quam incurriſti,* (vel *incurriſſe declaratus es*) *propter tale factum, & reſtituo te communioni Fidelium, in Nomine Patris* ✠ *& Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

COMMENTARIUS.

I. QUamquam ex Sacris Canonibus, ſi caſu, aut vi, cadaver excommunicati illatum ſit in ſacrum Cœmeterium, vel in ſepulturam Eccleſiæ, extumulari inde jubetur, ſi diſcerni poſſit, (uti factum fuit cum cadavere Henrici Imperatoris in excommunicatione

ne defuncti, quod a Leodienſibus in loco ſacro tumulatum, juſſu Eccleſiæ refoſſum eſt, & in locum profanum tandem projectum, ut ſcribit Nauclerus Generatione XXXVII. anno MCVI.) tamen ubi impetrata a Superiore facultate, illud eſſet abſolvendum, mandat hic quidem noſter §. non eſſe tunc exhumandum, ſed verberandum ſepulchrum a Sacerdote ſcilicet dicente Antiphonam, *Exultabunt Domino oſſa humiliata*, & Pſalmum, *Miſerere &c.* Atque ad hunc ritum Sæculo XII. fieri ſolitum in Abſolutione defuncti excommunicati reſpexit quidem Innocentius Papa III. qui ad Petri Cathedram evectus fuit anno anno MCXCVIII. ubi in Capite, *A nobis*, *De ſententia excommunicationis*, ſic inter alia ſcripſit: *Abſolutionis autem forma ſervetur, ut fiat cum Pœnitentiali Pſalmo, & tam oratione Dominica, quam alia conſueta.*

§. V.

Deinde dicatur Pſalmus, *De profundis*; in fine, *Requiem æternam dona ei Domine*. ℟. *Et lux perpetua luceat ei. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter.* ℣. *Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos a malo.* ℣. *A porta inferi.* ℟. *Erue Domine animam ejus.* ℣. *Requieſcat in pace.* ℟. *Amen.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo.* *Oremus.*

Da quæſumus Domine animæ famuli tui, quem excommunicationis ſententia conſtrinxerat, refrigerii ſedem, quietis beatitudinem, & luminis claritatem. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Quum effectus Abſolutionis defuncti excommunicati, ſit quidem, ut & humari in loco ſacro poſſit, & Eccleſiæ ſuffragiis adjuvetur, hinc recte cautum eſt, ex hoc noſtro §. ut facta Abſolutione ſub recitata in ſuperiori §. formula, *deinde dicatur Pſalmus, De profundis*, una cum aliis precibus, & oratione, *Da quæſumus Domine animæ famuli tui &c.* quæ nonnullis immutatis eadem eſt ac illa, quæ dici ſolet in anniverſario unius defuncti. Cæterum licet nulla in hoc Capite, in quo ritus refertur abſolvendi excommunicatum jam mortuum, facta ſit veſtium mentio, quibus in ea Abſolutione indutus eſſe debet Sacerdos, non eſt dubium, quin adhibendum ſit Superpelliceum cum Stola nigri coloris, juxta ritum in Officio defunctorum, & in eorum Abſolutione præſcriptum in Rubricis Romani Miſſalis, ac Ritualibus paſſim, ut recte poſt Corſettum notavit ad hunc §. Barrufaldus.

CAPUT V.

De modo abſolvendi a Suſpenſione, vel Interdicto extra, vel intra Sacramentalem Confeſſionem, & diſpenſandi ſuper Irregularitate.

I. Plura quæ ad explicationem hujus Capitis faciunt, jam nos recenſuimus Tomo III. Commentariorum in Partem III. Romani Pontificalis, Tit. VI. Sed iis omiſſis, antequam enarremus ritus in variis Paragraphis hujus Capitis præſcriptos, nonihil dicendum cenſuimus de Suſpenſione, Interdicto, & Irregularitate. Ergo Suſpenſio ſecundum hodiernam Eccleſiæ praxim eſt Cenſura, qua Clericus, aut Ordinis, aut Officii Clericalis, aut Beneficii uſu prohibetur. Dicitur I. Cenſura, quæ infligitur Clerico, & in hoc differt ab excommunicatione, qua quilibet Fidelis etiam laicus mulctari poteſt. II. Clericum non dejicit a ſuo Beneficio, aut Ordine, & in hoc a Depoſitione, & Degradatione diſcrepat. III. Interdicit uſu, hoc eſt exercitio Ordinis, aut muneris Eccleſiaſtici, vel privat fructibus, quos Clericus alioquin ex Beneficio perciperet. Porro, ſicut excommunicatio, ita & Suſpenſio, interdum a Jure fit, interdum a Judice Eccleſiaſtico, unde Suſpenſio alia Canonis eſt, alia Judicis. A Jure variis ex cauſis infligitur, uti videre eſt apud Auctores, qui eas congeſſerunt. A Judice, quando is culpa exigente Suſpenſionem in aliquem profert; quod tamen ſcripto facere debet, expreſſa cauſa, & præcedente monitione. Is autem, qui aliquem actum officii ſui, a quo ſuſpenſus eſt, exercet, Irregularitatem incurrit, qua nonniſi per Summum Pontificem liberatur ex Cap. I. *De ſententia, & re judicata*, in Sexto. Niſi quod hodie ex conceſſione Concilii Tridentini, Seſſione XXIV. *De reformatione*, Cap. VI. etiam Epiſcopis permiſſum ſit *in Irregularitatibus omnibus, & Suſpenſionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad Forum Contentioſum, diſpenſare*. Eſt autem Irregularitas impedimentum Canonicum, quo quis prohibetur Ordinem Eccleſiaſticum ſuſcipere, aut in ſuſcepto miniſtrare.

II. Ad Interdictum quod attinet, eſt & ipſum Cenſura Eccleſiaſtica, qua certis perſonis, aut loco, Divinis Officiis, ſepultura in loco ſacro, Sacramentorumque adminiſtratio interdicitur a Jure, vel a Judice Eccleſiaſtico, unde & Interdictum quoque aliud Juris, aliud Judicis; itemque aliud perſonale, aliud locale. Sed longum eſſet diſcutere hoc loco varias quæſtiones Interdictum ipſum ſpectantes, quæ videri plane poſſunt apud Scriptores, qui de Cenſuris, vel de eo ſpeciatim ſcripſerunt, ac apud nos etiam in Commentariis ad Romanum Pontificale.

§. I.

§. I.

Si Sacerdoti ſit commiſſa facultas abſolvendi aliquem a Suſpenſione, vel Interdicto, quamvis nulla verba ſint præcipue determinata, uti poterit hac formula. Pœnitens dicat: *Confiteor Deo &c.* Sacerdos: *Miſereatur tui &c. Indulgentiam &c. Auctoritate mihi ab N. tradita, ego abſolvo te a vinculo Suſpenſionis* (vel *Interdicti*) *quam* (vel *quod*) *propter tale factum* (vel *cauſam*) *incurriſti* (ſeu *incurriſſe declaratus es*) *in Nomine Patris* ✠, *& Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

COMMENTARIUS.

I. VEl ex recitato noſtro §. addiſcimus, nulla eſſe determinata verba pro Abſolutione Suſpenſionis, & Interdicti. Id quod etiam teſtatus eſt S. Carolus in Inſtructionibus, *De Sacramento Pœnitentiæ*, Capite inſcripto, *De abſolutione ab excommunicatione*, in fine, ubi ſic inquit: *Si quando committatur Confeſſario abſolutio Suſpenſionis, vel Interdicti, quamvis nulla ſint verba conſtituta, hac formula utetur.* Ego abſolvo te a vinculo Suſpenſionis, *vel* Interdicti. In Nomine Patris ✠, & Filii, & Spiritus Sancti.

§. II.

Si vero Confeſſario, ſive in foro conſcientiæ, ſive extra data eſt poteſtas diſpenſandi ſuper Irregularitate, tunc poſtquam abſolverit a peccatis, addat conſequenter: *Et eadem auctoritate diſpenſo tecum ſuper Irregularitate* (vel *Irregularitatibus*, ſi ſint plures) *in quam* (vel *in quas*) *ob talem cauſam* (vel *tales cauſas*, eas exprimendo) *incurriſti, & habilem reddo, & reſtituo te executioni Ordinum, & officiorum tuorum, in Nomine Patris* ✠, *& Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

§. III.

Si nullum habet Ordinem, dicatur: *Habilem reddo te ad omnes Ordines ſuſcipiendos, vel etiam ad alia juxta tenorem Mandati.*

COMMENTARIUS.

I. VErbum Irregularitas in antiquis Canonibus non occurrit, ut ait Franciſcus Roye Anteceſſor Andegavenſis, Lib. III. Inſtitutionum Juris Canonici, Tit. XVI. & poſt ipſum Zegerus Bernardus Vaneſpen, Parte II. Juris Eccleſiaſtici univerſi Tit. X. Cap. I. ſed cum ipſi antiqui Canones Regulas præſcripſerint, ex quibus innoteſcat, quinam ordinari poſſint, vel non, hi, qui ab iis Regulis alieni ſunt, ſive qualitates in Regulis præſcriptas non habent, dicebantur a Regula alieni, uti legitur in Canone XVII. Concilii I. Nicæni, ubi decernitur, ut ſi quis Clericus inventus fuerit uſuras ex mutuo ſumere, vel turpe lucrum ſectari, *e Clero deponatur, & ſit alienus a Canone*, uti vertit Hervetus; vel, ut legit Dionyſius Exiguus, *dejiciatur a Clero, & alienus exiſtat a Regula*. Quid vero eſt aliud *alienus a Canone*, vel *Regula*, niſi irregularis, ſive ſecundum Regulam non probatus, ſed a Regula devius. Rurſus eadem Synodus Can. IX. loquens de quibuſdam Presbyteris ſine examine ordinatis, & peccata ante ordinationem commiſſa confitentibus, ait: *Tales Regula non admittit*. Quid autem his verbis aliud indicat, quam Presbyteros illos eſſe irregulares, ſive quod Regula eos ad Ordines non admittat, ſive ex Regula, ſeu Canone excludantur. Ceterum quod principio obſervatum eſt, vocem *Irregularitas*, prout ſignificat impedimentum Canonicum, impediens Ordinum ſuſceptionem, vel eorum jam ſuſceptorum exercitium, in ſacris Canonibus minime occurrere, notavit quoque Emmanuel Gonzalez in Commentario ad Caput IV. *De Clerico excommunicato, depoſito, vel interdicto miniſtrante*, num. 5. Quin & monet, eam in hac ſignificatione a nullo Pontifice fuiſſe uſurpatam ante Innocentium III. qui ad Romanam Petri Cathedram evectus fuit anno MCXCVIII.

II. Quicquid ſit de origine ipſius vocis, dicitur Irregularitas impedimentum Canonicum, ideſt, Jure Canonico, ſeu Eccleſiaſtico inductum. Cum enim, ut ſcite obſervat Vaneſpen loco citato, num. VI. jam per diſciplinæ collapſionem eo deventum eſſet, ut etiam graviſſimorum criminum rei poſt actam dignam de crimine pœnitentiam, & abſolutionem a Sacerdote obtentam, ad Sacros Ordines promoveri, aut eorum functionibus reſtitui poſſent, nullum amplius ratione criminum, aut defectuum, videbatur poſt peractam pœnitentiam ſupereſſe impedimentum; viſum plane fuit, omne hujuſmodi impedimentum eſſe poſitivo Eccleſiæ Decreto adſcribendum, quo ipſa declarat, huic, illive crimini, aut defectui obnoxios, in perpetuum a Sacris Ordinibus, eorumve functionibus eſſe excluſos. Atque hinc ulterius pro Regula invaluit, Irregularitatem, ſive hujuſmodi impedimentum non cenſeri contractum, niſi in caſibus a Jure expreſſis, uti communiter docent Canonici Juris Interpretes ex Capite XVIII. *De ſententia excommunicationis*, in Sexto;

to; ex quibus etiam addiſcimus, Irregularitatem, ſive ex defectu, ſive ex crimine oriatur, ſemper parere impedimentum ad Ordines ſuſcipiendos, aut in ſuſceptis miniſtrandum; nec niſi per diſpenſationem ordinarie, & proprie tolli a Superiore obtentam. Atque huic doctrinæ inhærens S. Carolus in Concilio Provinciali III. Mediolanenſi, Capite, *De iis, quæ ad Pœnitentiæ Sacramentum pertinent*, inter alia ſtatuit, Irregularitatem ſine facultate ſpeciali in Jubileo minime eſſe a Confeſſariis diſpenſandam: *Ne Confeſſarii Sacerdotes*, inquit, *cum ſibi facultate, vel ex Jubileo, vel ex aliis Apoſtolicis Literis conceſſa, pœnitentium confeſſiones audire, eoſdemque a peccatis etiam gravioribus, quæ admiſerunt, & a pœnis item, ac Cenſuris, quibus irretiti ſunt, abſolvere licet, cum eo, qui in Irregularitatem incurrerit, diſpenſent, niſi ejus rei facultate illis Literis nominatim expreſſa*.

III. Ergo, ut Confeſſarius, ſive in Foro conſcientiæ, ſive extra illud, ſuper Irregularitate valeat diſpenſare, neceſſaria eſt illi ſpecialis facultas a Superiore data, aut commiſſa, eaque obtenta, tunc quidem, poſtquam irregularem a peccatis abſolverit, cum eo ſuper Irregularitate diſpenſabit juxta formulam in noſtro §.II. expreſſam; neque enim Irregularitas abſolvitur, ſed diſpenſatur, uti Viri docti loquuntur, non enim deſunt, qui ignoranter, Irregularitatem abſolvi ajunt. Porro notandæ ſunt diſpenſationis formulæ in Paragraphis noſtris relatæ. Nam ubi Ordinatus Irregularitatem contraxit, Confeſſarius dicet: *Habilem reddo, & reſtituo te executioni Ordinum, & Officiorum tuorum*, ut in §. II. edicitur; ubi vero nullum ille Ordinem habuit: *Habilem*, dicet, *reddo te ad omnes Ordines ſuſcipiendos &c.* ut in §. III. Dici & hic alia poſſent, quæ apud varios Auctores reperiuntur; unumque addiderim, quod & alias ſtatuit S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolanenſi V. Capite, *De Cancellario, & Notariis*, ut nempe Irregularitatis diſpenſationes, & proceſſus a Cancellario Epiſcopali gratis conficiantur. Id quod aliæ etiam Synodi præſcribunt particulares, Provincialeſque. Neque enim Statuta, vel exempla quorumdam Epiſcoporum attendi debent, qui variis exactionibus ſubditos ſuos premunt, & avaritiam Miniſtrorum Curiæ Epiſcopalis fovent; de quibus videri poteſt eruditiſſimus Lupus, in ſuo Tomo IV. Operum editionis Venetæ in ſecunda prooemiali Diſſertatione, *De Simoniæ crimine, & variis ad ipſum ſpectantibus*, Capitibus præſertim XIV. & XV. in quibus varias, atque importunas Epiſcoporum, eorumque Miniſtrorum exactiones exponit, allatis variis Summorum Romanorum Pontificum, & Conciliorum Decretis.

§. IV.

Quod ſi neceſſe ſit titulum Beneficii reſtituere, & fructus male perceptos condonare, ſubjungat: *Et reſtituo tibi titulum* (ſeu *titulos*) *Beneficii* (ſeu *Beneficiorum*) *& condono tibi fructus male perceptos. In nomine Patris ✠, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

COMMENTARIUS.

I. QUum, uti ſuperius dictum eſt, Suſpenſio Cenſura ſit Eccleſiaſtica, qua perſonæ Eccleſiaſticæ interdicitur exercitium ſui Officii, ſeu Beneficii, vel utriuſque ſimul, recte cautum eſt ex hoc noſtro §. ut, ſi neceſſe ſit titulum Beneficii reſtituere, & fructus male perceptos ſuſpenſo a Beneficio condonare, ſubjungat Sacerdos hanc formulam: *Et reſtituo tibi titulum*, ſeu *titulos*, *Beneficii*, ſeu *Beneficiorum*, ſi ſcilicet plura ea ſint, a quibus fuerat ſuſpenſus, *& condono tibi fructus male perceptos &c.* Hinc addiſcere licet, Suſpenſionem a Beneficio dici, qua Clericus a perceptione fructuum Beneficii, aut aliis a Beneficio dependentibus ſuſpenditur. Cæterum non dubium, quin multis ſæculis ignota fuerit diſtincta Suſpenſio a Beneficio, quod Suſpenſio ab Ordine ſecum traheret Suſpenſionem a perceptione fructuum, quæ ab Ordine, ſive illius exercitio dependebat, nullis adhuc ſpecialibus Beneficiorum titulis erectis, uti docet Vanеſpen, Parte II. Juris Eccleſiaſtici univerſi, Tit. XVIII. Cap. I. Quod autem hodie controvertitur inter Doctores, num Suſpenſio ab Officio ſecum trahat Suſpenſionem a Beneficio, ut videre eſt apud Suarez, *De Cenſuris*, Diſputatione XXVI. Sectione III. & apud Fagnanum in Capite, *A crapula, De vita, & honeſtate Clericorum*, num. 22. hinc Judices volentes aliquem ab utroque ſuſpendere, dicere ſolent, *ab Officio, & Beneficio*, ut ſcite obſervat laudatus Vaneſpen Parte III. Tit. XI. Cap. X. num. XVI. ut alios Auctores prætercam, qui de hujuſmodi Quæſtionibus tractant, de quibus prolixius diſſerere non eſt noſtri inſtituti in his Commentariis.

§. V.

Advertat autem Sacerdos, ne ullo modo in iis, facultatis ſuæ terminos excedat.

COMMENTARIUS.

FInes Mandati diligenter eſſe cuſtodiendos, Leges Canonicæ æque, ac Civiles præcipiunt. Lege, *Diligenter*, ff. *Mandati*, §. *Is qui*, Lib. III. Inſtitutionum Juris Civilis, Tit. XXVII. Cap. *Per tuas*, *De arbitris*. Hinc potiſſimum facultates, commiſſioneſque a ſupremo Tribunali provenientes adamuſſim ſunt adimplendæ, nec interpretandæ, nec ampliandæ, nec reſtringendæ, ſed exequendæ, prout ſonant. Sed de hujuſmodi quæſtionibus conſulendi Doctores ſunt; cum noſtri ſit inſtituti potius ſacros Ritus exponere, quam Quæſtiones ipſas latius pertractare.

DE SANCTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO

TITULUS IV.

I. ORitur Euchariſtiæ nomen a verbo Græco Εὐχαριστεῖν, quod Latine idem eſt, ac gratias agere, quod in hujuſce Sacramenti uſu Deo, propter illius in nos beneficia, gratias rependamus: *Noſti*, inquit S. Auguſtinus ad Dardanum ſcribens, *in quo Sacrificio dicatur: Gratias agamus Domino Deo noſtro*. Appellari ſolet variis nominibus, quæ late explicant eruditi Scriptores Theologi, atque Liturgici, qui de hoc Sacramento tractarunt. Sed audiendus præ cæteris Tridentini Concilii Catechiſmus, Parte II. *De Euchariſtiæ Sacramento*, ubi ex Divinæ Scripturæ, ac veterum Patrum teſtimoniis ipſum Euchariſtiæ nomen ita explicat num. IV. *Hujus ergo admirabilis Sacramenti dignitatem, atque excellentiam cum Sacri Scriptores fieri nullo modo poſſe intelligerent, ut uno vocabulo demonſtrarent, pluribus eam nominibus exprimere conati ſunt. Interdum enim Euchariſtiam appellant, quod verbum, vel bonam gratiam, vel gratiarum actionem Latine reddere poſſumus. Ac recte quidem bona gratia dicendum eſt; tum quia vitam æternam, de qua ſcriptum eſt*, Gratia Dei vita æterna, *præſignificat; tum quia Chriſtum Dominum, qui vera gratia, atque omnium chariſmatum fons eſt, in ſe continet. Nec vero minus apte gratiarum actionem interpretamur; ſiquidem cum hanc puriſſimam Hoſtiam immolamus, immenſas quotidie gratias pro univerſis in nos beneficiis Deo agimus; atque in primis pro ejus gratiæ tam excellenti bono, quam nobis hoc Sacramento tribuit. Sed idipſum etiam nomen cum his, quæ a Chriſto Domino geſta eſſe in hoc Myſterio inſtituendo legimus, optime convenit. Etenim panem accipiens fregit, & gratias egit. David quoque, cum hujus myſterii magnitudinem contemplaretur, antequam carmen illud pronunciaret*, Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors, & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe; *gratiarum actionem præponendam exiſtimavit, cum inquit*: Confeſſio, & magnificentia opus ejus.

II. Pergit Catechiſmus, aliaque hujus Sacramenti nomina refert, explicatque num. V. his verbis: *Frequenter etiam nomine Sacrificii declaratur, de quo myſterio paulo poſt latius dicendum erit. Vocatur præterea Communio, quod verbum ex Apoſtoli loco ſumptum eſſe liquet, ubi ait*: Calix benedictionis, nonne communicatio Sanguinis Chriſti eſt? Et panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini eſt? *Nam ut Damaſcenus explanavit, hoc Sacramentum Chriſto nos copulat, atque ejus Carnis, & Deitatis participes efficit: noſque inter nos in eodem Chriſto conciliat, ac conjungit, & velut unum Corpus coagmentat. Ex quo factum eſt, ut Sacramentum etiam pacis, & charitatis diceretur, ut intelligeremus, quam indigni ſint Chriſtiano nomine qui inimicitias exercent, odiaque, diſſidia, & diſcordias, ut teterrimas Fidelium peſtes, omnino exterminandas eſſe, cum præſertim quotidiano Religionis noſtræ Sacrificio, nihil nos ſtudioſius ſervare, quam pacem, & charitatem profiteamur. Sed Viaticum etiam frequenter a Sacris Scriptoribus appellatur, tum quia ſpiritualis cibus eſt, quo in hujus vitæ peregrinatione ſuſtentamur, tum quia vim nobis ad æternam gloriam, & felicitatem munit. Quare ex veteri Eccleſiæ inſtituto ſervari videmus, ut nemo Fidelium ſine hoc Sacramento vita excedat. Ac vetuſtiſſimi quidem Patres Apoſtoli auctoritatem ſequuti, Cœnæ etiam nomine Sacram Euchariſtiam interdum vocarunt, quod in illo noviſſimæ Cœnæ ſalutari myſterio a Chriſto Domino ſit inſtituta*. Hactenus Catechiſmus. Porro Divinæ Euchariſtiæ Sacramentum, in Rubrica hujus Tituli, & a Patribus, & Conciliis *Sanctiſſimum* dicitur per excellentiam ſuper reliqua Sacramenta, de qua loquitur Concilium Tridentinum Seſſione XIII. Cap. III. & nonnihil dicemus nos etiam in Commentario ad ſequentem §.

CAPUT I.

§. I.

Omnibus quidem Eccleſiæ Catholicæ Sacramentis religioſe, ſancteque tractandis, magna, ac diligens cura adhibenda eſt; ſed præcipue in adminiſtrando, ac ſuſcipiendo Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, quo nihil ſanctius, & admirabilius habet Eccleſia Dei, cum in eo contineatur præcipuum, & maximum Dei donum, & ipſemet omnis gratiæ, & ſanctitatis fons, Auctorque Chriſtus Dominus.

COMMENTARIUS.

I. SApientiſſime docet Tridentini Concilii Catechiſmus citato ſuperius loco, num. I. quod quemadmodum ex omnibus Sacris Myſteriis, quæ nobis tanquam Divinæ gratiæ certiſſima inſtrumenta Dominus Salvator noſter commendavit, nullum eſt, quod cum Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento comparari queat; ita etiam nulla gravior alicujus ſceleris animadverſio a Deo metuenda eſt, quam ſi res omnis ſanctitatis plena, vel potius quæ ipſum ſanctitatis Auctorem, & fontem continet, neque ſancte, neque religioſe a Fidelibus tractetur. Id vero Apo-

Apoſtolus, & ſapienter vidit, & de eo nos aperte admonuit in Epiſtola I. ad Corinthios, Capite XI. Nam cum declaraſſet, quanto illi ſcelere obſtricti eſſent, qui Corpus Domini non dijudicarent, ſtatim ſubjecit: *Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi*. Hinc merito concludit laudatus Catechiſmus citato loco: *Ut igitur fidelis populus, cum cœleſti huic Sacramento divinos honores tribuendos eſſe intellexerit, & gratiæ uberes fructus capiat, & juſtiſſimam Dei iram effugiat, illa omnia a Paſtoribus diligentiſſime exponenda erunt, quæ ejus majeſtatem magis illuſtrare videantur*.

II. Longum plane eſſet innumera pene, & inſignia Patrum elogia erga hoc Sacramentum referre, ſatiſque erit unum illud deſcribere, quod S. Thomas ſcriptum reliquit in Opuſculo LVII. ſic inter alia inquiens: *Nullum Sacramentum eſt iſto ſalubrius, quo purgantur peccata, virtutes augentur, & mens omnium ſpiritualium chariſmatum abundantia impinguatur. Offertur in Eccleſia pro vivis, & mortuis, ut omnibus proſit, quod eſt pro ſalute omnium inſtitutum*. Tum vero mox: *Suavitatem denique hujus Sacramenti nullus exprimere ſufficit, per quod ſpiritualis dulcedo in ſuo fonte guſtatur, & recolitur memoria illius, quam in ſua paſſione Chriſtus monſtravit excellentiſſimæ charitatis. Unde ut arctius hujus charitatis immenſitas Fidelium cordibus infigeretur, in ultima Cœna, quando Paſcha cum Diſcipulis celebrato, tranſiturus erat de hoc mundo ad Patrem, hoc Sacramentum inſtituit, tanquam paſſionis ſuæ memoriale perenne, figurarum veterum impletivum, miraculorum ab ipſo factorum maximum, & de ſua contriſtatis abſentia ſolatium ſingulare reliquit*. Atque ex hoc celebri teſtimonio argumentum ſumere licet, quo magis probetur, quod in hoc noſtro §. edicitur, quod nempe præcipue in adminiſtrando, ac ſuſcipiendo Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, quo nihil dignius, nihil ſanctius, & admirabilius habet Eccleſia Dei, magna, ac diligens cura adhibenda eſt, tum ab eo qui illud miniſtrat, quam ab eo qui ſumit.

§. II.

Parochus igitur ſummum ſtudium in eo ponat, ut cum ipſe Venerabile hoc Sacramentum, qua decet, reverentia, debitoque cultu tractet, cuſtodiat, & adminiſtret; tum etiam populus ſibi commiſſus religioſe colat, ſancte, frequenterque ſuſcipiat, præſertim in majoribus anni ſolemnitatibus.

COMMENTARIUS.

I. Qua ratione tractare, cuſtodire, atque adminiſtrare Venerabile Euchariſtiæ Sacramentum Parochus potiſſimum debeat, docent nos paſſim Concilia, & Rituales Codices, quorum loca nonnulla in ſequentibus Commentariis oppotunius deſcribemus. Monet quoque & illud non uno in loco S. Carolus, ut *Parochi crebris cohortationibus in id maxime incumbant, ut populus ſibi commiſſus ad Confeſſionem, & Communionem præcipue in Nativitatis Domini, & Pentecoſtes, & aliis ſolemnitatibus accedat*. Mandat id quidem S. Carolus in ſuo Concilio Provinciali Mediolanenſi I. Parte II. Conſtitutionum, Capite, *De iis, quæ ad Sacramentorum adminiſtrationem generatim pertinent*. Confirmatque idipſum in Concilio Provinciali tertio, Capite, *De iis, quæ ad Sacram Euchariſtiam pertinent*, his plane verbis: *Ad ſaluberrimum illum Euchariſtiæ frequenter ſumendæ uſum Parochi, ut primo Provinciali Concilio juſſum eſt, & Concionatores item, quam ſæpiſſime populum cohortentur, naſcentis Eccleſiæ inſtitutis, atque exemplis, & graviſſimorum Patrum vocibus, & uberrima hoc ipſo de genere Catechiſmi Romani doctrina, & ſententia denique Tridentinæ Synodi, quæ optaret quidem, Fideles in ſingulis Miſſis, non ſolum ſpirituali affectu, ſed ſacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicare*.

II. Extat quidem hæc Concilii Tridentini ſententia Seſſione XXII. Cap. VI. eamque fuiſſe veterem Eccleſiæ diſciplinam, docet inprimis Auctor Anonymus Turonenſis in ms. Speculo apud Martene Libro I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. IV. Articulo X. num. II. ubi etiam inſequentis ævi varium morem recenſet, ſic inquiens: *Illud certe ignorari non debet, olim in primitiva Eccleſia, ſingulis diebus, qui Canoni Miſſæ intererant, ſolitos fuiſſe communicare, ſed poſtea, creſcente multitudine Fidelium, fuit inſtitutum, ut tantum Dominicis diebus communicaretur. Quod etiam paulo poſt cum obſervari non potuit, abiit in deſuetudinem, ac tertia ſubſequuta eſt inſtitutio, ut ſaltem ter quoque anno, in Natali, Paſchate, & Pentecoſte omnes Chriſtiani Euchariſtiam ſumerent*. Simili fere modo loquitur Joannes Belethus in Explicatione Divinorum Officiorum, Cap. CXX. *In primitiva Eccleſia*, ait, *præceptum erat, ut ſingulis diebus Corpus Domini ſumeretur; poſtea vero, creſcente numero Fidelium, ut ſingulis diebus Dominicis; unde etiam nunc in Græcia ſub anathemate punitur, qui a tribus Dominicis non communicaverit. Modo autem nos tenemur in tribus Solemnitatibus, nimirum Paſchate, Pentecoſte, & Natali*.

III. Frequentem, quotidianamque fuiſſe primis Sæculis apud Fideles Euchariſtiæ Communionem, conſtat ex Apoſtolorum Actis, Cap. II. ubi S. Lucas eorum Auctor de prioris Sæculi Chriſtianis hæc ſcribit, quæ Patres intellexerunt de Euchariſtica Communione: *Erant autem perſeverantes in doctrina, & Communione fractionis panis, & orationibus*. S. Cyprianus, qui Eccleſiæ Carthaginenſi medio Sæculo tertio præerat, Euchariſtiam ſuo ævo ſingulis diebus a Fidelibus ſumptam fuiſſe in expoſitione Orationis Dominicæ his verbis aſſerit: *Hunc panem dari nobis quotidie poſtulamus, ut qui in Chriſto ſumus, & Euchariſtiam quotidie ad cibum ſalutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abſtenti, & non communicantes, a cœleſti pane* pro-

prohibemur, a Chriſti Corpore ſeparemur. Sanctus Hieronymus Epiſtola ſua 1. aſſerit, hunc labente Sæculo IV. quo ipſe claruit, morem Romæ obſervatum fuiſſe, ut quique Fideles quotidie ſe ſe Euchariſtia reficerent: *Scio, Romæ hanc eſſe conſuetudinem, ut Fideles ſemper Chriſti Corpus accipiant; quod non reprehendo, nec probo*. Eidem mori ſaltem in Occidente ſuffragatur æqualis Hieronymo S. Ambroſius in Libro, *De Sacramentis*, ſi tamen hujus Libri Ambroſius Auctor ſit: *Si quotidianus eſt panis, cur poſt annum illum ſumis? quemadmodum Græci in Oriente facere conſueverunt. Accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit. Sic vive, ut quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur poſt annum accipere*; ſi mores ſcilicet non mutet. Cæterum loquitur hic Auctor de ſegnibus quibuſdam Græcis, non autem de piis, quippe qui, ut teſtis eſt Sanctus Baſilius in Epiſtola ad Cæſariam Patriciam, ſolebant pluries in hebdomada communicare: *Communicare*, inquit, *ſingulis diebus, & Sanctum Chriſti Corpus accipere, præclarum eſt, & utile, cum ipſe dicat:* Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem habet vitam æternam. *Quis igitur ambigat, vitam aſſidue participare, nihil aliud eſſe, quam multifariam vivere? Nos autem quater in ſingulas hebdomadas Divina Sacramenta participamus, Dominica die, quarta Feria, in Paraſceve, & Sabbato*.

IV. Quotidianam, frequentemque in hebdomada Communionem commutatam deinde fuiſſe in Communionem Dominicalem, teſtis eſt Auctor Sermonis XXV. inter adſcriptos S. Ambroſio in nova editione Operum ejuſdem S. Patris, ubi ita inquit: *Omnes Chriſtiani omni Dominica debent offerre, & communicare*. Diu perſeveraſſe apud Monachos Dominicalem hanc Communionem, oſtendit Martene in Commentario ad Regulam S. Benedicti, Cap. XXXV. Vigebat apud Græcos non modo Clericos, ſed etiam laicos tempore Theodori Cantuarienſis Archiepiſcopi, qui de iis ſic ſcribit in Capitulis ſelectis, Capite XII. Spicilegii Tomo IX. *Græci omni die Dominica communicant, ſive Clerici, ſive laici; & qui tribus Dominicis non communicaverit, excommunicatur*. De Latinis vero ſic habet: *Romani ſimiliter communicant qui volunt; qui autem noluerint, non excommunicantur*. Obſoleverat ergo jam Sæculo VII. exeunte, pia apud Chriſtianos laicos conſuetudo in ſingulis diebus Dominicis communicandi, quam tamen poſtea excitare, ac renovare ſtuduerunt Capitularia Regum Francorum, uti addiſcimus ex Libro VI. Cap. CLXX. ubi ſtatuunt, ut, *ſi fieri poteſt, omni die Dominica communicent*.

V. Conatæ autem potiſſimum ſunt Sacræ Synodi, atque Epiſcopi religioſiores, ut ſaltem ter per annum Fideles communicarent, Natali ſcilicet Domini, Paſchate, & Pentecoſte. Ita plane ſtatuit Concilium Agathenſe anni DVI. Canone XVIII. decrevitque etiam, ut qui in hiſce ſolemnitatibus *non communicaverint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur*. Iſtud Agathenſis Concilii Decretum refert Egbertus Eboracenſis Archiepiſcopus in Excerptis, Capite XXXVIII. ſimiliſque Canon extat apud Gratianum, Can. *Omnis homo*, *De conſecratione*, Diſtinctione II. ſub nomine Concilii Eliberitani, quamvis in editis iſtius Concilii Canonibus deſideretur; itemque in Concilio Auguſtodunenſi Can. XIV. apud Petrum de Lande, in Concilio Turonenſi III. Can. L. & in aliis multis. Cæterum quamvis ob refrigeſcentem in dies Fidelium charitatem erga Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum Innocentius Papa III. in Concilio Generali IV. Lateranenſi, Can. XXI. de quo dicemus infra Cap. III. §. I. obligationem ſumendæ Euchariſticæ Communionis ad annuam, & Paſchalem reduxit, non defuere tamen Concilia, quæ trinam per annum in memoratis tribus ſolemnitatibus, Natalis Domini, Paſchatis, & Pentecoſtes Communionem omnibus utriuſque ſexus Fidelibus præciperent, ut videre eſt in Concilio Toloſano anni MCCXXVIII. Can. XIII. & Albienſi anni MCCLIV. Can. XXIX.

§. III.

Ideo populum ſæpius admonebit, qua præparatione, & quanta animi religione, ac pietate, & humili etiam corporis habitu ad tam Divinum Sacramentum debeat accedere, ut præmiſſa Sacramentali Confeſſione, omnes ſaltem a media nocte jejuni, & utroque genu flexo Sacramentum humiliter adorent, ac reverenter ſuſcipiant, viri quantum fieri poteſt, a mulieribus ſeparati.

COMMENTARIUS.

I. Late, egregieque S. Carolus in ſuis de Sacramento Euchariſtiæ Inſtructionibus explicat, quæ in hoc noſtro §. continentur; mandat enim inter alia, ut Parochus populum doceat, *qua præparatione, & quanta animi religione, ac pietate, quam ſupplici mente, ac humili etiam corporis habitu, ad illud ſumendum accedere debeat, quantaque rurſus illis ſupplicia parata ſint, qui indigne illud ſuſcipiunt*. Porro diſpoſitiones ad recipiendam Euchariſtiam neceſſariæ, perpendi poſſunt, vel per reſpectum ad animum, vel per reſpectum ad corpus; ſeu, ut Theologi docent, nonnullæ ex parte animi, aliquæ vero ex parte corporis requiruntur; quæ omnes a S. Carolo explicantur citato loco, atque ab eruditis Theologis, qui de Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento tractarunt.

II. Sed ut nonnihil de utriſque nos etiam dicamus ſecundum ea, quæ ſunt in hoc §. præſcripta, notandum primo in eo cenſuimus, debere Fidelem, qui læthalis præſertim peccati reus eſſet, *præmiſſa Sacramentali Confeſſione*, ad Sacram Communionem accedere. Ea namque ſemper in Eccleſia conſuetudo viguit, ut quicumque Corpori, ac Sanguini Domini communicare perciperent, conſcientiam prius Confeſſione, & pœnitentia purgarent; nititurque conſuetudo ipſa celebri illo Apoſtoli Pauli teſtimo-

monio in Epiſtola I. ad Corinthios, Capite XI. *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de Calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indigne, judicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini.* Teſtis antiquæ conſuetudinis eſt quidem inter alios Sanctus Fulgentius in Confeſſione, quam ex ms. Codice Corbejenſis Monaſterii edidit Hugo Menardus in Notis ad Sacramentarium S. Gregorii Papæ, pag. 226. ubi ſic inquit: *Ego Corpus Domini, & Sanguinem ejus, polluto corde, & corpore, ſine confeſſione, & pœnitentia, ſcicut indignus accepi.* Similis accuſatio reperitur in Confeſſionis formula, quam exhibet Alcuinus in Libro, *De Pſalmorum uſu*, atque in alia, quam ex ms. Codice S. Remigii Remenſis publici juris fecit idem Menardus ibidem, pag. 228. Veterum Patrum traditionem ſequuta Synodus Tridentina Seſſione XIII. Can. XI. jam merito definivit, nemini licere, quem mortalis peccati conſcientia ſtimulet, ſi Sacerdotis facultas data ſit, antequam ſe Sacramentali Confeſſione purgaverit, quantumvis ſibi contritus eſſe videatur, Sacram Euchariſtiam accipere.

III. Porro quod nemo ad Euchariſtiam ſumendam accedere debeat, niſi moraliter certus ſit de propria ſanctitate, docent non modo Patres, ſed antiqua illa Orientalis Eccleſiæ conſuetudo, qua tempore Sacræ Communionis Pontifex, ſeu Diaconus alta voce clamabat: *Sancta Sanctis*; uti videre eſt Lib. VIII. Apoſtolicarum Conſtitutionum, Cap. XIII. & apud utrumque Cyrillum, Hieroſolymitanum, Catecheſi V. Myſtagogica, & Alexandrinum, Lib. XII. in Joannem, Cap. XIII. itemque apud Chryſoſtomum Homilia XVII. in Epiſtolam ad Hebræos, & apud alios antiquos Scriptores. Quonam vero ritu id fieret, diſcimus ex Cyrillo Scytopolitano in Vita S. Euthymii, Tomo I. Analectorum Græcorum, ubi ſic ait: *Sacerdos, qui incruentum Sacrificium Deo offert, antequam incipiat, omnibus teſtificatur, & denunciat, dicens:* Surſum mentem, & corda habeamus; *populique pollicitatione accepta, Deo oblationem offerre audet; qua perfecta, manibus in altum extenſis, ferens, & cunctis oſtendens diſpenſatum ad noſtram ſalutem Sacramentum, alta voce, itaut omnis populus audire queat, ait: SANCTA SANCTIS.* Quam ad vocem populus reponebat: *Unus Sanctus, unus Dominus Jeſus Chriſtus*, ut docet S. Cyrillus Hieroſolymitanus loco citato, ubi eum ita ritum exponit: *Sacerdos autem poſtea dicit:* Sancta Sanctis. *Sancta ſunt, quæ in Altari propoſita jacent, recepto Spiritus Sancti ſuperventu. Sancti vos quoque Spiritus Sancti dono dignati. Sancta igitur Sanctis conveniunt. Deinde vos ſubjicitis:* Unus Sanctus, unus Dominus Jeſus Chriſtus. *Revera namque unus eſt Sanctus, natura Sanctus. Nos autem etiam ſancti, verum non natura, ſed participatione, & operum exercitio, ac voto.*

IV. Explicat & ipſum ritum S. Chryſoſtomus Homilia LXI. ad Populum Antiochenum, ubi etiam ait, pertinuiſſe ad Diaconum eas voces proferre: *Diaconus*, inquit, *clamat, Sanctos vocans, & per hanc vocem omnium notans maculas. Sicut enim in grege, ubi ſunt multæ oves, ſanæ aliæ, aliæ vero morbidæ, per hanc excitat vocem, & has ab illis dividit, paſſim circumiens, ſacrorum Miniſter per illum clamorem nimis horrendum, omnes vocans Sanctos, & trahens.* Et poſtea: *Cum enim dixerit,* Sancta Sanctis, *hoc dicit:* Siquis non eſt Sanctus, non accedat. *Non ſimpliciter dicit,* a peccatis purus, *ſed* ſanctus, *non peccatorum tantum liberatione, ſed ſpiritus præſentia.* Huic ritui affine eſt id, quod ſcribit idem Chryſoſtomus Homilia XXXIV. ad Populum Antiochenum, Diaconum nempe in Sacra Synaxi ſubinde clamare ſolitum fuiſſe: *Agnoſcite vos invicem.* Cæterum in Eccleſia Occidentali, maxime in Galliis, diebus præcipuis, quibus univerſus populus ad ipſam Synaxim accedere tenebatur, ſolemni ritu ad Communionem invitabatur, his verbis: *Venite Populi, ſacrum immortale Myſterium, & libamen agendum, cum timore, & fide accedamus. Manibus mundis pœnitentiæ manus communicemus, quoniam Agnus Dei propter nos Patri Sacrificium propoſitum eſt; ipſum ſolum adoremus, ipſum glorificemus, cum Angelis clamantes, Alleluja.* Cujus ritus meminere antiquum ms. Ordinarium Eccleſiæ Lugdunenſis, Ordinarium Cabilonenſe, Ordinarium Carnotenſe S. Joannis, Miſſale Achacenſis Monaſterii, & Rituale S. Martini Turonenſis, ut teſtatur Martene Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. IV. Articulo X. num. VI.

V. Omiſſis aliis diſpoſitionibus recipiendæ Euchariſtiæ ex parte animi prærequiſitis, quas recenſent Tridentini Concilii Catechiſmus, Sanctus Carolus in ſuis Conciliis, & Inſtructionibus, præſtanteſque paſſim Theologi, & Auctores Liturgici de Sacramento Euchariſtiæ agentes; quod ad diſpoſitiones corporis attinet, recte admonet noſter §. ut communicaturi, *omnes ſaltem a media nocte jejuni ſint.* Idem docet Catechiſmus Concilii Tridentini, Parte II. *De Euchariſtiæ Sacramento*, num. LX. ſic inquiens: *Jejuni ad ſacram Menſam accedere debemus, itaut ſaltem a dimidia antecedentis diei nocte uſque ad illud temporis punctum, quo Euchariſtiam accipimus, nihil omnino comederimus, nec biberimus.* Addit autem S. Carolus in ſuis Inſtructionibus de Sacramento Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, præſtantiſſimam hujus Sacramenti dignitatem id poſtulare, *ut pridie illius diei, quo illud ſumant, jejunium celebrent, aut ſaltem parcius cœnent; & quod Fideles aliquando facere conſueverant, in orationibus, piiſque meditationibus partem noctis vigilent, aut ſaltem prolixius orent, quam alias ſoliti ſunt.* Apoſtolicam eſſe traditionem, ut Euchariſtia nonniſi a jejunis ſumi debeat, probant paſſim Theologi auctoritate veterum Patrum, atque Conciliorum, de eaque diſciplina diximus fuſe etiam nos Tomo II. Conciliorum in Commentario ad Canonem XXXIX. Trullani Concilii, ac aliis etiam noſtrorum Operum locis.

VI. Unum vero hic addiderim, quod licet per quodcumque ſumptum in modum cibi, & potus, tollatur jejunium naturale, quod ad Communionem rite recipiendam requiritur, ut ratiocinatur Sanctus Thomas Parte III. Quæſtione LXXX. Articulo VIII. recte tamen idem S. Doctor tradit, ea, quæ per modum ſalivæ caſualiter tranſglutiuntur, non tollere naturale jejunium: *Reliquiæ tamen cibi*, inquit, *remanentes in ore, ſi caſualiter tranſglutiantur, non impediunt ſumptionem hujus Sacramenti, quia non trajiciuntur per modum cibi, ſed per modum ſalivæ; & eadem ratio eſt de reliquiis aquæ, vel vini, quibus os abluitur, dummodo non trajician-*

ciantur in magna quantitate, ſed permixtæ ſolivæ. Idem plane debet ferri judicium de vino, vel condimento, quod quis in os ingerit, & ſtatim expuit; tunc enim non exercetur manducationis, vel potus actio, quod nempe exiguum, quod trajectum eſt, per modum ſalivæ cenſeatur acceptum. Sed idem de ſaccharo dici non poteſt, quippe quod diſtillantis pituitæ vim non temperet, niſi deglutiatur, ac proinde per modum cibi ſumitur; uti obſervat Jueninus, *De Sacramentis*, Diſſertatione IV. *De Eucbariſtia, ut eſt Sacramentum*, Quæſtione VIII. Cap. I. Articulo II. §. I. Concluſione III. Quæſito I. ubi etiam ait, idem nonnullos cum Merbeſio ſentire de tabaco ori ingeſto, ſi illius humor ex ore in ſtomachum trajiciatur, quod nempe, ut ajunt, tunc per modum medicinæ ſumatur, quod quidem tollit naturale jejunium.

VII. Quamquam autem prædicti jejunii diſciplina tanti ſit momenti, ut in eam nequeat Epiſcopus diſpenſare, non deſunt tamen exempla, quibus docemur, conſueviſſe Romanos Summos Pontifices viris Principibus eam facultatem concedere, ut non jejuni poſſent communicare. Oſtendit id quidem, probatque BENEDICTUS Papa XIV. in Epiſtola ſua Italice ſcripta ad Romanæ Aulæ Præſulem Ludovicum Valenti Aſſeſſorem Sancti Officii ſuper devoto pioque deſiderio Jacobi III. Regis Angliæ, ut nempe cum conſilio ſui Patris ſpiritualis communicare poſſit, tametſi poſt mediam noctem præcedentem, ob ſtomachi ſui indigentiam, aliquid jentaculi ſumpſiſſet. Data eſt Epiſtola Romæ anno MDCCLVI. in Typographia Generoſi Salomoni; in qua inter alia exempla illud Caroli V. Imperatoris recenſetur, cum quo Julius Papa III. diſpenſavit, his ad eum datis Literis Apoſtolicis: *Exponi nobis tua Majeſtas fecit, ſe nonnunquam ratione ſuæ valetudinis, ita ſuadente, & cogente, diebus, quibus Sacratiſſimam Eucbariſtiam ſumere inſtituit, de Medicorum conſilio, modicum jentaculum ad neceſſariam ſuſtentationem ventriculi ſumere ante conſueviſſe, & Nobis, ut tam de præterito veniam illi dare, quam in futurum ſecum ſuper eo diſpenſare auctoritate Apoſtolica vellemus, ſupplicavit. Quare nos hujuſmodi neceſſitatem tuam attendentes, & tuæ Majeſtatis pium, ſincerumque in Catbolica Religione, & Sanctorum Patrum Conſtitutionibus tuendis, ac venerandis animum omnibus in rebus agnoſcentes, & omni conſcientiæ ſcrupulo, quod propter iſtiuſmodi uſum hactenus forſan contrahere potuiſti, prorſus in Domino liberamus, & abſolvimus; atque ut in poſterum eodem modo poſt ſumptum neceſſarium jentaculum, præfatum Sacratiſſimum Eucbariſtiæ Sacramentum ſumere poſſis, tecum, ob eodem Domino tradita nobis auctoritate indulgenter diſpenſamus*. Legenda integra laudati BENEDICTI Papæ Epiſtola, in qua multa ſcitu digna inveniet Lector. Multum autem me debere ipſi Pontifici profiteor, quod & in ipſa Epiſtola, & in aliis, ac præſertim in ſuo, *De Diœceſana Synodo*, Opere, me, meaque parvi pretii Opera citare non ſemel cum laude dignatus ſit.

VIII. Sed his omiſſis, ſumendam eſſe præterea Euchariſtiam a Fidelibus utroque genu flexo, noſter hic idem §. monet, atque hæc eſt diſciplina, quæ a pluribus ſæculis invaluit, quæque a S. Carolo confirmatur, mandante non uno in loco, ut communicaturi genibus flexis Euchariſtiam ſumant. Ad demonſtrandam autem tam corporis, quam animi majorem reverentiam, antiqui Fideles, ut ſcribit S. Odo Abbas Cluniacenſis Lib. II. Collationum, Cap. XXVIII. *Ad Divinum Myſterium, qui participare debebant, diſcalceatis pedibus accedebant*. Stantes vero, non, ut fit hodie, genuflexos, communicaſſe, probant Habertus in Notis ad Pontificale Græcorum pag. 270. Henricus Valeſius in Notis ad Euſebium Libro VII. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Cap. IX. & Joannes Thierſius in Gallica Diſſertatione, *De Altaribus*; idemque a Monachis olim actitatum eſſe, demonſtravit Martene in Commentario ad Regulam S. Benedicti, Cap. XXXV.

IX. Mandat demum hic noſter §. ut in ſacra Communione, *viri, quantum fieri poteſt, a mulieribus ſeparati ſint*. Concinit Sanctus Carolus in Concilio Provinciali Mediolanenſi I. Capite, *Quæ pertinent ad Sacramentum Euchariſtiæ*, ubi ſic inter alia inquit: *Eucbariſtiæ Sacramentum, ubi pro Eccleſiarum amplitudine commode fieri poteſt, maribus ſeorſum a feminis miniſtretur*. Id quod luculentius declaravit in Inſtructionibus, *De Sacramento Sanctiſſimæ Eucbariſtiæ*, Capite inſcripto, *De præparatione, quam adhibebit Parochus in Communione frequentis populi*, ſic inquiens: *Altare unum maribus, alterum feminis conſtituet, ubi communicent, maxime, ſi ingens populi ſacram Communionem ſumentis multitudo eſt*. Additque mox: *Deliget vero in ſacra Communione feminis miniſtranda, ſi opus ſit, Sacerdotem adjutorem ſpectata integritate, & Clericos probatos, qui illum miniſtrantem etiam adjuvent*. Idem, quod S. Carolus, ſtatuerunt, & alii Epiſcopi complures in ſuis Synodis Provincialibus, Diœceſaniſque, ac præſertim Maximilianus de Palumbaria in Concilio Provinciali Beneventano XII. anni MDXCIX. Tit. XXIII.

§. IV.

Moneantur præterea communicantes, ut ſumpto Sacramento, non ſtatim ab Eccleſia diſcedant, aut colloquantur, nec ſtatim vagis oculis circumſpiciant, aut expuant, neque in Libro ſtatim Orationes recitent, ne Sacramenti ſpecies de ore decidant; ſed, qua par eſt devotione, aliquantiſper in oratione permaneant, gratias agentes Deo de tam ſingulari beneficio, atque etiam de Sanctiſſima Paſſione Dominica, in cujus memoriam hoc myſterium celebratur, & ſumitur.

COMMENTARIUS.

I. Similia & his ſunt, quæ in ſuis, *De Sacramento Sanctiſſimæ Eucbariſtiæ*, Inſtructionibus S. Carolus ſtatuit, ſic inquiens: *Hæc vero Parochus præterea Fideles admonebit, ut ne poſteaquam Sacram Communionem ſumpſerint, ab Eccleſia ſtatim diſcedant, ſed* per-

permaneant in oratione, quantum fieri poſſit, quieto, & remoto loco; proindeque certam aliquam precandi rationem illis indicet; rudioribus, ut ter, aut quinquies, Pater noſter, *&* Ave Maria, *dicant; aliis pro eorum captu Roſarium Beatæ Mariæ Virginis, aliis orationes in Officio ejuſdem Beatæ Mariæ Virginis diſpoſitas, quæ inſcribuntur*, Orationes poſt Communionem; *& quæ S. Ambroſii ſunt, præſertim indicet, & ante, & poſt Communionem*. Quod tamen intelligendum eſt, ut non ſtatim poſt ſumptum Sacramentum Orationes ipſæ recitentur, *ne Sacramenti ſpecies de ore decidant*; ut recte admonet noſter §. *ſed, qua par eſt devotione, aliquantiſper in oratione permaneant*, mentali ſcilicet, *gratias agentes Deo de tam ſingulari beneficio &c.* ut in eodem noſtro §. edicitur. Ad quem plane ſpectant, quæ mox idem S. Carolus ſubdit, his verbis: *Monebit etiam*, Parochus ſcilicet, *ut reverenter glutiant, ne ſtatim ſpuant, ſed per quartam ſaltem horæ partem a ſputatione abſtineant. Si vero neceſſitas coget prius ſpuere, id in loco ſaltem fiat a pedibus prætereuntium remoto. Ne præterea ſtatim cibum capiant, ſed dimidia poſt ſumptam ſacram Communionem, aut ſaltem quarta horæ parte.*

II. Illud autem opportune adnotandum hic cenſeo, morem fuiſſe antiquum, qui alias hodieque in multis Eccleſiis obſervatur, ut nempe poſt Communionem ſtatim fidelibus communicatis purificatio præberetur; obſervatque eruditus Henricus Valeſius in Notis ad Euſebium Lib. VI. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Cap. XLIII. quod poſtquam Diaconi laicis Euchariſtiam præbere deſierunt, conceſſum illis eſt, ut vinum laicis poſt Communionem porrigerent. Teſtem porro antiqui moris habemus S. Joannem Chryſoſtomum, cujus inter alia accuſationum capita, quibus ab æmulis perperam impetitus eſt, unum, teſte Palladio in ejus Vita, fuit, *quod admonebat omnes, ut poſt Communionem aquam, aut paſtillum deguſtarent, ne cum ſaliva, aut pituita, aliquid e Symbolo Sacramenti præter voluntatem expuerent, quod primus ipſe faciebat*. At hujus accuſationis injuſtitiam merito damnavit Eccleſiæ praxis, quæ poſt Communionem parum panis, aut vini, ſive alterius liquoris deguſtare jam olim permiſit. Nam, uti obſervat Martene, Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. IV. Articulo X. num. XV. S. Benedictus in Regula, Cap. XXXVIII. Lectori die Dominica mixtum ſumere concedit *propter Communionem ſanctam*, ſcilicet, *ne aliquid inde ſumptum exercens projiciat in ſputo*, ut exponit Smaragdus. Similiter & Regula Magiſtri, quæ ab annis circiter mille & centum ſcripta eſt, Cap. XXIV. ita ſtatuit: *Merum propter ſputum Sacramenti accipiat, & incipiat legere.* Hinc non habet locum, quod ait noſter §. ut communicati, *nec de Libro ſtatim orationes recitent, ne Sacramenti ſpecies de ore decidant*; ubi ſcilicet, ut in multis Eccleſiis fieri aſſolet, communicatis ſtatim poſt Communionem data eſt purificatio, ea enim ſumpta, poſſunt ſtatim de Libro orationes recitare, quod periculum non ſit, ut Sacramenti ſpecies de ore decidant.

III. Faciunt demum & ad hunc noſtrum §. quæ in memoratis Inſtructionibus idem S. Carolus monuit, a Fidelibus ea die, qua communicati ſunt, obſervanda, præſertim vero, *ut aſſiſtant Chriſto hoſpiti ſanctiſſimis exercitationibus, atque actionibus; a profanis autem negotiis, & ſæcularibus abſtineant; quod ſi non omnino poſſunt, curent tamen a ſancta Communionis ſumptæ meditatione, & a ſui intima cuſtodia non alienari.*

§. V.

Curare porro debet, ut perpetuo aliquot particulæ conſecratæ eo numero, qui uſui infirmorum, & aliorum Fidelium communioni ſatis eſſe poſſit, conſerventur in Pyxide ex ſolida, decentique materia, eaque munda, & ſuo operculo bene clauſa, albo velo cooperta, & quantum res feret, ornato in Tabernaculo clave obſerato.

COMMENTARIUS.

I. VEtuſtiſſima Eccleſiæ Catholicæ conſuetudine receptum fuiſſe, ut propter infirmorum Communionem, necnon ob alias magnas, atque neceſſarias cauſas, Euchariſtia in Eccleſiis aſſervaretur, antiquiſſimi Eccleſiæ Scriptores teſtantur, etſi plerique proteſtantes hæretici, peracto Sacrificio, Euchariſtiam, aut ut ad ægrotos deferatur, aut ad Fidelium Communionem ſervetur, reſervari non poſſe, perperam obſtinateque contendant, temereque aſſerat Hoſpinianus de origine Cæremoniarum, & Rituum, pag. 91. poſt Concilium Lateranenſe IV. quod habitum fuit anno MCCXV. Innocentio III. Pontifice Maximo, cœpiſſe primum in Templis parari *Tabernacula, & Ædiculas, in quibus incluſerunt Sacramentum*.

II. Verum enim vero, quod a Chriſtianæ Religionis primordiis aſſervari in Chriſtianorum Templis Euchariſtia cœperit, jam nos abunde oſtendimus Tomo II. Romani Pontificalis in Commentario ad Titulum XVIII. qui inſcriptus eſt, *De benedictione Tabernaculi, ſeu Vaſculi pro ſacroſancta Euchariſtia conſervanda*. Teſtem ejus diſciplinæ habemus quidem S. Clementem, ſeu alium ejus nomine antiquiſſimum Scriptorem in Epiſtola II. ad Jacobum Fratrem Domini, ubi ſic inter alia inquit: *Reliquias fragmentorum Corporis Domini cuſtodire debent, ne qua putredo in Sacrario inveniatur, ne cum negligenter agitur, Corpori Domini gravis inferatur injuria*. Idem Auctor Lib. VIII. Apoſtolicarum Conſtitutionum, Cap. XX. ubi agit de Euchariſtiæ Communione, eandem diſciplinam confirmat his verbis: *Poſtquam omnes ſumſerunt, accipiant Diaconi Reliquias, & portent in Paſtophoria*. Paſtophorii variæ ab eruditis Scriptoribus afferuntur ſignificationes. Sanctus Hieronymus in Caput XL. Ezechielis, *Sacrarium*, inquit, *in quo jacet Corpus Chriſti, qui verus eſt Eccleſiæ, & animarum noſtrarum Sponſus, proprie thalamum, ſeu παστοφόριον* appellari.

III. Fuit præterea & vetus mos, ut in Colum-

Digitized by Google

lumbis aureis, argenteiſve ſuper Altare appenſis Sacra Euchariſtia aſſervaretur, uti videre eſt in Concilio Conſtantinopolitano ſub Menna anno DXXXVI. habito, & in Œcumenica Synodo VII. quæ eſt Nicæna II. itemque in Vita S. Baſilii Magni citatis Synodis antiquioris ſcripta ab Amphilochio Iconii Epiſcopo. Cum enim precibus a Deo gratiam obtinuiſſet, ut ſuis verbis Sacrificium offerre poſſet, accepto Divinitus pane, & vino, ipſiſque conſecratis, tempore confractionis, panem diviſit in tres partes; *unam quidem ſumſit cum timore multo; alteram vero reſervavit, ut cum ipſo ſepeliretur; tertiam repoſuit in Columba aurea, eamque pendere voluit ſupra Altare*. Narrat hæc quidem Amphilochius, additque de ipſo Baſilio, *quod gratias agens Deo ſine intermiſſione, quod feciſſet mirabilia, accerſivit Aurifabrem, juſſitque confici Columbam ex auro puro, in qua eam, quam diximus, repoſuit portionem, ſuſpendens eam ſupra Menſam ſanctam, in ſpecie ſanctæ Columbæ illius, quæ apparuit in Jordane, Domino baptizato*. De hujuſmodi Columbis, & earum in Eccleſiis Orientis uſo celebre extat in V. Synodi Actione I. teſtimonium, in qua Clerici æque, ac Monachi Antiocheni contra Severum Conſtantinopolitanæ Urbis non jam Paſtorem, ſed lupum ita conqueruntur: *Nec ſanctis ille pepercit Altaribus, nec ſacris Vaſis, ea conflans, & ſui ſimilibus erogans. Præſumptum eſt & hoc ab eodem, o Beatiſſimi, nam Columbas aureas, & argenteas in formam Spiritus Sancti ſupra Divina Lavacra, & Altaria appenſas una cum aliis ſibi appropiavit*. Relegit hanc querimoniam in Generali II. Nicæna Synodo Actione V. Antonius Monachus.

IV. In Eccleſia quoque Occidentali fuiſſe in uſu hujoſmodi Columbas, multis veterum Scriptorum Latinorum teſtimoniis comprobari poſſet. Legitur in Teſtamento Perpetui Epiſcopi Turonenſis, legaſſe ipſum *Amalario Presbytero Capſam unam communem de ſerico, item Periſtorium, & Columbam argenteam ad repoſitorium*. Periſtorium Ciborium erat, ſeu Tabernaculum, in cojus cavo appenſa erat Columba, ex qua pendebat Pyxis ſacram Euchariſtiam continens. Floruit Perpetuus labente Sæculo V. Meminit Anaſtaſius in Hilaro & Innocentio Romanis Pontificibus ejuſmodi Columbarum Altaribus impendentium, itemque S. Paulinos in Epiſtola XII. ad Severum, ubi totum Altaris apparatum deſcribit. Atque hunc quoque morem adſtruit Udalricus Lib. II. Conſuetudinum Cluniacenſium, Capite XXX. ſic inquiens: *Prædictam autem Pyxidem Diaconus cum Columba jugiter pendente ſuper Altare .... abſtrahit*. Et Lib. I. Cap. IX. ubi hæc habet: *Ipſæ autem Hoſtiæ cum fuerint conſecratæ, mutantur quatuor cum illis, quæ in Pyxide, & aurea Columba ſuper Altare pendente jugiter ſervantur, maxime propter infirmos, ut quidquid de eis eveniat, Viaticum ſit in promptu*. Plura de hiſce Columbis adducunt Novarinus in Agno Euchariſtico Lib. V. Cap. LV. ac Muratorius in Notis ad laudatam Epiſtolam XII. & XXXII. S. Paulini, quorum alter in Notis ad ipſam Epiſtolam XXXII. etiam teſtatur, morem ipſum includendi Euchariſtiam Columbæ aureæ, & ſuper Altare ſuſpendendi, *in pluribus Eccleſiis etiamnum durare*. Teſte Mabillonio in Itinere Italico pag. 217. in Monaſterio Bobienſi *habetur vetus Columba ex aurichalco ad reponendam olim Viaticum*. In Foſſatenſis denique S. Mauri Baſilica, ut ſcribit Martene, Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. V. Articulo III. nom. VI. *hactenus Euchariſtia Columbæ incluſa ſuper Altare appenſæ cernitur*.

V. Porro Tabernaculum, cujus hic noſter §. meminit, ſeu ut alii appellant, *Ciborium*, ſive *Sacrarium*, ut habet Concilium Tridentinum, Seſſione XIII. *De Euchariſtia*, Cap. VI. & Canone VII. Ciborium, illud hodie dicitur, in quo Vaſculum, ſive Pyxis cum ſacra Euchariſtia aſſervatur. At vero Pyxis ipſa, ſeu Vaſculum, vocabatur olim *Conditorium*, ut in primo pervetuſto Romano Ordine a Mabillonio edito legitur. Deſcribens enim hic Ordo quibus cæremoniis Pontifex ad Altare procedit, ait, quod oſtenſa ipſi a Subdiacono Euchariſtia, *tunc inclinato capite Pontifex, vel Diaconus, ſalutat Sancta, & contemplatur, ut, ſi fuerit ſuperabundans, præcipiat, ut ponatur in Conditorio*. Quam vocem ita laudatus Mabillonius explicat Tomo II. Muſæi Italici pag. 8. *Conditorium hic locus, ſeu vaſculum erat, in quo Euchariſtia recondi ſolebat*. Hoc Vaſculum in Codice Remenſi alio nomine vocatur *Chriſmale*, ſeu *Chriſmalis*, ut patet ex præfatione ad ipſum benedicendum, quæ in ipſo Codice hunc in modum legitur: *Præfatio Chriſmalis. Oremus, Fratres chariſſimi, ut Deus omnipotens hoc miniſterium Corporis Filii ſui Domini noſtri Jeſu Chriſti gerulum benedictione, ſanctificationis tutamine, defenſionis donatione, implere dignetur, orantibus nobis*. In Anglicano Monaſterii Gemmeticenſis Pontificali annorum circiter mille, & aliis quoque Pontificalibus, ubi de illius benedictione agitur, *Euchariſtiale Vaſculum* nuncupatur.

VI. Neque ſolum iis nominibus, ſed etiam Turris hojuſmodi Vaſculum jam olim dici ſolitum fuit, ejuſque antiquæ nomenclaturæ teſtis eſt luculentiſſimus S. Gregorius Turonenſis in Libro, *De gloria Martyrum*, Cap. LXXXVI. ubi Turrim ipſam e manibus impuri Diaconi elapſam ait: *Tempus ad offerendum Sacrificium advenit, acceptaque Turre Diaconus, in quo miniſterium Dominici Corporis habebatur, ferre cœpit ad oſtium, ingreſſuſque Templum, ut eam ad Altare ſuperponeret &c.* S. Remigius in ſuo Teſtamento apud Flodoardum Lib. V. Hiſtoriæ Remenſis, ex vaſe aureo decem librarum, quod ipſi Cloduveus Rex donaverat, juſſit quidem *Turriculum, & imaginatum Calicem fabricari*, hæredique ſuæ Eccleſiæ Remenſi donari. Ubi licet aliqui legant *thuribulum*, legendum tamen eſſe *turriculum*, probat Saoſſay in Panoplia Sacerdotali Lib. IX. Cap. IV. Scribit etiam idem Floduardus Lib. II. Cap. VI. de quodam Laudone Remenſi Archiepiſcopo, quod *Turrim quoque auream, quam ad votum ſuum fabricari fecerat, ſuper Altare poſuit S. Mariæ Remenſis Eccleſiæ, & Pateuas tres*. Turrim auream ad aſſervandum Corpus Domini fecit quidem Felix Bituricenſis Epiſcopus, qui vivebat anno DLXXV. eumque de ea re laudat Venantius Fortunatus Lib. III. Carmine XXV.

VII. Conſtat & apud Græcos ſacras fuiſſe Pyxides pro conſervanda ſacratiſſima Euchariſtia, quæ peregrinis a longinquo ad loca ſancta viſitanda confluentibus diſtribuebatur. Teſtis eſt hujos rei Humbertus S. R. E. Cardinalis, qui Conſtantinopolitana Legatione functus eſt anno MLIV.

Digitized by Google

MLIV. cujus hiſtoriam legere eſt apud Caniſium in Theſauro Monumentorum, & apud Baronium in Annalibus Eccleſiaſticis. Sic autem Humbertus inquit: *Ad hæc ſiquid ex ſancta, & venerabili Euchariſtia in Hieroſolymitanis Eccleſiis ſuperfuerit, nec incendunt, nec in foveam mittunt, ſed in Pyxidem mundam recondunt, & in ſequenti die communicant ex ea populum, qui cotidie communicant ibi, eo quod conveniunt illic ex diverſis Provinciis Chriſtiani*. Hanc non improbabiliter credi originem Communionis laicorum ſub una ſpecie panis in Eccleſia Hieroſolymitana propter frequentiam incredibilem peregrinorum ad Sacra Myſteria confluentium, docet Thomaſſinus, Tomo III. *Veteris, & Novæ Eccleſiæ diſciplinæ*, Lib. I. Cap. XV. num. IV. additque, exempli hujus auctoritatem manaſſe in reliquum Occidentem.

VIII. Hinc itaque liquet, hallucinari Morinum, Lib. VIII. *De adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ*, & Joannem Bona Cardinalem Lib. II. *Rerum Liturgicarum*, Capite XVII. Scriptores cæteroqui doctiſſimos, quum ajunt, ſervatam antiquitus Euchariſtiam in Eccleſia propter infirmorum Communionem, hodiernamque conſuetudinem plures Particulas reſervandi ad Fideles in ipſa Eccleſia etiam extra Sacrificium communicandos, a Mendicantibus Fratribus primum fuiſſe introductam, & ab aliis deinde uſurpatam, ipſo Romano refragante Rituali, in quo & nunc etiam decernitur, propter infirmos Euchariſtiam aſſervari. Sed hoc leve eſt argumentum; conſtat enim, IV. Chriſti Sæculo non fuiſſe celebratum Romæ quotidie Sacrificium, uti dilucide oſtendit eruditus Franciſcus Berlendi Clericus Regularis in celebri Opere, *De Oblationibus ad Altare*, pag. 97. ſecundæ editionis. Et tamen teſtatur Sanctus Hieronymus, tum in Epiſtola XXVIII. ad Lucinium Boeticum, tum in Epiſtola L. ad Pammachium, hanc fuiſſe Romæ ſuo tempore conſuetudinem, Sæculo nempe Chriſti IV. quo ipſe claruit, ot quotidie Euchariſtiam Fideles perciperent.

IX. At vero minime addubitandum eſt, quin Mendicantes ſuam ſedulam operam præſtiterint, ut Fideles morem penitus fere extinctum, frequenter ſcilicet communicandi reſumendum incenderent. Pleriqoe namque Chriſtiani tamdiu a ſacra ſuſcipienda Euchariſtiæ Communione abſtinebant, ut Innocentius Papa III. in Concilio Generali IV. Lateranenſi eos coegerit, conſtituta excommunicationis pœna, ſaltem ſemel in anno in Paſchate, Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcipere. Extat hoc Decretum in Capite, *Omnis utriuſque ſexus* XII. *De pœnitentiis, & remiſſionibus*, de quo dicemus nos infra in Commentario ad Caput III. quod eſt de Communione Paſchali. Sane initio Sæculi XVI. Sanctiſſimæ Euchariſtiæ frequentiorem uſum promoviſſe dicitur S. Cajetanus Ordinis Clericorum Regularium Inſtitutor, tum vero S. Ignatius Societatis Jeſu Fundator, ac S. Philippus Nerius, uti legitur in Breviario Romano in Officiis iſtorum Sanctorum. Teſte P. Salvatore Salamandra noſtri Oratorii S. Hieronymi Charitatis Presbytero in Additione ad Exercitia devotiſſima Nicolai Eſchii edita Romæ anno 1644. pag. 260. Bonſignorius Cacciaguerra ejuſdem noſtri Oratorii Presbyter, primus fuit, qui Romæ cœpit in noſtra Eccleſia S. Hieronymi Charitatis frequentiori uſui Sacramentorum aditum aperire; id quod etiam ex variis ejuſdem Cacciaguerræ Epiſtolis, atque Opuſculis conſtat, ac præſertim ex illo, quod Italice ſcripſit, *De Communione*.

X. His obiter dictis, conſueviſſe etiam olim Euchariſtiam, non modo in Columbis aureis, argenteiſque includi, verum etiam in Calicibus ex eadem materia elaboratis, non obſcure innuit Anaſtaſius in Vita Gregorii Papæ III. quem ait, feciſſe *Calicem unum argenteum, qui pendet in Apſide Oratorii*. Illud vero in pleriſque Eccleſiis in more antiquitus fuit, ut Calix iſte, ſeu Pyxis, vel Vaſculum, in quo erant Sacræ Particulæ, in armario poneretur, & quidem erecto in medio Altari ad baſim Crucis. Id perſpicue evincitur ex Canone III. Concilii Turonenſis II. quod anno DLXXX. celebratum eſt: *Ut Corpus Domini*, inquit, *in Altari, non in Imaginario Ordine, ſed ſub Crucis titulo componatur*. Hujus loci, qui Armarium, ſeu Armariolum vocabatur, ubi Pyxis cum Euchariſtia aſſervari ſolet, meminit quidem Renerus in Libro, de Viris illuſtribus Monaſterii ſui, illudque inſigni miraculo illuſtrat his verbis: *Paræcitanam vero Eccleſiam depaſta ſunt incendia, ſed ibi nihilominus Chriſti glorioſa magnificata eſt dextera, cum fuerit namque tanta conflagratio, ut etiam campanas liquefecerit ejuſdem Eccleſiæ; Armariolum tamen ligneum, quo in Pyxide clauſum Corpus Dominicum habebatur, corrumpi aduſtione non potuit, Sacroſanctam ſcilicet ſervante Sancto Sanctorum, cujus Caro requievit in ſpe, cujus non derelicta fuit Anima in inferno, cui datum eſt non videre corruptionem*.

XI. Quamquam vero olim multæ Eccleſiæ Tabernacula in medio Altari haberent, mirabili arte conſtructa, ac lapidibus pretioſis ornata, cujuſmodi multa hodicque Neapoli viſuntur, præſertim vero in Eccleſia Monialium Sanctiſſimæ Trinitatis, & in Templo S. Dominici, quod Suriani dicitur, Nationis noſtræ Calabræ; fuit nihilominus alicubi conſuetudo, ut in pariete Altaris, ſive in marmoreo Armario parieti Altaris affixo Euchariſtia aſſervaretur, uti videre eſt hodieque Romæ in Baſilica Sanctæ Crucis dicta in Hieruſalem. Quod tamen in Decretis generalibus a Hieronymo Epiſcopo Famauguſtæ Apoſtolici Viſitatoris Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ confectis, & juſſu Sancti Caroli de ſuggeſtu lectis, & promulgatis penitus improbatur, Capite inſcripto, *Tabernaculum ligneum pro Sanctiſſimo Sacramento conſervando*. Hinc non videtur mos ille laudabilis recens introductus in medio gradus Menſæ Altaris ſine ullo fere Tabernaculi ſigno Euchariſtiam aſſervandi; tum maxime, quod ipſa Ædicula in eum modum conſtructa nullo ſolet conopæo contegi contra ritum in noſtro Romano hoc Rituali, atque in aliis pleriſque, & præſertim in Concilio Provinciali IV. Mediolanenſi S. Caroli præſcriptum, mandantibus, ut Tabernaculum ipſum conopæo decenter coopertum ſit, ut dicemus in Commentario ad §. ſequentem.

XII. Veteri diſciplinæ aſſervandæ Euchariſtiæ extra uſum Sacrificii multum roboris tribuit quod in laudem Gorgoniæ ſororis ſuæ ſcribit S. Gregorius Nazianzenus, ubi narrat eam morbo liberatam, cum ad Altare procumbens Euchariſtiam, quæ ſuper ipſo Altari aſſervabatur, adoravit, ingentique clamore invocavit: *Deſpe-*

ratis, ait, *aliorum omnium auxiliis, ad martalium omnium Medicum confugit, nactiſque intempeſtu caligine obſervata, cum levius uliquanto morbus urgeret, ad Altare eum fide procumbit, eumque, qui ſuper illud colitur, cum magno clamore obteſtans, omnibuſque nominibus appellans, atque omnium rerum, quas unquam geſſerat, commonefaciens, nam utrinſque Teſtamenti hiſtorias callebat, tandem pia, & præclara quadam impudentia effertur. Quidquid fecerit, audite. Caput cum pari clamore, uberrimiſque lacrymis, mulierculæ illius inſtar, quæ olim Chriſti pedes irrigarat, Altari admovens, nec ſe ante ab ea diſceſſuram minitans, quam ſanitatem conſecuta ſit, ac deinde hoc ſuo pharmaco totum corpus perungens, ac ſicubi quidpiam ſignoram pretioſi Corporis, aut Sanguinis manus condiderat, id lacrymis admiſcens (o rem mirandam!) protinus liberatam ſe marbo ſentit, utque, & corpore, & animo, & mente levis abſcedit, hanc ſpei mercedem conſecuta, ut quod ſperaverat, obtineret, animæque firmitate Corpori firmitatem compararet*. Hactenus ille.

XIII. Referri præterea ad aſſervatam in Eccleſia Euchariſtiam debet & illud execrandum ſcelus hæreticorum Donatiſtarum, quod ab Optato Milevitano, qui circa medium IV. Sæculum floruit, breviter hiſce verbis deſcribitur: *Juſſerunt Euchariſtiam canibus fundi, non ſine ſigno Divini judicii; nam iidem canes accenſi rabie ipſos dominos ſuos, quaſi latrones, Sancti Corporis reos dente vindice tanquam innotos, & inimicos laniaverunt*. Nec ſolum ſub ſpecie panis, verum etiam ſub vini ſpecie ſervatam fuiſſe aliquando in Eccleſia Euchariſtiam, patet ex Epiſtola S. Joannis Chryſoſtomi ad Innocentium I. Papam, ubi ait, ingreſſis militibus in Sacrarium, ubi Sacra erant repoſita, Sanctiſſimum Chriſti Sanguinem in militum veſtes effuſum fuiſſe; quia ſcilicet tunc alicubi laici ſub utraque ſpecie communicabant. Quem morem juſtis de cauſis, pluribus ab hinc ſæculis ab Eccleſia ſublatum tanta animi pertinacia Huſſitæ hæretici retinuerunt, ut ſuis etiam in Templis, domibus, vexillis, & aliis rebus calices pingerent, unde & *calicularii* vocati ſunt, ortaque eſt occaſio uni poetarum dicendi.

Tot pingit calices Bohemorum Terra per Urbes,
Ut credas Bacchi numina ſola coli.

XIV. Ergo antiquiſſima eſt conſuetudo aſſervandi in Altari Euchariſtiam, deſcriptique Patrum loci, ac ſtupenda Gorgoniæ ſanatio hæreticos de ignorantia ſua convincunt, cum ipſam conſuetudinem temere pernegant. Ne autem ſibi gratulentur, & quaſi parta jam victoria triumphum canant, quia ſcilicet eloquentiſſimus Eccleſiæ Doctor laudatus Gregorius Nazianzenus de Euchariſtia verba faciens, ſignorum nomen uſurpavit, notandum hic obiter eſt, quod noſtri paſſim ajunt Theologi, Patres non ſemel Euchariſtiam vocaſſe imaginem, ſignum, figuram, Sacramentum Corporis Chriſti antitypum, nempe ſecundum partem exteriorem ſumptum, non autem ſi conſideretur ſecundum partem interiorem, quam includit. Conſtat ſiquidem Euchariſtia eſſentialiter ex duabus partibus, quarum una, quæ exterior eſt, ſenſibus ſubjacet, altera vero, quæ penitus eſt interior, a nullo ſenſu percipitur. Cum ſecundum hanc alteram partem Veteres Euchariſtiam perpenderunt, eam profecto proprium, verum, ipſummet Chriſti Corpus appellarunt. Cum autem attenderunt ad exteriorem partem, ad ſpecies nempe panis, & vini, dixerunt eam eſſe ſignum, figuram, Sacramentum Corporis Chriſti. Unde ſatis liquet, ea nomina corporalem Chriſti præſentiam in Euchariſtia minime excludere. Cæterum cum noſtri non ſit inſtituti de hac controverſia ſuſius diſputare, conſulendi ſunt Bellarminus, Jueninus, aliique eruditiores Theologi.

XV. His itaque miſſis, explicanda nunc ſunt paulo ſuſius illa noſtri §. verba, quibus edicitur, *ut perpetuo aliquot Particulæ... conſerventur in Pyxide ex ſolida, decentique materia, eaque munda, & ſuo operculo bene clauſa albo velo cooperta, &, quantum res feret, ornato in Tabernaculo clave obſerata*. Pyxis qualis eſſe debeat, & quomodo conficienda, explicatur, ut alios Auctores omittam, a S. Carolo Lib. II. Inſtructionum ſupellectilis Eccleſiaſticæ, his plane verbis: Pyxis, quæ ad Sanctiſſimam Euchariſtiam recte pieque cuſtodiendam adhibetur, ex auro, aut argento puro ſaltem, eoque inaurato fieri debet. Quæ Pyxis cum ex argento ſit, ſi minus ab interiori, & exteriori parte auro non illinitur, ſaltem ab interiori parte illiniatur. Cujus pes ut manu facile, firmiterque capi queat, altitudinis ſex unciarum. Nodus in medio decore, recteque ornatus, nihil vel minimum eminens habeat, quo dum Pyxis capitur, incommode capiatur, aut digiti quidquam lædantur, præſertim quo tempore inter Miſſæ Sacrum populo Sanctiſſima Euchariſtia miniſtratur, & illa indice, & pollice conjunctis manu tenetur. Vas, ſeu Cuppa forma rotunda, aut ovata profunda ſit, & decenter pro profunditatis ratione ampla, in fundoque medio paululum aliquid habeat, quod in orbem tenuiter emineat. In ſumma Pyxide circulus tenuis a labro minimum diſtans inſit, cui in orbem prominenti operculum innitatur. Pyxidis operculum forma itidem rotunda ſit, vel ovata, quæ reſpondeat formæ Pyxidis, quod in medio inſtar fere pyramydis extet; ab uno & altero item latere parvulos tenueſque uncinos, quibus in circulo apte includatur. In ejus ſummo Crux parvula, aut Imago Chriſti crucifixi, vel reſurgentis infixa hæreat. Ubi præ inopia aliud non poteſt, Epiſcopi judicio operculum, & Pyxis ex aurichalco, aut ſtanno inaurato eſſe poterit.

XVI. Similia dictis hucuſque ex S. Carolo, legere eſt in variis aliorum Epiſcoporum Synodis, tum Provincialibus, tum Diœceſanis, in quibus paſſim edicitur, ut *Pyxis, in qua ſacra myſteria reconduntur, argentea ſit, & intus auro delinita*. Ita plane habet Provincialis Beneventana Synodus anno MDCXCIII. a Vincentio Maria Cardinale Urſino, qui fuit poſtea Benedictus Papa XIII. habita, Tit. XXXVII. Cap. II. Non conopæo, ſed velo tegendam eſſe Pyxidem, ſtatuit etiam S. Carolus in Diœceſana XI. Synodo Mediolanenſi in Monitis executionis Decretorum, quæ ad Sacramentalia, & Sacramenta pertinent. Duas ſaltem ab unaquaque Parochiali Eccleſia habendas eſſe Pyxides, alteram forma majori ad uſum ſacræ Communionis populo in Eccleſia miniſtrandæ; alteram minori, qua Sanctiſſimum Sacramentum ad infirmos deferatur. præſcripſit idem Sanctiſſimus Antiſtes in Concilio Provinciali IV. Mediolanenſi, Parte II. Conſtitutionem, Capite inſcripto, *Quæ ad Sanctiſſimum*

ſimum Euchariſtiæ Sacramentum pertinent, ubi & illud quoque mox ſubjicit, ut nempe *quinque ſaltem Particulæ conſecratæ ſerventur aſſidue, ubi Sanctiſſimum Sacramentum conſervatur, quæ octavo quoque die renoventur; idque fiat ex Hoſtiis non ante viginti dies ad ſummum confectis.* Sed de hac Particularum renovatione dicemus infra in Commentario ad §. VII.

XVII. Quod autem in hoc præſenti §. edicitur, ſervandam Pyxidem *ornato in Tabernaculo clave obſerato*, ſtatutum jam & id antiquitus fuit in variis Conciliis, ac præſertim in Generali IV. Lateranenſi Canone XX. relato in Capite I. *De cuſtodia Euchariſtiæ &c.* ubi ſic habet: *Statuimus, ut in cunctis Eccleſiis Chriſma, & Euchariſtia ſub fideli cuſtodia clavibus adhibitis conſerventur, ne poſſit ad illa temeraria manus extendi, ad aliqua horribilia, vel nefaria exercenda. Si vero is, ad quem ſpectat cuſtodia, ea incaute reliquerit, tribus menſibus ab officio ſuſpendatur; & ſi per ejus incuriam aliquid nefandum contigerit, graviori ſubjaceat ultioni.* Videſis quæ ſcripſimus nos in hunc Canonem noſtro Tomo III. Commentariorum in Concilia Oecumenica. Cæterum, quod inter alia ex præſcripto noſtri hujus §. curare illud Parochus debeat, ut *perpetuo aliquot Particulæ conſecratæ eo numero, qui uſui infirmorum, & aliorum Fidelium Communioni ſatis eſſe poſſit, conſerventur in Pyxide*; examinari hic poſſet Quæſtio illa, an convenientius ſit communicare extra Miſſam ex Particulis in Pyxide aſſervatis, quam intra Miſſam poſt Celebrantis Communionem, ſed ne longius hic Commentarius protrahatur, ac præterea opportunior ſit locus in Capite ſequenti de ea re diſſerendi, merito eam Quæſtionem hnc in Commentario omittendam cenſui, & loco potius citato diſcutiendam.

§. VI.

Hoc autem Tabernaculum conopæo decenter opertum, atque ab omni alia re vacuum in Altari majori, vel in alio, quod venerationi, & cultui tanti Sacramenti commodius, aut decentius videatur, ſit collocatum, ita ut nullum aliis ſacris functionibus, aut Eccleſiaſticis officiis impedimentum afferatur. Lampades coram eo plures, vel ſaltem una die noctuque perpetuo colluceat; curabitque Parochus, ut omnia ad ipſius Sacramenti cultum ordinata, integra, mundaque ſint, & conſerventur.

COMMENTARIUS.

I. QUale debeat eſſe Tabernaculum, de cujus alias antiquitate, & uſu jam diximus nos in Commentario præcedenti, egregie præ cæteris explicat veterum rituum indagator, inſtauratorque S. Carolus in Concilio Provinciali IV. Mediolanenſi, Parte II. Conſtitutionum, ubi agit de iis, quæ ad Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum pertinent: *Tabernaculum ligneum*, inquit, *aliave materia conſtans, in quo Sanctiſſima Euchariſtia conſervatur, panno ſerico intrinſecus circumveſtitum undique ſit; conopæo etiam decenti pro Eccleſiarum facultate, locique dignitate contectum, ac bene præterea tutoque clauſum, atque ita quoque aptatum, ut inde Sanctiſſimum Sacramentum commode depromi poſſit, neque ſuper Altare propterea aſcendi neceſſe ſit. Vacuum etiam ſit a Reliquiis, Vaſculo Olei infirmorum, atque inani alio vaſe, at omnino Sacra Euchariſtia cum ſuo Vaſe in eo duntaxat conſervetur; aliud præterea nihil.* Plura ſcitu digna de ipſo Tabernaculo, ejuſque forma, ac veſte interiori, atque exteriori, tradidit idem S. Carolus Lib. I. Inſtructionum ſupellectilis Eccleſiaſticæ, Cap. XIII. Quod noſtrum hunc §. ſpectat, *conopæo decenter opertum* Tabernaculum ipſum eſſe debet, ſerico ſcilicet, vel ſimilis materiæ, ejuſque item coloris, cujus eſt Altaris pallium, pro temporis, feſtique ratione, ut inter alios docet Gavantus in Rubricas Miſſalis, Parte I. Tit. XX. ubi tamen recte admonet, pro colore nigro, ubi is color eſſet adhibendus in Altari, ut in exequiis defunctorum, congruentius eſſe, ut color violaceus in Tabernaculi conopæo adhiberetur, *in honorem*, ut ait, *Chriſti viventis*; atque hic eſt uſus Eccleſiarum rite ordinatarum. Quod etiam intus ab omni parte veſtitum ſit ſerico panno, *rubri quidem coloris, ſi Ambroſiani ritus Eccleſia ſit; aut albi, ſi Romani*, admonuit S. Carolus citato Capite XIII. Veſte quoque ſerica interiore alba inpoſterum, ſaltem non alterius coloris ornatum eſſe debere Tabernaculum ſtatuit inter alia Concilium Provinciale XIV. Beneventanum anni MDCXCIII. ſub Vincentio Maria Cardinale Urſino, qui fuit poſtea Benedictus Papa XIII. Tit. XXXVII. Cap. III. ubi etiam mox jubet, quod & aliæ Synodi, ac præſertim S. Caroli Mediolanenſes ſtatuere, ut in eo ſcilicet *nihil ulterius cuſtodiatur, etiamſi eſſent ſacrorum Oleorum Vaſa, vel Sanctorum Reliquiæ.*

II. Locandum eſſe Tabernaculum *in Altari majori, vel in alio, quod venerationi, & cultui tanti Sacramenti commodius, aut decentius videatur*, edicit hic quidem noſter §. loquens nempe de Eccleſiis Parochialibus, aliiſve, quæ Cathedrales non ſint; in Cathedralibus enim *non debet in Ara maxima collocari, Pontificalium functionum gratia, quæ rebus ad Altare verſus perſolvuntur*, ut memoratum Beneventanum Provinciale XIV. Concilium præſcripſit citato Tit. Cap. VI. Atque hæc fuit etiam diſpoſitio Cæremonialis Epiſcoporum Lib. I. Cap. XII. §. VIII. ubi poſtquam dixit, Altare, in quo eſt Sanctiſſimum Sacramentum ſolere eſſe diverſum ab Altari majori, & ab eo, in quo Epiſcopus, vel alius, eſt Miſſam ſolemnem celebraturus, hanc ſtatim rationem ſubdit: *Nam licet ſacroſancto Domini noſtri Jeſu Chriſti Corpori omnium Sacramentorum fonti præcellentiſſimus, ac nobiliſſimus omnium locus in Eccleſia conveniat, neque humanis viribus tantum illud venerari, & colere unquam valeamus, quantum decet, tenemurque; tamen valde opportunum eſt, ut illud non collocetur in majori, vel in alio Altari, in quo Epiſcopus, vel alius ſolemniter eſt Miſſam, ſeu Veſperas cele-*

braturus, ſed in alio Sacello, vel loco ornatiſſimo, cum omni decentia, & reverentia ponatur. Tum mox: *Quod ſi in Altari majori, vel alio, in quo celebrandum erit, collocatum reperiatur, ab eo Altari in aliud omnino transferendum eſt, ne propterea ritus, & ordo cæremoniarum, qui in hujuſmodi Miſſis, & Officiis ſervandus eſt, turbetur*. Sed hunc locum jam nos explicuimus in Commentariis ad CæremonialeEpiſcoporum,ad quem lectorem remittimus. Quod autem in præſenti noſtro §. edicitur, ut ſacræ Euchariſtiæ Tabernaculum collocandum ſit in Sacello, *quod venerationi, & cultui tanti Sacramenti commodius, aut decentius videatur*, in variis etiam Synodis conſtitutum eſt; ægreque merito ferunt cordati, piique viri, in aliquibus Eccleſiis longe ornatiora haberi Sacella, in quibus Sanctorum Reliquiæ conditæ ſunt, vel aliqua ſacra Imago eſt expoſita, quam Sacellum, ubi adeſt, & quidem reali præſentia ſua Sanctus Sanctorum, ac Dei Filius Chriſtus Dominus, in Euchariſtia ſcilicet, quæ ad Fidelium omnium utilitatem in Tabernaculo aſſervatur, ut eſſet nobiſcum uſque ad conſummationem ſæculi.

III. Merito quoque & illud ex hoc noſtro §. cautum eſt, *ut lampades coram eo*, Tabernaculo ſcilicet Sacræ Euchariſtiæ, *plures, vel ſaltem una die noctuque perpetuo colluceat*. Is enim antiquus eſt ritus, ad quem alluſiſſe videtur Sanctus Joannes Chryſoſtomus Homilia XXXIII. in Caput IX. Matthæi, ubi ſic inquit; *Quid enim hoc loco non magnum eſt, & admirandum? Nam hæc Menſa longe pretioſior eſt, atque jucundior; & lucerna hæc, quam illa, ut norunt, qui cum fide oleo peruncti, a morbis liberati ſunt. Arca etiam hæc multo melior, magiſque neceſſaria; non enim veſtes, ſed miſericordiam incluſam continet, quamvis pauci ſint, qui eam poſſideant*. Ritum, de quo fit mentio in præſenti §, jam late explicuimus in Commentariis ad laudatum Cæremoniale Epiſcoporum Lib. I. Cap. XII. in Commentario ad §. XVII. ubi etiam morem quarundam Eccleſiarum notavimus, in quibus major lampadum argentearum numerus in Altaribus ardet, in quibus extant Sanctorum Reliquiæ, Imagineſve, quam in Altari, ubi Tabernaculum cum Sanctiſſimo Sacramento ibi incluſo extat, in quo una dumtaxat ardere lampas ex aurichalco cernitur. Quidquid autem de eo more ſit, ſive abuſu, quem diſplicere piis viris ſcimus, quod lucernæ, lychni, ac cerei, nedum veſperi, ſed & lucente ſole, die ac nocte, in Eccleſiis ſolerent ardere ab ipſo Religionis Chriſtianæ primordiis, jam fuſe oſtendimus in citatum §. XVII. Cæremonialis Epiſcoporum, allatis veterum Patrum, & Conciliorum teſtimoniis, atque Decretis, quibus etiam hæreticorum errores, futileſque objectiones confutavimus. Cæterum non puto hoc loco omittendum, quod ad rem noſtram præſcribit S. Carolus in ſuis de Sacramento Euchariſtiæ Inſtructionibus, in quibus ſic inter alia inquit: *Lampadarium ſit, in quo lampades accenſæ ſemper colluceant, ſique non plures, una ſaltem in conſpectu Sanctiſſimæ Euchariſtiæ; Lumen vero lampadum oleo olivæ nutrietur; nec vero alterius generis adhibeatur, niſi quibus locis Archiepiſcopus ob eam cauſam conceſſerit, quia nullum ejus generis haberi poteſt*.

IV. Quod ait tandem noſter §. *ut omnia ad ipſius Sacramenti cultum ordinata, integra, mundaque ſint, & conſerventur*, conſtitutum paſſim legitur in Sacris Synodis, ac Ritualibus, explicatumque a nobis jam fuit non uno in loco noſtrorum Operum. Huc enim ſpectat, quod ſtatuit Concilium Generale IV. Lateranenſe, Can. XIX. *Præcipimus quoque*, ait, *ut Oratoria, Vaſa, Corporalia, & veſtimenta prædicta, munda, & nitida conſerventur*. Sed notanda præſertim hujus ſtatuti ratio, quam mox Concilium ſubdit: *Nimis enim videtur abſurdum, in Sacris ſordes negligere, quæ dedecerent etiam in profanis*. Quem Canonem jam nos ſuo loco explicuimus.

§. VII.

Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Particulas frequenter renovabit. Hoſtiæ vero, ſeu Particulæ conſecrandæ ſint recentes, & ubi eas conſecraverit, veteres primo diſtribuat, vel ſumat.

COMMENTARIUS.

I. De renovanda Sacra Euchariſtia habemus Concilii Turonenſis Decretum apud Reginonem Lib. I. *De Eccleſiaſticis diſciplinis*, Cap. LXX. ut *de tertio in tertium diem ſemper mutetur, ideſt, illa a Presbytero ſumatur, & alia, quæ eodem die conſecrata eſt, in locum ſubrogetur, ne forte diutius reſervata, mucida, quod abſit, fiat*. Communis tamen Latinæ Eccleſiæ uſus obtinuit, ut ſemel tantum ſingulis hebdomadis, aut ad ſummum ſingulis quibuſque quindenis diebus Euchariſtia ad Viaticum infirmorum reſervata innovaretur, id quod infinitis prope teſtimoniis probare ſe poſſe ait Martene Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. V. Articulo III. num. IX. ex quibus nonnulla idem Auctor protulit Lib. II. *De antiquis Monachorum ritibus*, Cap. IV. Octavo quoque die renovandam eſſe Euchariſtiam, & quidem *ex Hoſtiis non ante viginti dies ad ſummum confectis*, ſtatuit in ſuo Provinciali IV. Mediolanenſi Concilio S. Carolus, Capite inſcripto, *Quæ ad Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum pertinent*. Idem tum alibi, tum præſertim in Inſtructionibus de ipſo Euchariſtiæ Sacramento repetit, in quibus & ea notavit, clariuſque explicuit, quæ & in hoc noſtro §. præſcripta ſunt. Sic autem inquit; *Eas*, Euchariſtiæ nempe Particulas, *octavo quoque die ad ſummum renovabit, præſertim quinta quaque Feria, ſi commodum erit, in qua Chriſtus Dominus hoc tantum Sacramentum inſtituit. Hoſtiæ ante adhibeantur recentes, & a viginti diebus ad ſummum confectis. Id vero etiam præſtabit, ut ubi recentes conſecraverit, veteres primo miniſtret*. Ceterum ne ultra octavam diem Particulæ ipſæ ſerventur, expreſſe mandant, non modo recentiores paſſim Synodi, verum antiquiores, præſertim Rotomagenſis anni MLXXII. Can. VI. & Londinenſis anni MCCXXXVII. Can. II.

§. VIII.

Fideles omnes ad ſacram Communionem admittendi ſunt, exceptis iis, qui juſta ratione prohibentur. Arcendi autem ſunt publice indigni, quales ſunt excommunicati, interdicti, manifeſtique infames, ut meretrices, concubinarii, fœneratores, magi, ſortilegi, blaſphemi, & alii ejus generis publici peccatores, niſi de eorum pœnitentia, & emendatione conſtet, & publico ſcandalo prius ſatisfecerint.

COMMENTARIUS.

I. Fideles omnes non modo ad ſacram Communionem eſſe admittendos, verum etiam teneri ipſos, ubi ad annos diſcretionis pervenerint, ſemel ſaltem in anno illam percipere in Paſchate, expreſſe ſtatuit Concilium Generale IV. Lateranenſe, Cap. XXI. Verum quamvis hæc Lex Dei, atque Eccleſiæ auctoritate ſancita ad omnes Fideles pertineat, non pauci tamen ab ipſa Sacræ Euchariſtiæ perceptione, *juſta ratione prohibentur*, ut ait hic noſter §. antiquis Patrum Decretis inhærens. Ergo *arcendi ſunt publice indigni*. Sicut enim Eccleſia ſolicita ſemper fuit, ut renati in Chriſto Sacræ Euchariſtiæ alimonia vitam ſuam ſpiritualem nutrirent, ac foverent, ita non minus fuit ſolicita, ne contra Domini præceptum, Sanctum daretur canibus, & nequis indignus ad hoc Sacramentum accedens, judicium ſibi manducaret, & biberet, non dijudicans Corpus Domini. Hac de cauſa jampridem uſitatum fuit, ut ante Communionem Diaconus, *magna voce, terribili clamore*, ut loquitur S. Chryſoſtomus Homilia XVII. in Caput IX. Epiſtolæ ad Hebræos, *tanquam Præco, manum tollens in altum, ſtans excelſus, & omnibus manifeſtus* clamaret, *Sancta ſanctis*, quaſi diceret: *Siquis non eſt ſanctus, non accedat. Non ſolum, inquit, a peccatis purus, ſed etiam, Sanctus. Sanctum enim non facit ſolum liberatio a peccatis, ſed etiam præſentia Spiritus, & bonorum operum copiæ. Non ſolum, inquit, volo vos a cœno eſſe liberatos, ſed albos eſſe, & ſpecioſos.*

II. Quamvis autem ritus iſte a multis jam Sæculis in Eccleſia Latina in deſuetudinem abierit, nihilominus ex variarum Synodorum Decretis, atque ex præſcripto Catechiſmi Tridentini Concilii, ac noſtri hujus Ritualis Romani, Parochus tamquam alter Præco admonere populum ſæpius debet, qua præparatione, & quanta animi religione, ac pietate, & humili etiam corporis habitu, ad tam Divinum Sacramentum debeat accedere, uti videre eſt ſupra in §.III. Porro huc facit quod inter alia ait S. Chryſoſtomus in Homilia LX. ad populum Antiochenum: *Hæc ad communicantes dico, & ad vos miniſtrantes. Nam & ad vos ſermonem convertere neceſſarium eſt, ut multo cum ſtudio hæc dona diſtribuatis. Non parva vobis imminet ultio, ſi quemquam illius culpæ conſcii, hujus Menſæ participem eſſe concedatis. Sanguis ejus de manibus veſtris requiretur; ſive quis Dux militiæ ſit, ſive Præfectus, ſive Princeps Diademate coronatus, indigne autem accedat, prohibe; majorem illo poteſtatem habes. Propterea vos Deus hoc inſignivit honore, ut talia diſcernatis. Hoc veſtra dignitas eſt, hoc ſecuritas, hoc omnis corona; non ut albam, & ſplendentem tunicam circumeatis induti.*

III. Inter publice indignos ex præſenti noſtro §. primum *ſunt excommunicati, interdicti &c.* Excommunicatum, interdictumque, privari Sacramentorum communione, Theologi paſſim docent. Quod excluſionem ab Euchariſtiæ Sacramento ſpectat, jactura ea quidem eſt, quam nullum exæquare poſſit diſpendium. Ex hoc enim nominatim capite, excommunicationem ſummo horrori eſſe oportere Chriſtianis, egregie exponit S. Cyprianus in Libro, *de Oratione Dominica*, num. 47. ubi tractat priorem ſenſum panis quotidiani, quem Chriſtus Dominus in ea oratione poſcere docuit: *Panis vitæ*, ait, *Chriſtus eſt, & panis hic omnium non eſt, ſed noſter eſt; & quomodo dicimus*, Pater noſter, *quia intelligentium, & credentium Pater eſt; ſic & panem noſtrum vocamus, quia Chriſtus eorum, qui Corpus ejus contingunt, panis eſt. Hunc autem panem dari nobis, quotidie poſtulamus, ne qui in Chriſto ſumus, & Euchariſtiam quotidie ad cibum ſalutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abſtenti, & non communicantes, a cæleſti pane prohibemur, a Chriſti Corpore ſeparemur, ipſo prædicante, & monente:* Ego ſum panis vitæ, qui de Cælo deſcendi. Siquis ederit de meo pane, vivet in æternum. Panis autem, quem ego dedero, Caro mea eſt pro ſæculi vita. *Quando ergo dicit, in æternum vivere, ſiquis ederit de ejus pane, ut manifeſtum eſt, eos vivere, qui Corpus ejus attingunt, & Euchariſtiam jure communicationis accipiunt, ita contra timendum eſt, & orandum, ne, dum quis abſtentus ſeparatur a Chriſti Corpore, procul remaneat a ſalute, comminante ipſo, & dicente:* Niſi ederitis Carnem Filii hominis, & biberitis Sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis. *Et ideo panem noſtrum, ideſt, Chriſtum dari nobis quotidie petimus, ut qui in Chriſto manemus, & vivimus, a ſanctificatione ejus, & Corpore non recedamus.*

IV. Itaque ex pervetuſto Eccleſiæ ritu, cujus teſtis eſt S. Cyprianus, excommunicati, quos idem S. Pater variis locis, ac priſci Canones abſtentos nuncupant, ab Euchariſtiæ Communione excluſi ſunt. Quod autem nomine panis quotidiani, quem poſcere edocti a Chriſto ſumus, alii etiam Patres intellexerint Euchariſtiam, indeque increparint Chriſtianos, quod cibum ipſum quotidianum infrequenter, ac tarde ſumerent, conſtat ex S. Ambroſio Libro IV. *De Sacramentis*, Cap. V. S. Auguſtino in Sermone XXVIII. *De verbis Domini*, Venantio Fortunato, & aliis pleriſque in Expoſitione Orationis Dominicæ. Cæterum quod per excommunicationem, quæ olim mortalis, & vulgo anathema dicebatur, excommunicatus non modo a vero Chriſti Corpore, ſed etiam a myſtico ejus Corpore, quod eſt Eccleſia, ſeparetur, & abjiciatur, ac *tanquam ethnicus, & publicanus*, e Fidelium cœtu expungatur, manifeſte ſignificant illa Chriſti verba, Matthæi, Cap. XVIII. quibus hanc poteſtatem Ecle-

cleſiæ expreſſit, & Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus credidit: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus*. Quaſi diceret, ita abſcindatur, tanquam ſi eſſet ethnicus, & publicanus. Atque ad hanc a Corpore Chriſti reſciſſionem reflexere non ſemel Patres, ut excommunicationis gravitatem Fidelibus perſuaderent. Audiendus S.Auguſtinus, qui in Tractatu xxvii. in Joannem ſic ait: *Nihil ſic debet formidare Chriſtianus, quam ſeparari a Corpore Chriſti. Si enim ſeparatur a Corpore Chriſti, non eſt membrum ejus. Si non eſt membrum, non vegetatur Spiritu ejus. Quiſquis autem, inquit Apoſtolus, non habet Spiritum Chriſti, non eſt ejus*. Extat hæc Auguſtini ſententia apud Gratianum Can. xxxiii. Cauſa x. Quæſtione iii.

V. Arcendi præterea a Sacra Euchariſtiæ Communione ſunt ex eodem noſtro §. *manifeſte infames, ut meretrices, concubinarii, fœneratores, magi, ſortilegi, & alii ejus generis publici peccatores*. His concinit S. Carolus in Inſtructionibus de Sacramento Euchariſtiæ: *Non admittuntur*, inquit, *ad Communionem, hæretici, ſchiſmatici, excommunicati, interdicti, publice criminoſi, manifeſteque infames, ut meretrices, publici concubinarii, fœneratores, magi, ſortilegi, blaſphemi, & alii id generis publice facinoroſi homines*. Porro publici peccatores Sancto Thomæ ii viſi ſunt, quorum flagitia ita eruperunt in notitiam publicam, ut nulla poſſint tergiverſatione celari, cujuſmodi ſunt illi, qui palam omnibus concubinam domi alunt, ac cum totius populi ſcandalo apud ſe retinent: *Reſpondeo dicendum*, ait S. Doctor Parte iii. Quæſtione lxxx. Articulo vi. *Quod circa peccatores diſtinguendum eſt; quidam enim ſunt occulti, quidam vero manifeſti ſcilicet per evidentiam facti ſunt, ſicut publici uſurarii, aut publici raptores*. Immo idem S. Doctor cenſuit etiam publicam, & violentam flagitii ſuſpicionem ſatis eſſe, ut quis a Sacra Menſa palam repellatur. Sic enim inquit in iv. Sententiarum, Diſtinctione ix. Quæſtione i. Articulo v. in ſolutione Quæſtiunculæ II. *Dicendum, quod triplex eſt ſuſpicio, quædam violenta, ad cujus contrarium non admittitur probatio, ſicut ſi inveniatur ſolus cum ſola, nudus in lecto, loco ſecreto, & apto ad commixtionem. Alia eſt probabilis, ſicut ſi inveniatur ſolus cum ſola colloquens in locis ſuſpectis, & frequenter. Tertia eſt præſumtuoſa, quæ ex levi conjectura ortum habet; hæc autem ultima deponenda eſt. In ſecunda non debet denegari* Communio, *quia pœna non infligitur, ubi culpa ignoratur. Sed de prima idem eſt judicium, quod de peccato. Unde ſi ſit ſuſpicio procedens ex fama publica, non debet ei dari neque in occulto, neque in manifeſto*.

VI. Sed, ut magis, magiſque explicemus, qui nomine publicorum peccatorum veniant, ſciendum illud plane eſt, ex communi hominum æſtimatione publicum cenſeri, quod quovis modo publice conſtat. Publicum enim, uti poſt Bartolum, alioſque Doctores notavit etiam Fagnanus in Capite, *Veſtra, De cohabitatione Clericorum, & mulierum*, num. 52. eſt illud, quod omnibus patet, itemque illud, quod ponitur in porta Eccleſiæ: *Ad hoc tamen*, ait Fagnanus, *ut aliquid dicatur publicum, non requiritur, ut ipſius notitia ſingulorum auribus inculcetur, ſed ſatis eſt, quod publice ſit actum*. Cum ergo hic noſter §. Conciliorum plurium Decretis, ac Sanctorum Patrum doctrinæ inhærens jubeat, *publicos peccatores* a Communione repelli, manifeſtum eſt, a verbis, & mente Eccleſiæ omnino deviare, qui hujuſmodi peccatores non prius volunt eſſe repellendos, quam per ſententiam Judicis, ſint, ut notorii peccatores, declarati; quaſi non poſſint per notorietatem facti eſſe vere notorii, & publici peccatores, antequam per ſententiam tales eſſent declarati. Num forſan ſcandalum non eſſet, aut Sanctum non daretur canibus, ſi notoriis peccatoribus notorietate facti adminiſtratur Euchariſtia, quamvis nedum per ſententiam Judicis, ut tales, condemnati eſſent?

VII. Obſervat & hæc Vaneſpen, Parte II. *Juris Eccleſiaſtici univerſi*, Tit. iv. Cap. II. ubi etiam mox ſubdit, ex ea reſtrictione a laxioribus quibuſdam Auctoribus excogitata, inutilia reddi Eccleſiæ Decreta, quibus publici peccatores ab Euchariſtiæ Commmunione arceantur: *Deinde ſi ſententia Judicis ſuper notorietate requiratur, priuſquam notorii, & publici peccatores a Communione ſint repellendi, facile quiſque intelliget, inutilia, ac ſine executione futura omnia illa de arcendis publicis peccatoribus Decreta, qui expenderit, quam difficile ſit, quamque ſumtuoſum, ac tædioſum, vel unam hujuſmodi ſententiam obtinere; quamque facile ſit futurum, ut hujuſmodi perditiſſimi homines litem ad longum tempus, imo ad finem vitæ protrahant, ipſoſque Paſtores vexent, & tædio afficiant*. Fateri plane cogimur, Theologorum quorumdam diſtinctiunculis labefactatam non parum fuiſſe ſanctiſſimam Eccleſiæ diſciplinam in adminiſtratione præſertim Sacramentorum, quam ſartam tectamque merito Sancti Patres, ac ſacræ Synodi, abſolute ſervandam voluerunt, præſertim in eo Capite, quod ſpectat ſecluſionem publicorum peccatorum a Communione Sacramenti Euchariſtici. Atque huc etiam facit inſigne S. Joannis Chryſoſtomi teſtimonium, quod initio hujus Commentarii attulimus, num. I. & II.

VIII. Inter alios, qui ab Euchariſtica Menſa excludendi ſunt, non addubito, quin recenſeri debeant hiſtriones, atque comœdi, ob ſuam ipſorum infamiam, qua ab Imperatoribus etiam ethnicis notati quondam fuerunt, quos tamen Imperatores merito objurgat Tertullianus in Libro, *De ſpectaculis*, Cap. xxii. quod factis deinde probarent, quæ Edictis damnaverant: *Manifeſte damnant ignominia, & capitis minutione arcentes Curia, Roſtris, Senatu, Equite, cæteriſque honoribus omnibus ſimul, & ornamentis quibuſdam. Quanta perverſitas. Amant quos multant. Depretiant quos probant. Artem magnificant, artificem notant. Quale judicium eſt, ut ob ea quis offuſcetur, per quæ promeretur? Imo quanta confeſſio eſt malæ rei, quarum Auctores cum acceptiſſimi ſint, ſine nota non ſunt? Quum igitur humana recordatio, etiam obſtrepente gratia voluptatis, damnandos eos cenſeat, ademptis bonis dignitatum in quemdam ſcopulum famoſitatis, quanto magis Divina juſtitia in ejuſmodi artifices animadvertit?* Cæterum quod ab Euchariſtia Communione excludendi ſint hiſtriones, expreſſe aſſerit S. Cyprianus relatus in Canone, *Pro dilectione*, De conſecratione, Diſtinctione iii. ubi etiam hanc rationem ſubdit: *Nec majeſtati Divinæ, nec Evangelicæ diſciplinæ congruit, ut pudor, & honor Eccleſiæ, tam turpi, & infami contagione fœdetur*. Afferri & huc poſſent innumera

mera pene Patrum loca, atque Conciliorum Decreta, quibus nixi Sacerdotes, hiſtriones publicos, comœdoſque a ſancta Communione arcere debent. Sed nec deſunt recentiora inſignium Eccleſiarum Ritualia, quæ & idipſum præcipiunt: *Arcendi ſunt a Communione manifeſte infames, ut meretrices, concubinarii, comœdi &c.* Verba ſunt Ritualis Pariſienſis, quod anno MDCLIV. editum eſt. Quod quidem intelligendum eſt juxta illud, quod in fine noſtri §. habetur: *Niſi de eorum pœnitentia, & emendatione conſtet, & publico ſcandalo prius ſatisfecerint*. Poteſt enim illis Euchariſtia concedi, ut ait Concilium Carthaginenſe III. anni CCCXCVIII. Can. XXXV. ſi converſionis ſuæ ſigna dederint: *Scenicis*, inquit, *atque hiſtrionibus, ceteriſque hujuſmodi perſonis, vel apoſtaticis, converſis, vel reverſis ad Dominum gratia, vel reconciliatio non negetur*.

IX. Præter memoratos in noſtro §. quibus neganda eſt Communio Euchariſtica, arcendæ profecto & ab ea ſunt, mulieres humeris, pectore, mammilliſque, brachiiſve ſeminudatis accedere ad tantum Sacramentum non formidantes. Ita enim ſtatuit peculiari Edicto Innocentius Papa XI. quod die XXX. Novembris anni MDCLXXXIII. ejus nomine S. R. E. Cardinalis Carpineus ejuſdem Vicarius publici juris fecit, quodque varii deinde Epiſcopi Diœceſanis Synodis confirmarunt, uti videre eſt apud Genettum Tomo III. Theologiæ Moralis Tractatu IV. Capite XI. Quæſtione IV. Sed ut alias omittam, Bononienſis Synodus a Jacobo Cardinale Boncompagno edita anno MDCXCVIII. Lib. I. Cap. X. expreſſe jubet, ut feminæ *ad Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ non admittantur, ſi notabiliter pectus nudatum oſtenderint*. Subditque mox, Parochorum & Confeſſariorum eſſe onus, *caſtigandi licentiam ſi noverint in feminis a Chriſtiana compoſitione recedentem*. Hujuſmodi Decretis jam ante præiverat S. Carolus in Inſtructionibus de Euchariſtiæ Sacramento, ubi inter alia monuit, ut *mulieres non ſumptuoſis, non caudatis veſtibus, non crinibus inaniter intortis, non fuco, aut pigmentis vultu illito, non pectore nudo, aut tenui velo obtecto, ſed ita veſtito, ut ne præter faciem quidquam cernatur*, ad hoc Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum accedant, ſecus eſſent repellendæ.

§. IX.

Occultos vero peccatores ſi occulte petant, & non eos emendatos agnoverit, repellat, non autem ſi publice petant, & ſine ſcandalo ipſos præterire nequeat.

COMMENTARIUS.

I. Duo ſunt, quæ de occulto peccatore Euchariſtiam petente in hoc §. ſtatuuntur. Primum eſt, ut Sacerdos Communionem adminiſtrans, *occultos peccatores, ſi occulte petant, & non eos emendatos agnoverit, repellat*. Ratio eſt, quia peccator occultus, qui privatim, & clanculum Sacramentum expoſcit, nullum omnino jus habet ad Communionem, non quidem ratione ſtatus, in quo verſatur, cum per peccatum ex Dei Patris per Chriſtum adoptione exciderit; non etiam ratione famæ, quum denegatio ſit occulta. Unde in caſu, de quo agitur, Euchariſtiæ ſanctitati Miniſter conſulere tenetur; ac præcepta illa Chriſti Domini ſervare, Matthæi VII. *Nolite Sanctum dare canibus*; & XV. *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus*. Atque hæc eſt complurium Theologorum ſententia, ac præſertim Eſtii in IV. Sententiarum, Diſtinctione IX. §. IV. ubi etiam ait, negandam eſſe a Miniſtro Communionem peccatori occulto, *etiamſi per ſolam Confeſſionem crimen ejus, ſeu impœnitentia ſit Sacerdoti nota, niſi petat eo tempore, quo Fideles omnes tenentur Communionem percipere*.

II. At vero quod hic dicit Auctor, denegandam ſcilicet a Sacerdote Euchariſtiam peccatori occulto, cujus crimen per ſolam Confeſſionem nempe Sacramentalem noverit, improbabile eſt, ac ſtare non poteſt. Tam ſtricta enim eſt obligatio ſigilli Sacramentalis Confeſſionis, ut nullo in caſu Miniſtro liceat crimen retegere ipſi etiam ſuo pœnitenti ſine expreſſa illius licentia; id vero perneceſſarium videtur, ne in ipſammet Confeſſionem odium excitetur. Quamobrem licet Sanctus Thomas in eam iverit aliquando ſententiam, quam Eſtius docet, uti videre eſt citato Libro IV. Sententiarum, Diſtinctione IX. Quæſtione I. Articulo V. in ſolutione primæ Quæſtiunculæ, ab ea tamen merito diſceſſiſſe videtur in Summa, Parte III. Quæſtione LXXX. Articulo VI. ubi de hoc caſu prorſus ſiluit, licet ibi mentem ſuam aperiendi occaſio ſe ſe ei obtulerit, uti inter alios notavit Jueninus in Opere, *De Sacramentis*, Diſſertatione IV. Quæſtione VI. Capite VII. Articulo II. in fine.

III. Alterum, quod in noſtro §. edicitur, illud eſt, occultos peccatores, *ſi publice petant*, Communionem, *& ſine ſcandalo* præteriri nequeant, non poſſe ipſos ab eadem excludi. Cujus rei ratio multiplex eſt. Prima, ne prodat crimen occultum, atque ita proximum infamet. Secunda, ne alios ſcandalizet. Tertia, ne petentem jure, quod adhuc habet in facie Eccleſiæ, defraudet. Confirmantur vero hæ rationes exemplo Chriſti, Patrumque teſtimoniis, atque Eccleſiæ praxi. Nam primo Chriſtus in ſua ultima Cœna, in qua Euchariſtiæ Sacramentum inſtituit, ſatius duxit Euchariſtiam Judæ proditori præbere, quam occultum adhuc illius crimen propalare. Scio equidem, S. Hilarium, alioſque nonnullos in ea fuiſſe ſententia, ut putarint, Judam inſtitutioni, & diſtributioni Euchariſtiæ minime interfuiſſe, utpote jam inde egreſſum ad perpetrandum ſcelus proditionis. Sed minime ſtandum eſt ei opinioni, cum evidenter conſtet ex Evangelio Marci, omnes Apoſtolos ebibiſſe conſecratum Calicem: *Et biberunt*, inquit Cap. XIV. *ex illo omnes*. Adfuiſſe tunc vero Judam proditorem, innuit Lucas, cum enarrata Sanctiſſimi Sacramenti inſtitutione, & diſtributione, mox Capite XXII. ſic ait loquutum Chriſtum: *Verumtamen ecce manus tradentis me mecum eſt in menſa*.

Tum

Tum vero ſubdit Lucas : *Et ipſi cœperunt quærere inter ſe, quis eſſet ex eis, qui hoc facturus eſſet?* Unde concluditur, iſta Joannis verba Capite XIII. Verſu XXX. *Cum ergo accepiſſet ille bucellam exivit continuo*, ſic intelligi debere, ut quamvis Judas acceperit intinctum panem ex Cœna Legali, quæ lotionem pedum, & Evangelicam Cœnam præceſſit, exierit quidem ante prolixam Orationem, quam Chriſtus, inſtituto jam Sanctiſſimo Sacramento, ad Apoſtolos habuit, ſed nonniſi peracta tota Cœna, quæ non modo Agni Paſchalis, ſed etiam Euchariſtiæ participationem complexa eſt.

IV. Explicationi hujuſmodi Auguſtinus aperte favet; docet nimirum, intinctam bucellam de qua Joannes loquitur, ſubſequutam fuiſſe Euchariſtiæ diſtributionem, cui Judas adfuit, licet non fuerit Sacramentum. Sic autem Sanctus Doctor in Tractatu LX. in Joannem ait : *Non, ut putant quidam negligenter legentes, tunc Judas Chriſti Corpus accepit; intelligendum eſt enim, quod jam his omnibus diſtribuerat Dominus Sacramentum Corporis, & Sanguinis ſui, ubi & Judas erat, ſicut S. Lucas evidentiſſime narrat. Et deinde ad hoc eventum eſt, ut ſecundum narrationem Joannis, apertiſſime Dominus per bucellam intinctam, atque porrectam, ſuum exprimat traditorem, fortaſſe per panis tinctionem, illius ſignificans fictionem.* Rem eandem idem S. Auguſtinus aſſerit in Epiſtola CLXIII. his luculentioribus verbis : *Traditorem enim ſuum, qui jam pretium ejus acceperat, uſque ad ultimum pacis oſculum inter innocentes ſecum eſſe perpeſſus eſt, quibus non tacuit eſſe inter illos tanti ſceleris hominem; & tamen primum Sacramentum Corporis, & Sanguinis ſui, nondum illo excluſo, communiter omnibus dedit.* Idem repetit aliis locis indicatis ab Eſtio citato loco, §. II. Verſu, *Hanc porro*. Idemque viſum eſt S. Chryſoſtomo in Homilia, *De Juda proditore*, S. Cyrillo Hieroſolymitano Catecheſi I. & paſſim cæteris SS. Patribus; pleniuſque id probant Canones, *Si tantum*, & , *Si placuit*, VI. Quæſtione I. Textuſque in Capite, *Sacerdos*, *De Officio Ordinarii*.

V. Neque vero audiendi ſunt, qui contendunt, ſatius eſſe, ut pœnitens excidat a ſua fama, quam ut ſacrilegii per indignam Communionem quis reus fiat. Nam I. ipſum ſacrilegium peccator admittit, cum Sacræ Menſæ accumbit, & poſcit Sacramentum; per eum enim non ſtat, quin actu Carni Chriſti vim ille inferat. II. prohibet S. Auguſtinus, nequis eligat malum, quale eſt alieni criminis propalatio, ut impediat, ne proximus in aliud licet gravius incidat : *Periculoſiſſime*, inquit in Libro Quæſtionum ſuper Geneſim, Quæſtione XLII. *admittitur hæc compenſatio, ut nos faciamus aliquid mali, ne alius gravius malum faciat.* Conſtat hæc ſolutio ex Sancto Thoma, qui in IV. Sententiarum, Diſtinctione IX. Quæſtione I. Articulo V. ſic loquitur: *Dicendum, quod licet pejus ſit peccatori occulto peccare mortaliter, ſumendo Corpus Chriſti, quam infamari; tamen Sacerdoti miniſtranti Corpus Chriſti, pejus eſt peccare mortaliter, infamando injuſte peccatorem occultum, quam quod ille mortaliter peccet; quia nullus debet peccatum mortale committere, ut alium liberet a peccato.* Cæterum nulli eſſe obnoxium peccato Sacerdotem Euchariſtiam peccatori occulto petenti præbere, expreſſe docet S. Joannes Chryſoſtomus in citata ſuperius Homilia : *Quod ſiquis*, inquit, *venerit cum ſordibus ignoranter*, hoc eſt, occultus peccator, *non eſt miniſtrantis culpa illi adminiſtrare.*

VI. Hinc illud cavendum Sacerdoti potiſſimum eſt, ne Hoſtiam non conſecratam loco conſecratæ peccatori det; tum quia in Sacramento veritatis nulla fictio eſſe debet; tum etiam quia cum nemo Carnem Chriſti manducet, niſi prius eam adoraverit (ut ait S. Auguſtinus exponens illum Pſalmi XXI. verſum, *Manducaverunt, & adoraverunt*; necnon illum Pſalmi XCVIII. *Adorate ſcabellum pedum ejus, quoniam ſanctum eſt*) Sacerdos occaſionem certe idololatriæ daret tum ſumenti, tum aliis præſentibus. Unde Innocentius III. in Capite, *De homine* VII. *De celebratione Miſſarum*, a Romanæ Fraternitatis Rectoribus conſultus, quid ſibi videretur de incauto Presbytero, qui in mortali crimine conſtitutus, propter ſui facinoris conſcientiam dubitans celebrare, finxit ſe conſecrare, quod propter neceſſitatem muneris ſui intermittere Sacrum nequiret. Reſpondit, gravius peccare eum, qui fingit, ſe conſecrare, & non conſecrat, quam ſi in peccato mortali poſitus conſecraret : *Licet is, qui pro ſui criminis conſcientia reputet ſe indignum, peccet graviter, ſi ſe ingerat irreverenter ad illud; gravius tamen videtur offendere, qui ſic fraudulenter illud præſumpſerit ſimulare; cum ille in ſolius miſericordis Dei manum incidat, iſte vero non ſolum Deo, cui non veretur illudere, ſed populo, quem decipit, ſe adſtringat.* Atque his concinit S. Thomas Parte III. Quæſtione LXXX. Articulo VI. ad ſecundum; & Quodlibeto V. Quæſtione VI. Articulo II. ubi & ad III. ait: *Stultus eſſet Medicus, qui cum majori ſuo periculo minus periculum infirmi vellet impedire; puta ſi vellet ipſe venenum bibere, ne infirmus biberet vinum. Multo autem magis peccat Sacerdos fictionem faciens in Sacramento Chriſti, quam peccator indigne ſumens. Unde ſtultus eſſet Sacerdos, ſi ut vitaret peccatum ſubditi, ipſe gravius peccaret, fictionem faciens in Sacramento veritatis.*

§. X.

Amentibus præterea, ſeu phreneticis communicare non licet; licebit tamen, ſi quando habeant lucida intervalla, & devotionem oſtendant, dum in eo ſtatu manent, ſi nullum indignitatis periculum adſit.

COMMENTARIUS.

I. Veteri Eccleſiæ diſciplina ſpectata, amentibus quidem, phreneticiſque, in ultimo vitæ periculo conſtitutis, ſecluſo irriverentiæ periculo, præberi olim ſolita fuit Communio; idque patet ex Canone XVIII. Concilii I. Arauſicani, ubi ita inquit : *Amentibus quæcumque ſunt pietatis, conferenda ſunt*, itemque apertius ex Canone LXXVI. Concilii IV. Car-

Carthaginenſis, qui ſic habet: *Is, qui in infirmitate pœnitentiam petit, ſi caſu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuit, vel in phreneſin converſus fuerit, dent teſtimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam; & ſi continuo credatur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori ejus Eucbariſtia*. Idem quod ſtatuit hic Canon, docuit etiam Sæculo XIII. S. Thomas Parte III. Quæſtione LXXX. Articulo IX. in Corpore, ſic inquiens: *Reſpondeo dicendum, quod aliqui dicuntur non habere uſum rationis dupliciter. Uno modo, quia habent debilem uſum rationis, ſicut dicitur non videns, qui male videt; & quia tales poſſunt aliquam devotionem hujus Sacramenti concipere, non eſt eis hoc Sacramentum denegandum. Alio modo dicuntur aliqui non habere totaliter uſum rationis. Aut igitur nunquam habuerunt uſum rationis, ſed ſic a nativitate permanſerunt, & ſic talibus non eſt hoc Sacramentum exhibendum, quia in eis nullo modo præceſſit hujus Sacramenti devotio. Aut non ſemper caruerunt uſu rationis, & tunc ſi prius quando erant compotes ſuæ mentis, apparuit in eis devotio hujus Sacramenti, debet eis in articulo mortis hoc Sacramentum exhiberi, ni forte timeatur periculum vomitus, vel expuitionis. Unde in Concilio Carthaginenſi legitur*: Is qui in infirmitate pœnitentiam petit &c.

II. Carthaginenſis Concilii Decreto, ac doctrinæ S. Thomæ adhæſit etiam S. Carolus in ſuis de Sacramento Euchariſtiæ Inſtructionibus, in quibus ſic ad noſtram rem inquit: *Amentibus præterea hoc Sacramentum non miniſtrabit quamvis ſi antequam in inſaniam inciderint, piam, & religioſam animi voluntatem præſetulerint; licebit in fine vitæ ex Decreto Concilii Carthaginenſis, modo vomitionis, vel alterius indignitatis, & incommodi periculum non ſit*. Eadem legere eſt in Tridentini Concilii Catechiſmo, Parte II. *De Eucbariſtiæ Sacramento*, num. LXIX. Cæterum puto, conditionem, quam S. Thomas, ac S. Carolus, & Catechiſmus ſupponunt, licet ſpeculative poſſibilis ſit, in praxi tamen nuſquam accidere; ſemper enim eſt periculum vomitus, aut expuitionis in amentibus, phreneticiſve; quo tamen imminente, recte negant laudati Auctores, diſpenſari illis poſſe Euchariſtiæ Sacramentum: *Ni forte timeatur periculum vomitus, vel expuitionis*, ut loquitur S. Thomas; vel, ut ajunt Catechiſmus, & S. Carolus, *Modo vomitionis, vel alterius indignitatis, & incommodi periculum nullum timendum ſit*. Atque hæc ſpectant Communionem præbendam amentibus *in fine vitæ*. Nam alias, ut idem S. Carolus docet, cui noſter §. conſentit, *Licebit etiam*, Euchariſtiam ſcilicet præbere amentibus, phreneticiſque, *ſi quando ad ſanitatem redeant, & devotionem oſtendunt, ſi idem periculum abſit*. Vel ut ait noſter §. *Licebit tamen, ſi quando habeant lucida intervalla, & devotionem oſtendant, dum in eo ſtatu manent, ſi nullum indignitatis periculum adſit*.

III. Ut aliquid tandem & de Energumenis dicam, licet olim iis minime Euchariſtia concederetur niſi in ultima vitæ periodo, ut patet ex Canone XXXVII. Concilii Illiberritani, jam multis nihiluminus ab hinc Sæculis ſacratiſſima iis Euchariſtia diſpenſatur, qui lucidis intervallis fruuntur. Sane Sæculo V. quo Synodus Arauſicana I. celebrata eſt, anno ſcilicet CDXLI. uſus, qui his poſtremis temporibus viget, prima fundamenta jacta fuerunt, & ab antiqua Illiberritanorum Patrum auſteriore diſciplina temperatum eſt; ſancitum nempe fuit, ut Energumenis, qui in Synaxibus ſubjeciſſent ſe purgativæ manuum impoſitioni, Euchariſtia etiam extra mortis periculum adminiſtraretur: *Energumeni jam baptizati, ſi de purgatione ſua curant, & ſe ſollicitudini Clericorum tradunt, monitiſque obtemperant, omnimodis communicent, Sacramenti ipſius virtute, vel muniendi ab incurſu dæmonii, quo infeſtantur; vel purgandi quorum jam oſtenditur vita purgatior*. Vide Jueninum in Opere, *De Sacramentis*, Diſſertatione IV. Quæſtione VI. Capite II.

§. XI.

Iis etiam, qui propter ætatis imbecillitatem nondum hujus Sacramenti cognitionem, & guſtum habent, adminiſtrari non debet.

COMMENTARIUS.

I. DE Communione infantium nonnihil jam diximus, ſupra in Commentariis ad Titulum II. ubi ritus Baptiſmi expoſuimus. At vero, quicquid ſit de antiquo Eccleſiæ ritu, non licere infantibus, pueriſve Euchariſtiam adminiſtrare, recte admodum docet Tridentini Concilii Catechiſmus Parte II. *De Eucbariſtiæ Sacramento*, num. LXVI. ubi hanc etiam rationem ſubdit: *Hi enim neque Sacram Eucbariſtiam a profano, & communi pane ſciunt diſcernere, neque ad eam accipiendam, pietatem animi, & religionem afferre poſſunt*. Additque mox, id etiam a Chriſti Domini inſtitutione alieniſſimum videri, quippe qui in Evangelio Matthæi Cap. XXVI. ſic inquit: *Accipite, & comedite*. Infantes autem idoneos non eſſe, qui accipiant, & comedant, ſatis conſtat. Cæterum, quod olim infantibus tum apud Latinos, tum apud Græcos diſpenſata Euchariſtia fuerit, & quidem uſque ad duodecimum Sæculum, pluribus probat laudatus Jueninus citato in ſuperiori Commentario loco, Cap. I. ubi etiam ait, deſiiſſe eam diſciplinam Sæculo XIII. apud Latinos, apud Græcos autem etiam his temporibus obſervari; id quod etiam notavit Martene Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. IV. Articulo X. num. XIV. fateturque idem Concilii Tridentini Catechiſmus num. LXVII. veterem quidem illam fuiſſe in quibuſdam locis conſuetudinem, *ut infantibus etiam ſacram Eucbariſtiam præberent*; ſed tamen ob varias cauſas Chriſtianæ pietati maxime conſentaneas jamdiu ejuſdem Eccleſiæ auctoritate id fieri deſiiſſe. Id quod etiam de aliis ritibus pro tempurum ratione factum eſt.

II. Porro noſtro §. concinit S. Carolus in laudatis Inſtructionibus de Sacramento Euchariſtiæ, ubi eadem verba leguntur: *Pueri item*, ait, *qui propter ætatis imbecillitatem, nondum hujus Sacramenti cognitionem, & guſtum habent, Sacram Euchariſtiam non miniſtrabit*. Et ratio eſt illa, quam ſupra ex Catechiſmo recenſuimus, quamque jam olim docuerat S. Thomas in IV. Sententiarum, Diſtinctione IX. Quæſtione I. Articulo V. Quæſtiuncula IV. ubi ita inquit: *Dicendum, quod pueris carentibus uſu rationis, qui non poſſunt diſtinguere inter cibum ſpiritualem, & corporalem, non debet Euchariſtia dari, quia ad Euchariſtiæ ſumptionem exigitur actualis devotio, quam tales pueri habere non poſſunt*. Opportune autem ita ſtatim ſubjicit: *Pueris autem jam incipientibus habere diſcretionem, etiam ante perfectam ætatem, puta cum ſunt decem, vel undecim annorum, aut circa, hoc poteſt dari*, Communio nempe Euchariſtica, *ſi in eis ſigna diſcretionis appareant, & devotionis*. Quod præſertim intelligendum eſt, ſi mortis immineat periculum, ne ſine hoc Viatico diſcedant. Qua tandem vero ætate pueris danda ſacra Communio ſit, *nemo melius poterit conſtituere*, inquit laudatus Catechiſmus, *quam Pater, & Sacerdos, cui illi confitentur peccata. Ad illos enim pertinet explorare, & a pueris percunctari, an hujus admirabilis Sacramenti cognitionem aliquam acceperint, & guſtum habeant*.

CAPUT II.

Ordo miniſtrandi Sacram Communionem.

§. I.

Sacerdos igitur Sanctiſſimam Euchariſtiam miniſtraturus, Hoſtiis, ſeu Particulis pro populi multitudine conſecratis, vaſculoque uno, vel pluribus decenti, & commodo loco expoſitis, cum vino, & aqua ad purificationem eorum, qui Communionem ſumpſerint, & ante eos linteo mundo extenſo, lotis prius manibus, & Superpelliceo indutus, ac deſuper Stola coloris Officio illius diei convenientis, præcedente Clerico, ſeu alio Miniſtro, procedit ad Altare, manibus junctis, & accenſis cereis, facta prius, & poſtea genuflexione, extrahit Pyxidem, & illam ſuper Corporale depoſitam diſcooperit.

COMMENTARIUS.

I. Deſcribenda hic primum cenſeo, quæ S. Carolus ſtatuit de præparatione earum rerum, quæ in Communione frequentis præſertim populi adhibendæ ſunt. Ergo, ut ille inquit in ſuis de Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento Inſtructionibus, *Cum dies inſtet Communionis Sacræ frequenti populo miniſtrandæ, pridie illius diei Parochus ſcamna oblonga, & alta, & lata ad formam præſcriptam apparabit; mappas itidem a ſorde puras, & candidas, quibus illa recte, ordineque ſternantur pro frequentis populi ratione. Parabit mappam lineam ſubtili textura, nullo artificio elaboratam, quæ cubitis tribus longa feratur, ſi opus ſit ſub Pyxide, & manibus miniſtrantis. Scabella duo decentia, in quibus collocentur vaſa, & cætera ad purificationis uſum. Mantilia ad ſcabella illa ſternenda. Intortitia duo, plurave, pro ratione diei ſolemnis, quibus lucentibus, Clerici itidem duo præeant Sacerdotem miniſtrantem. Clericos Parochiæ ſuæ omnes ſtata Communionis die præſentes adeſſe præmonebit, qui Superpelliceo induti miniſtrantem pro muneris ſui functione adjuvent. Altare unum maribus, alterum feminis conſtituet, ubi communicent, maxime ſi ingens populi Sacram Communionem ſumentis multitudo eſt. Deliget vero in Sacra Communione feminis miniſtranda, ſi opus ſit, Sacerdotem adjutorem ſpectata integritate, & Clericos probatos, qui illum miniſtrantem etiam adjuvent*. Mandat & alia citato loco Antiſtes Sanctiſſimus, quæ etiam in ſuis Provincialibus Conciliis conſtituit, quibus profecto luculentiſſime explicantur, quæ in hoc præſenti Ritualis Romani Capite præſcribuntur.

II. Mandat autem primum hic noſter §. ut vaſculum unum, vel plura, decenti, & commodo loco exponantur *cum vino, & aqua ad purificationem eorum, qui communionem ſumpſerint*. Eſſe vero hunc antiquum ritum, ut purificatio poſt Communionem, non modo a Sacerdote celebrante, ſed & a Fidelibus communicatis ſumeretur, conſtat plane exemplo S. Joannis Chryſoſtomi a nobis ſuperius allato. Inter alia enim accuſationum capita, quibus perperam ab æmulis impetitus eſt, unum, teſte Palladio in ejus Vita, fuit, quod *admonebat omnes, ut poſt Communionem aquam, aut paſtillam deguſtarent, ne cum ſaliva, aut pituita aliquid e ſymbolo Sacramenti præter voluntatem exſpuerent, quod primus ipſe faciebat*. At hujus accuſationis injuſtitiam damnavit quidem Eccleſiæ etiam Occidentalis praxis, quæ poſt Communionem nonnihil panis, aut vini, ſive alterius liquoris deguſtare, vel olim permiſit, ut late oſtendimus ſupra Cap. I. in Commentario ad §. IV. Plura porro ſcitu digna de ipſa populi purificatione poſt Communionem, ejuſque ritu ſtatuit S. Carolus in Conciliis ſuis Mediolanenſibus, & in Inſtructionibus de Sacra Communione vulgari ſermone conſcriptis, ſicut & de vaſis ei uſui deſtinatis. Vult quippe inter alia, nullo modo Calice, vel alio vaſe, quod ad ſacri Calicis formam factum ſit, purificatio ipſa præbeatur. Ita ſane expreſſe in Concilio Provinciali I. ubi de iis agit, quæ ad Euchariſtiæ Sacramentum pertinent: *Populo*, inquit, *poſtquam Euchariſtiam ſumpſerit, vinum Calice conſecrato, vel alio vaſe, quod ad Sacri Calicis formam factum ſit, ne præbeatur*. Ut ad ipſam purificationem præbendam adhibeantur vaſa vitrea, quæ etiam, *ne alterius rei uſui ſint, ea-*

que

quæ propterea in Sacriſtia ſerventur, ſtatuit in Concilio Provinciali III. Capite eodem. Agit & de ipſis purificationis vaſis idem S. Carolus variis locis Actorum Eccleſiæ Mediolanenſis, præſertim vero Libro II. Inſtructionum ſupellectilis Eccleſiaſticæ, ubi mandat, ut vaſa ad purificationis uſum parata, *ſi aurea, aut argentea ſint, Calicis formam exhibeant, neque vero ſimilia item cyathis vinariis*. Cæterum recte ait hic noſter §. paranda eſſe vaſa diſtincta, quorum alterum ſcilicet vinum contineat, alterum aquam, plerique enim ſunt, qui nec vel a longinquo vini odorem ferre valent.

III. Præter prædicta vaſa, parandum eſt ex præſcripto noſtri §. linteum mundum, ut eſſet ante eos extenſum, qui communicaturi ſunt. Plura & de hujuſmodi linteis, mappiſve ad uſum Sacræ Communionis, quibus ſcilicet ſcabella ad eundem uſum parata ſternantur, præſcripſit idem S. Carolus locis citatis. Quod quidem ſapientiſſime conſtitutum eſt, ut nimirum ſi detur caſus, quod aliqua Particula e manu Sacerdotis, ſeu e Pyxide labatur, non in terram decidat, ſed in ſuppoſitum linteum. Hinc ubi non adſint ſcabella, quibus lintea, mappæve ſuperponantur, tenenda eſt alia regula, quam & S. Carolus docet in Inſtructionibus, *De Sacramento ſanctiſſimæ Euchariſtiæ*, quæ eſt hujuſmodi, ut nempe *Clerici adſint duo cum Superpelliceo, qui Pyxidi ſuppoſita mantilia ſuſtentent*. Porro ubi non eſt populi communicantis multitudo, ſolent nonnulli ſudariolum Altaris ſuſcipere, ſeu extremitatem Caſulæ, vel Manipuli Sacerdotis miniſtrantis mento ſupponere, cum nempe non ad ſcabellum, ſed ad Altare communicant; quem uſum non puto laudabilem, præſertim vero ſi feminæ ſint, quæ ita communicent.

IV. Mandat præterea noſter §. ut Sacerdos, *lotis prius manibus*, Sacram Communionem miniſtret; decet enim quammaxime, eſtque antiquiſſimus Eccleſiæ ritus, a nobis jam alias fuſius explicatus, ut manus, quæ tantum contingere debent Sacramentum, prius laventur. Religionem fuiſſe Hebræis, ut vel quando Sacerdotes ingreſſuri erant Tabernaculum Teſtimonii, & acceſſuri ad Altare, manus antea lavarent in Labro æneo cum aqua poſito in Templo, Cap. xxx. Exodi legimus. Hinc probabile eſt, hunc ipſum morem ad Chriſtianos fluxiſſe, ut canthari, & luteres aqua pleni, vel etiam Fontes ante Fores Templorum collocarentur, uti pluribus docet Joannes Cardinalis Bona, Lib. I. *Rerum Liturgicarum*, Cap. xx. quatenus Sacra, vel preces acturi puras ad Deum manus levarent, ſicut ſcripſit Apoſtolus in Epiſtola I. ad Timotheum, Cap. III. & externa lotione internæ puritatis admonerentur: *Quæ ratio eſt, manibus quidem ablutis, ſpiritu vero ſordente, orationem obire?* Verba ſunt Tertulliani in Libro, de Oratione, Cap. XI. Cæterum ſi ex pervetuſto ritu Patrum teſtimoniis comprobato, vel laici communicaturi debebant manus lavare, uti late probant Stephanus Duranti Lib. II. *De ritibus Eccleſiæ Catholicæ*, Cap. XXVIII. num. 5. & laudatus Bona Lib. II. Cap. I. num. V. potiori ratione debent Sacerdotes Euchariſtiam contrectaturi, atque diſpenſaturi manus ſuas prius lavare.

V. Illud autem hoc loco admonendum eſt, quod & alias ad hunc noſtrum §. notavit Barrufaldus, lotionem hujuſmodi jam non debere eſſe ſuperficialem, ſed accuratam, adeo ut ſordes in manibus minime appareant, neque in unguibus. Quod quidem intelligendum eſt, quum Euchariſtia extra Miſſam adminiſtratur, nam alias ſi in Miſſa miniſtraretur, non opus eſt nova lotione, cum jam Sacerdos ſuo tempore lotus ſit, niſi tamen per accidens adhuc de novo ſordem contraxerit, ut recte notat Barrufaldus in ſuo ad hunc §. Commentario, num. 20. Porro, ut, cum Sacra Euchariſtia, & ſacrum item Oleum, & alia Sacra tangenda ſunt, abluendæ ſint Sacerdotum manus ante, & poſt hujuſmodi Sacramentorum tractationem, expreſſe edixit S. Carolus in Synodo Mediolanenſi XI. Diœceſana in Monitis executionis Decretorum, quæ ad Sacramentalia, & Sacramenta pertinent. Sed utraque hæc manuum lotio ante & poſt Euchariſtiæ adminiſtrationem fit quidem a Sacerdote in Sacriſtia, nam alias, ut infra dicemus in Commentario ad §. VIII. facta Communione, antequam ab Altari diſcedat, abluere digitos debet, quibus tetigit Sacramentum, & purificatorio abſtergere, quod una cum vaſe aquæ extare ſolet ſuper Altari, ubi adſit Tabernaculum cum Sacramento, in quo ſolet fieri Communio.

VI. Venio nunc ad Miniſtrum Sacræ Communionis, ejuſque indumentum, quum ſcilicet extra Miſſam Communionem ipſam Fidelibus eſt adminiſtraturus: *Sacerdos*, inquit hic noſter §. *Sanctiſſimam Euchariſtiam miniſtraturus .... Superpelliceo indutus, ac deſuper Stola coloris Officio illius diei convenientis, præcedente Clerico, ſeu alio Miniſtro, procedit ad Altare &c.* Solos Epiſcopos, & Sacerdotes eſſe ordinarios diſpenſandæ Euchariſtiæ Miniſtros, probari primum ex eo poteſt, quod poſtquam Apoſtolus in ſua I. ad Corinthios Epiſtola, Cap. IV. Epiſcopos, & Presbyteros appellavit Chriſti Miniſtros, eoſdem ſtatim appellat diſpenſatores Myſteriorum Dei: *Sic nos*, inquit, *exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum Dei*. Licet autem Dei Myſteriorum nomine, quæque Sacramenta intelligantur, præcipue tamen Euchariſtia intelligitur, cum inter illa præcipuum teneat locum. Præterea cum Euchariſtiæ confectio ex ſe ad diſpenſationem referatur, & illa Jure Divino ad ſolos Sacerdotes ſpectet, hinc eſt quod & ad eoſdem ſpectat adminiſtratio. Atque hæc eſt ratio, quam exprimit S. Thomas Parte III. Quæſtione LXXXII. Articulo III. ubi ita inquit: *Ipſe*, Sacerdos, *conſecrat in perſona Chriſti; ipſe autem Chriſtus ſicut conſecravit Corpus ſuum in Cœna, ita & aliis ſumendum dedit. Unde ſicut ad Sacerdotem pertinet conſecratio Corporis Chriſti, ita & ad eum pertinet diſpenſatio*. His adde antiquum morem, cujus meminit Tertullianus in Libro, *De Corona Militis*, Cap. III. ſic dicens: *Euchariſtiæ Sacramentum, & in tempore victus, & omnibus mandatum a Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quam Præſidentium ſumimus*, Epiſcoporum ſcilicet, aut Sacerdotum.

VII. Negari vero hic illud non poteſt, quin olim etiam Diaconi Euchariſtiam diſpenſarint; id enim expreſſe tradunt pervetuſti Eccleſiæ Patres, tum Græci, tum Latini. Audiendus inprimis S. Juſtinus, qui in Apologia II. ſic ait: *Poſtquam Antiſtes gratiarum actionem perfecit, & populus omnis apprecatus eſt, Diaconi ex pane, & vino, & aqua conſecratis partes dividunt unicuique præſentium, & ad abſentes portant.*

Diaeonorum munus itaque fuit diſpenſandi Euchariſtiam ſub utraque ſpecie, præſertim vero Calicem, uti mnlta ſuppetunt veterum teſtimonia, quibus, illum ab eis porrectum commuoicantibus fuiſſe, demonſtratur. Nota eſt omoibus pia S. Laurentii Martyris Archidiacoui ad S. Sixtum Papam apud S. Ambroſium Lib. I. *De Offieiis*, Capite XLI. querimonia, quem, quum ad martyrium properantem videret, ipſe martyrii cupidus ſic alloquens dicebat: *Cui eommiſiſti Dominiei Sanguinis diſpenſutionem, eui conſummandorum eonſortium Saeramentorum, huic eonſortium Sanguinis negas?* Celebre eſt quoque ea in re S. Cypriani teſtimouium in Libro, *De lapſis*, ubi refert hiſtoriam puellæ, quæ, quod de idolathitis prægustaſſet, ſacram Euchariſtiam, quam Diacoous adminiſtrabat, aecipere renuit: *Ubi vero*, iuquit, *Solemnibus adimpletis, Calieem Diaconus offerre præſentibus eæpit, & aecipientibus eæteris, loeus ejus advenit, faciem ſuam parvula inſtinctu Divinæ Majeſtatis avertere, & labiis obturantibus premere, Calieem reeuſare. Perſtitit tamen Diaeonus, & relactanti lieet de Saeramento Calieis infudit.*

VIII. Afferri & alia poſſent loca, quibus magis magiſque vetus hæc utriuſque Eccleſiæ, Latioæ & Grææcæ diſciplina probatur. Sed ut paulo fuſius dicam de eo Diaconi muuere, quod erat diſpeoſandi Euchariſtiam ſub ſpecie panis, deeretum eſt quidem in Concilio Arelatenſi II. auui CDLII. Cau. XV, *Ut Diaeonus Corpus Chriſti, præſente Presbytero, tradere non præſumat; quod ſi feeerit, ab officio Diaeonatus abſcedat.* Idem cautum jam fuerat ex Canone XXXVIII. Concilii IV. Carthagineoſis anoi CCCXCVIII. cui interfuit S. Auguſtinua; ſtatuit enim, *ut Diaeonus, præſente Presbytero, Euchariſtiam Corporis Chriſti populo, ſi neeeſſitas eogat, juſſus eroget.* Quamvis ergo Euchariſtiæ diſpeoſatio ad Sacerdotem jure pertineat, Diacouis oihilominus, urgente neceſſitate, a Sacerdotibus committi eooſuevit veluti Miniſtris extraordioariis. Porro veterem hanc Eccleſiæ diſcipliuam egregie explicat Sanctos Thomas Parte III. Quæſtione LXXXII. Articulo III. ad I. ubi hæc habet: *Diaconus quaſi propinquus Ordini Saeerdotali aliquid partieipat de ejus offieio, ut ſeilieet diſpenſet Sanguinem, non autem Corpus, niſi in neeeſſitate, jubente Epiſeopo, vel Presbytero. Primo quidem, quia Sanguis Chriſti eontinetur in vaſe, unde non oportet, quod tangatur a diſpenſaute, ſicut tangere Corpus Chriſti. Seeundo quia Sanguis deſignat redemptionem a Chriſto in populum derivatam, ut & Sanguis admiſeetur aquæ, quæ ſignificat populum; & quia Diaconi ſunt inter Saeerdotem & populum, magis eonvenit Diaeonis diſpenſatio Sanguinis, quam diſpenſatio Corporis.* Verum etſi congruæ ſint deſcriptæ hucuſque Sancti Thomæ rationes, jam ex S. Juſtino oſtenſum fuit, Corporis oon minus, quam Sanguiois Chriſti diſpenſationem commiſſam fuiſſe Diaconis; id quod etiam probatur, ut alios omittam, ex recitatis ſuperius Conciliorum Carthaginenſis, & Arelatenſis Canonibus.

IX. Viguiſſe Romæ & hanc olim diſcipliuam, ut Chriſti Corpus miniſtraret celebrans Sacerdos, Calicem Diaconus porrigeret, atque ad abſentes Sacra Dona Acolythus deferret, vetera ejoſdem Romanæ Eccleſiæ mouumenta nos doceut, allata a Mabillonio in Commentario prævio ad Ordinem Romanum, Cap. VI. ubi Libellos etiam citat Romani Ordinis, atque exemplum affert S. Tharſicii Acolyti, & Martyris, qui, teſtaute Uſuardo ad XVIII. Kalendas Septembris, *Cum quodam die deferret Chriſti Corporis Saeramenta, nec vellet ea diſeutientibus prodere Paganis, tamdiu eſt fuſtibus, ae lapidibus maeeratus ab eis, quouſque exhalaret ſpiritum.* Ceterum quod nono Sæculo in quibuſdam Galliæ locis invaluiſſet abuſus, ut mulieres ad Altaria impudenter irrumperent, & Euchariſtiam populis miniſtrareot, merito dolet, ac damnat eam mulierum temeritatem Pariſienſis VI. Synodus anoo DCCCXXIX. celebrata, Lib. I. Capite XLV. Similis abuſui huic eſt ille, quem etiam damnavit Remenſis Synodus Can. II. apud Gratianum io Canone, *Pervenit*, De conſecratiooe, Diſtinctione II. ubi habetur, quoſdam Presbyteros in tantum parvipeodiſſe Divina Myſteria, ut *laico, vel feminæ ſuerum Corpus Domini* traderent *ad deferendum infirmis.* Vel eo autem capite abuſum huuc damuat, quod *quibus prohibetur, ne Saerarium ingrediantur, illis Sancta Sanctorum committerentur.*

X. Sed his omiſſis, explicaodum uunc eſt, quo indumento ornatus debet Sacerdos Euchariſtiam extra Miſſam adminiſtrare: *Superpellicee indutus, ae deſuper Stola coloris Offieio illius diei convenientis*, ait hic noſter §. cui Rubricæ Romaui Miſſalis cooſentiunt, eaque eſt praxis, quam omnes fere teuent Eccleſiæ, ſi Mediolanenſem excipias, in qua ex antiquo ejuſdem ritu, ac S. Caroli præſcripto iu Concilio Provioeiali V. Mediolaoeoſi, Capite, *De iis, quæ ad Euchariſtiæ Saeramentum pertinent*, Sacerdos uti tunc debet *Superpellieeo, Stolaque alba, & ubi ritus Ambroſianus eſt, rubra*; cautumque ibidem illud præterea eſt, *ut Pluviali Epiſeopus indutus ſit, quando illam non in Miſſæ Sacrificio miniſtrabit.* Debere Superpelliceum omoino adhiberi a Sacerdote admioiſtrante extra Miſſam Euchariſtiam, ſicut & Stolam, atque adeo quidem, ut graviter peccaret, ſi veſtes illas omitteret, recte docet, probatque Paulus Maria Quarti in Rubricas Miſſalis, Parte II. Tit. X. Sectione III. Dubio III. in II. Difficultate, ubi varios etiam Auctores citat, colligique ait ex Capite, *Sane, De eelebratione Miſſarum.* Quod autem mox ſubjicit, noo videri ſcilicet damnandum peccatl mortalis Sacerdotem deferentem Euchariſtiam ex uno Altari ad aliud ſine Cotta, & Stola, quia nou miniſtrat Sacrameotum; nou puto recte dictum; ſemper enim cum ſumma revereotia tractaudum eſt Euchariſtiæ Sacramentum etiam iu ejus delatioue ab uno ad aliud Altare; ideoque non modo tunc Sacerdos illud deferens indutus eſſe debet Superpelliceo, & Stola, verum etiam adeſſe tuoc debent duo ſaltem, qui intorticia accenſa deferaot, ac alius item, qui umbellam ſuper Sacerdotis Euchariſtiam geſtantis caput, ut eſt communis Eccleſiarum praxis, quæ non debet a Sacerdote contemni, aut omitti, ubi nulla adſit neceſſitas.

XI. De cereis in Divinis Officiis peragendis jam olim in Eccleſia accendi ſolitis, quos & in Communioue extra Miſſam veteri diſciplinæ iohærens hic noſter §. præſcribit, inſignia extant Patrum teſtimooia a nobis allata variis noſtrorum Operum locis. Huc plane facit, quod ſcribit S. Hieronymus iu Libello adverſus Vigilantium;

tium: *Per totas Orientis Eeeleſias, quando legitur Evangelium, aeeenduntur luminaria jam ſole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum; unde & virgines illæ Evangelieæ ſemper habent aeeenſas lampades ſuas. Et ad Apoſtolos dieitur:* Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardeutes in manibus veſtris. *Et de Joanne Baptiſta:* Ille erat lucerna ardens, & lucens; *ut ſub typo luminis corporalis illa lux oſtendatur, de qua in Pſalterio legimus*, Pſalmo ſcilicet cxviii. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.* Ob has aliaſque myſticas ſignificationes adhiberi conſueviſſe, noo modo ad Evangeliom, ſed ad totum Sacrificium lumina, teſtem habemus Sanctum Iſidorum Hiſpalenſem Epiſcopum Lib. vii. Originum, Cap. xii. *Acolyti Græce, Latine Ceroferarii dieuntur a deportandis eereis, quando Evangelium legendum eſt, aut Saerifieium offerendum. Tune enim aeeenduntur luminaria ab eis, & deportantur, non ad effugandas tenebras, dum ſol eodem tempore rutilet, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum, ut ſub typo luminis corporalis, illa lux oſtendatur, de qua in Evangelio legitur*, Joannis ſcilicet Cap. i. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Sicut itaque in Sacrificio lumina adhibentur, ita & dum extra illud Communio Eucharíſtica adminiſtratur, non modo ob tanti Sacramenti obſequium, ſed ut & illud inouant, quod inquit Apoſtolus lo Epiſtola ad Epheſios, Cap. v. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, ut filii lucis ambulate.* Laudabilis autem eſt & illa communis fere Eccleſiæ praxis, ut dum ad Altare fit Communio, ſive in Miſſa, ſive extra Miſſam, præter duos accenſos in Altari cereos, tertius extra illud ardeat. Ceterum quamvis duorum illorum cereorum omiſſio non videatur eſſe grave peccatum ex Diana Parte x. Tractatu xvi. Reſolutione lxxx. contrarium tameo merito ceoſent alii Scriptores citati a memorato Quarti in notato ſuperius loco, iu tertia tamen Difficultate.

XII. Rurſus debere Sacerdotem Communiouem adminiſtraturum, *præcedente Clerico, ſeu alio Miniſtro*, procedere ad Altare, idem noſter §. mandat. Ad huuc enim finem initiantur Clerici, ut Altari, Diviniſque Officiis inſerviant; rituſque antiquus eſt in Concilio Chalcedonenſi præſcriptus, Cao. vi. quem nos late explicuimus Tomo i. Commentariorum in Concilia Oecumenica, & confirmatus in Concilio Tridentino Seſſione xxiii. Cap. vi. & xvi. uoviſſime vero io Romano Concilio a Benedicto Papa XIII. anno MDCCXXV, celebrato, Tit. vi. Cap. II. ut *nullus Clerieali Tonſura initietur, niſi eodem tempore alieui Eeeleſiæ adſcribatur, pro cujus ſervitio debet ordinari.* Debere Clericum, qui Sacerdoti Communiooem miniſtranti inſervit, eſſe & ipſum Superpelliceo indutum, ſtatuit non uno in loco S. Carolus. Non puto autem, ut, ubi ob Clericorom penuriam laicus adhibetur, iſte Superpelliceum induat, eſt enim Superpelliceum veſtis Clericalis, quæ ſpeciali formula ex antiquo Eccleſiæ ritu initiando prima Tonſura ab Epiſcopo imponitur, uti jam diximus Tomo i. Commeotariorum in Partem i. Romani Pontificalis Tit. iii. §. viii.

XIII. Procedens ad Altare Sacerdos Superpelliceo, & Stola, uti dictum ſuperius fuit, indutus, ex præſcripto noſtri §. iocedat *manibus junctis*; itemque tecto capite, & inceſſu gravi, ut recte ait Bauldry in Manuali Sacrarum Cæremooiarum, Parte iii. Tit. xiii. Cap. viii. quod eſt, *De Communione extra Miſſam, tam in Feſtis diebus, quam profeſtis.* Ad Altare autem cum pervenerit, ex eodem noſtro §. *facta prius, & poſtea genuflexione, extrahit Pyxidem, & illam ſuper Corporale depoſitam diſeooperit.* Sed audiendus iterum Bauldry, qui ritum ipſum fuſius luculeotinſque exponit hiſce plane verbis: *Ad Altare eum pervenerit, dato bireto Miniſtro, genuflectit in plano uſque ad terram, & Miniſter eum eo, & ſurgit, & rurſus flexis genibus ſuper infimum gradum Altaris, parumper orat, ſi velit, dicens Orationem*, Aures tuæ pietatis, *aut aliam convenientem. Tunc aſeendit ad Altare, extrahit Corporale de Burſa, qua depoſita in cornu Evangelii, illud de more extendit, purifieatorium ſibi propius parat, & aeeepta elave, aperit Tabernaculum, genuflectit, ſurgit ſtatim, & trahit Pyxidem velo convenienti tectam, vel potius ſemper albo, ponit eam in medio Corporalis, amovet velum, & operculum, rurſus genuflectit, & ibidem ſtat verſus Altare, donec facta fuerit Confeſſio a Miniſtro.* Quod ait amovendum velum, quod Pyxidem tegit, profecto locum oon habet, cum velum ipſum, ex communi Eccleſiarum praxi junctum, ac ligatum ſit ſuper operculo Pyxidis.

XIV. Cæterum ex dictis hactenus illud addiſcimus, in Communione particulari extra Miſſam, parari prius debere in Altari, ubi facienda eſt Communio, Burſam coloris convenientis diei cum Corporali intus, & Purificatorium prope medium Altaris, juxta Corporale ad latus Epiſtolæ, una cum clave Tabernaculi, itemque mappas lineas extendendas ſuper cancellos, ſeu ſcamna, ſi neceſſe ſit, ante communicandos, aut alio modo tenendas a Clericis, aliamque, ſi opus ſit, pro Communione Miniſtri, aut Clericorum, quæ diverſa ſit a manutergio, quo Celebrans utitur ad extergendas manus; vas unum præterea, aut duo cum vino, & aqua pro purificatione communicantium, cum mappula una, aut altera, & aliud vas pro purificatione digitorum Sacerdotis cum mappula, qua digitos ipſos abſtergat.

§. II.

Miniſter genibus flexis nomine populi ad cornu Epiſtolæ facit Confeſſionem generalem, dicens, *Confiteor Deo &c.*

COMMENTARIUS.

I. Ritum dicendi *Confiteor* ante Communionem, non ita eſſe in Eccleſia recentem, ut in antiquis Ritualibus Libris, & apud Patres aliquod ejus veſtigium minime reperiatur, notat doctiſſimus Lebrun in ſua Explicatione Cæremoniarum Miſſæ Tomo i. Parte v. Ar-

Digitized by Google

Articulo x. §. II. Deſumptum eſſe eum ritum ex Confeſſione, quæ fit initio Miſſæ, docet Gavantus in Rubricas Romani Miſſalis Parte II. Tit. x. n. 6. Quod in hoc noſtro §. edicitur, acceptum videtur ex ipſo citato loco Rubricarum Miſſalis, in quo ita legimus: *Si qui ſunt communicandi in Miſſa, Sacerdos poſt ſumptionem Sanguinis, antequam ſe purificet, facta genuflexione, ponat Particulas conſecratas in Pyxide, ſeu alio Calice. Interim Miniſter ante eos extendit linteum, ſeu velum album, & pro eis facit Confeſſionem, dicens*, Confiteor Deo &c. Præmittendæ Sacræ Communioni generalis Confeſſionis ritum, a Monachis, Fratribuſque Mendicantibus ad cæteros Fideles manaſſe, pluribus probat Lebrun.

II. Porro, quo ritu, & a quibus pronuncianda ſit generalis in Communione Confeſſio, plane explicat S. Carolus in ſuis Inſtructionibus, *De Sacramento Sanctiſſimæ Eucharistiæ*, Capite inſcripto, *Ordo miniſtrandi Sacram Communionem*, ubi ſic habet: *Tum Diaconus, aut Clericus Superpelliceo indutus a parte Epiſtolæ genuflexus monet, ſignum Crucis ſibi quemque adhibere, ipſeque alta, & clara voce ſignans ſe, dicit*: In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen; *& manibus junctis Confeſſionem generalem dicit eadem voce, & tarda pronunciatione; illis ſimul cum eo diſtincte pronunciantibus, aut ſaltem attentiſſime audientibus*, qui ſcilicet communicaturi ſunt, *Confiteor Deo Omnipotenti &c.* Confeſſione pronunciata, ex ejuſdem Ordinis præſcripto Parochus, ſeu Sacerdos Communionem adminiſtrans, dicit: *Deo gratias*. Ex communi Eccleſiæ praxi Confeſſionem facit quidem Miniſter Superpelliceo, ut dictum eſt, indutus, verſus Celebrantem, dicens: *Confiteor*, & junctis manibus, & prius ſibi facto Crucis ſignaculo; caput vero inclinatum, profundius inclinat ad ea verba, *& tibi Pater*, *& te Pater*, percutiens ſibi ter pectus ad verba illa, *mea culpa*, ſiniſtra infra pectus poſita, & ibidem reſpondet, *Amen*, quando opus eſt.

§. III.

Tunc Sacerdos iterum genuflectit, & manibus junctis ante pectus, vertit ſe ad populum, advertens ne terga vertat Sacramento, & in cornu Evangelii, dicit: *Miſereatur veſtri Omnipotens Deus, & dimiſſis peccatis veſtris, perducat vos ad vitam æternam*. ℟. *Amen*. Et addit: *Indulgentiam, abſolutionem* ✠, *& remiſſionem peccatorum veſtrorum tribuat vobis Omnipotens, & miſericors Dominus*. ℟. *Amen*. Dicens: *Indulgentiam &c.* manu dextera in formam Crucis ſignat communicandos.

COMMENTARIUS.

I. Facta Confeſſione a Miniſtro, de qua in præcedenti Commentario diximus, juxta S. Caroli præſcriptum Sacerdos dicit, *Deo gratias*, tum ſtatim pergit dicere: *Miſereatur veſtri &c.* Poſt manu dextera Crucis ſignum Fidelibus communicantibus adhibet, & dicit: *Indulgentiam abſolutionem &c.* Ritus hujus indicium videre eſt in S. Joannis Chryſoſtomi Liturgia, in qua, uti obſervat Jacobus Goar in Rituali Græcorum a ſe illuſtrato, in ſuis ad eandem Notis, num 169. editionis Venetæ pag. 128. col. 1. *Veniam petit Diaconus Communionem a Sacerdote percepturus, eamque ſimiliter quilibet e populo ad ſacram Synaxim acceſſurus, omnibus audientibus in hodiernum uſque diem vulgari lingua ſolet expoſcere dicens*: συγχώρησον χριστιανέ, *condonate Chriſtiani. Cui omnes reciproco charitatis affectu reſpondent*, ὁ Θεὸς συγχωρήσει, *Parcat tibi Deus*. Sed his omiſſis, notandum illud, quod inter alios monet Gavantus in Rubricas Miſſalis, ut nimirum ſicut in Miſſa, uno præſente, dicitur, *Miſereatur veſtri &c.* &, *Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem peccatorum veſtrorum &c.* ita etiam dici debeat a Sacerdote in adminiſtranda Communione, *veſtri*, & *veſtrorum*, licet unus communicet.

§. IV.

Deinde ad Altare ſe convertit, genuflectit, manu ſiniſtra Pyxidem prehendit, & duobus digitis pollice, & indice Sacramentum accipit, & elevat; converſuſque ad populum in medio Altaris, dicit clara voce: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Mox ſubdit: *Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo, & ſanabitur anima mea*; quod iterum, & tertio repetit; qua formula etiam utendum eſt, cum feminæ Communio adminiſtratur.

COMMENTARIUS.

I. Similia his, quæ & in hic noſtro §. habentur, ſtatuta ſunt in Rubricis Miſſalis, Parte II. Tit. x. num. 6. ex cujus præſcripto Sacerdos, poſtquam manu dextera in formam Crucis ſignavit communicandos, uti ſupra dictum eſt, *genuflectens accipit manu ſiniſtra Pyxidem cum Sacramento, dextera vero ſumit unam Particulam, quam inter pollicem, & indicem tenet, elevata ſuper Pyxidem, & converſus ad communicandos, in medio Altaris, dicit: Ecce Agnus Dei &c.* Quæ poſtrema verba ſumpta ſunt ex Evangelio Joannis, Cap. 1. recteque a Sacerdote proferuntur, dum Sanctiſſimum Sacramentum populo oſtendit, tametſi ritus iſte minime antiquus ſit, ut in recitatam Miſſalis Rubricam obſervat Gavantus. Meminit nihilominus

nus ejus ritus Sanctus Carolus in Inſtructionibus de Euchariſtiæ Sacramento, ubi recenſet & ordinem miniſtrandi Sacram Communionem, itemque Concilium Aquiſgranenſe anni MDLXXXV. *Teneat unam ex Sacris Hoſtiis aliquantulum ſuper labium Pyxidis elevatam ...., & dicat voce aliquantulum elevata, gravi tamen: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.*

II. Juxta præſcriptum noſtri §. Sacerdos ſubdit mox: *Domine non ſum dignus &c.* quod iterum, ac tertio repetit. Concinunt Rubricæ Miſſalis loco citato, a quibus in eo recedit S. Carolus, quod juxta Ordinem ab eo præſcriptum non quidem Sacerdos, ſed *tum Diaconus, vel Clericus genuflexus, ut ſupra, clara voce dicit:* Domine non ſum dignus &c. *quod iterum, ac tertio repetet, per ſingulas vices pectus percutiens; qua formula etiam utendum eſt, cum feminæ communio miniſtratur; & qui communicaturi ſunt, una cum Clerico eam pronunciabunt, ſaltem ſubmiſſa voce.* Porro ex Concilio Aquiſgranenſi, ſuperius citato, cautum eſt quidem, ut *vel ipſemet Sacerdos, vel Clericus in eodem loco, capite profunde inclinato, percutiens pectus, dicat ter,* Domine non ſum dignus &c. Et ſane hunc fuiſſe veterem morem, ut communicaturi ipſi Fideles dicerent, *Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum &c.* ab Origene addiſcimus Homilia VI. in diverſos, ubi hæc habet: *Quando ſanctum illum cibum, illudque incorruptum accipis epulum, quando vitæ pane, & poculo frueris, manducas, & bibis Corpus, & Sanguinem Domini, tunc Dominus ſub tectum tuum ingreditur; & tum ergo humilians temetipſum, imitare hunc Centurionem, & dicito:* Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum &c.

III. Recte autem illud S. Carolus monet, quod & alias in hocce noſtro §. edicitur, *ea formula etiam utendum eſſe, cum feminæ Communio miniſtratur;* ſciteque obſervat Gavantus in Notis ad recitatam Miſſalis Rubricam, ritum illum apud quaſdam Moniales, quæ dicunt, tacente Sacerdote, dum communicant, *Domine non ſum digna,* duo continere errata; *alterum, quod a Sacerdote non dicitur contra hanc Rubricam; alterum, quod mutantur verba a Centurione accepta, & a Rubrica non mutata, contra Bullas Pii V. & Pauli V. qui prohibent mutationem in Miſſali, & Rituali Romano, in quo expreſſe dici jubetur,* Domine non ſum dignus. Hinc corruit, quod & in Romano Miſſali Venetiis edito anno 1563. cui Titulus, *Opus aureum de ordine celebrandi Miſſam,* legitur: *Advertat Sacerdos dum ſacram Communionem ſolis monialibus porrigit, ut dicat:* Domine non ſum digna; *quia nonnulli ignari dicere ſolent:* Domine non ſum dignus; *quod non convenit mulieribus.* Sed nec puto, adhærendum Narbonenſi Concilio anni MDXC. Capite XVIII. & Rituali a S. Franciſco Saleſio publici juris facto anno MDCXII. quæ, ut notat Lebrun in Explicatione Miſſæ, Parte V. Articulo X. §. III. verba ipſa, *Domine non ſum dignus,* dici permittunt lingua vernacula. Ceterum ſtandum eſt & huic Ritualis, & Miſſalis Rubricæ, ubi mandant, verba ipſa, *Domine non ſum dignus,* a Sacerdote Communionem adminiſtrante, non vero a Clerico ejus miniſtro, vel a Fidelibus, qui Communionem ſunt accepturi, eſſe pronuncianda, niſi quarundam Eccleſiarum Ritualia, quæ a Sede Apoſtolica approbata ſint, aliter præſcripſerint.

§. V.

Poſtea ad communicandum accedit, incipiens ab iis, qui ſunt ad partem Epiſtolæ, ſed primo, ſi Sacerdotibus, vel aliis ex Clero danda ſit Communio, iis ad gradus Altaris genuflexis præbeatur; vel ſi commode fieri poteſt, intra ſepimentum Altaris ſint a laicis diſtincti. Sacerdotes vero cum Stola communicent.

COMMENTARIUS.

I. CONvenit hic noſter §. & cum Rubrica Miſſalis Parte II. Tit. X. num. 6. & cum Inſtructionibus S. Caroli, quas edidit de Sacramento Euchariſtiæ, ut nempe Sacerdos, ubi ad communicandum accedit, *initium faciat ab iis, qui a parte Epiſtolæ ſunt.* Quod vero ait hic noſter §. ut ſi communicandi ſint Sacerdotes, aliique de Clero, iis primum ad gradus Altaris genuflexis, vel intra ſeptimentum Altaris a laicis omnino diſtinctis, præbenda ſit Sacra Communio, antiquo concinit communi Ordini in Eccleſia ſervato, qui quidem is fuit, ut primum Epiſcopi, deinde Presbyteri, poſtea Diaconi communicarent. Hanc enim diſciplinam ſpectat Canon XVIII. Concilii I. Generalis Nicæni, quem nos explicuimus Tomo I. Commentariorum in Concilia Oecumenica: *Illud,* inquit Canon, *innotuit, quod quidam Diaconi ante Epiſcopos Oblata contingant. Hæc igitur omnia reſecentur, & in ſua Diaconi menſura permaneant, ſcientes, quod Epiſcoporum quidem Miniſtri ſunt, inferiores autem Presbyteris habentur. Per ordinem ergo poſt Presbyteros gratiam Sacræ Communionis accipiant, aut Epiſcopo, aut Presbytero porrigente.* Diaconis ſuccedebant Subdiaconi, & alii inferiores Clerici, Monachi, Virgines, ac tandem laici, primum viri, deinde feminæ. Scribit tamen Joannes Moſchus in Prato Spirituali, Capite ultimo, conſuetudinem olim in Eccleſia fuiſſe, *ut pueri Miſſis ante Sacrarium aſſiſterent, primique poſt Clericos communicarent ſanctis Chriſti Dei noſtri, venerandiſque myſteriis.*

II. Certum vero & illud eſt de Communionis ordine, ac loco, jam non unam fuiſſe omnium Eccleſiarum conſuetudinem. Nam Romæ, ut ex pervetuſtis Romanis Ordinibus conſtat, Summus Pontifex celebrans, in ſua Sede conſiſtens ſeipſum communicabat. Accedebant poſtea Epiſcopi, & Presbyteri, ut a Pontifice Communionem acciperent, Epiſcopi quidem ſtantes ad Sedem Pontificis, Presbyteri vero ad Altare genibus flexis, aliique ſequentes Ordines. Quibus communicatis, Pontifex deſcendebat in Senatorium, ubi Magnates Euchariſtia donabat; & in adverſam partem, ubi Matronæ conſiſtebant, eiſdem Communionem præbebat; ac tandem rever-

verſus ad Sedem, Regionarios communicabat, ut & Nomenclatorem, Sacellarium, & Acolythum, qui Pateuam, & qui manutergium tenebant, & qui aquam dabat. Porro communicabant Epiſcopi, & Presbyteri Romæ in Miſſa Pontificali, quod ipſi ſimul cum Pontifice celebrarent; cujus ritus licet nulla expreſſe fiat mentio in citatis Romanis Ordinibus, illius tamen diſerte meminit Amalarius Lib. I. Cap. XII. his verbis: *Mos eſt Romanæ Eccleſiæ, ut in confectione immolationis Chriſti, adſint Presbyteri, & ſimul cum Pontifice verbis, & manu conficiant*. Ex quo intelligitur, hunc morem eſſe antiquum, cujus etiam mentionem facit Jacobus a Vitriaco in ſua Occidentali Hiſtoria, Cap. XXXVIII. *Conſueverunt*, inquit, *Presbyteri Cardinales Summo Pontifici in Sacramento Altaris aſſiſtere, & cum eo pariter celebrare*. Communicaſſe tum etiam ipſos in Miſſa, quam cum Pontifice celebrabant, docet Innocentius Papa III. Lib. IV. *De Myſteriis Miſſæ*, Cap. XXV. ubi ait conſueviſſe Presbyteros Cardinales *Romanum circumſtare Pontificem, & cum eo pariter celebrare; cumque conſummatum eſt Sacrificium, de manu ejus communionem accipere*.

III. Sed ut & de aliarum Eccleſiarum diſciplina dicamus, in Mediolanenſi laicos extra Altare communicaſſe, diſcimus ex facto S. Ambroſii, qui ipſum Imperatorem in Choro remanere non permiſit, cui unico id licitum fuit apud Græcos, uti conſtat ex Canone LXIX. Concilii Trullani, quem nos explicuimus Tomo II. Commentariorum in Concilia Oecumenica. Conſuetudinem eandem in Hiſpania viguiſſe, addiſcere licet ex Canone XIII. Concilii II. Bracarenſis, quod celebratum fuit anno DLXIII. *Placuit*, inquit, *ut intra Sanctuarium Altaris ingredi ad communicandum non liceat laicis viris, vel mulieribus, niſi tantum Clericis, ſicut & antiquis Canonibus ſtatutum eſt*. In Concilio vero Toletano IV. anni DCXXXIII. Can. XVIII. præceptum eſt, ut *Sacerdos, & Levita ante Altare communicent, in Choro Clerus, extra Chorum populus*. Hoſce plane Canones innovavit S. Carolus in Concilio Provinciali IV. Mediolanenſi, Parte II. Conſtitutionum, ubi agit de iis, quæ ad Euchariſtiæ Sacramentum pertinent: *Quod & Toletano quarto*, inquit, *& Bracarenſi primo Conciliis ſancitum eſt, id de ſacra Communione miniſtranda religioſe ſervetur, ut Diaconis ſcilicet, & Clericis ad Altare, aut in Choro illa præbeatur, populo autem loco a Choro, Altarive aliquanto remotiori*. In Africa etiam laici ad cancellos, qui Chorum a populo ſeparabant, Communionem percipiebant, ut clare innuit S. Auguſtinus Sermone CCCXCII. novæ editionis, ſic inquiens: *A Communione ſe cohibeant, qui ſciunt, quia novi peccata ipſorum, ne de cancellis projiciantur*. Neophyti tamen in gratiam ſuæ regenerationis ad Altare accedere permittebantur, ut diſcimus ex eodem Auguſtino in Sermone CCXXIV. ubi ſic eoſdem Neophytos alloquitur: *Obſecro vos per nomen, quod ſuper vos invocatum eſt, per illud Altare, ad quod acceſſiſtis, per Sacramenta, quæ accepiſtis &c.*

IV. Notat hæc Edmundus Martene Libro I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*. Cap. IV. Articulo X. num. IV. ubi etiam obſervat, ſolos hac in cauſa Gallos aliis minus religioſiores fuiſſe, dum omnibus tam viris, quam mulieribus Communionem ad Altare impertiebant, ut patet ex Gregorio Turonenſi Lib. X. *Hiſtoriæ Francorum*, Capite VIII. & Lib. II. *De miraculis S. Martini*, Cap. XIV. itemque ex Cæſario Arelatenſi Epiſcopo Sermone CCLXIXIX. in Appendice S. Auguſtini, ex Fortunato in Vita S. Marcelli Pariſienſis Epiſcopi, Cap. VI. & ex Concilio Turonenſi II. anni DLXVII. Can. IV. ubi poſtquam dixit: *Ut laici ſecus Altare, quo Sancta Myſteria celebrantur, inter Clericos, tam ad Vigilias, quam ad Miſſas, ſtare penitus non præſumant, ſed pars illa, quæ a cancellis verſus Altare dividitur, Choris tantum pſallentium pateat Clericorum*; ita mox ſubdit: *Ad orandum vero, & communicandum, laicis, & feminis, ſicut mos eſt, pateant Sancta Sanctorum*. Ceterum, ſi Gallorum morem excipias, ex communi antiquo Eccleſiæ ritu ſoli Sacerdotes, & Clerici, intra ſepimentum Altaris, ſive ad Altaris gradus a laicis diſtincti communicabant. Atque hunc ritum confirmat hic noſter §. ubi ait, ut *primo, ſi Sacerdotibus, vel aliis ex Clero danda ſit Communio, iis ad gradus Altaris genuflexis præbeatur, vel, ſi commode fieri poteſt, intra ſepimentum Altaris ſint a laicis diſtincti*.

V. Ergo laicos non modo, ſed & Clericos, ac Sacerdotes ipſos, dum ab alio communicantur, genuflexos eſſe debere, mandat etiam hic noſter §. Verum ſi veterem Eccleſiæ diſciplinam ſpectemus, non utique genuflexos, ut hodie ſit, ſed ſtantes communicaſſe Fideles, probant Henricus Valeſius in Notis ad Euſebium Libro VII. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Cap. IX. Iſaacus Habertus ad Pontificale Grecorum pag. 270. Joannes Thierſius in Gallica Diſſertatione, *De Altaribus*. Teſte Mabillonio in Commentario prævio ad Romanum Ordinem, Cap. VIII. quod inſcriptum eſt, *Singularia Sacræ Communionis in Miſſa Pontificali*, num. XIV. Epiſcopi quidem *ſtantes ad Sedem Pontificis*, Communionem ab ipſo Pontifice accipiebant, *Presbyteri vero ad Altare genibus flexis*. Idque probat teſtimonio Ordinis Romani XIV. Auctore Gajetano, Cap. LVII. ubi agitur de Communione Epiſcoporum, qui conſecrantur, & Abbatum, qui benedicuntur. Sed notat tamen Joannes Bona Cardinalis Lib. II. *Rerum Liturgicarum*, Cap. XVII. num. XVIII. quod *etiam hodie in Miſſa ſolemni Romani Pontificis Diaconus communicetur ſtans omnino ex veteri ritu*. Sed invaluit ritus communi Eccleſiarum, ac Ritualium, præſertim hujus Romani praxi, ac ſtatuto probatus, ut communicaturi omnes ſint genibus flexis.

VI. Quod tandem in noſtro §. edicitur, ut *Sacerdotes cum Stola communicent*, præſcriptum jam antiquitus fuit in Concilio Bracarenſi III. anni DCLXXV. Can. IV. *Sacerdos*, inquit, *Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſumpturus, non aliter accedat, quam Orario utroque humero circumſeptus, ſicut & tempore ordinationis ſuæ dignoſcitur conſecratus, ita ut de uno eodemque Orario cervicem pariter & utrumque humerum premens, ſignum in ſuo pectore præferat Crucis. Siquis autem aliter egerit, excommunicationi debitæ ſubjacebit*. Hunc plane Canonem innovavit S. Carolus in Concilio Provinciali V. Mediolanenſi, ubi de iis agit, quæ ad Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum pertinent. Statuit enim, hunc in Communione ordinem adhibendum, *ut primo Eccleſiaſticis hominibus Superpelliceo indutis, ſi vero Sacerdos quis eſt*,

eſt, Stola etiam, quæ ſignum Crucis ad antiqui Canonis præſcriptum in pectore exhibeat. Itaque præter Stolam adhibendum eſt non modo a ceteris Eccleſiaſticis, Clericis ſcilicet, verum & a Sacerdotibus Superpelliceum, qui tamen Stolam, dum Communionem ſumpturi ſunt, non quidem ante pectus in modum Crucis ducunt, ut poſt Concilium Bracarenſe ſtatuit S. Carolus in citato Mediolanenſi v. Provinciali Concilio, ſed hinc inde pendentem geſtant, ut eſt communis Eccleſiarum omnium praxis; in quibus etiam ſolent Diaconi etiam cum Stola communicare, a ſiniſtro tamen humero ad latus dextrum protenſa, ac ligata.

§. VI.

Sacerdos unicuique porrigens Sacramentum, & faciens cum eo ſignum Crucis ſuper Pyxidem, ſimul dicit: *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat animam tuam in vitam æternam. Amen.*

COMMENTARIUS.

I. EUchariſtiam a Communicantibus manu olim exceptam fuiſſe, non modo in Eccleſia Orientali, verum etiam Occidentali, eruditis omnibus notum eſt, idque nos perſpicue oſtendimus in variis noſtrorum Operum locis, atque præſertim Tomo II. Conciliorum in Commentario ad Canonem CI. Trullanum. Ad eam plane diſciplinam alluſit S. Ambroſius apud Theodoretum Lib. V. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Capite XVII. ubi increpans Theodoſium ob cædem Theſſalonicam, ſic inquiebat: *Quomodo manus extendes injuſtæ cædis ſanguine adhuc ſtillantes? quomodo hujuſmodi manibus Domini Corpus accipies?* Hoc autem viros inter, & mulieres, diſcrimen intercedebat, quod viri nudis manibus, mulieres linteo Euchariſtiam excipiebant, ut patet ex Sermone CCXXIX. S. Cæſarii in Appendice novæ editionis S. Auguſtini: *Omnes viri, quando ad Altare acceſſuri ſunt, lavant manus ſuas, & omnes mulieres nitida exhibent linteamina, ubi Corpus Chriſti accipiant*. Hinc Concilium Antiſſiodorenſe anni DLXXXVIII. Can. XXXVI. inquit: *Non licet mulieri nuda manu Euchariſtiam accipere*. Et Can. XLII. *Unaquæque mulier, quando communicat, Dominicalem ſuum accipiat; quod ſi quæ non habuerit, uſque in diem alium Dominicum non communicet*. Hinc recte obſervat Martene Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Capite IV. Articulo X. num. VIII. hunc ritum in Galliis ad finem Sæculi VI. minimum perſeveraſſe, imo & longe poſtea uſque ad Sæculum VIII. ex Actis S. Odiliæ Abbatiſſæ, quæ morti proxima, *cum Calicem, in quo Dominicum Corpus, & Sanguis habebatur, ſibi adſerri præcepiſſet, propriis manibus eum accipiendo, ſancta Communione participata, omnibus cernentibus animam reddidit*.

II. Recte quoque & illud idem Auctor notat, Sæculo tandem IX. in Concilio Rotomagenſi tempore Ludovici Regis celebrato, Capite II. decretum fuiſſe, ut *Sacerdos nulli laico, aut feminæ Euchariſtiam in manibus ponat, ſed tantum in os ejus cum his verbis ponat: Corpus Domini, & Sanguis proſit tibi ad remiſſionem peccatorum, & ad vitam æternam*. Quæ verba refert Regino Lib. I. *De Eccleſiaſticis diſciplinis*, Cap. CXCIX. tanquam ex Concilio Turonenſi. At vero in Eccleſia Romana, ut idem Martene obſervat, ante medium Sæculum VI. jam abierat in deſuetudinem ritus ipſe excipiendæ manu Euchariſtiæ, probatque ex Libro III. Dialogorum S. Gregorii Papæ, Cap. III. ubi Agapitus Papa, qui anno Chriſti DXXXV. Summum Pontificatum adeptus eſt, cuidam muto, & claudo *Corpus Dominicum in os miſiſſe perhibetur*. Atque hic eſt ritus, qui plurimis ab hinc Sæculis in Eccleſia Latina obſervatur, ut nempe Sacerdos in os Fidelium communicantium Euchariſtiam immittat, ritu, ac formula in hoc noſtro §. & in Rubrica Miſſalis præſcriptis: *Sacerdos*, ait noſter §. *unicuique porrigens Sacramentum, & faciens cum eo ſignum Crucis ſuper Pyxidem, ſimul dicit*: Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat animam tuam in vitam æternam. Amen.

III. Porro quod verbum *Amen* ſpectat in recitata Sacerdotis communicantis formula expreſſum, illud notandum cenſui, Fideles olim cum Euchariſtiam de manu Sacerdotis acciperent, ſolitos ipſos fuiſſe reſpondere, *Amen*. Hunc enim ritum diſertis verbis tradunt S. Auguſtinus, & Auctor Librorum, *De Sacramentis*, Libro IV. Cap. V. quorum primus in Sermone CCLXXII. novæ editionis, ſic inquit: *Audis*, Corpus Chriſti, *& reſpondes*. Amen. Alter vero ita plane loquitur: *Ergo non otioſe, cum accipis, tu dicis*, Amen, *jam in ſpiritu confitens, quod accipias Corpus Chriſti. Dicit tibi Sacerdos*, Corpus Chriſti, *& tu dicis*, Amen, *ideſt verum*. Hinc S. Hieronymus ad Pammachium ſcribens adverſus errores Joannis Hieroſolymitani, *Qua conſcientia*, inquit, *ad Euchariſtiam Chriſti accedam, & reſpondebo*, Amen, *cum de caritate dubitem porrigentis*. Atque huic antiquæ Eccleſiæ diſciplinæ inhærens S. Carolus, in Concilio Provinciali V. ubi agit de iis, quæ ad Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum pertinent, ſic inter alia ſtatuit: *Sacerdos illam adminiſtraturus, antequam præbeat, unicuique, cui miniſtrabit ſigillatim illa verba pronunciet*: Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat animam tuam in vitam æternam; *& qui ſuſcepturus eſt, prius reſpondeat*, Amen. *Id quod antiquiſſimi inſtituti eſt, nec ſine myſterii ſignificatione fieri, Sanctiſſimus Pater, & Eccleſiæ Catholicæ Doctor Ambroſius ſcribit*. Citato ſcilicet ſuperius loco Librorum, *De Sacramentis*, qui S. Ambroſii nomine circumferuntur, aliuſque antiqui Auctoris fœtus ab eruditis Scriptoribus cenſentur. Quicquid autem de ea re ſit, idem confirmat S. Carolus in Inſtructionibus de eodem Euchariſtiæ Sacramento, ubi etiam ejus ritus meminit faciendæ Crucis cum Particula a Sacerdote ſuper Pyxidem, dum recitatam formulam dicit: *Singulis Sacramentum præbens, ſignum Crucis ſuper Pyxidem ante faciem communicaturi faciens dicit*: Corpus Domini noſtri

Jeſu Chriſti cuſtodiat animam tuam. *Qui acceпturus eſt, reſpondet*, Amen. *Videat vero Parochus, ut, antequam Sacramentum præbeat, ſatis ſpatii relinquat ad dicendum*, Amen. Cæterum licet ad exemplum S. Caroli introductus in aliis Eccleſiis fuerit hic ritus, ut notat Lebrun in Explicatione Miſſæ, Tomo IV. editionis Veronenſis pag. 331. ſtandum eſt noſtro huic §. & Rubricæ Miſſalis, ex quorum præſcripto verbum *Amen* in fine recitatæ formulæ a Sacerdote, qui Euchariſtiam præbet, non vero ab eo, qui illam accipit, dicitur.

IV. Sed ut alios præcipuos antiquos Sacræ Communionis ritus recenſeamus, notandum hic plane & illud, quod inter alios obſervat Joannes Cardinalis Bona, Lib. II. *Rerum Liturgicarum*, Cap. XVIII. num. I. ſemper, & ubique ab Eccleſiæ primordiis uſque ad Sæculum XII. ſub ſpecie panis, & vini communicaſſe Fideles; cœpiſſeque paulatim ejus Sæculi initio uſum Calicis obſoleſcere, pleriſque Epiſcopis eum populo interdicentibus, ob periculum irreverentiæ, & effuſionis, quod inevitabile erat, aucta Fidelium multitudine, in qua deeſſe non poterant minus cauti, & attenti, ac parum religioſi. In Ordine Ciſterciensi ſtatutum olim fuit, ne ulla perſona Ordinis, exceptis Miniſtris Altaris ſacris veſtibus indutis, ad ſacrum Calicem pro percipiendo Sanguine accedere præſumeret, propter periculum, & ſcandalum evitandum. Ob eandem cauſam Rodulfus Abbas S. Trudonis, qui vivebat anno Chriſti MCX. removeri a laicis Calicem ſuadet his verſibus.

Hic, & ibi cautela fiat, ne Presbyter ægris,
Aut ſanis tribuat laicis de Sanguine Chriſti,
Nam fundi poſſet leviter; ſimplexque putaret,
Quod non ſub ſpecie ſit totus Jeſus utraque.

Sic paulatim introducta eſt Communio ſub ſola ſpecie panis, poſteaquam intolerandi abuſus religioſos Antiſtites ad abrogandum communem Calicis uſum induxerunt. Moribus enim immutatis, Leges quoque mutandæ ſunt, quæ aliquando utiles, atque optimæ fuerunt. Hæc autem mutatio facta primum a diverſis Epiſcopis in ſuis Eccleſiis, deinde a Synodo Conſtantienſi Canonica Sanctione pro omnibus ſtabilita, & noviſſime confirmata a Tridentino Generali Concilio variis locis, ac præſertim Seſſione XXI. Cap. I. & Can. I. II. & III.

V. Ne autem antiqui ritus notitia prætereatur, teſte Martene Libro I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. IV. Articulo X. num. XII. participandi olim ſacro Calici triplex extitit ratio. Vel enim pretioſum Sanguinem cum calamo ſugebant, vel Calicem ipſum ori admovebant, vel denique Corpus Dominicum Sanguine intinctum porrigebant. Viguiſſe tertium hunc communicandi modum in Eccleſia Latina, & quidem Sæculo IV. docent Ivo Carnotenſis Parte II. Capipite XI. & LXXXV. & Gratianus in Canone, *Cum omne crimen*, De conſecratione, Diſtinctione II. afferentes Decretum Julii I. Papæ vetantis Communionem intinctam, quod iiſdem verbis extat in Concilio Bracarenſi III. anni DCXXV. Can. I. ubi cum inter abuſus, qui irrepſerunt, & hunc enumeraſſet, quod quidam intinctam Euchariſtiam populis pro complemento Communionis porrigerent, id vetat deinceps fieri, quia hoc non recipit prolatum ex Evangelio teſtimonium, ubi ſeorſum Panis, ſeorſum Calicis commendatio commemoratur. Micrologus item Capite XIX. *Non eſt*, inquit, *authenticum, quod quidem Corpus Domini intingunt, & intinctum pro complemento Communionis populo diſtribuunt; nam Ordo Romanus contradicit*. Exceptus eſt caſus neceſſitatis, & cautelæ, in Canone Concilii Claramontani ſub Urbano Papa II. quem refert Baronius Tomo XI. ex ſchedis Antonii Auguſtini. Ubi quod ait, *niſi per neceſſitatem, & cautelam*, reſpexiſſe videtur ad infirmos, & infantes, qui intincto Pane communicare permittebantur. At vero Paſchalis II. etiam caſum neceſſitatis excluſit in Epiſtola XXXII. ad Pontium Abbatem Cluniacenſem, præcipiens, ut parvuli, & infirmi, qui Panem abſorbere non poſſunt, in ſolo Sanguine communicent, hoc decentius exiſtimans, quam intinctam Communionem permittere.

VI. Alicubi tamen invaluit uſus infirmos eo modo ſuperius memorato communicandi ex Decreto cujuſdam Concilii Turonenſis, apud Ivonem Lib. II. Cap. XIX. & apud Burchardum Lib. V. Cap. IX. ubi ita legimus: *Ut omnis Presbyter habeat Pyxidem, aut vas tanto Sacramento dignum, ubi Corpus Dominicum diligenter recondatur ad Viaticum recedentibus a ſæculo. Quæ tantum Sacra Oblatio intincta debet eſſe in Sanguine Chriſti, ut veraciter Presbyter poſſit dicere infirmo: Corpus & Sanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti proficiat tibi in remiſſionem peccatorum, & vitam æternam*. Ita plane Concilium, cujus tamen ratio, quanti ponderis ſit, norunt Theologi; neque enim Corpus Chriſti eſt ſine Sanguine. Communem fuiſſe Sæculo XII. hunc uſum omnium fere Eccleſiarum, conſtat ex Epiſtola Ernulfi Roffenſis Epiſcopi ad Lambertum, Tomo II. Spicilegii Dacheriani extante, in qua reſpondet ad hanc Lamberti Quæſtionem: *Cur hodierna Eccleſiæ conſuetudo alio, & pene contrario ritu cenſeat porrigi Corpus Dominicum, quam a Domino in Cœna Diſcipulis ſuis fuerit diſtributum. Id enim quotidianus Eccleſiæ prætendit uſus, ut tribuatur Hoſtia Sanguine intincta, cum a Domino prius Corpus, deinde Sanguis porrectus fuiſſe memoretur &c.* Quem ritum nova conſuetudine introductum Ernulfus multis tuetur, & propugnat, argumento ex effuſionis periculo deducto, quod tandem ſic concludit: *Ne ergo polluamus Sanguinem noſtræ redemptionis, ne tanquam impietatis manibus effundamus poculum humanæ ſalutis, a religioſis Viris provide actum eſt, ut Dominici portiuncula Corporis, non ſicca, ſicut Dominum egiſſe novimus, porrigatur, ſed Domini infuſa Sanguine Fidelibus tribuatur. Quo pacto evenit, ut ſecundum Salvatoris præceptum, ejus Carnem edat, Sanguinem bibat, periculum evadat, quem in tanta re offendere oppido formidat*. Ejuſdem videtur extitiſſe ſententiæ Guillelmus de Campellis Epiſcopus Catalaunenſis, cujus fragmentum refert Mabillonius in Præfatione ad Sæculum III. Benedictinum, ubi hæc habet, *quod Panis intinctus prohibitus eſt accipi, ex frivola cauſa fuit, ſcilicet pro buccella intincta, quam Dominus Judæ ad diſtinctionem porrexit*. Cui rationi etiam facit ſatis Ernulfus.

VII. His, aliiſque omiſſis antiquum Sacræ Communionis ritus ſpectantibus, quos variis noſtrorum Operum locis retulimus, explicuimuſque, præteriri non debet hic ritus purificationis poſt Communionem, de quo alias ſupra in Commentario

tario ad §. 1. diximus, quemque inter alios Sanctus Carolus in Inſtructionibus de Euchariſtiæ Sacramento ita peragendum præſcripſit: *Dum Sacramentum præbet, adſit Miniſter Superpelliceo indutus, qui vaſculum purificationis manu dextera tenens, ſiniſtra mappulam ad abſtergendum os, Parochum, ſeu Sacerdotem Communionem adminiſtrantem, interjecto ſpatio ſequitur, & miniſtrat vaſculum ad purificandum, & mappam ad abſtergendum; quod vaſculum ita poterit etiam feminis miniſtrare, ut cum primæ porrexerit, ipſa reliquis det, & omnes inter ſe tradant.* Sed nec omittendum, quod etiam mox ſubjicit: *Si præbendo Sacramentum, digitos ex ore communicantium madefaciat, purificatorium ſibi in pelvicula decenter afferri jubeat, quo eos abſtergat, vel ipſe ad Altare revertatur, & id faciat.* Atque hæc ſunt, quæ notanda cenſuimus ad noſtri §. explicationem, omiſſis aliis, de quibus opportuniori loco dicemus.

§. VII.

Ubi vero omnes communicaverint, Sacerdos reverſus ad Altare, dicere poterit: O *Sacrum Convivium, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paſſionis ejus, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.* ℣. *Panem de Cælo præſtitiſti eis.* Miniſter reſpondet: *Omne delectamentum in ſe habentem.* Tempore Paſchali additur, *Alleluja.* Mox Sacerdos dicit: ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

Deus, qui nobis ſub Sacramento mirabili, paſſionis tuæ memoriam reliquiſti: tribue quæſumus, ita nos Corporis, & Sanguinis tui ſacra myſteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter ſentiamus. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre &c.

Tempore Paſchali dicitur Oratio.

Spiritum nobis Domine tuæ charitatis infunde; ut quos Sacramentis Paſchalibus ſatiaſti, tua facias pietate concordes. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Decet quammaxime, neque enim id noſter §. præcipit, ut abſoluta Communione, Sacerdos reverſus ad Altare, antequam in Tabernaculo ſacram Pyxidem ponat, dicat Antiphonam, *O Sacrum Convivium &c.* una cum Verſiculo, *Panem de Cælo &c.* & Oratione, *Deus qui nobis ſub Sacramento mirabili &c.* deſumptam ex Officio, quod Doctor Angelicus S. Thomas Aquinas concinnavit pro Feſto Sacratiſſimi Corporis Chriſti, quod Urbanus Papa IV. inſtituit. Recte autem & illud noſter idem §. ſubdit, ut tempore Paſchali ad ipſam Antiphonam, & Verſiculum addatur, *Alleluja*, & loco Orationis, *Deus, qui nobis ſub Sacramento mirabili &c.* dicatur Oratio, *Spiritum nobis Domine &c.* quæ eſt Poſtcommunio Miſſæ Dominicæ Reſurrectionis, quod magis Communioni, quæ Paſchali tempore peragitur, conveniat. Porro juxta S. Caroli præſcriptum in Inſtructionibus de Sacramento Euchariſtiæ, Parochus, ſeu Sacerdos, *poſteaquam omnibus Sacramentum præbuerit, digitis pollice, & indice, quibus miniſtravit, ſuper Pyxide ſimul junctis, ad Altare revertitur. Ibi depoſita Pyxide ſupra Corporale, eaque contecta, tum facta genuflexione, ſtatim digitos, quibus Sacramentum tetigit, a parte Epiſtolæ, vino, & aqua abluit in vaſe non conſecrato, quod præbetur iis, qui communicarint, tum purificatorio abſtergit, & rurſus facta genuflexione, Pyxidem reverenter reponit, & dicit,* ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. *Oratio.* Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, te humiliter deprecamur, ut accipientibus fratribus, & ſororibus noſtris Sacroſanctam Euchariſtiam Corporis, & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti Filii tui, & animæ, & corporis ſit ſalus. Per eundem Dominum noſtrum &c.

II. Hæc eſt Oratio, quam præſcribit S. Carolus dicendam a Sacerdote, poſtquam abluit digitos, terſitque, ac Pyxidem in Tabernaculo repoſuit. Cum alias ex præſcripto noſtri §. ea ablutio, ac terſio, & Pyxidis in Tabernaculo repoſitio peragenda ſit poſt recitatam Antiphonam, *O Sacrum Convivium &c.* cum Verſiculo, *Panem de Cælo &c.* & Oratione, *Deus qui nobis ſub Sacramento mirabili &c.* Cæterum opportune & idem S. Carolus monet, Orationem ipſam, *Domine Sancte, Pater &c.* ſuperius recitatam, ita dicendam, ut illud nomen *fratribus* omittatur, quando feminis ſolum Communio miniſtratur, at vero contra, cum miniſtratur maribus tantum, omittatur verbum illud *ſororibus*; itidemque ſingulari numero dicatur, *fratri noſtro*, ſi mari tantum, ac præterea, *ſorori noſtræ*, ſi feminæ ſolum miniſtrabitur. Ipſa Oratione finita, ex ejuſdem S. Caroli præſcripto ſequitur. ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon.* ℣. *Benedicat, & exaudiat nos Deus.* Et dum dicit, ſignum ſibi Crucis adhibet. ℟. *Amen.* ℣. *Procedamus cum pace.* ℟. *In nomine Chriſti.* ℣. *Benedicamus Domino.* ℟. *Deo gratias.* ℣. *Pax, & benedictio Dei omnipotentis, Patris* ✠, *& Filii, & Spiritus Sancti deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper.* ℟. *Amen.* Et ita dicendo ſigno Crucis populo benedicat.

III. Hæc plane ſunt, quæ in citatis Inſtructionibus de Euchariſtiæ Sacramento, in ordine miniſtrandi ſacram Communionem ſervanda Sanctus Carolus ſtatuit pro ſua Eccleſia Mediolanenſi, quæ ex antiquo inſtituto in multis functionibus Eccleſiaſticis peculiari ritu Summorum Catholicæ Eccleſiæ Præſidum probato utitur. Communiter autem ſervandi ſunt Ritus in hoc noſtro Rituali Romano præſcripti, ac probati.

§. VIII.

Antequam reponat Sacramentum, diligenter advertat, ut ſi aliquod fragmentum digitis adhæſerit, illud in Pyxidem deponat, & eoſdem digitos, quibus tetigit Saeramentum abluat, & abſtergat purificatorio, ablutionem vero ſumat, ſi celebraverit, aut iis, qui tune communiearunt, ſumendam tradat, aut ſaltem in Sacrarium injiciat. Poſtea genuflectens reponit Sacramentum in Tabernaculo, & clave obſerat.

COMMENTARIUS.

I. QUnm dari caſns facile poſſit, ut aliquod ſacræ Euchariſtiæ fragmentum in longa Particularum tractatione, digitis Sacerdotis adhæreat, & in quolibet, vel minimo fragmento conſecrato ſit Corpus, & Sanguis Chriſti Domini, ut communiter docent, & habetur in Seqnentia Miſſæ Feſti Corporis Chriſti illis verbis, *Fracta demum Sacramento, ne vacilles, ſed memento, tantum eſſe ſub fragmento, quantum toto tegitur*, jam merito & hic noſter §. & Rubricæ Miſſalis mandant, ut fragmentum ipſum *in Pyxidem deponat, & eoſdem digitos, quibus tetigit Sacramentum, abluat, & abſtergat purificatorio*. Ad ablutionem quod attinet, mandat quidem hic noſter §. nt eam Sacerdos *ſumat, ſi celebraverit, aut iis, qui tunc communicarunt, ſumendam tradat, aut ſaltem in Sacrarium injiciat*. Præbendam ipſam ablutionem *iis, qui communicarint*, ſtatuit quidem S. Carolus, cujus locum in ſuperiori Commentario attulimus, ſed non puto, facile inveniri, qni naturali nauſea abrepti, velint eam digitorum Sacerdotis ablutionem bibere; hinc enim forte eſt, quod noſter §. ablutionem ipſam, ubi nec a Sacerdote, neque a communicatis ſumitur, in Sacrarium injiciendam dicit. Atque hic eſt hodie communis Eccleſiarum uſus, in quibus ad Altare, ubi extat Tabernaculum cum Sanctiſſimo Sacramento, poni ſolet vaſculum cum aqna & purificatorio ad abluendos abſtergendoſque Sacerdotis digitos poſt Communionem, quæ fit extra Miſſam. Ceterum projectam quoque in Sacrarium fuiſſe olim eam digitorum ablutionem, quam Sacerdos faciebat in Miſſa, cenſet doctiſſimus Bona Cardinalis Lib. II. Rerum Liturgicarum, Cap. xx. num. 1. *Nam in antiquis Eccleſiis præſertim Monachorum ſingula Altaria a parte Epiſtolæ habent piſcinam in hunc uſum paratam*. Idem aſſerit eruditiſſimus Lebrun in Explicatione Miſſæ Tomo 1. Parte v. Articulo ix. §. iii. Quod hodie Sacrarium dicimus, dicebatur olim *Piſcina*, locus nempe, in quo manus Sacerdotes lavabant, & ubi ablutiones Sacerdotis, Corporalium, aliarumque id genus linteaminum injiciebantur, uti videre eſt in Libro Uſuum Ordinis Ciſtercienſis, Cap. xxi. & lvi. In ſtatutis Synodalibus Odonis Epiſcopi Pariſienſis, Capite ultimo, num. 24. & 28. In Concilio Salmurienſi anni MCCLIII. in Synodo Bajocenſi anni MCCC. Cap. xxi. & xxii. apud Durandum Libro 1. Rationalis Divinorum Officiorum, Capite 1. num. 39. & in Summa S. Raymundi Ordinis Prædicatorum, ubi de lotione Calicis ſic ait: *Hanc in piſcinam volo projicias, vel in ignem*.

II. Quod tandem in noſtro §. edicitur, ut Sacerdos repoſito Sacramento in Tabernaculo, illud *clave obſeret*, jam id a multis olim Conciliis ſtatutum fuit, præſertim vero a Generali iv. Concilio Lateranenſi, Cap. xx. quod nos late explicuimus Tomo noſtro iii. Commentariorum in Concilia Oecumenica, & aliis etiam noſtrorum Operum locis, ubi nobis de ipſa Euchariſtiæ cuſtodia diſſerendi ſe ſe dedit occaſio. Sane, quum ex Conciliorum, ac præſertim laudati Lateranenſis præſcripto, obſerandum ſit Tabernaculum clave, *ne poſſit temeraria manus ad Euchariſtiam extendi, ad aliqua horribilia, vel nefaria exercenda*, jam non debet clavis ad porticulam Tabernaculi, vel ad Altare relinqui, ſed aſportari debet in Sacriſtiam, ibique loco tuto aſſervari, ut in variis Ritualibus, ac Synodis recte ſtatutum fuit.

§. IX.

Deinde extenta manu dextera benedicit iis, qui communicarunt, dicens: *Benedictio Dei Omnipotentis, Patris ✠, & Filii, & Spiritus Sancti deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper*. ℟. *Amen*.

COMMENTARIUS.

I. DAndam populo benedictionem a Sacerdote, poſt adminiſtratam eidem Communionem, & repoſitam in Tabernaculo Pyxidem, ſtatuit etiam S. Carolus, & quidam ſub ea verborum formula, quam præſcribit hic noſter §. uti videre eſt in Commentario ad §. vii. ubi integrum S. Caroli locum deſcripſimus. Porro data benedictione, uti inter alios docet Bauldryus in Manuali Sacrarum Cæremoniarum, Parte iii. Tit. xiii. Cap. viii. mox Miniſter ſurgens extinguit cereos. Sacerdos autem plicat Corporale, & reponit in burſa, quam collocat in cornu Evangelii, niſi forte ob frequentiam communicandorum relinquendum ſit Corporale in medio Altaris extenſum; deſcendit in planum, ubi genuflectit, ſicut Miniſter, qui ſurgens biretum Sacerdoti porrigit cum quaſi oſculo illius, & ambo revertuntur in Sacriſtiam; atque hæc eſt praxis, quæ communiter in omnibus Eccleſiis ſervatur.

Digitized by Google

§. X.

Communio autem populi intra Miſſam ſtatim poſt Communionem Celebrantis fieri debet (niſi quandoque ex rationabili cauſa poſt Miſſam ſit facienda) cum Orationes, quæ in Miſſa poſt Communionem dicuntur, non ſolum ad Sacerdotem, ſed etiam ad alios communicantes ſpectent.

COMMENTARIUS.

I. ADdubitari nequit, quin olim Communio populi intra Miſſam poſt Communionem Sacerdotis celebrantis fieri debuerit, nullusque Sacris Myſteriis intereſſe permitteretur, niſi qui offerre poterat, atque de Oblatis participare, ut veterum ſacrorum rituum peritiſſimus Joannes Bona Cardinalis notavit Libro II. *Rerum Liturgicarum*, Cap. XVII. num. II. Immo alicubi adeo invaluerat mos communicandi, quoties quis aderat Miſſæ, ut aliqui exiſtimarint, eum, qui pluribus eadem die Miſſis intererat, debere in ſingulis communicare. Hinc Walfridus Strabo Auctor Sæculi IX. in Libro, *De rebus Eccleſiaſticis*, prope finem Capitis XXII. eam ſibi quæſtionem proponit, & reſolvit hiſce verbis: *Quia de communicandi varietate quædam præmiſimus, hoc addendum videtur, eſſe quoſdam, qui ſemel in die communicare, etiamſi pluribus interfuerint Miſſis, pro dignitate Sacramentorum, ſufficere credat; eſſe vero alios, qui ſicut in una, ſic in omnibus, quibus affluerint, Miſſis, in die communicare velint. Quorum neutros culpandos exiſtimo, quia ſicut Auguſtinus ait de his, qui quotidie communicant, & illis, qui rarius, iſtos reverentia ſanctarum retrahit rerum, illos vero amor ſalubrium invitat Sacramentorum. Nam & ipſe Sacerdos, quoties in die Miſſas facit, communicare non omittit. Quod ſi non facit, Canonico eſt feriendus judicio.*

II. Teſtis eſt autem idem Walfridus citato Libro, Cap. XXI. idque fidelium relatione virorum ſe accepiſſe ait, *Leonem Papam*, nempe III. ejus nominis, *ſicut ipſe fatebatur, una die vij. vel ix. Miſſarum ſolemnia celebraſſe; Bonifacium vero Archiepiſcopum, & Martyrem ſemel tantum per diem Miſſas feciſſe*. Plura de eo ritu videri poſſunt apud Martene Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. III. Articulo III. num. IV. ubi etiam notat, Alexandrum Papam II. qui Pontificatum adeptus eſt anno MLXI. decreviſſe poſtea, ne plures, quam una in die Miſſa ab uno Sacerdote celebraretur. Extat ejus Decretum apud Gratianum in Canone, *Sufficit*, De conſecratione, Diſtinctione I. *Sufficit*, inquit, *Sacerdoti unam Miſſam in die una celebrare, quia Chriſtus ſemel paſſus eſt, & totum Mundum redemit. Non modica res eſt unam Miſſam facere, & valde felix eſt, qui unam digne celebrare poteſt*. Addit nihilominus idem Alexander: *Quidam tamen pro defunctis unam faciunt, & alteram de die, ſi neceſſe fuerit*. Quibus verbis morem celebrandi unam Miſſam de die, alteram pro defunctis, refert quidem, ſed non abrogat, ſi tamen neceſſe fuerit. Sed hic etiam mos jam pridem abrogatus eſt. Innocentius enim Papa III. in Capite, *Conſuluiſti* III. *De celebratione Miſſarum*, diſerte reſpondet, *quod excepto die Nativitatis Dominicæ, niſi cauſa neceſſitatis ſuadeat, ſufficit Sacerdoti ſemel in die unam Miſſam ſolummodo celebrare*. Conſentit Honorius III. ibidem, Cap. *Te referente* XII. viderique plura & in hanc rem poſſunt apud Thomaſſinum Parte III. veteris, & novæ Eccleſiæ Diſciplinæ, Libro I. Capite LVII.

III. Omiſſo itaque hoc ritu, ut illum paulo fuſius enarremus communicandi in Miſſa, teſte Anonymo Turonenſi in ms. Speculo apud Martene in citato ſuperius Opere, Lib. I. Capite IV. Articulo X. num. II. illud certum eſt, *olim in primitiva Eccleſia ſingulis diebus, qui Canoni Miſſæ intererant, ſolitos fuiſſe communicare*. Id plane eruitur ex Canone X. vulgo Apoſtolorum, & ex variis antiquis Synodis, inter quas Antiochena ſub Julio Papa anno CCCXLI. habita, Canone II. ſtatuit, *omnes, qui in Eccleſiam ingrediuntur, & Sacras Scripturas audiunt, orationi autem cum populo non communicant, vel ſanctam Euchariſtiæ participationem, propter aliquam inſolentiam, averſantur, eos ab Eccleſia expelli*. Quicquid autem de hac ſeveriori diſciplina ſit, ritum certe communicandi in Miſſa probavit quidem Synodus Tridentina Seſſione XXII. *De Sacrificio Miſſæ*, Capite VI. ubi ita inquit: *Optaret quidem Sacroſancta Synodus, ut in ſingulis Miſſis Fideles adſtantes non ſolum ſpirituali affectu, ſed ſacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent, quo ad eos ſanctiſſimi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret*. Probarunt & ipſum ritum varii Epiſcopi in ſuis Synodis, ac Ritualibus, præſertim vero S. Carolus in Provinciali V. Mediolanenſi Concilio, ubi de iis, quæ ad Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum pertinent, ſic plane habet: *Hoc inſtitutum, quod antiquiſſimi ritus eſt, Sacerdos religioſe ſervet, ut intra Miſſarum ſolemnia, poſtquam ſcilicet Sanguinem ipſe ſumpſerit, Fidelibus Sacram Communionem ſumpturis miniſtret*. Idem repetit in Inſtructionibus, *De Sacramento Sanctiſſimæ Euchariſtiæ*, ubi de ejus miniſtratione agit, & in Admonitionibus vulgari lingua editis ad Parochos de adminiſtratione Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, quæ leguntur Parte IV. Actorum Eccleſiæ Mediolanenſis, pag. 723. col. 2.

IV. Porro convenientius eſſe communicare in Miſſa, quam extra Miſſam, recte docet hic noſter §. ob eam rationem, *cum Orationes, quæ in Miſſa poſt Communionem dicuntur, non ſolum ad Sacerdotem, ſed etiam ad alios communicantes ſpectent*. Atque hæc eſt ratio, quam olim notavit pro Communione in Miſſa Walfridus Strabo in Libro, *De rebus Eccleſiaſticis*, Cap. XXII. *Eſt autem*, inquit, *legitimum tempus communicandi ante ultimam Orationem, quæ dicitur ad complendum, quia ejus petitio maxime pro eis eſt, qui communicant*. Id quod etiam confirmat Micrologus Auctor Sæculi XI. Capite XIX. ubi ait, quod qui vult benedictionibus frui, quas Sacerdos in poſtremis Orationibus Miſſæ poſcit, debet

bet ante illas communicare: *Ergo ante ipſas communicare non negligant quicumque earundem Orationem benedictione foveri deſiderant*. Ceterum in iſtis Orationibus comprehenduntur, tam ſecretæ, quam alta voce pronunciatæ. Inter ſecretas Orationes habetur, *Quod ore ſumpſimus Domine &c.* quæ cunctis communicantibus favent, ac proſunt, & aliæ nonnullæ. Alta vero voce plurimæ, & fere omnes, quæ poſt Communionem leguntur, ad Sacerdotis æque, ac Fidelium Communionem alludunt.

V. At vero minime diſſimulandum, quod noſter §. Communionem in Miſſa probans, atque præſcribens, in parentheſi inquit: *Niſi quandoque ex rationabili cauſa poſt Miſſam ſit facienda*. Id quod etiam ex S. Carolo confirmari poteſt, qui variis locis Actorum Eccleſiæ Mediolanenſis, præſertim vero in citato ſuperius Provinciali v. Concilio Mediolanenſi, poſtquam edixit, hoc inſtitutum, *quod antiquiſſimi ritus eſt*, a Sacerdote *religioſe* eſſe obſervandum, *ut intra Miſſarum ſolemnia, poſtquam ſcilicet Sanguinem ipſe ſumpſerit, fidelibus ſacram Communionem ſumpturis miniſtret*; ita ſtatim ſubjicit: *Nec vero tamen illam miniſtrare vetitum ſit, ſi quando occaſio tulerit, ut quis alio tempore, quam in Miſſa ſumpturus ſit*. Quænam ſit iſta occaſio, ſeu, ut inquit noſter §. rationabilis cauſa faciendæ Communionis poſt Miſſam, ſive extra illam, docet nos antiquum ms. Miſſale Dominicanum anni MCCLIV. apud Lebrun in Explicatione Miſſæ, Parte v. Articulo x. §. 1. *Si adeſt magna multitudo expectans finem Miſſæ, poterit differri Communio uſque poſt Miſſam, niſi in die Cœnæ, ſi viſum fuerit Priori*. Idem docet Gavantus in Rubricas Miſſalis Parte II. Tit. x. num. 6. *Regulariter hoc loco facienda eſt Communio*, poſt Communionem ſcilicet Sacerdotis; *ſed hodie, quia plurimi exoptant finem Miſſæ, & eos tædet expectare alios, ut communicent, præſertim ſi multi ſint communicandi, differri ſolet Communio uſque ad peractam Miſſam*. Sed addit mox: *Tolerandum videtur, ſi multi communicent, non tamen, ſi pauci, & ii fortaſſe privantur fructu Orationum earum, quæ poſt Communionem dicuntur, ut notat Micrologus Cap. xix.* cujus locum jam nos ſupra deſcripſimus. Atque hæc quidem ſpectant Communionem, quæ ex rationabili cauſa poſt Miſſam fit, in Altari ſcilicet, ubi extat Tabernaculum cum ſacris Particulis in eo aſſervatis, nam alias in cæteris Altaribus, in quibus hujuſmodi Tabernaculum non extat, nullo modo fieri debet, aut poteſt, Communio poſt Miſſam. Sane, ubi peracto Miſſæ Sacrificio in Altari nempe, in quo extat prædictum Tabernaculum, ſtatim Sacerdos Communionem miniſtraturus eſt, licet in memorato Provinciali Concilio Mediolanenſi Sanctus Carolus ſtatuerit, ut *veſtibus Sacerdotalibus, quibus in Miſſa uſus eſt, indutus miniſtret, Caſula tantum depoſita, & Manipulo item*; ſervandum nihilominus puto communem Eccleſiarum præſertim Urbis praxim, in quibus Communio, quæ fit a Sacerdote ſtatim poſt Miſſam, fit quidem cum omnibus iiſdem veſtibus, quibus Miſſam celebravit, & cum benedictione, de qua ſupra diximus in Commentario ad §. 11.

VI. Præter explicatam ſuperius cauſam, ut poſſit quandoque a Sacerdote omitti Fidelium Communio in Miſſa, & differri poſt Miſſam, ſi nempe pluribus, qui non ſunt communicaturi, Miſſamque audientibus mora prolixæ Communionis non leve incommodum afferat, ſunt & aliæ legitimæ cauſæ, ob quas neque in Miſſa, neque poſt Miſſam fieri poſſit, debeatve a Sacerdote Communio, veluti ſi aliquo morbo laboret, ut ſtare diutius ad Altare nequeat, vel ſcrupulis angatur, ut vultus mulierum ferre non valeat, ſive neceſſitate adigatur, ad diſcedendum citius ab Altari. His adde & alia incommoda, quæ vel egomet expertus ſum. Sæpe enim ac ſæpius multas Particulas conſecravi pro fidelium Communione, quas ego poſtea ſumere debui, quod illi, qui ex ipſis communicaturi erant, videntes in alio Altari fieri Communionem, me relicto, ut citius ſe expedirent, ad illud acceſſerint, ibique communicarint. Contigit quoque & mihi compluries, ut Particulas, quas pro certo fidelium numero conſecraveram, aliis deinde accedentibus, iſtis miniſtrare debuerim, quod primo loco in ordine communionis genuflexos invenerim, primis omnino a communione excluſis; neque enim ritum illum probo frangendi particulas, & cum earum fragmentis communicare, ut ſatis Communioni omnium fiat. Quid quod eodem ferme tempore Sacerdotibus in variis oppoſitiſque Altaribus celebrantibus, & Euchariſtiam miniſtrantibus, quo ſe vertat populus neſcit ad exhibendam reverentiam Sacramento, cogiturque uni Altari, ubi Euchariſtia miniſtratur, terga vertere, ut alteri oppoſito, ubi itidem ea diſtribuitur, reverentiam præſtet?

VII. Ob hæc, aliaque evitanda incommoda, jam in multis Eccleſiis ritus invaluit, ut Communio utplurimum extra Miſſam fiat in Altari, ubi extat Tabernaculum cum ſacra Pyxide, a Sacerdote Superpelliceo, ac Stola induto, juxta ritum in ſuperioribus Commentariis explicatum. Sed corrigendam hic velim quorundam fidelium importunitatem, qui ſtatim ac confeſſi ſunt, Communionem volunt, nullum Sacerdoti dantes tempus, ut ab una Communione, quam paulo ante peregerat, tantiſper quieſcat, alioſque expectet Communioni proximos, ne centies ire ac redire ad Altare cogatur, ut uni alterique Communionem miniſtret. Atque hanc importunitatem, inſolentiamque notavi utplurimum in mulierculis, quæ devotionem affectant, totoque fere mane, domus, ac filiarum cura omnino relicta, in Eccleſiis manent, Roſariis recitandis, ac vicinorum factis referendis. Sed, ut huic Commentario finem imponam, unum illud hactenus dictis addiderim, Sacerdotes nempe Miſſam celebrantes, non teneri Sacram Euchariſtiam omnibus petentibus infra actionem miniſtrare, declaratum fuiſſe a BENEDICTO Papa XIV. peculiari ſua Conſtitutione, quæ incipit, *Certiores effecti*, data die IV. Octobris, anno MDCCXLII. Pontificatus III. legiturque in ejuſdem Pontificis Bullario Tomo I. pag. 212. & ſeq. in qua curioſus lector multa etiam ſcitu digna inveniet.

§. XI.

Itaque Sacerdos, ſumpto ſacratiſſimo Sanguine, antequam ſe purificet, ponat Particulas conſecratas in Pyxide, vel, ſi pauci ſint communicandi, ſuper Patenam, niſi in prin-

principio poſitæ fuerint in Pyxide, & genuflectit, Miniſtro interim faciente Confeſſionem, ut ſupra. Poſtea vertens ſe ad populum, in cornu Evangelii dicit: *Miſereatur veſtri &c.* & eo, quo ſupra dictum eſt, modo, porrigit communicandis Euchariſtiam, incipiens a Miniſtris Altaris, ſi velint communicare. Finita Communione, revertitur ad Altare, nihil dicens, & non dat eis benedictionem, quia illam dabit in fine Miſſæ. Deinde dicit ſecreto: *Quod ore ſumpſimus &c.* ut in Miſſali, ſe purificat, & Miſſam abſolvit. Quod ſi contingat, abſoluta Miſſa, ſtatim aliquos interdum communicare, tunc Sacerdos, adhuc Planeta indutus, ſacram Communionem eo modo, quo ſupra dictum eſt, miniſtrabit.

COMMENTARIUS.

I. PErgit hic noſter §. ritum Cnmmuninnis exponere, qnæ fit in Miſſa, ſive poſt Miſſam; ſed nntandum hic primnm cenſeo, quod inquit Poſſevinus, *De officio Curati*, Cap. VIII. num. 4. & 5. quod nempe ſi prudenter prævideat Sacerdoa, plures eſſe commnnicandos, Pyxidem in Altari poſitam habere debet cum Particnlis conſecrandis, ſi paucns, poteſt Particulas ſuper Patenam pnnere, & cum Patena cnmmnnicare. Id etiam aſſerit Corſettns a Barrufaldo allegatua in Commentario ad hnnc §. ubi etiam admonet, non tutiſſimum conſilium eſſe Pyxidem multum replere Particulis, propter periculum, ne in eia tractandis labantnr, reprobatque ſacram præbere Communionem cnm Particulia poſitis ſuper Patenam, quia poteſt dari, ut eaa adeo vicinaa exhibeat communicando, ut is ſola reſpiratione eaa a Patena dejicere poſſit; qninimo dantur nonnnlli communicandi adeo devoti, ſed imprndentes, qui dum eis præbetur Commnnio, ſnrtiter aſpirando, e manibus Sacerdotis, vel e Pyxide, ſeu Patena illam ejiciant.

II. His notatia, qund noſtrum §. ſpectat, concinit hic qnidem Rnbricæ Miſſalia, Parte II. Tit. x. num. 6. quæ ſic habet: *Siqui ſunt communicandi in Miſſa, Sacerdos poſt ſumptionem Sanguinis, antequam ſe purificet, facta genuflexione, ponat Particulas coſecratas in Pyxide, vel ſi pauci ſint communicandi, ſuper Patenam, niſi a principio poſitæ fuerint in Pyxide, ſeu alio Calice. Interim Miniſter ante eos extendit linteum, ſeu velum album, & pro eis facit Confeſſionem, dicens:* Confiteor Deo &c. *Tum Sacerdos iterum genuflectit, & manibus junctis vertens ſe ad populum in cornu Evangelii, dicit:* Miſereatnr veſtri, *&* Indnlgentiam, abſolntionem, & remiſſionem peccatorum veſtrorum &c. *& manu dextera facit ſignum Crucis ſuper eos. Poſtea genuflectens, accipit manu ſiniſtra Pyxidem, ſeu Patenam cum Sacramento, dextera vero ſumit unam Particulam, quam inter pollicem & indicem tenet aliquantulum elevatam ſuper Pyxidem, ſeu Patenam, & converſus ad communicandos, in media Altaris dicit:* Ecce Agnus Dei &c. *Deinde dicit:* Domine non ſum dignus &c. *Quibus verbis tertio repetitis, accedit ad eorum dexteram, hoc eſt ad latus Fpiſtolæ, & unicuique porrigit Sacramentum, faciens cum eo ſignum Crucis ſuper Pyxidem, vel Patenam, ſimul dicens:* Corpns Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat animam tnam in vitam æternam, Amen. *Omnibus communicatis revertitur ad Altare, nihil dicens, & non dat eis benedictionem, quia illam daturus eſt in fine Miſſæ. Si Particulæ erant ſuper Corporale, extergit illud cum Patena; & ſi quæ in eo fuerint fragmenta, in Calicem immittit. Deinde dicit ſecreto:* Qnnd ore ſumpſimus Domine &c. *& ſe purificat.* Hactenus Rubrica Rnmani Miſſalis, quæ qnidem in variis Paragraphia a nobia jam explicatia continetnr, & cnnſequenter etiam late enarrata.

III. Porro notatu dignum eſt, quod in recitata Miſſalis Rnbrica, & in hoc præſenti §. edicitur, ut finita ſcilicet Fidelium Communione In Miſſa, Sacerdos *non det eis benedictionem, quia illam dabit In fine Miſſæ.* Quæri enim hoc loco poteſt, an in Miſſa defunctorum, in qna non datnr pnpulo benedictio, ea ſit danda cnmmunicatia? Et ſane dandam non eſſe, neque poſt Cnmmunionem, neque in fine Miſſæ, recte docet in citatam Rubricam Miſſalis Gavantua, qui etiam Albaſpinæum citans ait, nnn eſſe Encharistiam diſtribuendam in hujuſmodi Miſſis, endem ferme mndo, quo antiqnitus jejuniorum tempore Encharistia minime diſpenſabatnr. Cæterum licet hodie In defunctnrum Miſſis fieri Communio Fidelium ſoleat, ſciendum eſt tamen illud, peragendam ipſam Cnmmuninnem cum Particulis, quas Sacerdos in Miſſis ipſis defunctorum conſecrat, non vero ex illis, quæ in Tabernaculn aſſervantur, ut nnviſſime decidit Sacra Rituum Congregatio, & iccirco rejicienda omnino eſt illornm Auctorum opinio, qui aliter aliquando docuerunt.

IV. Quod tandem dicit hic noſter §. nt ſi contingat, abſoluta Miſſa, ſtatim aliquna interdum commnnicare, tunc Sacerdos adhuc Planeta indutus, Sacram Communinnem eo mndn, quo ſupra dictum eſt, miniſtret; ſnpponit qnidem Sacerdotem Miſſam celebraſſe ad Altare, in qno extet Tabernaculum, & in eo repoſita ſit Pyxia cnm Particulis jam conſecratia; recteque admonet, debere tunc Sacerdntem adhnc Planeta Indutum eo modo Euchariſtiam adminiſtrare, quo dictum ſuperius fuit. Sane mandat S. Carolus in Concilio Provinciali v. Mediolanenſi, nbi agit de iia, quæ ad Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentnm pertinent, nt qnum peracto Miſſæ Sacrificio Sacerdos ſtatim Euchariſtiam miniſtrat, veſtibus Sacerdotalibua, quibua in Miſſa uſua eſt, indutua miniſtret, *Caſula tantum depoſita, & Manipulo item.* Sed obſervandnm eſt, qnod recte ſtatuit hic noſter §. nt nempe cum cæteris veſtibus Caſulam, & Manipulum item retineat, & ratio eſt, quia Communio ipſa ſtatim poſt Miſſam, repntatur actua Miſſæ contignus, ideoque durat adhnc eadem ratio retinendi Planetam, & alias veſtes in Miſſa adhibitaa, ut inter alioa docet Sarnellius in Commentario, *De ritu Miſſæ*, noſtro nnn modo §. inhærena, ſed & communi Eccleſiarnm praxi, in quibns Sacerdoa ſtatim poſt Miſſam communicans, eaſdem omnino veſtea ratinet, quibus uſus fuit in Miſſa.

CAPUT III.

De Communione Paſchali.

I. CErtum, atque exploratum eſt, ſuperiuſque a nobis abunde probatum, in primordiis Eccleſiæ jam omnes Fideles, quorum *erat cor unum, & anima una*, quotidie perſeveraſſe *in communicatione fractionis Panis*, ut Acta ipſa Apoſtolorum teſtantur Cap. I. Quod etiam ſequiori ævo nullus ſacris myſteriis intereſſe permitteretur, niſi qui offerre poterat, & de Oblatis participare, notavit Joannes Cardinalis Bona Lib. II. *Rerum Liturgicarum*, Cap. XVII. num. II. ubi etiam ait, diu eam conſuetudinem perſeveraſſe in Eccleſia. Sed audiamus Anonymum antiquum Auctorem Turonenſem in ſuo ms. Speculo apud Martene, Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. IV. Articulo X. num. II. ubi ſic inquit: *Illud certe ignorari non debet, olim in primitiva Eccleſia ſingulis diebus, qui Canoni Miſſæ intererant, ſolitos fuiſſe communicare; ſed poſtea creſcente multitudine Fidelium, fuit inſtitutum, ut tantum Dominicis diebus communicaretur. Quod etiam paulo poſt cum obſervari non potuit, abiit in deſuetudinem, ac tertia ſubſequuta eſt inſtitutio, ut ſaltem ter quoque anno in Natali, Paſchate, & Pentecoſte, omnes Chriſtiani Euchariſtiam ſumerent.* Simili modo loquitur Joannes Belethus Seculi XII. Auctor in Explicatione Divinorum Officiorum Cap. CXX. his verbis: *In primitiva Eccleſia præceptum erat, ut ſingulis diebus, Corpus Domini ſumeretur; poſtea vero creſcente numero Fidelium, ut ſingulis diebus Dominicis; unde etiam nunc in Græcia ſub anathemate punitur, qui a tribus diebus Dominicis non communicaverit. Modo autem nos tenemur in tribus Solemnitatibus, nimirum Paſchate, Pentecoſte, & Natali.*

II. Idem confirmat Petrus Bleſenſis, qui eodem Sæculo XII. quo & Belethus claruit; ſed tamen Ille illud etiam docet, ſuo ævo ſenſim jam fuiſſe introductum, ut Communionis præceptum ad ſolum Paſcha fuerit reſtrictum. Sic enim inquit in Sermone XVI. *In prima Eccleſia quotquot intererant Conſecrationi Euchariſtiæ, communicabant eidem... Poſtquam autem crevit numerus Fidelium, nec omnes accedere ad Euchariſtiam viſum eſt, ſtatutum eſt, ut ſaltem diebus Dominicis Fideles communicarent. Cum vero paleæ ſupercreſcentes cœperunt cooperire grana, & multorum refriguit caritas, & crevit iniquitas, & perpauci inventi ſunt idonei, qui Calicem Salvatoris acciperent, decretum eſt, ut ſaltem per tres Solemnitates in anno Fideles communicarent, in Paſchate, Pentecoſte, & Natali. Nunc autem quoniam dies mali ſunt, & omnes fere declinaverunt, & inutiles facti ſunt, non audeo dicere ex præcepto Eccleſiæ, ſed ex tacita permiſſione introductum eſt, ut ſemel in anno congregentur in Eccleſia ad communicandum, quod præterire fas non eſt, ut ſicut Filii Iſrael typicum Agnum comedebant perpetuo, & eadem die Dominus Diſcipulis ſuis Carnem ſuam, & Sanguinem dedit, & in memoriam ſuam idipſum faciendum commendavit, ita & nos eadem die Carnem Agni, qui tollit peccata mundi, comedamus.* Sæculo itaque XII. quo claruit Bleſenſis, & quidem longe ante Concilium IV. Lateranenſe anni MCCXV. cujus Canonem mox in §. I. referemus, explicabimuſque, jam invaluerat in Eccleſia conſuetudo, ut Fideles ſemel in anno, in Paſchate ſcilicet, communicare tenerentur, faſque non eſſet eam conſuetudinem præterire.

§. I.

Curet autem Parochus, ut in Quadrageſima per ſe, vel per alios Concionatores populo opportune denuntietur Conſtitutio Concilii Lateranenſis ſub Innocentio III. quæ ſic habet: *Omnis utriuſque ſexus Fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua peccata confiteatur fideliter, ſaltem ſemel in anno, proprio Sacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam ſtudeat pro viribus adimplere, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum, niſi forte de conſilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abſtinendum, alioquin & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepultura.*

COMMENTARIUS.

I. QUum labente per univerſum Orbem pietatis ſtudio, nec ea Eccleſiæ conſuetudo, cujus ſupra meminit Petrus Bleſenſis, ut Fideles ſemel ſaltem in anno communicarent, obſervaretur, hinc eſt, quod Œcumenica Synodus IV. Lateranenſis, cui præfuit Innocentius Papa III. anno MCCXV. Canone XXII. quem nos ſuo loco fuſe explicuimus noſtro Tomo III. Commentariorum in Concilia Œcumenica, Decretum ediderit, quo Fideles omnes, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint, omnino tenerentur, non modo *ſaltem ſemel in anno proprio Sacerdoti confiteri*; verum etiam *reverenter ſuſcipere ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum*. Hunc Canonem præ oculis habens Œcumenica Synodus Tridentina Seſſione XIII. Can. IX. declarat, ut, *ſiquis negaverit omnes, & ſingulos Chriſtifideles utriuſque ſexus, cum ad annos diſcretionis pervenerint, teneri ſingulis annis ſaltem in Paſchate ad communicandum, juxta Præceptum Sanctæ Matris Eccleſiæ, anathema ſit*. Porro probans ipſa Synodus Tridentina, ac innovans prædictum Concilii IV. Lateranenſis Decretum, declarat quidem, adſtringi omnes Chriſtifideles Præcepto poſitivo Eccleſiæ, quoad tempus ſcilicet, ut ad minus ſemel in anno

no in Paſchate communicarent; ſed tamen alio in loco, nempe Seſſione XXII. *De Sacrificio Miſſæ*, Cap. VI. declarat, votum ſuum eſſe, ut Chriſtifideles frequentius ad ſacram Communionem accedant, immo ut in ſingulis Miſſis Fideles adſtantes non ſolum ſpirituali affectu, ſed ſacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent.

II. Sed antequam de Canone ipſo Lateranenſi dicamus, notandum illud eſt, quod initio noſtri hujus §. edicitur: *Curet autem Parochus*, inquit, *ut in Quadrageſima per ſe, vel per alios Concionatores populo opportune denuncietur Conſtitutio Concilii Lateranenſis ſub Innocentio III.* illa ſcilicet, quam mox ſubjicit: *Omnis utriuſque ſexus Fidelis &c.* Huc ſpectat quod & S. Carolus ſtatuit in ſuis, *De Sacramento Sanctiſſimæ Euchariſtiæ*, Inſtructionibus, in quibus inter alia, quæ Parocho ſervanda ſunt in Paſchali Communione, & id recenſet: *Sæpe numero Parochus in Quadrageſima populo promulgabit, atque adeo explanabit Conſtitutionem illam in Concilio Lateranenſi ab Innocentio III. Pontifice editam, cujus initium eſt*: Omnis utriuſque ſexus. *Cenſuramque in eo ſancitam diligentiſſime proponet. Quæ Conſtitutio, ut perfecte ſervetur, in Quadrageſima item per familias, ut Concilio Provinciali cautum eſt, nomina eorum deſcribet, qui per ætatem rationis uſum adepti, in Paſcha ſacram Communionem confeſſi ſumere debent.* Sed audiamus nunc quod idem Antiſtes Sanctiſſimus de ea re ſtatuit in Concilio Provinciali V. Mediolanenſi, Capite inſcripto, *Quæ ad Pœnitentiæ Sacramentum pertinent*, ubi ſic inquit: *Ut ad Sanctum Pœnitentiæ Sacramentum Fideles ſollicite, diligenterque accedant, id Parochus præſtet, ut in hebdomada, quæ Quadrageſimam proxime præcedit, ad patrumfamilias ædes, quæ intra Parochiæ ſuæ fines ſunt, ſigillatim eat, ac videat accurate, qui obligatione hujus Sacramenti ſuſcipiendi, & Sacræ Euchariſtiæ Paſchæ tempore ſumendæ devincti ſint, eorumque nomina recte deſcribat; ac ſingulos præterea, eoſque præſertim, qui perraro confitentur, moneat, ut ne Confeſſionem differant in poſtremos illos Quadrageſimæ dies, quibus Sacerdotes, vel ob myſteriorum celebritatem aſſidua divinorum occupatione ab audiendis Confeſſionibus impediuntur, vel frequenti tunc concurſu Fidelium defatigati ita in eo ipſo munere præſtando fere opprimuntur, ut tantum, tamque ſalutare miniſterium in confertiſſima multitudine vix recte illis præſtare queant.*

III. His præmiſſis, venio nunc ad ipſam Lateranenſis IV. Concilii Conſtitutionem in §. noſtro deſcriptam, quam inter alios hæreticos, multis nominibus perperam irridet Calvinus Libro III. Inſtitutionum, Cap. IV. §. VII. ubi more ſuo ſcurram agens, poſt recitatam prædictæ Conſtitutionis verba, quibus edicitur debere omnem *utriuſque ſexus* Fidelem, quotannis ſemel ſaltem peccata ſua confiteri, & communicare in Paſcha, ſcurrilitatem ſui ſimilium commendat, qui aſſerere auſi ſunt, *hoc Præcepto teneri ſolos hermaphroditos, ad neminem vero ſpectare, qui ſit vel mas, vel femina*. Verum ſumma eſt Calvini, aliorumque hæreticorum impudentia, atque arrogantia, imo & imperitia, cum verba illa, *omnis utriuſque ſexus*, derident, & ad hermaphroditos coarctant. Ut enim obſervat religioſiſſimus, ac doctiſſimus Cardinalis Bellarminus Lib. III. *De Sacramentis*, Cap. XIII. Sanctus Hieronymus, quem barbarum dicere non poſſumus, imo qui longe melius Latinas voces noverat, quam Calvinus, iiſdem vocibus non ſemel in Scripturarum interpretatione uti voluit. Quod enim Deuteronomii Cap. VII. Verſu XIV. ſcriptum fuit: *Non erit apud te vir ſterilis, neque mulier ſterilis*, ita Hieronymus Latine reddidit: *Non erit apud te ſterilis utriuſque ſexus*. Neque timuit S. Doctor, ne ſciolus aliquis, vel ſcurra diceret, ad ſolos hermaphroditos eam benedictionem pertinere. Sed de hac re jam plura notavimus nos Tomo III. Conciliorum in Commentario ad Canonem XXI. memorati Concilii IV. Lateranenſis, num. III.

IV. Omiſſis Calvini nugis, recte ſtatuit laudatus Canon, ut *omnis utriuſque ſexus Fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua peccata confiteatur fideliter ſaltem ſemel in anno &c.* Licet iſtud Eccleſiæ Præceptum de Confeſſione quolibet anni tempore, poſſit recte obſervari, nec tempus in illo præſcriptum ſit, ut in Communionis annuæ Præcepto faciendæ in Paſchate; attamen quia Confeſſio Communionem præcedit, ideo utplurimum eodem tempore duo illa Præcepta adimplentur; ſed quia ſæpius contingit, quod hi, qui ſemel tantum in anno confitentur, non ſunt recte diſpoſiti ad Abſolutionem Sacramentalem ſtatim recipiendam, & ita ad Confeſſarium redire debent poſt aliquod tempus, aut quia nimia pœnitentium multitudo circa Paſcha una cum aliis in Eccleſia functionibus, vix modum relinquit Confeſſariis diligenter peccatorum conſcientias, variis adhibitis interrogationibus, perſcrutandi, remediaque ſalutaria ſuo tempore prudenter applicandi, ideo S. Carolus, cujus loca ſuperius retulimus, aliique religioſi Epiſcopi in ſuis Synodis, quarum nonnullas recenſet Genettus Tomo IV. Theologiæ Moralis, Tractatu VI. Capite VI. Quæſtione XV. ſapientiſſime ſtatuerunt, ut moneantur Fideles de Confeſſione initio Quadrageſimæ peragenda. Quod quidem conſentaneum eſt veteri Eccleſiæ diſciplinæ, cujus teſtem habemus Sanctum Joannem Chryſoſtomum, qui Homilia XXX. in Geneſim, Quadrageſimalis temporis meminit, ubi ſic loquitur: *Quia in magnam hanc hebdomadam pervenimus Dei gratia, nunc maxime, & jejunii curſus intendendus, & magis continuandæ ſunt preces, faciendaque diligens, & pura peccatorum confeſſio.* Ritualia æque, ac Pœnitentialia, quæ poſt ſeptimum Sæculum conſcripta ſunt, iſtud quoque præſcribunt, ut lapſi ineunte Quadrageſimali tempore confiteantur, & Quadrageſimam ipſam Pœnitentiæ impendant.

V. Porro qua ætate Fideles, ſive mares, ſive feminæ ſint, ad annuam ſaltem Confeſſionem, & Paſchalem Communionem teneantur, his verbis exprimunt laudatæ Synodi Lateranenſis IV. & Tridentina, *Cum ad annos diſcretionis pervenerint*; ideſt ad eam ætatem, qua rationis uſum habere poſſunt, & inter bonum, & malum diſcernere, uti explicat Tridentini Concilii Catechiſmus, Parte II. *De Pœnitentiæ Sacramento*, num. LVIII. ſic inquiens: *Illud univerſe ſtatuendum videtur, ab eo tempore Confeſſionem puero indictam eſſe, cum inter bonum, & malum diſcernendi vim habet, in ejuſque mentem dolus cadere poteſt. Nam cum ad id vitæ tempus quiſque pervenerit, in quo de ſalute æterna deliberandum eſt, tum primum Sacerdoti peccata confiteri debet,*

bet, cum aliter ſalutem ſperare nemini liceat, qui ſcelerum conſcientia premitur. Quamvis autem plurea Theologi cenſeant, Præcepto de annua Cnnfeſſione jam non omnes omnino adultos Fideles ligari, ſed eos tantum Lateranenſi Canone obligari, qui in ſtatu peccati mortalis verſantur, probabilior eſt tamen contraria opinio, quam docet probatque S. Thomas in Supplemento, Quæſtione VI. Articulo III. ubi ſic inquit: *Reſpondeo dicendum, quod ad Confeſſionem dupliciter obligamur. Vno modo ex Jure Divino, ex hoc ipſo quod eſt medicina, & ſecundum hoc non omnes tenentur ad Confeſſionem, ſed illi tantum, qui peccatum mortale incurrunt. Alio modo ex Præcepto Juris poſitivi, & ſic tenentur omnes ex inſtitutione Eccleſiæ edita in Concilio generali ſub Innocentio III. tum ut quilibet peccatorem ſe recognoſceret, quia omnes peccaverunt, & egent gloria Dei; tum ut cum majori reverentia ad Euchariſtiam accedatur; tum etiam ut Eccleſiarum Rectoribus ſui ſubditi innoteſcant, ne lupus intra gregem lateat*. Atque hic illud notandum, Præceptum ipſum annuæ Confeſſionis adimpleri tantum per Confeſſionem recte factam; illam enim Confeſſinnem ſemel ſaltem in anno faciendam Eccleſia in recitato Lateranenſi Canone præſcripſit, quam Chriſtus ipſe injunxit. Unde merito Alexander Papa VII. in Decreto edito die XXIV. Septembris MDCLXV. hanc quorundam Caſuiſtarum propoſitionem num. XIV. proſcripſit: *Qui facit Confeſſionem voluntarie nullam, ſatisfacit Præcepto Eccleſiæ*. Hinc qui Confeſſionem invalidam fecit, ut Eccleſiæ Præceptum implere videretur, non ſolum accuſare ſe debet de ſacrilegio, ſed etiam de violatione Præcepti Eccleſiaſtici, idque etiam facere debet reſpectu Communionis ſacrilege acceptæ tempore Paſchali.

VI. Præterea Confeſſionem annuam faciendam eſſe a Fidelibus *proprio Sacerdoti*, expreſſe edicit recitatus Canon Lateranenſis. Quamvis autem multi Auctores hodieque contendant, nomine proprii Sacerdotis intelligi ab ipſo Canone ſolum Parochum, addubitari tamen nequit, quin memorato Canoni ſatisfaciant quicumque peccata ſua tempore Paſchali alteri Sacerdoti Sæculari, Regularive ab Epiſcopo generatim approbato confitentur. Ut enim alias de hac re Summorum Pontificum Conſtitutiones omittam, perſpicue noſtram communem ſententiam confirmat celebris Conſtitutio a Clemente Papa X. edita, quæ incipit, *Superna magni Patris familias*, ubi declarat, *ſemel ſimpliciter approbatos poſſe in Diœceſi Epiſcopi approbantis quovis anni tempore, etiam Paſchali Confeſſiones audire .... Et eos, qui dictis Religioſis ſimpliciter approbatis tempore Paſchali confeſſi fuerint, Conſtitutioni, quæ incipit*, Omnis utriuſque ſexus, *quoad Confeſſionem dumtaxat, ſatisfeciſſe cenſendos*. Perſpicua ſunt Pontificis verba, contemnendæque iccirco penitus ſunt quorundam Scriptorum cavillationes, qui Regularibus potiſſimum infenſi, prædictam Clementis Papæ X. Conſtitutionem enervare perperam conati ſunt.

VII. Ad Communionem quod attinet, recte ait laudatus Catechiſmus num. LXVI. quod, *quamvis Lex Dei, & Eccleſiæ auctoritate ſancita ad omnes Fideles pertineat, docendum eſt tamen, eos excipi, qui nondum rationis uſum propter ætatis imbecillitatem habent; hi enim neque Sacram Euchariſtiam a profano, & communi pane ſciunt diſcernere, neque ad eam accipiendam, pietatem animi, & religionem afferre poſſunt*; Qua vero ætate pueris ſacra Myſteria danda ſint, recte ſubjicit idem Catechiſmus in Nota ad ſequentem numerum LXVII. quod *nemo melius conſtituere poterit, quam pater, & Sacerdos, cui illi confitentur peccata; ad illos enim pertinet explorare, & a pueris percunctari, an hujus admirabilis Sacramenti cognitionem aliquam ceperint, & guſtum habeant*. Cæterum cum inter alia in citato toties Lateranenſi Canone ſtatuatur, ut unuſquiſque Fidelis, qui ad annos diſcretionis pervenit, ſuſcipiat *reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum*, hinc merito damnata eſt ab Innocentio Papa XI. Decreto edito die II. Martii anni MDCLXXVII. inter alias Caſuiſtarum propoſitiones iſta num. LV. *Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem*. Cum enim Præceptum Eccleſiaſticum de annua Paſchali Communione ſit Divini Præcepti quædam explicatio, ac determinatio, jam non eſt dubium, quin Eccleſia eam, quam Chriſtus injunxit, Communionem piam, atque religioſam Fidelibus præſcribat.

VIII. Poſitivo itaque Jure inſpecto, debet quiſque Fidelis ſemel ſaltem in anno confiteri, & communicare in Paſcha, ſive tempore Paſchali, quod comprehendere hebdomadam Sanctam, & Octavam Paſchatis, ex mente laudati IV. Concilii Lateranenſis, declaravit jam diu inter alios Eugenius Papa IV. in Bulla, quæ incipit, *Fide digna*; eamque declarationem communiter nunc ſervat Eccleſia, itaut quis Eccleſiæ Præcepto de Paſchali Cnmmunione ſatisfeciſſe cenſeatur, modo intra quindenam Paſchalem incipientem a Dominica Palmarum, & finientem in Dominica in Albis communicaverit. Sed notanda illa exceptio Lateranenſis Canonis: *Niſi forte de conſilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem cauſam, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abſtinendum*. Idem docent & aliæ Synodi, poſt Lateranenſem habitæ, inter quas Carnotenſis anni MDXXVI. has cauſas recenſet differendæ Paſchalis Communionis: *Vt puta propter debilitatem ſtomachi ſumptum cibum retinere non valentis, vel etiam propter nondum factum ſufficientem peccatorum confeſſionem, ſeu aliam debitam præparationem, quam peragere non poterat, aut etiam negligenter omiſerat, faciendum*. Afferri & aliæ id genus cauſæ poſſent, ſed ſatis nos docent memorata nuper Lateranenſis Canonis verba, Præceptum de ſumenda Euchariſtia in ipſa Paſchali ſolemnitate, nequaquam debere Confeſſarios movere ad impertiendam pœnitentibus Abſolutionem, vel Communionem, quam ipſis alias prudenter denegarent.

IX. Huc plane ſpectat, quod poſt alios obſervat Natalis Alexander, *Theologiæ Dogmaticæ & Moralis*, Libro II. *De Sacramento Euchariſtiæ*, Cap. I. Articulo V. Propoſitione III. Regula IV. nempe ſicut in veteri Lege immundi a faciendo Phaſe cum reliquo cœtu filiorum Iſrael excluſi ſunt, & in ſecundum menſem dilati ex Capite IX. Libri Numerorum, ita & in nova Lege ens a perceptione Euchariſtiæ excludi, qui parati non ſunt ad eam percipiendam; utpote qui in proximis peccandi occaſionibus, vel in affectu peccati adhuc verſantur; vel quorum dubia converſio eſt, propter inveteratam peccati læthalis, publici maxime, & cum aliorum ſcandalo commiſſi habi-

bitum, ac frequentes in eadem crimina relapſus; vel anno ſolido a Sacramentali Confeſſione abſtinuerunt, & poſtremis Paſchalis quindenæ diebus ſe ſiſtunt Sacerdoti, nulla, aut exigua præparatione, eorum Communio ad tempus differenda eſt ſecundum prudens judicium proprii Sacerdotis, penes quem, & non penes alium, ſalvo proprii Epiſcopi jure, poteſtas eſt, Communionis Paſchalis tempus prorogandi. Unde ſiquis alteri a Parocho, de illius, aut Epiſcopi licentia, peccata confeſſus fuerit, ipſique abſolutionis beneficium diſtulerit Confeſſarius, aut illius Communionem ultra quindenam Paſchalem differendam judicaverit; debet nihilominus pœnitens proprium Parochum adire, eique exponere conſcientiæ ſuæ ſtatum; aut certe Sacerdotis, apud quem peccata depoſuit, judicium, ut illius conſilio, & licentia Paſchalem Communionem ad tempus differat. Alioqui Parochus jure ſuo utetur, & pœnas memorati Lateranenſis Canonis ipſum incurriſſe declarabit. Quamobrem conſultius erit, ſi Confeſſarii hujuſmodi homines ad proprium Sacerdotem, ideſt, ad Parochum remittant, ut ego facere utplurimum conſuevi.

X. Quemadmodum autem de proprii Sacerdotis conſilio ob rationabilem cauſam differri poteſt Paſchalis Communio, ita anticipari & poteſt, & debet, ſiquis prævideat, ſe propter legitimum impedimentum non communicaturum tempore ipſo Paſchali. Eccleſia enim ſic jubet Communionem in Paſchate, ut velit *ad minus*, tunc fieri, & non ultra differri. Cæterum quod is, qui nec eo tempore, nec antea communicare potuit, teneatur ad ſatisfaciendum Eccleſiæ Præcepto, pro illo anno communicare, recte docent graviſſimi Auctores, Joannes Major, Petrus a Palude, Navarrus, Sylvius, & alii, a quibus obligationis hujus ratio duplex affertur. Prima eſt, quia non conceditur terminus annuus, ut tunc eſſet obligatio, ſed ut adimpletio Præcepti ulterius differri non poſſit; ſicut in contractibus, quando ſtatuitur tempus, ultra quod non poſſit differri ſolutio, ſi tunc non fiat, debitum minime extinguitur, ſed perſeverat. Ratio altera eſt, quia Communio eſt id, quod Eccleſia præcipue præcipere intendit, temporis autem determinatio, eſt quid ſecundarium. Cum ergo poſſit adhuc impleri Præceptum ſecundum ſubſtantiam, & quantum ad id, quod in eo præceptum eſt, dicendum videtur, eam obligationem adhuc perſeverare. Id quod etiam confirmatur ex §. ſequenti, ubi Parocho præcipitur, ut *qui dicto tempore non communicaverint, & poſt Octavam Paſchæ eos, qui propriæ ſalutis immemores, ſæpius admoniti, non obtemperaverint, Ordinario ſuo denunciet*.

XI. Jam non deſunt magni etiam nominis Theologi, quales ſunt S. Antoninus, Sylveſter Prieras, Dominicus Soto, Toletus, & alii, qui ajunt, eum, qui non communicavit Paſchali tempore, non teneri eo anno ad ſatisfaciendum Paſchalis Communionis Præcepto, quia ſcilicet dum aliquid præcipitur cum determinatione temporis, eo elapſo, ceſſat obligatio, ut patet in Miſſa Feſti, in jejunio Vigiliæ, & Horarum Canonicarum recitatione, quæ, ſi conſtituta die non ſerventur, non obligant poſtea. At vero hæc opinio, rationeſque, quibus ipſa innititur, egregie refelluntur a doctiſſimis Scriptoribus, qui docent, ea exempla locum habere poſſe, cum opus, quod præcipitur, annexum eſt tempori, & quaſi penſum, & onus diei præcipitur, itaut ratio obligationis ſit talis dies, qualia ſunt auditio Miſſæ in die feſto, jejunium in Quadrageſima, Quatuor Temporibus, ſtatiſque Vigiliis, ac Horarum Canonicarum recitatio. At Confeſſio, & Communio annua, non præcipiuntur, ut annexæ tempori, utque certæ diei penſa, & onera; nec ratio obligationis earum eſt Paſchale tempus, ſed Jus Divinum, cui ut ſatisfiat, Eccleſia Paſchale tempus ita determinavit, ut obligationem faciendi ſatis Divino illi Juri, aut Præcepto de cæleſti cibo animabus noſtris procurando, quo ſpiritualis vita ſuſtentetur, propterea non remiſerit. Atque hæc longe probabilior, & tutior videtur ſententia, quamvis, ut dixi, inſignes Theologi contrariam defendant.

XII. Pœna tandem non communicantis in Paſchate in hoc noſtro §. ſeu potius ex Canone Lateranenſi ſtatuta eſt, ut *vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepultura*. Idem aliæ paſſim Synodi, ac Rituales Codices poſt prædictum Lateranenſem Canonem ſtatuerunt. Licet enim jampridem Sancti Patres, ac Synodi ad Sacram Communionem Fideles hortarentur, imo ut ad eam ſæpius, ac frequenter per annum accederent, non tantum monuiſſe, ſed & præcepiſſe videantur, nequaquam tamen legimus, quod ante ipſum Lateranenſe Decretum ad eam ſub comminatione Cenſurarum fuerint adacti. Cæterum, ut recte obſervat Vaneſpen Parte II. *Juris univerſi Eccleſiaſtici*, Tit. IV. Capite III. Conciliorum de ea re Decreta non obſcure ſupponunt, nequaquam penes Parochos eſſe auctoritatem aliquam ob omiſſam Communionem Paſchalem, vivum ab ingreſſu Eccleſiæ arcendi, ſed dumtaxat deferendi ad Epiſcopum, qui, re maturius examinata, delatum vel abſolvat, vel ad pœnam Canone decretam condemnet. Atque id eſt, quod noſtrum hoc Rituale Romanum præcipit, ubi in ſequenti §. illud ſolum Parocho præcipit, ut *qui dicto tempore non communicaverint, & poſt Octavam Paſchæ eos, qui propriæ ſalutis immemores, ſæpius admoniti, non obtemperaverint, Ordinario ſuo denunciet*.

§. II.

Ut igitur hoc ſalutare Concilii Decretum inviolabiliter ſervetur, deſcripta Parochus habeat nomina ſuorum Parochianorum; & qui dicto tempore non communicaverint, & poſt Octavam Paſchæ eos, qui propriæ ſalutis immemores, ſæpius admoniti, non obtemperaverint, Ordinario ſuo denunciet.

COMMENTARIUS.

I. Inter Libros, quos ſibi conficere, & habere unuſquiſque Parochus debet ex noſtri hujus Ritualis Romani præſcripto, eſt & Liber, qui dicitur *Status animarum*, de quo in fine ejuſdem Ritualis extat Caput VI. quod inſcribitur, *Forma deſcribendi ſtatum animarum in quar-*

quarto Libro. In quo quidem deſcribere & eos Parochus debet, qui ad Sacram Communionem admiſſi ſunt. Concinunt autem noſtro huic §. quod tum alii Epiſcopi in ſuis Synodis, tum vero potiſſimum S. Carolus ſtatuit in ſuo Provinciali v. Concilio Mediolanenſi, ubi agit de iis, quæ ad Pœnitentiæ Sacramentum pertinent: *Ut ad Sanctum*, inquit, *Pœnitentiæ Sacramentum Fideles ſollicite, diligenterque accedant, id Parochus præſtet, ut in hebdomada, quæ Quadrageſimam proxime præcedit, ad patrumfamilias ædes, quæ intra Parochiæ ſuæ fines ſunt, ſigillatim eat, ac videat accurate, qui obligatione hujus Sacramenti ſuſcipiendi, & ſacræ Euchariſtiæ Paſchæ tempore ſumendæ devincti ſunt, eorumque nomina recte deſcribat*. Rurſus in Inſtructionibus de Euchariſtiæ Sacramento, ubi agit de iis, quæ Parocho ſervanda ſunt in Paſchali Communione, poſtquam dixit, ut Parochus ſæpenumero in Quadrageſima populo promulget, explanetque memoratam toties Lateranenſis Concilii Conſtitutionem, quæ incipit, *Omnis utriuſque ſexus*, ita ſtatim ad noſtram rem ſubdit: *Quæ Conſtitutio ut perfecte ſervetur, in Quadrageſima item per familias, ut Concilio Provinciali cautum eſt, nomina eorum deſcribet, qui per ætatem rationis uſum adepti, in Paſcha Sacram Communionem confeſſi ſumere debent*.

II. Illud quoque conſtitutum paſſim & in aliis Conciliis lego, quod in hoc noſtro §. edicitur, ut nempe, *qui dicto tempore non communicaverint, & poſt Octavam Paſchæ eos, qui propriæ ſalutis immemores, ſæpius admoniti non obtemperaverint, Ordinario ſuo denunciet*. Sane in laudatis Inſtructionibus & id inter alia ſtatuit Sanctus Carolus, ut qui præſtituto Paſchæ tempore non communicaverint, eos ex præſcripta formula *ad Altare altero ex diebus feſtis Paſcha proxime ſequentibus*, Parochus moneat, & in contumacia perſeverantes ad Archiepiſcopale Forum deferat. Porro admonitionis formula, quam mox S. Carolus ſubjicit, hæc eſt: *Omnes, & ſingulos Parochiæ noſtræ Fideles legitimæ ætatis, qui in Paſcha ex Præcepto Sanctæ Matris Eccleſiæ Sacram Communionem ſumere debent, qui nondum ſumpſerunt, hoc monemus; ut intra hanc hebdomadam, aut Dominica proxime ſequenti confeſſi ſumant; alioqui illos, qui ad conſtitutam eam diem, vel ad ſex dies poſt Octavam Paſchæ ad ſummum non præſtiterint, ad Reverendiſſimum Archiepiſcopum deferemus, ut mox ingreſſu Eccleſiæ, Eccleſiaſticaque ſepultura interdicti, intra Miſſarum ſolemnia denuncientur, valviſque Eccleſiæ Parochialis nomina eorum affigantur. Atque hanc quidem unicam monitionem pro tribus ſatis eſſe, vobis edicimus*. Mandat deinde S. Antiſtes, monitionem ipſam etiam vulgari ſermone explicandam. Munus itaque Parochi erit eum, qui non communicavit in Paſchate, primum monere, contumacemque Ordinario denunciare, qui, uti notavimus in Commentario ſuperiori, re maturius examinata, vel delatum abſolvet, vel ad pœnam Canone decretam condemnabit. Atque hæc eſt communis Eccleſiarum praxis.

III. Unum reſtat, quod hoc loco adnotandum cenſui, quod licet nempe tempus Paſchali Communioni ſtatutum ex declaratione Eugenii Papæ IV. & communi fere Eccleſiæ praxi, a Dominica Palmarum incipiat, finiatque in Dominica in Albis, invaluit tamen alicubi conſuetudo, ut in Luſitania, atque in Hiſpania, ut quis ad Præceptum Eccleſiæ adimplendum communicare poſſit in quolibet die Quadrageſimæ; vel juxta morem Dalmatiæ poſt Quadrageſimæ medietatem, ut ex variis Auctoribus refert Barruſaldus ad hunc noſtrum §. num. 13.

§. III.

Dabit quoque operam Parochus, quoad fieri poteſt, ut in ipſo die ſanctiſſimo Paſchæ communicent; quo die ipſe per ſe, niſi legitime impediatur, Parochiæ ſuæ Fidelibus hoc Sacramentum miniſtrabit.

COMMENTARIUS.

I. Est & hæc quidem, quam noſter §. inſinuat, pervetuſta Eccleſiæ diſciplina, cui inhærens S. Carolus in ſuis, *De Sacramento ſanctiſſimæ Euchariſtiæ*, Inſtructionibus, ita de Paſchali Communione Parochum monet: *Hortabitur autem eos, ut qui in Paſcha ſacram Communionem ſumere debent, ipſo die Paſchæ Reſurrectionis id præſtent*. Antiquiſſimæ ipſius diſciplinæ, ut Fideles in die Paſchatis communicarent, meminit quidem Gregorius Turonenſis Lib. II. *De miraculis S. Martini*, Cap. XIII. ſolitique erant populi ad Paſchalem ipſam Communionem invitari hac Antiphona, quæ cum gravi, ac ſuavi melodia decantabatur: *Venite populi ad ſacrum, & immortale myſterium, & libamen agendum. Cum timore, & fide accedamus manibus mundis, pœnitentiæ munus communicemus, quoniam propter nos Agnus Dei Patri Sacrificium propoſitum eſt. Ipſum ſolum adoremus, ipſum glorificemus, cum Angelis clamantes, Alleluja*. Hanc antiphonam hactenus cantat Eccleſia Turonenſis, eamque ex veteri Miſſali Eccleſiæ ejuſdem annorum circiter CM. deſcripſit Martene in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina in Divinis celebrandis Officiis*, Cap. XXV. num. XXVI. ubi etiam notat, eandem Antiphonam ante Communionem dicendam præſcribi quidem in Ordinario Cabilonenſi, Carnotenſi Sancti Joannis, Miſſali Pictavienſi, Lugdunenſi, Athanacenſis Monaſterii, & Ambroſiano.

II. Obſervare illud præterea licet cum eodem Auctore, ſequenti num. XXVII. quod ſcribit Petrus Amelius in ſuo Romano Ordine XV. Cap. LXXXV. apud Mabillonium Tomo II. Muſei Italici; agens quippe de Paſchali communione in Miſſa Romani Pontificis, quæ die Paſchæ celebrabatur, ait, omnes, & ſingulos, *quicunque vere confeſſi, & pœnitentes eſſent, atque corde contriti*, potuiſſe a Papa ſacram Communionem accipere, *abſque licentia Epiſcopi, vel Plebani, vel alterius majoris*; deinde iiſdem omnibus, *qui communicaſſent de manu Papæ*, porrectam a Diacono

couo fiſtulam, *ad bibendum de Sanguine Chriſti*; atque adeo Communionem ſaltem Paſchalem in Miſſa Papali celebratam fuiſſe ſub utraque ſpecie ad uſque Sæculum xv. quo ille ſuum conſcripſit Ordinem circa Martini Papæ V. Pontificatum; denique poſt perceptionem Sanguinis, quemlibet bibiſſe modicum de vinn cum Calice de manu Sacriſtæ, vel Acolythi Calicem tenentis, ex eodem Auctore addiſcimus.

III. Cum antem ex præſcripto Eccleſiæ omnes ntriuſque ſexus Chriſtifideles in Paſchate ad ſacram Synaxim accedere teneantnr, nt ea rite peragcretur, nnica olim in ſingulis Parochialibus Eccleſiis Urbis Remenſis Miſſa celebrabatur, ad quam omnes commnnicabant. Ubi tamen major exiſtebat communicantinm multitudo, altera Miſſa addebatnr. Ita plane videre eſt in pervetuſto Ritnali Diœceſis Remenſis apud laudatum Martene citato loco num. XXVIII. *Die Sancto Paſchæ*, verba ſunt prædicti Ritualis, *in aliquibus Eccleſiis, propter multitudinem communicantium, ſolet celebrari una Miſſa de mane poſt Matutinas, in qua adminiſtrantur hi, qui juſta ratione non poſſunt communicari in majori Miſſa, & Presbyter pro libito poteſt facere abſolutionem generalem, & ſimiliter in majori Miſſa. In aliis vero Eccleſiis ſola Miſſa eodem die celebratur, ad quam accedunt communicaturi ſecundum morem uniuſcujuſque Eccleſiæ.* Teſte eodem Martene loco citato, unicam adhuc hac die Miſſam celebrant Monachi Carthuſienſes priſcorum ritnum tenaciſſimi, in qua omnes Presbyteri de manu Prioris Commnnionem percipiunt, ex Statutis Guigonis, Cap. IV.

IV. Quicqnid de hiſce antiquis ritibus ſit, illud plane mandat hic noſter §. nt ipſo Paſchatis die Parochus *ipſe per ſe, niſi legitime impediatur, Parochiæ ſuæ Fidelibus hoc Sacramentum miniſtret*. Jam non modo ipſo Paſchatis die, verum toto Paſchali, ad Communionis adimplendum Præceptnm, ſtatuto tempore, debere Parochum, niſi legitime impediatur, Paſchalem Communionem Fidelibns Parochiæ ſuæ adminiſtrare, ſtatuit quidem S. Carolus in laudatis toties ſuperius Inſtructionibus, nbi ſic inter alia inquit: *Quo Paſchæ tempore ipſe, non alius Sacerdos, miniſtrabit; ſi vero frequentem populum habeat, alium quoque Sacerdotem adhibeat tunc licet.* Porro ſumi debere Paſchalem Communionem a proprio Parocho, Synodorum poſt Lateranenſem Canonem Decreta, ac Ritualium Statuta, uno conſenſu declarant, eamque eſſe mentem memorati Canonis Lateranenſis, evidenter ſupponunt, ipſaque communis Catholicæ Eccleſiæ praxis oſtendit.

V. Hinc qui in aliis Eccleſiis Euchariſtiam ſnmpſerit ſæpius, ac etiam in hebdomada ſancta, debet nihilominus intra quindenam Paſchalem ſemel in Eccleſia propria Parochiali ſumere, ut ſatisfaciat Præcepto Paſchalis Communionis. Præterea licet qniſpiam Præcepto Paſchalis Communionis ſatisfaciat, Sanctiſſimam Euchariſtiam in propria Parochia ſumendo, die tamen ipſo Paſchatis Euchariſtiam ſnmere non poteſt in Eccleſia Regularium, aut quorumvis privilegiatorum, ſive exemtorum. Id enim expreſſe prohibet Leo Papa X. qni concedens privilegiatis, ut Euchariſtiam qnovis anni die miniſtrare poſſint, ipſnm diem Paſchatis excipit. Quod etiam ipſa Paſchatis die nec ipſi quidem, qui Feria V. in Cœna Domini de manu Parochi Euchariſtiam ſumſerunt, devotionis cauſa poſſint illam ſumere de mann Regularinm, cenſuit jam Sacra Cardinalium Congregatio Tridentini Concilii Interpretum, XXIII. Januarii anni MDLXXXVI. apud Fagnanum in Capite, *Omnis utriuſque ſexus, De Pœnitentiis, & remiſſionibus*, num. 43.

VI. Quæri hic inſuper poſſet, an qui communicat tempore Paſchali in Cathedrali Eccleſia, & non in propria Parochia, ſatisfaciat Præcepto? Jam non deſunt, qui eum ſatisfacere aſſirmant, quos tamen merito refellit Clericatus laudatus a Barrnſaldo in Commentario ad §. IV. Tituli XXV. num. 41. qui late ſolideque demonſtrat, illum minime Præcepto Communionis ſatisfacere, qni non in Parochia, ſed in Cathedrali communicaret, niſi de manu Epiſcopi Communionem ſumeret, vel de licentia proprii Parochi. Ceterum, ad magis, magiſque ſententiam ſuam corroborandam affert etiam Clericatus Decretum Sacræ Congregationis Concilii Tridentini Interpretum editum anno MDCXLIX. & declarationem ſanctæ memoriæ Innocentii Papæ XI. qui anno MDCLXXXII. dixit, non ſatisfieri Præcepto Communionis Paſchalis a communicantibus in Baſilica Lateranenſi, Vaticana, vel Nationali, ſed eſſe communicandum in propria Parochia, ſub qua quis degit, nt teſtatnr Pignatellus Tomo VII. Conſultationum Canonicarum, Conſultatione LXXXIX. num. 18.

§. IV.

Alienæ vero Parochiæ Fideles ad proprium Parochum remittet, præter peregrinos, & advenas, & qui certum domicilium non habent, quibus ipſe ſacram præbebit Communionem, ſi acceſſerint rite parati, vel ubi eſt ea conſuetudo, eos ad Cathedralis Eccleſiæ Parochum remittet. In cæteris vero ſervabit ea, quæ in Libro de ſtatu animarum infra præſcribuntur.

COMMENTARIUS.

I. QUum ex ſacris Canonibus, ac celebri illo præſertim Lateranenſi, cujus in ſuperioribus Commentariis pluries mentionem fecimus, debeat qniſque Fidelis a proprio Parocho Communionem Paſchalem ſumere, merito noſter hic §. Parochum monet, nt alienæ Parochiæ Fideles ad proprium Parochum remittat. Ita plane inter alios ſtatnit S. Carolus in Inſtructionibus de Sacramento Euchariſtiæ, Capite, quod de Parocho loquens inſcriptum eſt, *Quibus Paſchæ tempore Sacramentum hoc miniſtret*. Ubi, poſtquam edixit, ut Parochus Parochiæ ſuæ Fidelibus Euchariſtiæ Sacramentum in Paſchate adminiſtret, ita deinde ſubjicit:

Alie-

Alienæ autem Parochiæ nullo modo, niſi, ut infra. Tum vero ſtatim: *Proinde quod antiquis Canonibus cautum eſt, ad populum converſus, antequam miniſtret, de Altari enunciabit, alienæ Parochiæ Fideles ad proprium Parochum remitti, a quo ſacram Communionem in Paſchali celebritate ſumant*. Et mox: *Iis etiam miniſtrabit, qui majorem anni partem in Parochia habitaverint. Illis quoque, qui ſaltem ſex menſes*. Pergit S. Antiſtes, noſtroque etiam huic §. conſentit, ubi ita inquit: *Peregrinis item, & advenis in Diœceſi; at Mediolani eos ad Metropolitanam Eccleſiam, ubi Communionem ſumant, abire Parochus præmonebit*. Atque id eſt, quod & hic noſter §. ſtatuit, ubi ait, quod, *ubi eſt ea conſuetudo, eos ad Cathedralis Eccleſiæ Parochum remittat*. Sed nec omittendum, quod ibidem S. Carolus mandat, quodque multum facit ad noſtri §. explicationem: *Illis præterea, qui paucis ante diebus advenerint animo conſtituendi domicilii. Et vero illis quoque, qui facultatem ab Archiepiſcopo literis conceſſam habuerint*. Loquitur de Eccleſia Mediolanenſi, nam alias quiſque Epiſcopus hac poteſtate pollet unius Parochiæ Fideles ad alium Parochum ad Communionem Paſchalem ſumendam remittere.

II. Quæ hactenus diximus ſupervacaneum eſt variis Synodorum Decretis, Theologorumque teſtimoniis confirmare. Legi præ ceteris poteſt, quod conſentanee ad ſuperius dicta idem S. Carolus ſtatuit in Concilio Provinciali II. Tit. I. Decreto XII. ubi etiam mandat, ut *peregrinorum, & advenarum Euchariſtiæ Sacramentum percipientium, nomina, cognomina, originis, ſeu domicilii locus uno in Libro fideliter aſſervando a Parocho ante omnia adnotetur*. Atque id plane eſt, quod & hic noſter §. mandat, ubi de Parocho loquens quoad Paſchalem Communionem ſic habet: *In cæteris vero ſervabit ea, quæ in Libro de ſtatu animarum infra præſcribuntur*. In fine ſcilicet Ritualis Tit. XI. Cap. VI. quod inſcriptum eſt, *Forma deſcribendi ſtatum animarum in quarto Libro*. Ubi nos plura ſcitu digna juxta Ritualium, ac Synodorum Statuta dicemus.

§. V.

Ægrotis quoque Parochialibus, etiamſi Communionem extra præſcriptos Paſchales dies ſumpſerint, in Paſchalibus diebus illa deferet, ac miniſtrabit.

COMMENTARIUS.

I. ÆGroti nomine is plane hoc loco intelligitur, qui ea infirmitate corporis detinetur, ut non valeat ad Eccleſiam Parochialem accedere, ubi Paſchalem Communionem percipiat. Hujuſmodi porro infirmis, *etiamſi Communionem extra præſcriptos Paſchales dies ſumpſerint, in Paſchalibus diebus, illam deferet*, proprius ſcilicet Parochus, *ac miniſtrabit*; ut ait hic noſter §. cui concinit S. Carolus in ſuis de Sacramento Euchariſtiæ Inſtructionibus, ubi ſic habet: *Ægrotis etiam parochialibus, etiamſi Communionem ſumpſerint, in Paſcha quoque afferet, & miniſtrabit*. Sed neque omittendum, quod ea de re idem S. Antiſtes ſtatuit in Provinciali Concilio VI. Mediolanenſi, Capite inſcripto, *Quæ ad Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum pertinent*, ubi poſtquam præmiſit, Paſchæ tempore a ſuo cuique Parocho proprio Sanctam Euchariſtiam miniſtrari, Eccleſiæ Inſtitutum eſſe, atque Præceptum, ita ſtatim ſubdit: *Quamobrem is*, Parochus nempe, *ſi quem parochialem habet, qui ex morbo laborans, aliave neceſſitate vere impeditus, non poteſt ſacro Paſchæ tempore ad Eccleſiam convenire, ubi Sanctiſſimam Communionem cum cæteris Fidelibus percipiat, ad illum, etiamſi paucis ante diebus perceperit, ipſe illo Paſchali tempore de more deferat*. Atque hic nota, non modo ad ægrotum morbo laborantem, verum etiam ad eum, qui alia neceſſitate impeditus ſit, quo minus valeat ire ad Eccleſiam, deferendam Paſchalem Communionem, niſi in aliquo immuni loco verſetur, domive, in quo Oratorium, Sacellumve eſſet, in quo celebrare Parochus poſſit, ibique illi Paſchalem Communionem præbere.

II. Ad infirmum quod attinet, de quo loquitur hic noſter §. ſi appareat, illum paulo poſt expletos dies Paſchales in eo futurum ſtatu, ut ipſe communicaturus ad Eccleſiam accedat, poterit tunc quidem Parochus eidem Paſchale tempus prorogare, ut docet Vaneſpen, Parte II. *Juris univerſi Eccleſiaſtici*, Tit. IV. Cap. III. num. XIV.

CAPUT IV.

De Communione Infirmorum.

I. ANtiquiſſimam eſſe Eccleſiæ diſciplinam adminiſtrandæ Euchariſticæ Communionis infirmis, docet nos in primis Synodica Epiſtola Eccleſiæ Africanæ ad S. Cornelium Papam, inter Epiſtolas S. Cypriani ordine LIV. quæ eſt de pace lapſis danda *maturius* ob perſecutionem ingruentem, quibus eam ob cauſam, Communionis Sacræ munimentum concedunt Patres, ut tuti contra adverſarium eſſent, licet revera infirmi corpore non eſſent, ita ſcribentes: *Nunc non infirmis, ſed fortibus pax neceſſaria eſt, nec morientibus, ſed viventibus Communicatio a nobis danda, ut quos excitamus, & hortamur ad prælium, non inermes, & nudos relinquamus, ſed protectione Sanguinis, & Corporis Jeſu Chriſti muniamus. Et cum ad hoc fiat Euchariſtia, ut poſſit accipientibus eſſe tutela, quos tutos eſſe contra adverſarium volumus, munimento Dominicæ ſaturitatis armemus*. Manifeſte hoc loco ſupponitur, morientibus datam fuiſſe Euchariſtiam. Quod & Canon XIII. Concilii I. Nicæni ſupponit, ubi juxta Gentiani Herveti

veti interpretationem ait: *In ſumma autem de quolibet excedente, & Euchariſtiæ participationem petente* (Epiſcopus) *eum examinatione oblationem impertiat.*

II. Fuit præterea antiquus mos, ut quamvis Epiſcopi, & Presbyteri, proprii ſint Communionis Miniſtri, hanc tamen curam ipſi non ſolum in Diaconos, alioſque inferioris Ordinis Clericos rejicerent, verum etiam in meros laicos; cujus rei inſigne nobis exemplum ſuppeditat Dionyſius Alexandrinus in Epiſtola ad Fabium Antiochenum Epiſcopum Lib. VI. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Capite XLIV. de Serapione ſene, qui infirmus ad mortem a puero nepote ſuo acceptam a Sacerdote Euchariſtiam recepit. Qui quidem ritus, ut ſcite obſervat Martene, Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. V. Articulo II. num. II. ſubſequutis Sæculis adeo prævaluit, ut non ſine difficultate illum Concilia abrogare potuerint. Extat ea de re Concilii Remenſis Decretum apud Reginonem Libro I. *De Eccleſiaſticis Diſciplinis*, Cap. CXX. in hæc verba: *Pervenit ad notitiam noſtram, quod quidam Presbyteri in tantum parvipendant Divina myſteria, ut laico, aut feminæ Sacrum Corpus Domini tradant ad deferendum infirmis; & quibus prohibetur, ne Sacrarium ingrediantur, nec ad Altare appropinquent, illis Sancta Sanctorum committuntur, quod quam ſit terribile, quam deteſtabile, omnium religioſorum animadvertit prudentia. Igitur interdicit per omnia Synodus, ne talis temeraria præſumptio ulterius fiat, ſed omnimode Presbyter per ſemetipſum infirmum communicet. Quod ſi aliter fecerit, gradus ſui periculo ſubjacebit.* Meminit ejuſdem abuſus tradendæ laico, aut feminæ Euchariſtiæ ad deferendam illam infirmis idem Regino citato Libro I. ubi inter alia, quæ ab Epiſcopo Parochias viſitante, de vita, & converſatione Presbyteri vult inquiri, recenſet, *ſi infirmos propria manu communicet, & non per quemlibet laicum; ſi tradat Communionem laico, aut feminæ ad deferendum infirmo, quod nefas eſt.*

II. Claruit ante Reginonem Hincmarus Archiepiſcopus Remenſis, eodem tamen, quo ille Sæculo IX. interque Capitula, de quibus in viſitandis Parochiis de Presbytero inquiri voluit, decimum eſt: *Si ipſe Presbyter viſitet infirmos, & communicet per ſe, & non per quemlibet, & ille ipſe communicet populum, ne tradat communionem cuilibet laico ad deferendum ad domum ſuam cauſa cujuslibet infirmi.* Sed & Sæculo X. viguiſſe eundem abuſum, conſtat ex Synodica Epiſtola Ratherii Veronenſis Epiſcopi ad Presbyteros, Tomo II. Spicilegii Dacheriani, ubi ſtatuere coactus fuit, *ut nullus præſumat tradere Communionem laico, aut feminæ, ad deferendum infirmo.* Sane putat Martene citato loco, poſt Sæculum X. excluſis laicis a delatione Euchariſtiæ ad infirmos, eam curam plerumque rejeciſſe Presbyteros in Diaconos, probatque ex Nemauſenſi Synodo anni MCCLXXXIV. quæ quidem vetuit, *ne aliquis, qui non ſit in Presbyterum ordinatus, Euchariſtiam communicantibus præbeat*; ſed addit nihilominus: *Diaconus tamen hoc facere poteſt de licentia Sacerdotis, ubi idem Sacerdos hoc per ſe non poteſt facere, vel quia abſens eſt Presbyter, & neceſſitatis articulus noſcitur imminere: & in hoc ultimo caſu non eſt neceſſaria licentia Sacerdotis.* Quicquid ſit de antiquo more, hoc Jure hodie vivimus, ut extra caſum extremæ neceſſitatis nullus Sacerdos, ſed ſolus Parochus communicare infirmum ſuæ Parochiæ poſſit, ut dicemus mox in Commentario ad §. I.

§. I.

Viaticum Sacratiſſimi Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſummo ſtudio, ac diligentia ægrotantibus opportuno tempore procurandum eſt, ne forte contingat, illos tanto bono, Parochi incuria privatos decedere.

COMMENTARIUS.

I. TAmetſi Euchariſtia, quæ morituris adminiſtratur, hodie *Viaticum* appelletur, imo nomine *Viatici* hodie unice ipſa Communio Euchariſtica morituris adminiſtrata intelligatur, ut vel ex hoc præſenti §. aliiſque ſequentibus liquet, ſecus tamen apud Veteres fuit. Ii enim nomine Viatici comprehenderunt quæcumque morientibus prodeſſe poſſent, ut ſecurius tutiuſque in alteram vitam proficiſcantur. Hinc quicquid Pœnitentes, aut Catechumenos morti proximos Communioni Eccleſiæ reſtituere, atque Deo reconciliare poterat, *Viatici* nomine comprehendebatur. Sicque Baptiſmus, Confirmatio, Abſolutio, Extrema Unctio, imo & bona opera morituris impertita, nomine *Viatici* veniebant, uti notat, & late probat eruditiſſimus Gabriel Albaſpinæus Lib. I. Obſervationum, Cap. I. ubi etiam docet, Euchariſtiam quoque antiquitus, cum daretur pœnitenti ad mortem præcipitanti, veniſſe nomine Viatici, imo *tutiſſimum, abſolutiſſimum, & potentiſſimum Viaticum* reputatum eſſe, nequaquam tamen *maxime neceſſariam*; ſed hujuſce nomine veniſſe Abſolutionem reſpectu Pœnitentium, & Baptiſmum reſpectu Catechumenorum.

II. Idem præterea Auctor docet, per ultimum, & neceſſarium Viaticum, de quo loquitur Canon XIII. Nicæni I. Concilii, non intelligi Euchariſtiam, ſed reconciliationem; contenditque, a ſenſu antiquorum Canonum non minus aberraturos, qui, ubicunque Viatici nomen occurrit, crederent, ibidem de Euchariſtia ſermonem eſſe; quam qui in priſtinis Canonibus Euchariſtiam ſignificari putarent, ubicumque vocem *Communio* reperiunt, eo quod hæc juxta modernam phraſim pro ſola Communione Euchariſtica ſumatur, cum olim eſſet vox generalis complectens omnes ſpecies Communionis, quibus aliquis quocumque modo Communioni Fidelium, aut Sacramentorum reſtituebatur; quod cum fieret perfectiſſime per Euchariſtiam, per illam dicebatur quis *perfectiſſime* Communioni reſtitui, eaque Communio perfectiſſima appellabatur, ut multis oſtendit laudatus Albaſpinæus lo-

loco citato. Atque hæc ſi rite expendantur, conſtabit quod alias notavit Vaneſpen in Tractatu Hiſtorico-Canonico, Parte x. Cap. 1. §. vii. non modo conveniens, ſed pene neceſſarium eſſe pro aſſequendo genuino Canonum ſenſu, ut quis aliqualem ſaltem habeat mutatæ vocum, & verborum, pro temporum, & locorum varietate, ſignificationis notitia; cujus ignoratio effecit quidem, ut Theologi recentiores non pauci, & rerum Liturgicarum, ac Divinorum Officiorum Scriptores in varios errores inciderint, quos frequenter nos, ubi ſcilicet ſe ſe nobis occaſio præbuit, merito notavimus, & confutavimus.

III. Quamquam vero Viatici nomine a Sacris Scriptoribus appellata fuerit Euchariſtia, *tum quia ſpiritualis cibus eſt, quo in hujus vitæ peregrinatione ſuſtentamur, tum quia vim nobis ad æternam gloriam, & felicitatem munit*, uti notavit Catechiſmus Tridentini Concilii, Parte II. *De Euchariſtiæ Sacramento*, num. v. §. *Sed Viaticum*; communiter tamen Viatici nomine venit Euchariſtia non cuilibet Fideli licet infirmo adminiſtrata, ſed ea ſola, quæ datur, *cum probabile eſt, quod eam* infirmus ipſe *ſumere amplius non poterit*, ut expreſſe edicit noſtrum hoc Rituale Romanum infra §. iv. Cui & inhærentes Sacri Scriptores duplicis Communionis infirmorum mentionem faciunt, Communionis nempe cauſa devotionis, & Communionis per modum Viatici; notantque hanc præſertim inter utramque diverſitatem, quod, ut docet idem noſtrum Rituale infra §. v. *poteſt quidem Viaticum brevi morituris dari non jejunis ... Cæteris autem infirmis, qui ob devotionem in ægritudine communicant, danda eſt Euchariſtia ante omnem cibum, & potum, & non aliter, ac cæteris Fidelibus, quibus nec etiam per modum medicinæ ante aliquid ſumere licet*. Differre præterea ajunt utramque Communionem reſpectu formæ, dum enim infirmo datur per modum Viatici, dicit Sacerdos: *Accipe frater*, (vel *ſoror*) *Viaticum Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui te cuſtodiat ab hoſte maligno, & perducat in vitam æternam, Amen*. Si vero non per modum Viatici datur, dicit more ordinario: *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat animam tuam in vitam æternam, Amen*. Ita plane in noſtro Rituali, & in aliis paſſim legitur. Cæterum, num hæc duplex infirmorum Communio etiam antiquis nota fuerit, non eſt ita facile definire, cum nullum ſaltem hujus diſtinctionis in antiquis Canonibus, Patribuſque Eccleſiæ, vel Ritualibus veſtigium aliquod reperiatur, uti notant eruditi, accuratique rerum Ritualium Scriptores, & obſervat Vaneſpen Parte II. *Juris Eccleſiaſtici*, Cap. iv. num. vii.

IV. Illud certe utrique Communioni infirmorum commune eſt, quod a ſolo Parocho deferenda ſit ad infirmos Euchariſtia, nulluſque Sacerdos, ſive ſæcularis, ſive Regularis, poſſit eam ad infirmorum domos extra caſum neceſſitatis deferre. Privilegia enim data a Sede Apoſtolica Regularibus diſtribuendi Sacram Communionem etiam quibuſcumque Fidelibus, intelligi ſolum de ejus adminiſtratione in propriis ſuis Eccleſiis, poſt alios Canoniſtas notavit Barboſa, *De officio, & poteſtate Parochi*, Parte II. Cap. II. num. 8. Sed nec opus eſt prolixius de ea Parochi poteſtate diſputare, quam tum Concilia, tum Ritualia evidentiſſime ſupponunt, quum ubi de utraque Communione infirmorum loquuntur, ſive cauſa devotionis, ſive per modum Viatici adminiſtranda, ſemper Parochum nominant. Excepto ſcilicet caſu neceſſitatis, in quo, abſente Parocho, alii Sacerdoti licet, non quidem Communionem cauſa devotionis, ſed Viaticum, & Extremam etiam Unctionem infirmo morituro adminiſtrare; uti communiter docent Theologi, & expreſſe in variis Epiſcoporum Synodis ſtatutum fuit, præſertim vero in Mediolanenſibus a Sancto Carolo Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ac Sacrorum Rituum peritiſſimo celebratis, de quibus alias mentionem fecimus.

V. Sed his omiſſis, illud inprimis recte admodum hic noſter §. monet, quod nempe *Viaticum ſacratiſſimi Domini noſtri Jeſu Chriſti ſummo ſtudio, ac diligentia ægrotantibus opportuno tempore procurandum eſt, ne forte contingat, illos tanto bono, Parochi incuria, privatos decedere*. Longe fortius de ipſo Viatico adminiſtrando morienti loquitur Concilium I. Nicænum Canone xiii. qui juxta interpretationem Herveti, ſic habet: *De iis, qui excedunt, antiqua, & Canonica Lex nunc quoque ſervabitur, ut ſiquis vita excedat, ultimo, & maxime neceſſario Viatico ne privetur*. Et ratio eſt illa, quam docet Tridentinum Concilium Seſſione xiii. *De Euchariſtia*, Cap. viii. in fine, ut morientes ſcilicet Viatici iſtius *vigore confortati ex hujus miſeræ peregrinationis itinere, ad Cæleſtem Patriam pervenire valeant*. Cui concinit Catechiſmus Parte II. *De Euchariſtiæ Sacramento*, num. v. §. *Sed Viaticum*, cujus verba nos ſupra attulimus; ſed tamen non omittenda illa, quæ idem Catechiſmus ſubdit: *Quare ex veteri Eccleſiæ Catholicæ inſtituto ſervari videmus, ut nemo Fidelium ſine hoc Sacramento e vita excedat*. Sed fateri cogimur, non raro contingere, ut Fideles partim Medicorum, partim etiam Parochorum incuria, privati tanto Viatici bono decedant; reique iccirco peccati læthalis ſunt Parochi æque ac Medici, ſi ob eorum incuriam, & negligentiam, infirmi ſine Euchariſtiæ Sacramento e vita migrent. Porro notandum, quod & hic noſter §. ait, procurandum eſſe ægrotanti Viaticum, *opportuno tempore*, dum ſcilicet ille eſt mentis compos, recteque animadvertere poſſit, quid agit, ac ſuſcipit, ut ea qua par eſt animi contritione, ac reverentia, Sanctiſſimi Corporis Chriſti Viaticum ſumere valeat. Sæpe enim contigit, ut qui ſenſibus viribuſque deſtituti, Viaticum ſuſceperunt, recuperata poſtea ſanitate affirmarint, ſe ejus Sacramenti ſuſcepti minime recordari, ſicut nec factæ exomologeſis in ea vitæ finientis anguſtia.

VI. Opportuno tempore Sacrum Viaticum ægrotanti procurandum eſt, cum ſcilicet probabile eſt, quod illud amplius ſumere non poſſit, & cum compos eſt ſui, valetque intelligere, ſe Sacri Viatici vigore confortatum ex hujus miſeræ peregrinationis itinere ad Cæleſtem Patriam tendere. Atque id eſt, quod paſſim Ritualia docent, atque variæ Epiſcoporum Synodi mandant, etiam recentiores, quia ſcilicet non ſemel Parochi in ipſo adminiſtrando Sacro Viatico opportuno tempore negligentes reperti fuerunt, meritoque a zelantiſſimis Epiſcopis eam ob cauſam acriter reprehenſi, ac puniti. Sed de hac quorundam Parochorum negligentia in adminiſtrandis Sacramentis jam ſæpe alibi diximus.

§. II.

§. II.

Cavendum autem in primis eſt, ne ad indignos cum aliorum ſcandalo deferatur, quales ſunt publici uſurarii, concubinarii, notorie criminoſi, nominatim excommunicati, aut denunciati, niſi ſe ſe prius ſacra Confeſſione purgaverint, & publicæ offenſioni, prout de Jure, ſatisfecerint.

COMMENTARIUS.

I. DE indignis, quales ſunt in hoc præſenti §. notati, ab Euchariſtica Communione arcendis, ſatis jam diximus ſupra Capite I. hujus Tituli in Commentario ad §. VIII. & nonnihil etiam ad alios ſequentes. Sicut enim indigni cum ſani ſunt ad Communionem non ſunt admittendi, *niſi*, ut ait hic noſter §. *ſe ſe prius ſacra Confeſſione purgaverint, & publicæ offenſioni, prout de Jure, ſatisfecerint*. Ita etiam ſe gerere debent Parochi, ac cæteri Sacerdotes, ut quocumque tempore ſe ſe Fideles cæleſtium Myſteriorum diſpenſatores exhibeant, nec unquam ea, quatenus in ipſis eſt, ſacrilega ſuſceptione violari patiantur, præſertim vero ab ægrotantibus morituris, quibus, ſi male diſpoſiti, indigneque ſacra ipſa Myſteria ſuſceperint, & in eo ſtatu ex hac vita migraverint, æternum animarum ſuarum detrimentum patientur.

§. III.

Hortetur Parochus infirmum, ut ſacram Communionem ſumat, etiamſi graviter non ægrotet, aut morti periculum non immineat, maxime ſi Feſti alicujus celebritas id ſuadeat, neque illam miniſtrare recuſabit.

COMMENTARIUS.

I. IDipſum non uno in loco Actorum Eccleſiæ Mediolanenſis ſtatuit, luculentiuſque explicuit S. Carolus, præſertim vero in Inſtructionibus, *De viſitatione, & cura infirmorum*, Capite inſcripto, *De Communione*; ubi ſic inter alia inquit: *Cohortabitur ægrotum Parochus, ut ſacram Communionem ſumat, etiamſi graviter non ægrotet, maxime ſi Feſti alicujus celebitas id ſuadeat; neque ipſe miniſtrare recuſabit ſæpius in eadem infirmitate pro devotione, & deſiderio ægroti, præſertim ſi ille, cum valet, ſolet frequentare, de quo in Concilio Provinciali iv. decretum eſt*. Porro verba citati hujus Concilii in eo Capite, quod inſcriptum eſt, *Quæ ad Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum pertinent*, hæc ſunt: *Ægrotantibus etiam ſine mortis periculo ſacræ Euchariſtiæ frequentius ſumendæ deſiderio flagrantibus, iis præſertim, qui, dum integra valetudine ſunt, frequenti Sacramentorum uſu ſe religioſe, ſalutariterque paſcunt, ne Parochus, quantum per alias neceſſarias in Parochiali munere occupationes ſibi licet, ſpiritualem illam conſolationem, ſalutareque adjumentum, religioſa præparatione ab eiſdem adhibita, deneget*. Similia legere eſt in aliis multis tum Provincialibus, tum Diœceſanis variorum Epiſcoporum Conciliis, qui Sancti Caroli Decreta pene ad verbum Conciliis ſuis inſeruerunt.

§. IV.

Pro Viatico autem miniſtrabit, cum probabile eſt, quod eam amplius ſumere non poterit. Quod ſi æger, ſumpto Viatico, dies aliquot vixerit, vel periculum mortis evaſerit, & communicare voluerit, ejus pio deſiderio Parochus non deerit.

COMMENTARIUS.

I. NIhil hic noſter §. ſtatuit, quod non prius a S. Carolo fuerit præſcriptum, clariuſque explicatum in aureis Actis Eccleſiæ Mediolanenſis, ac præſertim in Inſtructionibus, *De viſitatione, & cura infirmorum*, Capite, *De Communione*, ubi eadem noſtri §. verba leguntur: *Pro Viatico*, inquit, *miniſtrabit, cum probabile eſt, quod eam*, Communionem ſcilicet, *amplius ſumere non poterit*. Additque mox: *Cavebit autem, ne ita cunctetur, ut periculum adeat ægrotus moriendi priuſquam ſumat*. Quando autem danda eſt Communio ægrotanti jejuno, vel non jejuno, in modum Viatici, ſtandum eſt peritorum Medicorum judicio; vel ſi Medicus non adſit, conſiderandum eſt imminens mortis periculum a prudenti Parocho, cui ſi in conſcientia videatur, ægrotum eſſe in periculo non ſumendi amplius in modum Viatici Communionem, debet eam miniſtrare, & abſque ſcrupulo juxta ſuum prudens judicium, deficiente ſcilicet alio peritiore. Neque enim credere infirmo debet, qui conſtanter diceret, ſe potius melius habere, nec eſſe in eo periculoſo ſtatu accipiendi Viaticum. Frequenter namque infirmi falluntur, ſanitatemque ſibi redditam perſuadent, tum potiſſimum, cum in eo ſtatu verſantur. Atque huc fa-

facit commone illud Medicorum in malignis febribus dictum: *Pulſus bonus, urina bona, æger moritur*; uti ad hunc noſtrum §. notavit Barruſaldus, num. 19. & ſeq.

II. Venio nunc ad illa noſtri §. verba, quibus dicitur, *quod ſi æger, ſumpto Viatico, dies aliqaot vixerit, vel periculum mortis evaſerit, & communicare voluerit, ejas pio deſiderio Parochus non deerit*. Quæ verba non modo recenſet S. Carolus, ſed ſun more lucolenter etiam expooit in Inſtroctionibus ſuperius memoratis, Cap. *De Communione*, ubi poſtquam dixit, miniſtrandam pro Viatico Communionem ægrotanti, *cum probabile eſt, quod eam amplius ſumere non poterit*; caveodumque, *ne ita cunctetur, ut periculum adeat ægrotus moriendi, priuſqaam ſumat*; ita ſtatim ſubjicit: *Cum præterea poſteaqaam Viaticum, Extremamque etiam Unctionem æger ſuſcipit, aliquot dies ſuperſtes, ſibi ſacram Communionem miniſtrari petit, ejas pio deſiderio Parochus non deerit, ſed pro Viatico illam iterum in eodem morbo noa miniſtrabit; ideoque in miniſtrando utetur illis verbis*: Corpus &c. Id quod etiam idem S. Antiſtes ante ſtatuerat in Concilio Provinciali Mediolanenſi v. ubi de Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento agens, ita ad rem ait: *Cum quis periculoſe ægrotaas, ac etiam pene in extremo ſpiritu Sanctiſſimam Euchariſtiam, & Sacramentum Extremæ Unctionis ſuſcepit, ſi poſtea aliquot dies ſuperſtes, ſacram Communionem ſibi miniſtrari petit, ejus pio, religioſoqae deſiderio Parochus ne deſit, modo ne pro Viatico iterum in eodem morbo præbeat, cum id a Sanctis Patribus olim fieri conſueviſſe traditum ſit*. Similia mandant multi alii Epiſcopi in Synodis ſuis, ac Ritualibus, ex quibus addiſcimus, non debere in eodem morbo Commuuionem ſæpius dari per modum Viatici, niſi aliqood novum periculum urgeat, ut a Sacra Congregatione S. R. E. Cardinalium Tridentioi Concilii Interpretom declaratum ſuit, teſte pio, doctoqoe Epiſcopo Vaſionenſi Genetto, Tomo III. *Theologiæ Moralis*, ubi caſus practicos recenſet ex Tractatu, *De Euchariſtia*, Caſu XXII.

III. Sed ſorte quæret hic quiſpiam, au etiam illi exhibendum ſit, qui cum mane ſanus eſſet, Euchariſtiam ſompſit, nec ne? Et quidem ſciſſi ſunt in hac Qoæſtione Scriptores, uti notavit BENEDICTUS Papa XIV. Lib. VII. *De Synodo Diœceſana*, Cap. XI. oum. II. dum plerique docent, etiam hunc inopinato incidentem in mortis periculum, teneri denoo ſe reficere Euchariſtico cibo, quo fiat validior ad ultimam luctam. Alii ex adverſo ſentiuot, in prædicto rerum eventu, oon ſolom noo urgere Præceptum ſumendi Viaticum, ſed recipi oon poſſe ſioe piaculo. Argumenta utriuſque opioionis reccoſet laudatus Pootiſex locu citato, ubi poſt allatam & aliorom opinionem, qui mediam viam tenentes, dicunt, prædictum hominem, qoi mane bene valens ad Eochariſtiam acceſſit, & deinde in periculoſum incidit morbum, poſſe, ſi velit, denuo Euchariſtiam ſumere per modum Viatici, nullo tamen Præcepto ad id ſaciendum adſtringi, ſubdit mox, in tanta opinionum varietate, Doctorumque diſcrepantia, iotegrum eſſe Parocho eam ſententiam amplecti, quæ ſibi magis arriſerit, quin fiat reus violati Statuti Synodalis, qnod certe non potuit caſum iſtum extraordinariom reſpicere; neqoe ſas eſſe Epiſcnpo, aut in Parochum animadvertere, qui præfato ægrotanti Viaticum denegavit, aut quidquam de hujuſmodi controverſia in ſua Synodo decernere, ne videatur ſibi arrogare partes Judicis ioter graviſſimos hac ſuper re conteudentes Theologos. Ita plaoe docet memoratus Pontiſex in nova editione celeberrimi Operis, *De Synodo Diœceſana*, ſacta Romæ CIↃ. IↃ. CC.LIV. quam ſorte ignorans doctus æque, ac pios Epiſcopos Caſalenſis & Comes Ignatius ab-Eccleſia in ſua Caſalenſi Synodo habita die V. VI. VII. Septembris MDCCLVI. Cap. VII. pag. 24. ubi de adminiſtratione loquens Sacri Viatici, ſic inter alia inquit: *Quare ſi Sacerdos, aut quilibet alius, qui mane bona utens valetudine, aut celebraverit, aut ſacram ſuſceperit Euchariſtiam, urgente vitæ periculo, poterit etiam eodem die ſacra reſici Communione*.

§. V.

Poteſt quidem Viaticum brevi morituris dari non jejunis; id tamen diligenter curandum eſt, ne iis tribuatur, a quibus per phreneſim, ſive ob aſſiduam tuſſim, aliumve ſimilem morbum, aliqua indecentia cum injuria tanti Sacramenti timeri poteſt. Cæteris autem infirmis, qui ob devotionem in ægritudine communicant, danda eſt Euchariſtia ante omnem cibum, & potum, non aliter, ac cæteris Fidelibus, quibus nec etiam per modum medicinæ ante aliquid ſumere licet.

COMMENTARIUS.

I. QUamquam vetos ſit, & recepta omni ævo Eccleſiæ diſciplioa, ut Euchariſtia non oiſi jejunis præberetur, uti jam diximus ſupra, Capite I. hujus Titoli, in Commentario ad §. III. ex præſcripto oihilominus Sacrorum Conciliorom, praxique, quibus hic noſter §. inhæret, *poteſt quidem Viaticum brevi morituris dari noa jeiunis*. Quod plane definitum jam fuit in Concilio Conſtantienſi Seſſione XIII. his verbis: *Decrevit, ac definit, quod licet Chriſtus poſt Cœnam inſtituerit, & Diſcipulis adminiſtraverit hoc Venerabile Sacramentum; tamen hoc non obſtante, ſacrorum Canonum auctoritas, & Eccleſiæ approbata conſuetudo ſervavit, & ſervat, qaod hujuſmodi Sacramentum nec poſt Cœnam conficiatur, nec ſumatur a non jejunis, niſi in caſu infirmitatis, aat alterius neceſſitatis, a Jure, vel Eccleſia conceſſo, vel admiſſo*. Atque hanc antiquam, communemque Eccleſiæ praxim pluribos Conciliorum Decretis probat inter alios doctiſſimus, religioſiſſimuſque Cardinalis Brancatios in Opoſcolo, *De ſacro Viatico*, pag. 146. & ſeqq. Sed curandum nihilominus eſſet, ut quantum fieri poteſt, ſacrum Viaticom a jejunis re-

recipiatur, uti admonet Ordinarium Carthuſienſium Pariſiis anno MDLXXXII. impreſſum, Capite 33. ubi loquens de Sacramentis Euchariſtiæ, & Extremæ Unctionis ægroto conferendis, poſtquam dixit, providendum eſſe a Prioribus, *ut infirmi opportuno tempore Communionem recipiant, non expectata neceſſitate extrema*, ita ſtatim ſubdit: *Et nihilominus ea die, qua Extremam Unctionem ſuſcipiunt, ſi parati ſunt, Chriſti Corpus pro Viatico ſumant jejuni, ſi commode fieri poteſt; neque enim poſt cibum Corpus Chriſti alicui miniſtrari debet, niſi ad ſuccurendum*; ideſt ubi neceſſitas urgeat. Atque hæc fuit perpetua Catholicæ Eccleſiæ praxis ex Apoſtolorum traditione accepta, & a ſacris Conciliis confirmata, de qua non uno in loco diximus.

II. Licet autem rite recteque brevi morituris non jejunis Sacrum Viaticum detur, opportune admonet noſter §. *id tamen diligenter curandum, ne iis tribuatur, a quibus ob phreneſim, ſive ob aſſiduam tuſſim, aliumve ſimilem morbum, aliqua indecentia, cum injuria tanti Sacramenti timeri poteſt*. Sane ſi veterem diſciplinam ſpectemus, donabantur quidem olim phrenetici, amenteſque in ultimo vitæ periculo conſtituti Sacra Euchariſtia, ſi non fuiſſet irreverentiæ periculum. Conſtat enim hæc diſciplina ex Canone LXXVI. Concilii IV. Carthaginenſis anno CCCXCVIII. celebrati: *Is qui in infirmitate pœnitentiam petit, ſi caſu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuit, vel in phreneſim converſus fuerit, dent teſtimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam; & ſi continuo credatur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori ejus Euchariſtia*. Perſeveraſſe hanc diſciplinam uſque ad XII. Chriſti Sæculum, ſub cujuſque finem amentibus, phreneticiſque, etiam quum immineat eis vitæ periculum, cœpiſſe Euchariſtiam negari, notavit Jueninus, *De Sacramentis*, Diſſertatione IV. Quæſtione VI. Cap. III. in fine, ubi etiam hanc rationem aſſignat, quia pro phreneticis, & amentibus, valet argumentum, quod Patres poſteriorum ſæculorum adduxit, ne Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum infantibus elargirentur, defectu nimirum pietatis, ac reverentiæ, quæ tanto myſterio debentur.

III. Sed relictis amentibus, phreneticiſque, ne iis tribuatur Viaticum, *a quibus ob aſſiduam tuſſim*, ut ait noſter §. *aliumve ſimilem morbum, aliqua indecentia, cum injuria tanti Sacramenti timeri poteſt*, ſtatuit etiam S. Carolus in Inſtructionibus, *De viſitatione, & cura infirmorum*, Capite, *De Communione*, ſic inter alia inquiens: *Cum Parochus acceſſit ad ægrotum, diligenter videat, ſi quidem graviter laborat, an integro ſenſu ſit, an item periculum tuſſis, anque item vomitus. Si tunc non poteſt ſumere, neceſſitate, vique repentina morbi impeditus, aliquantulum morabitur Parochus; dumque in mora eſt, ipſe, & reliqui Fideles genibus flexis coram Sanctiſſimo Sacramento orabunt. At vero ſi perſeveret impedimentum, illud proponet ei adorandum, ſi modo ægrotus ita deſideret, & impertita ei figura Crucis benedictione cum ipſo Sacramento diſcedet. Eodem modo oret, proponat, & benedicat, ſi cum venerit, ab initio viderit, fieri non poſſe, ut ægrotus ſumat. Sed ne deferat tamen unquam ad eum, quem ſumere non poſſe, ante noverit*. Placuit prolixum hunc S. Caroli locum deſcribere, quod multa in eo continentur, explicanturque, ac Miniſtri Sacræ Euchariſtiæ erudiuntur, ad ipſam infirmis quibuſdam adminiſtrandam, denegandamve.

IV. Cæterum audiendus iterum hoc loco Sanctus Carolus, qui in Concilio ſuo Provinciali Mediolanenſi V. agens de iis, quæ ad Euchariſtiæ Sacramentum pertinent, ita de eadem re loquitur: *Sacra Communio ad ægrotum non deferatur, niſi ad eum, qui vere illam ſumpturus eſt. Si vero aliquando, ut, dum ad eum Parochus venit, morbi vi ita affectum illum inveniat, ut eam tunc miniſtrare rite non poſſit, collocata Pyxide ſuper Corporale in menſa eo nomine apparata, paululum moretur, dum genibus flexis, una cum cæteris, qui adſunt, ac potiſſimum cum ægroto ipſo ſancte oret; ac poſtea receſſurus, Euchariſtia Pyxide incluſa eidem benedicat. Quod ſi ægrotus ipſe id vehementer exoptat, Sacramentum aperta etiam Pyxide liceat oſtendere adorandum*. Atque hi ſunt ritus, qui licet a Sancto Carolo pro Eccleſia Mediolanenſi fuerint præſcripti, ſervari tamen religioſe ab aliarum Eccleſiarum Parochis poſſunt, tum vero potiſſimum, ubi proprii ipſorum Epiſcopi eoſdem ritus a Sancto Carolo Eccleſiaſticæ diſciplinæ peritiſſimo conſtitutos, in Synodis ſuis præſcripſerint, ſicuti a pluribus factum fuit Epiſcopis Italiæ, Galliæ, Germaniæ, Hiſpaniæ, atque Indiarum, qui paſſim Decreta ex Actis Eccleſiæ Mediolanenſis ab eodem S. Carolo ſapientiſſime ordinatis, Conciliis ſuis Provincialibus, Diœceſaniſque inſeruerunt.

V. Exceptis brevi morituris, quibus non jejunis recte Viaticum datur, uti non uno in loco oſtendimus, ex præſcripto noſtri hujus §. priſtinæ Eccleſiæ diſciplinæ, ac Patrum auctoritati inhærentis, *cæteris infirmis, qui ob devotionem communicant, danda eſt Euchariſtia ante omnem cibum, & potum, non aliter ac cæteris Fidelibus, quibus nec etiam per modum medicinæ ante aliquid ſumere licet*. Ratio eſt, quia per quodcumque ſumptum per modum cibi, & potus, tollitur jejunium naturale, quod, uti nos alias diximus, Sacræ Communioni prærequiritur. Ex quo principio ita S. Thomas ratiocinatur in Parte III. Quæſtione LXXX. Articulo VIII. *Et ideo neque poſt aſſumptionem aquæ, vel alterius cibi, aut potus, vel etiam medicinæ, in quantumcumque parva quantitate, licet hoc Sacramentum accipere. Nec refert, utrum aliquid hujuſmodi nutriat, vel non nutriat, aut per ſe, aut cum aliis, dummodo ſumatur per modum cibi, vel potus*. Porro nonnullas congruas rationes pro naturali jejunio ad Euchariſticam Communionem rite accipiendam requiſito affert idem Sanctus Doctor loco citato, ubi ſic inquit: *Impeditur aliquis a ſumptione hujus Sacramenti poſt cibum, & potum aſſumptum tripliciter. Primo quidem, ut Auguſtinus dicit, in honorem hujus Sacramenti, ut ſcilicet in os hominis intret nondum aliquo cibo, vel potu infectum. Secundo propter ſignificationem, ut ſcilicet detur intelligi, quod Chriſtus, qui eſt res hujus Sacramenti, & charitas ejus, debet primo fundari in cordibus noſtris. Tertio propter periculum vomitus, & ebrietatis, quæ quandoque contingunt ex hoc, quod homines inordinate cibis utuntur, ſicut Apoſtolus dicit Primæ ad Corinthios II.* Alius quidem eſurit, alius ebrius eſt.

§. VI.

Sed alicui ad adorandum ſolum, ſeu devotionis, ſev cujuſvis rei prætextu, ad oſtendendum non deferatur.

COMMENTARIUS.

I. NE Parochus unquam ad eum Euchariſtiam deferat, quem ſumere non poſſe ante noverit, admonet non uno in loco S. Carolus, præſertim vero in Concilio Provinciali Mediolanenſi v. ubi de iis agens, quæ ad Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum pertinent, ſic habet: *Sacra Communio ad ægrotum non deferatur, niſi ad eum, qui vere illam ſumpturus eſt*. Concinit autem huic noſtro §. inter alia Manuale Cameracenſe, expreſſe prohibens, deferri ad infirmum Euchariſtiæ Sacramentum, *ad adorandum, ſeu devotionis, ſeu cujuſvis rei prætextu, ad oſtendendum*. Ratio præcipua hujus prohibitionis ea eſſe videtur, quia Euchariſtiæ Sacramentum, neque ad hoc inſtitutum eſt, neque Eccleſia Dei hanc habet conſuetudinem. Sane ſi aliquando fit, ut dum ad infirmum Parochus venit communicandum, morbi vi ita affectum illum inveniat, ut ſacram ipſi Communionem tunc rite præſtare non poſſit, permittit quidem S. Carolus in laudato Provinciali v. Mediolanenſi Concilio, ut *collocata Pyxide ſuper Corporale in Menſa eo nomine apparata, paululum moretur, dum genibus flexis una cum cæteris, qui adſunt, ac potiſſimum cum ægroto ipſo ſancte oret, ac poſtea receſſurus, Euchariſtia Pyxide incluſa eidem benedicat*. Additque etiam ibidem mox: *quod ſi ægrotus ipſe id vehementer exoptat, Sacramentum aperta etiam Pyxide liceat oſtendere adorandum*.

II. Cæterum licet Paſtorale Mechlinenſe, uti & Manuale Cameracenſe apud Vanespen Parte II. *Juris Eccleſiaſtici univerſi*, Tit. IV. Capite IV. num. XIV. dicant, in ſimili caſu exhibendum eſſe Sacramentum *ad adorandum, ſed non*, inquiunt, *detur ad oſculandum*; vetuit id tamen Concilium XIV. Provinciale Beneventanum anni MDCXCIII. ſub Fratre Vincentio Maria Cardinale Urſino, qui fuit poſtea Papa Benedictus XIII. celebratum, Tit. XXXV. Cap. XI. ubi ita ſtatuit: *Praxis illa oſtendendi Euchariſtiæ Sacramentum infirmis communicare non valentibus aboleatur; ideoque ſi Parochus ad infirmum accedens, impedimentum compererit, ob quod ſacrum Viaticum præbere non valeat, abſque alia cæremonia ad Eccleſiam revertatur*. Excepta Provincia Beneventana, aliiſque Diœceſibus, quarum Epiſcopi ſimilia Decreta ediderunt, puto equidem, ſervari poſſe rite religioſeque aliis in locis, quod S. Carolus ſtatuit; ut nempe, ubi ad infirmum Parochus venit, quem novit ſumere poſſe Communionem, ſi impedimentum poſtea compererit, ob quod ille communicare nequeat, poſſit Parochus ipſe Sacramentum aperta Pyxide infirmo oſtendere adorandum, eidemque poſtea benedicere cum Sacramento Pyxide incluſo.

§. VII.

Deferri autem debet hoc Sanctum Sacramentum ab Eccleſia ad privatas ægrotantium domos decenti habitu, ſuperpoſito mundo velamine, manifeſte, atque honorifice ante pectus, cum omni reverentia, & timore, ſemper lumine præcedente.

COMMENTARIUS.

I. EXpeditum haud ſatis eſt, quo ritu olim Euchariſtia fuerit ad ægrotantes delata. Illud plane conſtat ex Capite, *Sane* x. *De celebratione Miſſarum*, Honorium Papam III. qui claruit initio Sæculi XIII. mandaſſe Presbytero, ut *eam ad infirmum in decenti habitu, ſuperpoſito mundo velamine, ferat, & referat manifeſte, ac honorifice ante pectus, cum omni reverentia, & timore, ſemper lumine præeunte, cum ſit candor lucis æternæ, ut ex hoc apud omnes fides, & devotio augeatur*. Atque hic nota, §. noſtrum deſumptum plane fuiſſe ex recitata Honorii Papæ III. Decretali. Eodem, quo Honorius, Sæculo claruit S. Edmundus Cantuarienſis Archiepiſcopus, qui in ſuis Conſtitutionibus circa annum MCCXXXVI. editis, Capite XXV. hunc ritum in deferenda ad infirmos Euchariſtia præſcripſit: *Cum Euchariſtia ad ægrum fuerit deferenda, habeat Sacerdos aliquam Pyxidem mundam, in qua ſit pannus lineus mundiſſimus, & in ea deferat Corpus Dominicum ad ægrotum, linteo mundo ſuperpoſito, & lucerna præcedente, niſi æger valde remotus fuerit; & Cruce ſimiliter, ſi fieri poteſt, niſi Crux fuerit ad alium ægrotum deportata; præcedente quoque tintinabulo, ad cujus ſonitum excitetur devotio Fidelium. Habeat quoque ſecum Sacerdos Orarium, ſive Stolam, quando cum Euchariſtia, ſicut diximus, vadit ad ægrotum*. Similia legere eſt in Conſtitutionibus Richardi Epiſcopi Sarum, Cap. XXXIX. ac in illis cujuſdam Epiſcopi Anonymi anno Chriſti MCCXXXVII. in Concilio Wigornienſi anni MCCXL. & in aliis multis eodem Sæculo, ac ſequentibus celebratis.

II. Sed, ut per ſingulas partes noſtrum §. explicemus, *deferri debet hoc Sanctum Sacramentum ab Eccleſia ad privatas ægrotantium domus*; quibus verbis abuſus ille refellitur, qui hodieque alicubi viget, cum ſcilicet communicare debent Magnates infirmi, non quidem ab Eccleſia ad eorum domos Euchariſtia defertur, ſed ex Particula conſecrata in Miſſa, quæ in domeſtico Oratorio celebratur, communicant. Quod quidem abſurdum eſt, cum ex noſtro §. & recitato Capite, *Sane*, Sacramentum ipſum Euchariſtiæ deferri debeat ad ægrotantium domos, non

non modo ab Eccleſia, verum etiam *manifeſte, ac honorifice*. Id quod paſſim mss. Rituales Codices æque, ac Synodi uno conſenſu urgent, atque inculcant; additque Paſtorale Mechlinenſe apud Vaneſpen, Parte II. Juris Eccleſiaſtici, Tit. IV. Cap. IV. num. XVI. *Non enim toleranda eſt eorum licentia, & abuſus, qui ſine gravi neceſſitate ſub chlamide, occulte, ſine lumine, & honore illud deferunt*. Synodus quoque Provincialis II. Cameracenſis, Tit. IX. Cap. II. improbat abuſum eorum, *qui ſanctam Euchariſtiam ægris, qui morbum diſſimulare volunt, ſeu alio quocumque prætextu, occulte, ſine lumine, & ſine honore deferunt*. Atque his addi poteſt aliorum quorumdam abuſus, qui, cum ægri domi communicare debent, ne id ſcilicet populus ſciat, ſummo mane, ac fere noctu, ſibi Communionem dari, Parochum rogant. Quod quidem inferius §. XI. vetitum eſt, ubi expreſſe, ac diſtricte mandat, *noctu hoc Sacramentum deferri non debere, niſi neceſſitas urgeat*.

III. Manifeſte non modo, verum etiam *honorifice, cum omni reverentia, & timore, ſemper lumine præcedente*, deferri debere ad infirmum Communionem, ait quidem hic noſter §. & ante ipſum Honorius Papa III. in citato Capite, *Sane*, ubi etiam eam affert rationem, *Cum ſit candor lucis æternæ, ut ex hoc apud omnes Fides, & devotio augeatur*. Ut non uno præcedente lumine, ſed multis etiam cum accenſis cereis deferatur Communio ad infirmum, dicemus mox in Commentario ad ſequentem §. VIII. Deferendam quoque Euchariſtiam ipſam, *præcedente tintinnabulo, ad cujus ſonitum excitetur devotio Fidelium*, ſtatuit quidem Ricardus Sarum Epiſcopus in Conſtitutionibus ſuis anno Chriſti MCCXVII. editis, Capite XXXIX. & non multo poſt iiſdem verbis S. Edmundus Archiepiſcopus Cantuarienſis, cujus locum nos deſcripſimus ſupra num. I. hujus Commentarii. Quod idem inter alia ſtatuit Concilium Herbipolenſe celebratum anno MCCLXXXVII. Cap. VIII. ut nempe ad ipſum campanulæ ſonitum, *obviantes donec Sacerdos tranſeat, genuflectant, & dicant devote ter ad minus Orationem Dominicam cum Salutatione Beatæ Mariæ glorioſæ*. Addit mox etiam Concilium, ſe, tam Sacerdoti Euchariſtiam geſtanti, quam Clerico lumen, & campanulam portanti, tintinnantique, & ſingulis vere pœnitentibus, & confeſſis genuflectentibus, dummodo, ut dictum eſt, Orationem Dominicam cum Salutatione Beatæ Virginis dicant, decem dies pro vitæ qualitate, de injuncta ſibi pœnitentia, auctoritate, qua fungitur, relaxare.

IV. Quo tandem habitu indutus eſſe Parochus debeat, cum ad ægrotum Euchariſtiam defert, non exprimit hic noſter §. ſed inquit: *Decenti habitu, ſuperpoſito mundo velamine*. Uſus eſt verbis Honorii Papæ III. in recitato ſuperius Capite, *Sane*. Porro decens habitus in ea functione intelligitur Superpelliceum, & Stola, ſive Orarium, uti expreſſe mandant memorati Antiſtes Ricardus Sarum, & S. Edmundus Cantuarienſis, itemque Herbipolenſe Concilium locis citatis: *Presbyter Superpelliceo cum Stola circa collum portet*, Euchariſtiam ſcilicet ad infirmum, ut ait memoratum Concilium, quod etiam mox ſubjungit: *Niſi loci diſtantia, & temporis qualitas ſecus expoſcat*. Porro, ut *habeat Sacerdos ſecum Orarium, ſeu Stolam, qui cum Euchariſtia vadit ad ægrum*, ſine ulla temporis, locique remoti exceptione, mandant quidem laudati Sarum, & Cantuarienſium Epiſcopi; ſolumque adjiciunt, ut, *ſi æger remotus non fuerit, in Superpelliceo ad ipſum decenter accedat*. Semper itaque adhibenda eſt Stola, & Superpelliceum, quod tamen ſolum omitti poteſt, ſi æger, qui eſt Euchariſticam Communionem ſumpturus, longe ab Eccleſia diſtet.

V. At vero ad confodiendum magis magiſque hæreticorum recentiorum perfidiam, impie, perperamque contendentium, nullam eſſe Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento reverentiam exhibendam, recte admodum ex variis Conciliis cautum fuit, ut vel ad ægros ſummo cum honore portetur. Certe S. Carolus in Concilio Provinciali III. Mediolanenſi, Capite, *De iis, quæ ad Sacram Euchariſtiam pertinent*, diſerte mandat, ut *Sacerdos cum Corpus Chriſti Domini ad ægros interdiu in Urbe, aliiſque frequentibus locis defert, non Superpelliceo ſolum, ſed Pluviali præterea indutus incedat*. Idem repetit in Concilio Provinciali V. Capite eodem, & in Inſtructionibus, *De viſitatione, & cura infirmorum*, Capite, *De Communione*, ubi ſic inter alia inquit: *In deferendo*, Euchariſtiæ ſcilicet Sacramento ad infirmum, *utetur Pluviali, ubi per loci, temporiſve conditionem fieri poterit; alias vero Superpelliceo, & Stola*. Pluviale una cum Superpelliceo, ac Stola, in deferenda ad ægrotos Euchariſtia adhibendum, in variis Synodis conſtitutum lego, potiſſimum vero in Salernitana anni MDLXXIX. Tit. XXIX. Cap. X. Debere autem Pluviale ipſum, ac Stolam, eſſe albi coloris, ex generalibus Miſſalis Rubricis addiſcere licet.

VI. Sive autem ſolum Superpelliceum cum Stola geſtetur, ut antiquæ Conſtitutiones mandant, ſive una cum ipſis Superpelliceo & Stola etiam Pluviale, ut recentiores Synodi inſinuant, ſemper adhibendum mundum velamen ex præſcripto noſtri hujus §. ſive potius ex antiquo ritu, ut conſtat ex citato toties Capite, *Sane*, ex quo ipſe noſter §. deſumptus fuit. Solet velamen iſtud ſericum eſſe albi coloris, ac auro intextum, ſuperponiturque Superpelliceo, vel Pluviali ſi una cum illo id adhibetur, ut Sacerdos Sacram Pyxidem geſtans, iſtius veli extremitatibus illam cooperiat, ut Rubricæ Miſſalis præſcribunt, ac Sacræ Synodi mandant, inter quas prædicta Salernitana loco citato, poſtquam edixit, ut Parochus ad ægrotum communicandum acceſſurus, *ſit tum indutus Superpelliceo, Stola, & Pluviali, ac Sacramentum deferat ſub decenti umbella, ſeu baldachino, quod digniores, ſemper geſtent*, ita ſtatim ſubdit: *Habeatque velum ſericum, quod humeros, ac Pyxidem, ſeu Vas, in quo eſt Sanctiſſimum Sacramentum, contegat*.

§. VIII.

Parochus igitur proceſſurus ad communicandum infirmum, aliquot Campanæ ictibus jubeat convocari Parochianos, ſeu Confraternitatem Sanctiſſimi Sacramenti, ubi fuerit inſti-

inſtituta, ſeu alios pios Chriſtifideles, qui Sacram Euchariſtiam cum cereis, ſeu intorticiis comitentur, & umbellam, ſeu baldachinum, ubi haberi poteſt, deferant.

COMMENTARIUS.

I. UT decentius, honorificentiuſque ſacra ad infirmum Communio deferatur, recte ſtatuit hic noſter §. quod alias variæ Synodi ſanxerunt, ut nempe Parochus proceſſurus ad communicandum infirmum, aliquot Campanæ ictibus jubeat convocari Parochianos, ſeu Confraternitatem Sanctiſſimi Sacramenti, ubi fuerit inſtituta, ſeu alios pios Chriſtifideles, qui Sacram Euchariſtiam cum cereis, ſeu intorticiis comitentur, & umbellam, ſeu baldachinum, ubi haberi poteſt, deferant. Ita quidem hic noſter §. Sed audiamus Decreta Sancti Caroli in Concilio Provinciali Mediolanenſi I. edita, Capite inſcripto, *Quæ pertinent ad Sacramentum Sacræ Euchariſtiæ*, ubi ſic inquit: *Ut Sanctiſſima Euchariſtia ad ægrotos ſumma cum religione deferatur, Parochi populum ſæpiſſime hortentur, ut frequens ſemper proſequatur. Quamobrem etiam Sodalitates Corporis Chriſti in Parochiis inſtituant. Cum vero deferenda erit, tum eum Campanæ ſonitu præmoneant. Lamina, tintinnabulum, & decorum Vaſculum velo etiam decenter contectum, ac præterea, ubi fieri poteſt, umbellam adhibeant.*

II. Optant plane Synodi permultæ, in omnibus Eccleſiis Parochialibus, ſaltem celebrioribus erigi Confraternitatem Sanctiſſimi Sacramenti, cujus Sodales ſpecialiter honori, & cultui ejuſdem Sacramenti intendant, atque Sacramentum ipſum, quoties ad infirmum defertur per Parochum, vel eo legitime impedito, per alium, devote aſſocient, juxta articulum erectioni hujuſmodi Confraternitatis inſeri ſolitum. Porro antiqua, ac celebris eſt Archiconfraternitas Sanctiſſimi Sacramenti Romæ in Eccleſia S. Mariæ ſupra Minervam Fratrum Ordinis Prædicatorum conſtituta, Auctore ejuſdem Ordinis Alumno Fr. Thoma Stella Veneto, qui Librum edidit Italice ſcriptum, de Capitulis, Statutis, atque Ordinationibus ejuſdem Sodalitatis. Sed audire præſtat doctum æque ac pium Scriptorem Fr. Antoninum Bremond, qui fuit poſtea Generalis laudati Ordinis Magiſter, obiitque non ſine animi noſtri ſenſu, die XI. Junii anni MDCCLV. Tomo VII. Bullarii Dominicani in Tractatu, *De conſenſu Bullarum*, Tit. XV. Quæſtione V. §.I. ubi ſic de ipſa Confraternitate loquitur: *Hanc omnium primam comprobans Paulus III. variis Privilegiis, & Indulgentiis ornavit; ipſaque eſt, cujus Privilegiorum, Conceſſionum, Indulgentiarum, Facultatum, Gratiarum, & Indultorum participes ſunt omnes aliæ Confraternitates Sanctiſſimi Sacramenti ubique Terrarum, Apoſtolica, vel Ordinaria auctoritate conſtitutæ, ut ex Apoſtolicis Conſtitutionibus mox laudandis videre eſt.* Memorat laudatiſſimus Auctor amicus noſter, dum viveret, chariſſimus, ipſas Conſtitutiones; ſed recte tum ita deinde ſubjungit: *Licet omnium prima Sanctiſſimi Sacramenti Archiconfraternitas, ſedente Paulo III. prodierit, anno circiter MDXXXIX. uti mox dictum fuit, non abs re tamen fuerit, dum ejuſdem Confraternitatis Indulgentias referam, illas exhibuiſſe, quas Eugenius IV. jam pridem pro die Feſto Sanctiſſimi Corporis Chriſti, & quoties defertur infirmis, conceſſas firmavit, & auxit.*

III. Sed omiſſa hac Eugenii Papæ IV. Conſtitutione data die XXVI. Maji anni MCDXXXIII. quæ legi poteſt Tomo III. prædicti Bullarii Dominicani, pag. 21. audiendus potiſſimum eſt memoratus Paulus III. ubi de ipſa Societate Sanctiſſimi Sacramenti in Eccleſia S. Mariæ ſupra Minervam erecta, ſic inter alia inquit in Conſtitutione LIV. data XXX. Novembris MDXXXIX. & relata in eodem Bullario Dominicano pag. 583. *Sane pro parte dilectorum filiorum univerſorum Confratrum Confraternitatis ſub invocatione Sacratiſſimi Corporis Chriſti in Eccleſia Domus B. Mariæ ſupra Minervam de Urbe Ordinis Fratrum Prædicatorum inſtitutæ, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod nuper nonnulli Cives Romani, & Curiales Chriſtifideles pie conſiderantes, Sacratiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum prædictum in Parochialibus Eccleſiis dictæ Urbis, minus honorifice, & in locis abjectis, ſine ulla conſideratione conſervari, & cum per ipſam Urbem pro Communione infirmorum deferendum erat, ab uno tantum Capellano, ſine ullis decore, & reverentia ſolitum deferri; ac ſingulari devotione ducti cupientes præmiſſis, & ut eidem Sacramento honor, cultus, & veneratio debite exhiberentur, quantum in eis erat, providere, unam Societatem, & Confraternitatem utriuſque ſexus, ſub invocatione ejuſdem Sacratiſſimi Corporis Chriſti, in dicta Eccleſia de Minerva ordinarunt, & inſtituerunt, ac pro ejus ſalubri directione, & incremento, inter alia, quod Confratres Confraternitatis hujuſmodi pro tempore exiſtentes, ſeu ab eis per ſingulas regiones Urbis prædictæ deputati, & deputandi, diligenter, ac omni cura, & ſtudio facerent, & procurarent, ut Sacramentum hujuſmodi tam in dicta Minerva, quam ſingulis aliis Parochialibus Eccleſiis Urbis hujuſmodi, ea, qua decet, veneratione, in loco honorifico, & honeſto, lampadibus accenſis, diu noctuque conſervaretur, & cuſtodiretur. Et ſi earundem Eccleſiarum redditus ad id non ſufficerent, ipſi Confratres illis de neceſſariis ad hujuſmodi opus, necnon ad emendum unum pallium pro ſingulis Eccleſiis prædictis, cum quo Sacramentum ipſum, quotieſcumque illud pro Communione infirmorum extra Eccleſiam deferendum eſſet, deferri deberet, providerent. Ac quod Rector cujuslibet ex Eccleſiis prædictis, ſeu illius locum tenens, quotieſcumque eſſet neceſſarium, Sacramentum hujuſmodi alicui infirmo miniſtrari, & ad illius domum deferri, Campanam ſuæ Eccleſiæ certis ictibus pulſari facere teneretur; ad hoc ut Confratres vicini Parochiæ illius Eccleſiæ ſe moneri ad aſſociandum Sacramentum ipſum cognoſcerent, & per ſe ipſos aſſociarent, ſi legitimo impedimento detenti non forent, alioquin per unum de ſuis dignioribus familiaribus Sacramentum prædictum ad domum dicti infirmi facibus accenſis aſſociari, & comitari facere tenerentur.*

IV. Placuit prolixum hunc locum deſcribere, quod ex eo plura, quæ & hunc noſtrum §. ſpe-

§. ſpectant, addiſcimus. Primo quidem, Sodalitatem ipſam Sanctiſſimi Sacramenti inſtitutam primum fuiſſe Romæ in Eccleſia S. Mariæ ſupra Minervam Ordinis Fratrum Prædicatorum, qui quidem a prima ſua inſtitutione omnem ſuam navarunt operam, ut Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento debitus cultus exhiberetur, præſertim vero S. Thomas Aquinas, qui juſſu Urbani Papæ IV. Miſſam, & Officium Sacratiſſimi Corporis Chriſti admirabili doctrina, & pietate compoſuit. Secundo, inſtitutam fuiſſe Societatem prædictam ad reparandum cultum Sacramento Sanctiſſimæ Euchariſtiæ debitum, quod *in Parochialibus Eccleſiis Urbis minus honorifice, & in locis abjectis ſine ulla conſideratione conſervari, & cum per ipſam Urbem deferendum erat, ab uno tantum Cappellano ſine ullis decore & reverentia deferri ſolitum eſſet*. Tertio, huic reparando abuſui ſtatuiſſe Societatem, *ut Sacramentum hujuſmodi tam in dicta Minerva, quam ſingulis Eccleſiis Parochialibus Urbis, ea qua decet veneratione, in loco honorifico, & honeſto, lampadibus accenſis, die, noctuque conſervaretur*. Quarto, ut *unum pallium*, idest baldachinum, *pro ſingulis Eccleſiis prædictis, cum quo Sacramentum ipſum, quotieſcumque illud pro Communione infirmorum extra Eccleſiam deferendum eſſet, deferri deberet*, provideretur. Quinto, *ut Rector cujuslibet ex Eccleſiis prædictis, ſeu illius locum tenens, quotieſcumque eſſet neceſſarium Sacramentum hujuſmodi alicui infirmo miniſtrari, & ad illius domum deferri, Campanam ſuæ Eccleſiæ certis ictibus pulſari facere teneretur*. Sexto, ſtatuiſse id Societatem, *ad hoc ut Confratres vicini Parochiæ illius Eccleſiæ ſe moneri ad aſſociandum Sacramentum ipſum cognoſcerent*. Septimo, ut audito Campanæ ſonitu, Confratres vicini *per ſe ipſos aſſociarent, ſi legitimo impedimento detenti non forent; alioquin per unum de ſuis dignioribus familiaribus* (non autem vilioribus famulis, ut hodie fieri aſſolet) *Sacramentum prædictum ad domum infirmi, facibus accenſis, aſſociari, & comitari facere tenerentur*.

V. Prolixa eſt ipſa Pauli Papæ III. Conſtitutio, quam etiam ſequioris ævi Romani Pontifices confirmarunt, ut in Bullario Romano videre eſt. Adinſtar autem memoratæ Sodalitatis Romæ in Eccleſia S. Mariæ ſupra Minervam erectæ, non modo in aliis Urbis, verum & aliis Catholici Orbis Eccleſiis inſtitutæ fuerunt aliæ permultæ Sanctiſſimi Sacramenti Societates, eam præſertim ob cauſam, ut quotieſcumque Sacramentum ad infirmum deferatur, illud honorifice cum baldachino, & cereis accenſis, ac fumigante thuribulo, comitentur. Id plane conſtat ex variis Epiſcoporum Synodis, ac præſertim Mediolanenſibus, quibus S. Carolus præfuit, qui etiam in Provinciali VI. Concilio, ubi agit de iis, quæ ad Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum pertinent, inter alia ſtatuit, ut *Parochus hortetur, & curet, ut unuſquiſque paterfamilias, præſertim dato campanæ Parochialis ſigno, qua ſacræ Euchariſtiæ ad ægrum deferendæ ſignificatio fit, ſine mora in Eccleſiam Parochialem conveniat, vel etiam de familia digniorem mittat ad illam cerei, candelæve lumine proſequendam. Si quando autem is, qui paterfamilias eſt, per neceſſariam occupationem non poteſt, ſaltem certum aliquem hominem, vel filium natu majorem, vel denique famulum, aliumve mittat, qui id pietatis officium præſtet. Atque eam ob cauſam domi etiam omnis paterfamilias perpetuo funale cereum, aut candelam, pluresque habeat, qui ad id pietatis opus, officiumque uſui ſint*. Ita S. Carolus, & pie quidem, religioſeque; ſed optandum eſſet, ut Parochi ipſi exemplum darent, qui cereorum quantitatem, quam ex defunctorum exequiis percipiunt, in ſuam utilitatem vertentes, ſicut & cæteros Parochiæ redditus, ſtimulare vel pauperes artifices non erubeſcunt, ut non modo occupationem, qua familiæ indigentiæ providere coguntur, relinquant, ſed proprium etiam cereum geſtent, quo honorifice Sacramentum, quod ad infirmum defertur, comitentur.

VI. Præter competentem cereorum numerum, quibus deferenda eſt Euchariſtia ad infirmum, quatuor tunc etiam accenſas laternas circa Sacerdotem Sacramentum geſtantem deferri oportere, ſtatuit quidem Benedictus Papa XIII. in Concilio Romano anno Jubilæi MDCCXXV. celebrato, Tit. XV. Cap. VI. *Cumque deferri ſolet, lumina aperta geſtentur, eaque non raro, vento, aut pluvia improviſo ſuperveniente, extincta omnia remanere videantur, ne idcirco (quod incongruum ſatis eſſet, atque Auguſtiſſimo Domino indecentiſſimum) lumina tunc debita deſiderentur, curent Epiſcopi, & cum eis Sacrarum cæremoniarum Magiſtri advigilent, ut per quos pertinet, quatuor ſaltem cum ſuis haſtis laternæ, quæ tamen aliis ſint nobiliores, comparentur, & ſuis ſemper cum intus accenſis candelis, hinc inde circa Celebrantem, qui Sacramentum geſtat, deferantur*. Laternæ unius magnæ in delatione Euchariſtiæ ad infirmum meminit quidem S. Carolus Parte IV. Actorum Eccleſiæ Mediolanenſis in generali Inſtructione pro rebus ad Eccleſias ſpectantibus vulgari idiomate ſcripta, pag. 804. col. 2. Sed tamen in Inſtructione, *De ſupellectile Eccleſiæ Parochialis*, Cap. III. ubi agit de ea ſupellectile, quæ ad cultum, & adminiſtrationem Sacræ Euchariſtiæ uſui eſt, *laternas quatuor grandiores recenſet*. Quod in delatione Communionis ad infirmos, *duæ adſint magnæ laternæ, ut furente vento, lumen non deficiat*, ſtatuit Salernitana Synodus anni MDLXXIX. Tit. XXIX. Capite X. Quomodo autem conficiendæ ſint ipſæ laternæ, explicuit S. Carolus Parte II. Libro II. Inſtructionum Supellectilis Eccleſiaſticæ, his plane verbis: *Laternæ ad Sanctiſſimi Sacramenti ferendi uſum comparentur quatuor; quæ ex ligno inaurato, pictove, aut ex tenuiſſima ſaltem lamina ferrea conſtent; in iiſque feneſtellæ apte diſpoſitæ cornu pellucido clauſæ exiſtant; ferrumque præterea intrinſecus promineat, cereis inferendis, infigendiſve accommodatum. Ut autem alte præferantur, longitudine quatuor cubitorum firmiter infixæ hæreant*.

VII. Reliquum eſt, ut & aliquid dicamus de umbella, ſeu baldachino, quod, ubi haberi poteſt, ex præſcripto noſtri §. deferendum eſt ſuper Sacerdote Euchariſtiam ad infirmum geſtantem. Idem præſcribunt non uno in loco S. Carolus, Synodique permultæ, inter quas Salernitana anni NDLXXIX. Tit. XXIX. Cap. X. expreſſe mandat, ut Parochus *Sacramentum deferat ſub decenti umbella, ſeu baldachino, quod digniores ſemper geſtent*. Plura de ipſa umbella, ac baldachino, eorumque forma, docet S. Carolus in ſuis Mediolanenſis Eccleſiæ Actis, quæ non eſt neceſſarium hic recenſere.

§. IX.

§. IX.

Præmoneat, ut ægri cubiculum mundetur, & in eo paretur menſa linteo mundo cooperta, in qua Sanctiſſimum Sacramentum decenter deponatur. Parentur luminaria, ac duo vaſcula, alterum cum vino, alterum cum aqua. Præterea linteum mundum ante pectus communicandi ponatur, atque alia ad ornatum loci pro cujuſque facultate.

COMMENTARIUS.

I. QUæ præparanda ſnot in cobiculo infirmi ſacram Commonionem ſumturi, explicuit S. Carolns in Coocilio Provinciali Mediolanenſi v. ubi agit de iis, quæ ad Eucharistiæ Saeramentom pertineot: *Poroebus*, inquit, *ægroto illam allaturus, accurate hac præmoneat. Primum, ut ægrotantis cubiculum ob omni ſorde, omuique inquinomento purgetur, & amota omni re profano, pio apparata, & ſoeris Imoginibas, ubi poteſt, exornetur; tum præterea menſo, mappo nitida, puraque conſtrata, Cruce, oliaque Effigie ſacra, condelabris, & eandelis, eereiſve ſaltem binis inſtructu apporetur, in qua ſuper Corporali Pyxis eum Sonctiſſimo ipſo Sacromento collocari poſſit; ſit etiom vas vitreum ad ablutionis uſum*. Multa hie habes, qoæ in ooſtro §. deſideraotur, ootatuque & ea ſunt, quæ mox idem S. Antiſtes ſubdit: *Quæ omuia, ut ab iis, qui ægroti curam bobent, parentur, cura ſit inprimis Confrotrum Sonctiſſimæ Euchoriſtiæ. Apud eos vero, qui præ eorum egeſtate, inopiaqae id præſtore non poterunt, ipſi Sodales apporent*. Eadem repetit S. Carolos in Inſtroctionibus, *De viſitatione, & cura infirmorum*, ubi de Communione agit. Sed addendom puto, quod, ubi non adſit ipſa Sanctiſſimi Sacramenti Sodalitas, & communicandus præ inopia præſtare illud non poſſit, cura debet eſſe Parochi, ut ea pro ioopibus, ſumptibus Eccleſiæ parentur, ſive ex Parochiæ redditibns, quos ipſe percipit. Eſt eoim regula juris, ut qui commodum ſeotit, & onus ſentiat.

§. X.

Ubi vero convenerint, qui Euchariſtiam comitaturi ſunt, Sacerdos indutus Superpelliceo, & Stola, &, ſi haberi poteſt, Pluviali albi coloris, Acolythis, ſeu Clericis, aut etiam Presbyteris, ſi locus feret, Superpelliceo pariter indutis comitatus, decenter, & de more acceptas aliquot Particulas conſecratas, vel unam tantum, ſi longius, aut difficilius iter ſit faciendum, ponat in Pyxide, ſeu parva cuſtodia, quam proprio ſuo operculo cooperit, & velum ſericum ſuperimponit. Ipſe vero Sacerdos, impoſito ſibi prius ab utroque humero oblongo velo decenti, utraque manu accipiat Vas, cum Sacramento, & deinde umbellam, ſeu baldachinum ſubeat, nudo capite proceſſurus.

COMMENTARIUS.

I. QUæ hic noſter §. ſtrictim, latins plane explicuit S. Carolus io Conciliis Mediolanenſibus Proviocialibos, & in Inſtructionibus Viſitationis, & euræ infirmorum, ubi de ordine miniſtrandæ iſtis Commuoionis tractans, hæc habet: *Parochus, convocotis Porochiæ ſuæ Clerieis, eertis Campanæ pereuſſionibus, & item Confratribas Sanctiſſimi Saeramenti in Eccleſia Parochiali, poratis item cereis, & umbello, monus lavabit. Poſtea Superpelliceo, Stolo, & Pluviali rubeis indutus, ad Altare genibus flexis, poululum tacitus orabit; mox aſeendit, genuflectit, aperit Tarbenaculum, iterum genuflectit, exerabit Pyxidem ſub velo tectam, ſuper Corporali in Altori explicoto collocat, rurſus genuflectit, & claudit Tarbenaculum. Tectis ſerieo velo rubeo humeris, brachiiſqae, ſumit Pyxidem utroque mona eodem velo cooperta, ſiniſtra pedem tenens, dextera nodum ipſius Pyxidis, & ſub umbello procedit, quæ o dignioribus loicis deferetur*. Porro quod ait S. Carnlnm de Stola, Ploviali, ac velo robei coloris adhibendo, ſpectat ritum Ambroſianum, qui eo eolore in ea functione utitur, nam alias juxta Romanum ritum color albus eſt adhibendus, ut ex præſeoti ooſtro §. liquet: *Sacerdoe*, ioquit, *indutus Superpelliceo, & Stola, &, ſi boberi poteſt, Pluviali olbi coloris &c.*

II. Sed hoe obiter notato, ex præſcripto ejuſdem noſtri §. Sacerdos ipſe Communionem ad infirmum delaturns, procedere dicitur, *Aeolythis, ſeu Clericis, aut etiam Presbyteris, ſi loens feret, Superpelliceo pariter indutis comitatus*. Certe idipſum legitur in variis Syoodis, præſertim vero Provincialibos Mediolanenſibus S. Caroli, in quorum tertio, obi de ritu agitur deferendæ Euchariſtiæ ad ægrotos, ſic habetur: *Præterea, ubi etiam poteſt, aliqui Clerici adhibeantur, Clericoli habitu, & Superpellicco induti, qui comitantes uno eum deferente*, Sacerdote ſcilicet Euchariſtiam, *ſanctos, religioſaſque preees recitent*. In Concilio v. expreſſe edicitur, ut *Saeerdotes, Clericive, qui comitontur, Superpellieeum adhibeant. Si Canonicorum Capitulam ſit, Cappam, vel Almutiam, oliudve indumentum, ut illis in Choro moris eſt*. Clerici præſertim ut io ea functiooe adhibeantur, & qoidem cum Superpellieeo, ot majorem venerationem Sanctiſſimo Sacramento cooeilient, & Parochum juvent, in variis Epiſcoporum Synodis ſtatu-

tutum lego. At vero, an ipſi Clerici, Sacerdoteſque illius Parochiæ, in qua ad infirmum Communio defertur, cogi poſſint, ut ei delationi, adminiſtrationique Euchariſtiæ, interſint, non auſim definire, licet ejus ſit opinionis Barruſaldus in Commentario ad hunc noſtrum §. num. 105. & ſeqq. quod poſſint cogi, ſaltem quando alii, qui comitentur, deſint, ratione ſcilicet miniſterii, & ſervitii Eccleſiæ, cui in ſua ipſorum ordinatione adſcripti ſunt, juxta pervetuſtum, recenſque Eccleſiæ inſtitutum, de quo & in Commentariis ad Concilia Oecumenica, & aliis Operum noſtrorum locis late nos diximus.

III. Sed ut hujuſce noſtri §. explicationem proſequamur, mandat is, ut Sacerdos ad communicandum infirmum proceſſurus, *decenter, & de more, acceptas aliquot Particulas conſecratas, vel unam tantum, ſi longius, aut difficilius iter ſit faciendum, ponat in Pyxide, ſeu parva Cuſtodia, quam proprio ſuo operculo cooperit*. Ut duas ſacræ Euchariſtiæ Particulas deferant Parochias ad ægrotantes, *ne eis ad Eccleſiam redeuntibus, populus inane vaſculum adoret*, ſtatuit quidem S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolanenſi I. ubi agit de iis, quæ ad Euchariſtiæ Sacramentum pertinent, eique adhæſere permultæ Synodi, & præſertim Salernitana anni MDLXXIX. Tit. XXIX. Cap. XI. his verbis: *Sit Vas argenteum cum duabus ſaltem intus Particulis, ut una ab infirmo ſumpta, altera ad Eccleſiam eodem honore deferatur*. Quæ tamen Decreta intelligenda ſunt, ubi longius, aut difficilius iter non ſit faciendum, uti ex noſtro hoc §. addiſcimus, atque etiam ex S. Carolo, qui in Concilio Provinciali II. Decreto XI. ita Decretum in Provinciali I. Concilio editum explicuit: *Quod ſuperioris Concilii Provincialis Decreto de duabus Euchariſtiæ Particulis ad ægrum deferendis conſtitutum eſt, id quoniam non ſine difficultate ubique & ſemper obſervari poteſt, ideo ubi Epiſcopi judicio, vel loci diſtantia, vel itineris, temporiſve difficultas, vel alia cauſa impedit, quo minus, illud præſtari poſſit, tum licebit Sacerdoti cum Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Particulam ſolum deferre, quam æger percepturus eſt*. Sed recte ſic ſtatim ſubjicit: *Ita tamen, ut cum inde Parochus redit, non Superpelliceo, non Stola indutus ſit, neque tintinnabulum pulſetur, neque umbella adhibeatur, extinctis etiam luminibus, non palam Vaſculum deferatur*. Atque ita omnino faciendum eſt, cum unam tantum Particulam permiſſu noſtri §. Parochus ad infirmum deſert, & cum ea ipſum communicat, uti etiam expreſſe habetur in §. XXV.

IV. Illud quoque ex noſtro §. recte cautum eſt, ut ex Pyxide, quæ in Tabernaculo aſſervatur, aliquot Particulas, vel unam tantum accipiat, & *ponat in Pyxide, ſeu parva Cuſtodia, quam proprio ſuo operculo cooperit*; non enim debet illam Tabernaculi Pyxidem ad ægrotum communicandum accipere, ſed de ipſa Pyxide Particulas accipiet, & in alia minori Pyxide, ſeu parva cuſtodia ponet, quæ communicandis infirmis uſui ſit. Utriuſque Pyxidis meminit quidem S. Carolus in ſuo Concilio Provinciali Mediolanenſi IV. ubi agens de iis, quæ ad Euchariſtiæ Sacramentum pertinent, inter alia mandat, ut *duas Pyxides unaquæque Parochialis Eccleſia ſaltem habeat, alteram forma majori ad uſum ſacræ Communionis populo in Eccleſia miniſtrandæ; alteram minori, qua Sanctiſſimum Sacramentum ad infirmos deferatur*. Ceterum Cuſtodia parva, cujus mentionem facit hic noſter §. eſt Capſula quædam argentea, ſeu Vaſculum, in quo poni Sacra Euchariſtia ſolet, cum longius, aut difficilius iter eſt obeundum, & fortaſſe etiam equitandum, ut dicetur infra in Commentario ad §. XII. Tegendam eſſe hujuſmodi Pyxidem velo, diſerte habet hic noſter §. ex antiquiori certe Eccleſiæ ritu, cui inhærens S. Carolus in Diœceſana Mediolanenſi Synodo XI. in Monitis executionis Decretorum, quæ ad Sacramentalia, & Sacramenta pertinent, inter alia ſtatuit, ut *uſus parvuli conopæi, quo Pyxis obtegitur, plane tollatur, cujus loco velum adhibeatur*. Quod etiam Pyxis, quæ ad infirmos defertur per loca difficilia, ſacculo ornatiſſimo ſit obtegenda, idem S. Carolus voluit in Concilio Provinciali IV. loco citato: *Pro hac Pyxide ad ægrotos deferenda ſacculus ſericus ab unoquoque Diœceſis Parocho habeatur ornatiſſimus, cum opus erit, adhibendus*.

V. Omiſſo velo oblongo, quod humerale dicitur, quodque ex præſcripto noſtri hujus §. Sacerdoti Sacram Pyxidem deferenti imponitur ſuper humeros, ut ejus extremitatibus, uti ſuperius dictum eſt in eodem hoc Commentario, ipſam Pyxidem contegat, explicandum profecto eſt illud, quod tandem hic noſter §. præſcribit, ut nempe Sacerdos Euchariſtiam ad infirmum deferens, procedat *nudo capite*. Sane cenſuit Paſqualigus in Tractatu, *De Sacramentis novæ Legis*, Tomo II. Quæſtione 833. *nihil in Eccleſia reperiri determinatum, quod deferens Euchariſtiam infirmis, procedat detecto capite, & id ex ſola conſuetudine ſervari*. Quod tamen falſum eſt, cum expreſſis verbis hic §. mandet, debere Parochum, ſeu quemvis alium Sacerdotem deferentem Euchariſtiam ad infirmum, *nudo capite* procedere. Hinc teſte Sarnello Epiſcopo Vigilienſi, Tomo IV. Epiſtolarum Eccleſiaſticarum, in Epiſtola XXVI. cum aliquando quæſitum a Sacra Rituum Congregatione fuiſſet, *An Parochis miniſtraturis Sanctiſſimum Sacramentum infirmis, liceat de die, vel ſaltem de nocte, uti parvo pileolo in delatione ejuſdem, ſub infirmitatis, ſeu quovis alio prætextu. Et Sacra eadem Congregatio*, Non licere, nec poſſe, *reſpondit. Die xiij. Auguſti* 1695. *& xxi. Januarii* 1696. Recte itaque ſcribit Nicolius Lib. III. Canonicarum Lucubrationum, Tit. XLI. *De celebratione Miſſarum*, Epiſcopum diſpenſare non poſſe, *ut Sacerdos accedat ad Altare cum baculo, vel pileolo in celebratione, vel dum Viaticum defert ad infirmos, utatur, quia talia Canon*, Nullus 57. De Conſecratione, Diſtinctione I. *etiam Epiſcopo prohibet*. Tum vero merito concludit: *Ergo neque ſecum, neque cum aliis diſpenſare poteſt, ſublata quacumque contraria conſuetudine*. Vide plura apud laudatum Sarnellum, qui alia etiam hanc in rem S. R. C. Decreta refert.

§. XI.

Præcedat ſemper Acolythus, vel alius Miniſter deferens laternam (noctu autem hoc Sacramentum deferri non debet, niſi neceſſitas urgeat) ſequantur duo Clerici, vel qui

illorum vices ſuppleant, quorum alter aquam benedictam cum aſperſorio, & burſam cum Corporali, quod ſupponendum erit Vaſculo Sanctiſsimi Sacramenti ſuper menſa in cubiculo infirmi, & cum linteolo purificatorio ad digitos Sacerdotis abſtergendos; alter hunc Librum Ritualem deferat, & campanulam jugiter pulſet. Succedant deinde deferentes intorticia. Poſtremo Sacerdos Sacramentum geſtans elevatum ante pectus ſub umbella, dicens Pſalmum, *Miſerere*, & alios Pſalmos, & Cantica.

COMMENTARIUS.

I. Quum ex complurium Conciliorum Decretis, ac præſertim ex Decretali Honorii Papæ III. in Capite, *Sane*, *De celebratione Miſſarum*, de qua ſuperius late diximus, *manifeſte*, *ac honorifice*, *cum omni reverentia*, *& timore*, Euchariſtia deferenda ſit ad infirmum communicandum, non mirum videri debet, ſi & hic noſter §. & recentiores Synodi, honorificum in ea Euchariſtiæ delatione apparatum præſcribunt, prohibentque, noctu *Sacramentum deferri*, *niſi neceſſitas urgeat*. Atque hæc eſt ratio, quam affert S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolanenſi v. ubi vetat Euchariſtiam ad infirmum noctu deferri: *Cum vero ad ægrotos*, inquit, *omni reverentia*, *omnique religioſi cultus ſtudio*, *atque honorifice*, *quoad ejus fieri poteſt*, *afferenda illa ſit*, *neque id noctu commode fieri queat*, *vetitum propterea ſit*, *ne noctu afferatur*, *niſi ægris mortis periculum inſtet*. Alia ratio, qua niti puto eam prohibitionem deferendæ noctu Communionis infirmo, illa profecto eſt, quod manifeſte geſtari debet, notumque omnibus fieri, ægrotum communicare, juxta ea, quæ ſuperius late explicuimus.

II. Iis itaque omiſſis, mandat primum hic noſter §. ut *præcedat ſemper Acolythus, vel alius Miniſter deferens laternam*. Alludere videtur ad antiquum ritum, præſcriptum in citata Honorii Papæ III. Decretali, ubi dicitur, deferendam Euchariſtiam ad infirmum, *ſemper lumine præcedente*; ſive, ut ajunt Odo Pariſienſis Epiſcopus in Synodicis Conſtitutionibus, Capite v. §. v. & Richardus Sarum, ac S. Edmundus Cantuarienſium Antiſtites in ſuis pariter Conſtitutionibus, *cum lucerna præcedente*. Statuit quidem Romanum Concilium Benedicti Papæ XIII. anno MDCCXXV. celebratum, Tit. xxv. Capite vii. quatuor ſemper accenſas laternas hinc inde circa Sacramentum Euchariſtiæ extra Eccleſiam geſtantem deferri, ne vento, aut pluvia improviſo ſuperveniente, extinctis cereis, lumina tunc debita deſiderarentur; ſed præferri adhuc debet laterna a Clerico juxta præſcriptum noſtri §. tum ut memoratus antiquus ritus retineatur, tum etiam, ut, ſi opus fuerit, cerei ipſi extincti, ex laterna, quam Clericus præfert, reaccendantur.

III. Præcedentem Clericum cum laterna accenſa, ex præſcripto noſtri §. *ſequuntur duo Clerici*, *vel qui illorum vices ſuppleant*, *quorum alter aquam benedictam cum aſperſorio*, *& burſa cum Corporali*, *quod ſupponendum erit Vaſculo Sanctiſſimi Sacramenti ſuper menſa in cubiculo infirmi*, *& cum linteolo purificatorio ad digitos Sacerdotis abſtergendos*; *alter hunc Librum Ritualem deferat*, *& campanulam jugiter pulſet*. Huc ſpectant, quæ S. Carolus ſtatuit in Inſtructionibus, *De viſitatione & cura infirmorum*, ubi deſcribens ordinem miniſtrandi Euchariſtiæ Sacramentum infirmis, ſic habet: *Clericus unus præibit*, *qui aquæ benedictæ vaſculum cum aſpergillo deferet*, *& tintinnabulum item per certa intervalla pulſabit*; *cujus ſonitu populus*, *ad religionis cultum Sanctiſſimo Sacramento tribuendum*, *genibus flexis procidens excitetur*. *Alter item Clericus*, *ſi fieri poterit*, *adjungetur*, *qui burſam rubeam Corporali incluſo concinne feret ante pectus*, *& item Librum hunc*, *de quo ipſe Parochus*, *quæ oporteat*, *recitabit*. Porro quod ait de burſa coloris rubei, ad ritum pertinet Ambroſianum, nam alias, ut dictum ſupra compluries fuit, juxta Romanum ritum, in functionibus, quæ Euchariſtiam ſpectant, ſive in ejus expoſitione, ſive delatione, albus color eſt adhibendus in ſacra ſupellectile, quæ eiſdem functionibus eſſe uſui debet.

IV. Præferri conſueviſſe in ſacris Proceſſionibus vas cum aqua benedicta, jam alias diximus nos, docentque ii paſſim, qui ſacros ritus enarrant, interque alios Jacobus Eveillon, *De Proceſſionibus Eccleſiaſticis*, Cap. iii. Affertur autem ſpeciatim in delatione Euchariſtiæ ad infirmum, quod aqua ipſa, ut infra ſuo loco dicemus, Sacerdos debet ipſum infirmum aſpergere. Antiquum etiam eſſe ritum deferendæ, ac pulſandæ campanulæ, ob rationem ſupra a S. Carolo explicatam, jam nos ſuperius oſtendimus ex antiquis Ricardi Sarum, atque Edmundi Cantuarienſium, Antiſtitum. Ad eruditionem autem lectoris unum hoc loco addam, quod in ſuo ad hunc §. Commentario, num. 148. tradit Barrufaldus, campanulas ſcilicet ad uſum Viatici in Civitate Ferriæ gratis donari ſingulis Eccleſiis Parochialibus, quandocumque occurrat, a magno Noſocomio S. Annæ, ex inſtitutione, & vigore Legati facti ab Alphonſo Duce Ferrariæ in ejus Teſtamento condito die 26. Octobris 1534. ex rogitu Jo: Franciſci Sarachi Notarii, & Ducalis Cancellarii. Quam tandem ob cauſam deferenda ſit Burſa cum Corporali, linteolum purificatorium, ac Ritualis hic Liber, jam ſatis idem hic noſter §. declaravit, ſupervacaneumque eſt ei declarationi alia adjungere. Sane ſolet alicubi, ac Romæ præſertim, juxta regulas, & inſtructiones in aſſociatione Sanctiſſimi Viatici ſervandas, vulgari lingua ſcriptas, atque ibidem editas anno MDCXVI. una cum prædicta burſa baldachinum parvum ad infirmi domum deferri, ut in eo ſuper aliqua menſa locato Sacerdos Pyxidem ponat, ſuppoſita ei parva palla linea, loco Corporalis, quod quidem ſuper ipſa menſa linteo mundo cooperta tunc expandi debet, ubi baldachinum ipſum deeſſet.

V. Ex præſcripto demum noſtri §. *ſuccedunt deinde deferentes intorticia*, bini ſcilicet, ut ait S. Carolus in Concilio Provinciali v. *capite aperto*, *& quamplurimi candelis accenſis*, *ac primo loco viri*, *in quibus Scholares Sanctiſſimi Sacra-*

cramenti procedant, poſtremo feminæ; iſtæ nempe poſt Sacerdotem turmatim, ut eſt hodie communis praxis. Immediate autem ante Sacerdotem incedunt Clerici, Presbyterique, ſi adſint, Superpelliceis induti, ac nudo capite, ſicut Sacerdus, ut dictum ſuperius fuit; qui, ut ait hic idem noſter §. poſtremo incedit *Sacramentum geſtans elevatum ante pectus ſub umbella, dicens Pſalmum*, Miſerere, *& alios Pſalmos, & Cantica*. Atque hic eſt antiquus ritus, cujus meminit Odo Pariſienſis Epiſcopus in Synodicis Conſtitutionibus, Cap. v. §. v. ubi agens de Euchariſtiæ delatione ad communicandum infirmum, inter alia mandat, ut qui ei interſunt, incedant *cantantes ſeptem Pſalmos Pœnitentiales cum Litania pro infirmo, eundo, & redeundo*. Tum monet, ut, *ſi longa via fuerit, addant quindecim Pſalmos, & alias orationes*. Additque mox hanc rationem: *Sic enim debitum perſolvunt infirmo, & audientes invitant, ad exhibendum Deo reverentiam, & honorem, & orationem*. His ſimilia habet Concilium Provinciale vi. Beneventanum anni MCCCLXXIV. Tit. vii. Cap. xii. Verſu, *Euchariſtia autem*, ubi expreſſe mandat, ut qui illam ad infirmum defert, procedat *dicenda etiam ſeptem Pſalmos pœnitentiales cum Litania; & ſi iter longius eſſet, quindecim Pſalmos, ſive Canticum Graduum*.

VI. Veterum itaque, piorumque Epiſcoporum Decretis inhærens S. Carolus, ſtatuit & ipſe in citato v. Provinciali Mediolanenſi Concilio, ut *omnes, præſertim Eccleſiaſtici, Hymnos, & Pſalmos Pœnitentiales, alioſve intima animi pietate ſimul cum Parocho, ſed alternatim pronuncient, atque alii item religioſe orent*. His ſimilia præſcribit in Inſtructionibus de viſitatione, & cura infirmorum, ubi ordinem miniſtrandi Euchariſtiæ Sacramentum infirmis refert: *Septem Pſalmos Pœnitentiales*, ait, *Parochus in via pie recitabit; quos, ſi longum iter eſt, repetet, præſertim Pſalmum* Miſerere, *& alias etiam religioſas precationes, Hymnos, & Pſalmos accommodatos, quatenus ſpatium dabitur; idque cum Sacerdotibus, & Clericis, qui comitabuntur, alternatim*. Septem pariter Pœnitentiales Pſalmos decantari mandant permultæ Synodi, inter quas Salernitana anni MDLXXIX. Tit. xxix. Cap. x. Parocho Euchariſtiam geſtanti præcipit, ut *recitet ipſe, oculis ad Sacramentum ſemper intentis, Pſalmos Pœnitentiales intelligibili voce, Clerico, vel aliis etiam, qui reſpondere norint, alternatim reſpondentibus*. Porro hic noſter §. nulla facta Pſalmorum Pœnitentialium mentione, ſoli Parocho, ſeu Sacerdoti Euchariſtiam ad infirmum deferenti mandat, ut incedat, *dicens Pſalmum*, Miſerere, *& alios Pſalmos, & Cantica*, quæ ſcilicet memoriter tenet, qualia ſunt, Canticum, *Benedictus Dominus Deus Iſrael*, Canticum, *Magnificat anima mea Dominum*, & Canticum, *Nunc dimittis ſervum tuum Domine*. Vix enim Sacerdotem invenies, qui recitare memoriter queat Pœnitentiales Pſalmos, aliave Cantica. Quod vero Pſalmus *Miſerere* ab omnibus pene ſciatur, recte noſter §. hunc recitandum nominatim præſcripſit; tum vero potiſſimum, quod ei functioni convenit, in qua pro infirmo communicando Divina debet miſeratio impetrari, cordis contritio, ac peccatorum remiſſio.

§. XII.

Quod ſi longius, aut difficilius iter obeundum ſit, & fortaſſe etiam equitandum, neceſſe erit vas, in quo Sacramentum defertur, burſa decenter ornata, & ad collum appenſa apte includere, & ita ad pectus alligare, atque adſtringere, ut neque decidere, neque Pyxide excuti Sacramentum queat.

COMMENTARIUS.

I. MAgna profecto cautio, & diligentia adhibenda eſt a Sacerdote, ſi ad communicandum infirmum, *longius, aut difficilius iter obeundum ſit, & fortaſſe etiam equitandum*. In ea enim neceſſitate equitandi, curare debet Sacerdos, ut equus manſuetus ſit, ac docilis, non vero audax, acer, indomitus, & ſternax, ne ſe periculo ruendi in præceps exponat, ut ſcite obſervat ad hunc noſtrum §. Barrufaldus, num. 156. ubi etiam monet, Sacerdotem, qui equitare nequeat, vel aliter inſiſtendi equo non calleat, vel timeat ſui, debere in hoc caſu, omni labore, & incommodo ſpreto, eo modo ire, quo poteſt, identidem ſe ſiſtendo, ubi opus fuerit, ad ſe reſtaurandum. Sive autem equitet, ſive pedibus eat, *neceſſe erit*, ait hic noſter §. *Vas, in quo Sacramentum defertur, burſa decenter ornata, & ad collum appenſa apte includere, & ita ad pectus alligare, atque adſtringere, ut neque decidere, neque Pyxide excuti Sacramentum queat*. Sane burſa, de qua hic §. loquitur, non eſt eadem, ac illa, in qua reponitur Corporale, & ad Altare inſervit, ſed eſt plicabilis, ad inſtar ſacculi, ſeu marſupii, ut bene clauſam, & cuſtoditam teneat Pyxidem, ſeu Cuſtodiam, Capſulamve Sacramenti, ad evitandam agitationem, ſeu excuſſionem Particulæ in itinere, ac illo præſertim, quo fit equitando.

II. His plane concinit Sanctus Carolus in ſuis toties repetitis de viſitatione, & cura infirmorum Inſtructionibus, ubi de eorum Communione loquens, ſic ad noſtram rem inquit: *Si vero ob neceſſitatem noctu, & locis aſperis, montuoſiſque, via præcipiti, aut lubrica deferet, ſacrum illud Vaſculum in ſacculum decentem, qui a collo pendeat, ita includet, ut ſi fortaſſe ipſe labatur, Sacramentum in terra decidere nullo modo poſſit*. Ceterum licet longius, aut difficilius iter pro communicando infirmo ſit obeundum, præcedere Sacerdotem etiam tunc Superpelliceo, & Stola indutum, ſemper Clericus debet, vel alius laternam accenſam deſerens, optimumque erit, ſi idem Sacerdos, ſive equo inſidens, ſive pedibus eat, umbellam ſibi deferat, non modo ad conciliandam Sacramento venerationem, verum etiam ut ſibi a pluvia, vel ab æſtuante ſole caveat, uti in multis locis ſervatum vidi juxta propriorum Epiſcoporum Decreta.

§. XIII.

Ingrediens vero locum, ubi jacet infirmus, dicat: *Pax huic domui.* ℟. *Et omnibus habitantibus in ea.* Tum depoſitum Sacramentum ſuper menſa, ſuppoſito Corporali, genuflexus adorat, omnibus in genua procumbentibus; & mox accepta aqua benedicta, aſpergit infirmum, & cubiculum, dicens Antiphonam: *Aſperges me, Domine, hyſſopo, & mundabor; lavabis me, & ſuper nivem dealbabor*; & primum verſum Pſalmi, *Miſerere mei Deus*, cum *Gloria Patri. Sicut erat &c.* Deinde repetitur Antiphona: *Aſperges me Domine &c.* Poſtea ℣. *Adjutorium noſtrum in Nomine Domini.* ℟. *Qui fecit Cælum, & Terram.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

Exaudi nos, Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris Sanctum Angelum tuum de Cælis, qui cuſtodiat, foveat, protegat, viſitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. QUod ait primum hic noſter §. ut Sacerdos *ingrediens locum, ubi jacet infirmus, dicat, Pax huic domui*; alludit quidem ad illud Chriſti Domini ad Apoſtolos dictum, *In quamcumque domum intraveritis, primum dicite, Pax huic domui*; uti legitur in Evangelio Lucæ, Cap. x. Morem autem eſſe antiquum, ut Sacerdos infirmi cubiculum ingrediens, non modo ad eum communicandum, verum etiam ad Sacro Oleo inungendum, diceret primum, *Pax huic domui &c.* ac deinde alias preces in hoc §. deſcriptas, oſtendemus infra in Commentariis ad ſequentem Titulum V. qui inſcriptus eſt, *De Sacramento Extremæ Unctionis*, ubi inter alia certis teſtimoniis demonſtrabimus, ſolitum fuiſſe olim Unctionem Extremam Sacro Viatico præmittere. Quicquid autem de eo ritu ſit, conveniunt quidem in hoc Rituales Codices, S. Carolus in Inſtructionibus de viſitatione, & cura infirmorum, ubi ordinem miniſtrandi illis Euchariſtiæ Sacramentum recenſet, & antiquum Sacerdotale Romanum, ut, ubi Sacerdos ingreſſus fuit infirmi cubiculum, dicat, *Pax huic domui*, reſpondente Clerico, *Et omnibus habitantibus in ea*.

II. Ubi ea dicta ſunt verba, Sacerdos, ait noſter §. *tum depoſitum Sacramentum ſuper menſa ſuppoſito Corporali, genuflexus adorat, omnibus in genua procumbentibus.* Deponit quidem Sacerdos Sacramentum ſuper menſa linteo mundo cooperta, Corporali ſuper illud extenſo, ubi allatum non fuerit parvum baldachinum, de quo diximus ſupra in Commentario ad §. xi. Si enim baldachinum ipſum adeſſet, tunc in eo deponet Sacramentum parva palla linea ſuppoſita, & *genuflexus* illud adorabit, utroque ſcilicet genu, & ut habet idem §. *omnibus in genua procumbentibus*, & adorantibus. Jam non eſt opus latius enarrare hunc ritum, ad eumque comprobandum varia Synodorum, & Ritualium Decreta, ac teſtimonia referre, niſi unum illud ex Provinciali v. Concilio Mediolanenſi, quo S. Carolus mandat, ut *familia, quæ domi habitat, ubi ægrotus eſt, Sanctiſſimo Sacramento ad Eccleſiam, vel ſaltem extra januæ fines obviam procedat cum cereis accenſis, & omni alio interiori, & exteriori pietatis cultu, depoſitiſque plane armis.* Ceterum cum non omnes, qui accenſos cereos deferunt, præſertim cum multi ſunt, frequenſque populus, qui Sacramentum comitati ſunt, poſſint, nec debeant una cum Sacerdote ſcalas aſcendere, & ad ægroti cubiculum ire, ſat enim erit, ſi tunc aliqui cereos accenſos geſtantes Sacerdotem ipſum comitentur, recte factum eſt, ut ante januam domus reliqui ſe ſiſtant, flexiſque genibus Lauretanas Deiparæ Virginis Litanias recitent, ut pro infirmo orare dignetur, dicentes, *Ora pro eo*, ut eſt communis praxis, quam multis in locis ſervari vidimus.

III. Facta adoratione, cæteris genibus flexis manentibus, ſurgit Sacerdos, &, ut ait noſter §. *accepta aqua benedicta, aſpergit infirmum, & cubiculum, dicens Antiphonam,* Aſperges me &c. Eſt hic plane antiquus ritus, quem priſci Libri Rituales præſcribunt, quibus conſentiunt recentiores omnes, ac ille præſertim, qui inſcribitur, *Sacerdotale Romanum*. Valere quammaxime aquam benedictam ad effugandos dæmones, qui, uti plurimis exemplis comprobari poſſet, ægrotantium lectos potiſſimum obſident, dicemus late Tomo II. hujus Operis Tit. VIII. in Commentariis ad Caput II. quod inſcriptum eſt, *Ordo ad faciendam aquam benedictam*; itemque etiam Tomo præſenti, ubi ſe ſe nobis dabit occaſio. Quod autem in ejus aſperſione dicatur Antiphona, *Aſperges me &c.* cum Verſiculis, & Oratione in hoc noſtro §. præſcriptis, ex antiquis quoque Ritualibus conſtat, nonnullis exceptis, in quibus plures alii Verſiculi leguntur, cum alia Oratione diverſa omnino ab illa, quæ & in hoc noſtro §. & in Miſſalibus paſſim habetur. Certe S. Carolus antiquum Romanum Sacerdotale, alioſque Codices Rituales ſequutus, ita hunc noſtrum ritum recenſet in laudatis toties de viſitatione & cura infirmorum Inſtructionibus: *Tunc reponit Sanctiſſimum Sacramentum in menſa apparata candelis accenſis, ſuppoſito Pyxidi Corporali explicato, & genuflexus illud adorat. Poſtea ſurgens, aſpergillum cum aqua benedicta accipit, ægrotum aſpergit ad ſimilitudinem Crucis, cubiculum, & reliquos, qui præſentes adſunt, dicens Antiphonam.* Aſperges me hyſopo, & mundabor; lavabis me, & ſuper nivem dealbabor. ℣. Gloria Patri &c. ℟. Sicut erat &c. *Tum repetit Antiphonam*, Aſperges me hyſopo &c. *ut ſupra. Mox dicere pergit Preces ſequentes, ita verſus ad ægrotum, ut tamen etiam Sanctiſſimum Sacramentum reverenter aſpiciat.* ℣. Salvum fac ſervum tuum. ℟. Deus meus ſperantem in te. ℣. Mit-

Mitte ei auxilium de Sancto . ℞. Et de Sion tuere eum . ℣. Nihil proficiat inimicus in eo . ℞. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. ℣. Eſto ei Domine turris fortitudinis . ℞. A facie inimici, & perſequentis . ℣. Domine exaudi orationem meam . ℞. Et clamor meus ad te veniat . ℣. Dominus vobiſcum . ℞. Et cum ſpiritu tuo . *Oratio*. Deus infirmitatis humanæ ſingulare præſidium, auxilii tui ſuper infirmum famulum tuum oſtende virtutem, ut ope miſericordiæ tuæ adjutus, Eccleſiæ tuæ ſanctæ incolumis repræſentari mereatur . Per Dominum noſtrum &c.

IV. His ſimilia jam legere eſt in aliis Ritualibus, ac præſertim in ms. Pontificali inſignis Eccleſiæ Salisburgenſis annorum circiter DCC. in Ordine ad viſitandum, & ungendum infirmum, in quo inter multas, ac varias Orationes legitur etiam illa paulo ſuperius ex S. Carolo deſcripta, quæ habetur in Miſſali Romano, in Miſſa pro infirmis . Quod vero Orationem ſpectat in §. noſtro notatam, *Exaudi nos Domine &c.* antiqua & ipſa profecto eſt, legiturque in ms. Floriacenſi Codice annorum circiter DC. ad Titulum inſcriptum, *Viſitatio infirmi*, una cum aliis multis Orationibus, ac Precibus, uti videre eſt apud eruditiſſimum Edmundum Martene, Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. VII. Articulo IV. Ordine XXI.

§. XIV.

His dictis, accedat ad infirmum, ut cognoſcat, num ſit bene diſpoſitus ad accipiendum ſacrum Viaticum, & utrum velit aliqua peccata confiteri, & illum audiat, atque abſolvat; quamvis prius deberet eſſe rite confeſſus, niſi neceſſitas aliter urgeat.

COMMENTARIUS.

I. NE temere Euchariſtia Fidelibus, præſertim vero infirmis præbeatur, mandant Sacræ Synodi paſſim, pluribuſque argumentis ex Sacra Scriptura, & Patribus Eccleſiæ deſumptis ſaniores Theologi docent. Ritum autem antiquum fuiſſe, ut infirmi communicaturi primum peccata confiterentur, ab iiſque abſolutionem acciperent, docet nos inter alios Ritualis Codex Eccleſiæ Turonenſis, cujus egregium locum in Commentario ſequenti deſcribemus. Rectiſſime vero ex præſenti §. cautum eſt, ut ægrotus ſacrum ſumpturus Viaticum, *prius deberet eſſe rite confeſſus, niſi neceſſitas aliter urgeat*. Hinc ſecluſa neceſſitate, ut multas difficultates evadat Parochus, ſervare hanc regulam deberet, ut nunquam ad ægrum cum Viatico accederet, niſi prius ægrum viſiſſet, ejuſque Confeſſionem excepiſſet. Sic enim & parochiani diligentiores eſſent ad Parochum tempeſtive vocandum, & ipſe Parochus quomodo in adminiſtrando Viatico ſe gerere deberet, mature poſſet expendere. Sed & imprudenter eos ſe gerere, qui ad ferendum ægro Viaticum accerſiti, mox ad illum accedunt, & abſque urgenti neceſſitate, ſimul & Sacramentum Pœnitentiæ, & Viaticum illi adminiſtrant, vel ex eo confirmari poteſt, quod non raro contingat, ut Viatico jam allato, inveniatur æger minus ad illud ſumendum diſpoſitus, & Parochus in illius adminiſtratione anxius reddatur, quippe qui tenere omnino eam regulam debet ſupra in §. I. expreſſam his verbis: *Cavendum autem in primis eſt, ne ad indignos cum aliorum ſcandalo deferatur, quales ſunt publici uſurarii, concubinarii, notorie criminoſi, nominatim excommunicati, aut denuntiati, niſi ſe ſe prius ſacra confeſſione purgaverint, & publicæ offenſioni, prout de Jure, ſatisfecerint*.

II. Siquis autem hic quærat, quid a Parocho agendum, ſi dicatur æger jam alteri confeſſus, nihilque ſupereſſe amplius, quam ut Viaticum a Parocho adferatur? Dicam quid ſentio, ne tunc quidem debere mox illud Parochum adferre, ſed ſi periculum id patiatur, debere prius ad illum accedere, & an ad ipſum ſuſcipiendum rite diſpoſitus ſit, inquirere, uti ex hoc noſtro §. addiſcere licet. Etenim conſtat, Confeſſarios eſſe non paucos, qui ignorantes etiam præcipua Chriſtianæ Fidei capita, & maximos etiam peccatores poſt vitam totam in graviſſimis peccatis, & ſcandalis tranſactam vix leviter admonent, & nulla ſcandalorum reparatione exhibita, abſolvunt, vanaque Divinæ miſericordiæ fiducia deludunt. Poſſe autem contingere, ut tales ſint ægri, ad quos, nulla prævia Parochi viſitatione, ſacrum ab eodem Viaticum deferretur, jam nemo eſt, qui id queat inficiari. Quid quod vel ipſi Confeſſarii ſanæ Moralis teſtati ſunt mihi, ſe aliquando ad ægrorum Confeſſionem excipiendam, quibus adminiſtrandum mox erat Sacrum Viaticum, vocatos, coactos fuiſſe, eiſdem, quod non eſſent bene diſpoſiti, Sacramentalem Abſolutionem denegare, eamque ob cauſam multum animo perturbatos ab ea domo, in qua æger jacebat, diſceſſiſſe?

III. Porro autem mandat noſter §. ut Sacerdos, facta aquæ benedictæ aſperſione, & recitatis Precibus, de quibus in præcedenti §. diximus, *accedat ad infirmum, ut cognoſcat, num ſit bene diſpoſitus ad ſuſcipiendum Sacrum Viaticum, & utrum velit aliqua peccata confiteri, & illum audiat, atque abſolvat*. Audire ſcilicet illum debet, licet prolixa ſit ejus confeſſio, niſi mortis præſens periculum immineat, tunc enim audiet quæ poteſt, & facta generali confeſſione cæterorum, eum abſolvet, ſi ſcilicet, *ſit bene diſpoſitus*; nam alias ſi neceſſarium de peccatis dolorem minime eliceret cum propoſito non peccandi de cetero, neganda ei eſſet abſolutio, non tamen Communio, ſi eam ſumere velit, ne revelare Confeſſionem videretur, ex communi Theologorum ſententia. Ad pœnitentiam illi imponendam quod attinet, recte admonet S. Carolus in Inſtructionibus de viſitatione, & cura infirmorum, ubi nempe de eorum Confeſſione agit, ne ideo nimis levem Sacerdos imponat, quod juſta ab homine jacente non poſſit præſtari, ſi probabile ſit, quod convaleſcet, & tunc præſtare poterit, quod non potuerat jacens. Quod ſi credibile ſit, eum non amplius ſurrecturum, rationes pœnitentiæ juſtæ eligat, quæ poſſint præſtari a jacente, veluti ma-

magnam eleemoſynam pro facultatum modo. Cæterum ſuadere ſemper debet Sacerdos, ut morbi afflictiones, pœnitentiæ loco, libenter accipiat, Dominoque pro peccatis ſuis offerat.

IV. Sed ne in hoc Commentario S. Carolum præteriſſe videamur, lubet tandem inſignem ejus locum deſcribere ex Inſtructionibus, *De viſitatione, & cura infirmorum*, Capite, *De Communione*, inſcripto, ubi non ſolum quod in hoc noſtro §. præſcriptum eſt, confirmat, verum & alia ſubdit, quæ digna ſunt, ac neceſſaria, ut nos hoc loco recenſeamus: *Si autem ſumere poteſt*, infirmus ſcilicet Sacrum Viaticum, *Parochus illum ſuaviter alloquatur, & quæret, an aliquid reliquum ſit, quod confiteri velit; tuncque libenter eum audiet, & abſolvet*. Subditque mox: *Interrogabitque item, an Sanctiſſimum Corpus Domini ſumere velit, & ſi pro Viatico dandum ſit, id quoque exprimet; ad quod pie, devoteque ſumendum paucis verbis inflammabit*. Hinc gravi reprehenſione digni ſunt quidam Parochi, Sacerdoteſque, qui, ne infirmos contriſtent, Magnates præſertim, prædiviteſque, ubi eos in modum Viatici communicant, nullum eiſdem de Viatico mentionem faciunt, ejuſque formulam Communionis ſubmurmurando pronunciant, ne Viatici vocem audiant. Non addubito, quin tales Sacri Viatici miniſtri læthalis culpæ rei ſint, dum non verentur & infirmis ipſis, & Sacramento illudere, ſicut & illi, qui etiam, ne infirmos triſtitia afficiant, Viaticum ad eos deferunt, quando deſtituti ſunt ſenſibus, nihilque percipere valent de admirabili tanti Sacramenti virtute. Quod tamen ſummopere Synodi paſſim, ac Rituales Codices reprehendunt, ac damnant, uti jam alias diximus.

§. XV.

Poſtea, facta de more Confeſſione generali, ſive ab infirmo, ſive ejus nomine ab alio, Sacerdos dicit: *Miſereatur &c. Indulgentiam &c.*

§. XVI.

Deinde facta genuflexione, accipit Sacramentum de Vaſculo, atque illud elevans, oſtendit infirmo, dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*; & more ſolito ter dicit: *Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo, & ſanabitur anima mea*.

§. XVII.

Et infirmus ſimul cum Sacerdote dicat eadem verba ſaltem ſemel ſubmiſſa voce. Tum Sacerdos dans infirmo Euchariſtiam, dicat: *Accipe frater* (vel *ſoror*) *Viaticum Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui te cuſtodiat ab hoſte maligno, & perducat in vitam æternam. Amen*.

COMMENTARIUS.

I. TRium ſimul unico Commentario Paragraphorum explicationem aggredior, quo ritus in ipſis præſcriptus impertiendæ Communioni infirmo in modum Viatici, facilius intelligatur. Licet autem ritus ipſe idem fere ſit, ac ille, qui in communi aliorum Communione adhiberi ſolet, quemque ſupra in Commentariis ad Caput II. late enarravi, operæ nihilominus pretium duxi, præſentem adminiſtrandi Sacri Viatici ritum quibuſdam priſcis, ac recentioribus inſignium Ritualium monumentis, & teſtimoniis illuſtrare. Ergo quod ritum ſpectat in noſtro §. XV. expreſſum recitandæ generalis Confeſſionis, *ſive ab infirmo, ſive ejus nomine ab alio*; & faciendæ a Parocho generalis abſolutionis, ita plane recenſet, ſervandumque ſtatuit S. Carolus veterum rituum peritiſſimus, ac tenax, in ſuis, *De viſitatione, & cura infirmorum*, Inſtructionibus, ubi ſcilicet Ordinem miniſtrandi Euchariſtiæ Sacramentum infirmis deſcribit: *Clericus verſus Sanctiſſimum Sacramentum, & Parochum genuflexus, monet ægrotum, & cæteros omnes, ſignum Crucis ſibi adhibere, & ipſe ſignans ſe dicit*: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; *& manibus junctis Confeſſionem generalem dicit; ægroto, ſi poteſt, eam eo ſaltem ſubmiſſa voce pronunciante, aut ſaltem attente audiente; percutitque ter pectus ad ea verba*: Mea culpa &c. Confiteor Deo omnipotenti &c. *Qua Confeſſione pronunciata, Parochus dicit*: Deo gratias. *Tum ſtatim pergit dicere manibus junctis*: Miſereatur tui &c. *Poſt manu dextra Crucis ſignum verſus ægrotum adhibet, & dicit*. Indulgentiam, Abſolutionem &c. *Poſtea dicit ſequentem Orationem manibus extenſis, & Clerico Librum tenente*: Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui dixit Diſcipulis ſuis: Quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cælo; & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cælo, de quorum numero quamvis indignos nos eſſe voluit: Ipſe te abſolvat ab omnibus peccatis tuis, quæ quovis modo, cogitatione, locutione, & operatione egiſti; atque a peccatorum nexibus abſolutum perducere dignetur ad Regna Cælorum. Qui cum Deo Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

II. Extat & hæc Oratio in antiquiſſimis Ritualibus, ac præſertim in vetuſtiſſimo Codice Bibliothecæ Regis Francorum, num. 4208. ab annis circiter DCCC. ſcripto, in eo Titulo, qui inſcriptus eſt, *Ordo ad viſitandum, & ungendum infirmum*, & relato a Martene Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. VII. Articulo IV. Ordine XI. ubi etiam & aliæ multæ recenſentur Oratio-

nes

nes, quæ Abſolutionem, & Communionem infirmi ſpectant. Cæterum ex antiquo Rituali Eccleſiæ Turonenſis apud Morinum, Lib. x. *De diſciplina in adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ*, Cap. xv. hoc plane ritu Euchariſtia infirmo in modum Viatici tradebatur: *In primo*, inquit, *ſic agitur. Dicantur ſeptem Pſalmi, poſtea Oratio, quam hoc monitam ſequitur. Deinde accedat Presbyter ad infirmum, & ſuadeat ei diligenter, ut conteratur, & confiteatur omnia peccata ſua, & quæ non recolit. Deinde abſolvat eam dicens: Miſereatur tui &c.* Sequitur mox Oratio: *Deus, cui propriam eſt &c.* itemque hæc alia: *Omnipotens miſericors Deus, qui B. Petro Apoſtolo, cæteriſque Apoſtolis ſuis licentiam ſuam dedit ligandi, atque ſolvendi, ipſe te abſolvat ab omni vinculo peccatorum, & quantum fragilitati meæ permittitur, Ego te abſolvo ab omnibus peccatis tuis, ut ſis abſolutus ante tribunal ejuſdem Dei, & Domini noſtri Jeſu Chriſti. Qui cum &c.* Et deinde inquit: *Dominus noſter Jeſus Chriſtus qui dixit Diſcipulis ſuis: Quæcumque &c. de quorum numero licet indignos nos eſſe voluit, ipſe te abſolvat ab omnibus peccatis tuis, quæque cogitando, loquendo, operando, negligenter egiſti; atque a peccatorum vinculis abſolutam perducere dignetur ad Regna Cælorum, ipſe qui cum &c.* Alia tandem Oratio hæc eſt: *Abſolutionem, & remiſſionem peccatorum tuorum, ſpatium veræ pœnitentiæ, emendationem morum, & vitæ, & conſolationem S. Spiritus, cor ſemper pœnitens, & contritum, intercedente Beata, & glorioſa ſemper Virgine &c.* Præmiſſis hiſce Orationibus adminiſtrari conſueviſſe olim alicubi ſaltem infirmo Communionem in modum Viatici, ex eodem plane Turonenſi Rituali conſtat, in quo poſt recitatas Orationes ſic legitur: *Deinde da ei Corpus Domini, & dic*: Accipe Viaticum.

III. Juxta complurium veterum æque, ac recentiorum Ritualium præſcriptum, communicaturi infirmi in modum Viatici, interrogari ſolebant de Fide, ejuſque profeſſionem palam recitare. Docet id quidem inter alia ms. Pontificale inſignis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ annorum circiter DC. ubi ſic legitur: *Infirmus faciat hic Confeſſionem ſuam, & commendet ſe in orationes omnium, & exquirat Sacerdos, ſi jam credat in Sanctam Trinitatem.* Credis in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum? ℞. Credo. Credis, quod iſtæ tres Perſonæ unus eſt Deus. ℞. Credo. Credis, quod in eadem carne ſurrecturus es? ℞. Credo. *His expletis rogat Sacerdos, & Confeſſor infirmi alios Sacerdotes, & dicant has Orationes, quæ ſunt de reconciliatione pœnitentiæ &c.* Scio memoratam Fidei profeſſionem in prædicto Pontificali præmitti Extremæ Unctioni, ſed jam notum & illud eſt, quod & ego dicam ſuo loco inferius, Extremam ipſam Unctionem præmitti olim multis in locis conſueviſſe Sacro Viatico, quod etiam ſimul infirmo præbebatur.

IV. Sed ecce alii antiqui Codices Rituales, ex quorum præſcripto, Fidei profeſſio immediate Sacro Viatico præmittitur. Certe ex Rituali ms. Monaſterii B. Mariæ de Pontelevio annorum circiter DC. cautum eſt illud, ut *appropinquante Sacerdote*, ad infirmum ſcilicet, *cum Euchariſtia, interroget credulitatem Fidei Catholicæ, dicendo ita*: Ecce myſterium reconciliationis noſtræ, & tuæ. Recognoſcis hoc? *Quo reſpondente*, Recognoſco Salvatorem meum. *Interroget iterum*: Credis in Deum Patrem omnipotentem? Credis & in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum, natum & paſſum? Credis in Spiritum Sanctum, Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctum Baptiſma, & Sanctorum Communionem, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, & vitam æternam? ℞. Credo. *Accipiat Crucem, & dicat*: Ecce Vultum Salvatoris, qui te ſui Sanguinis pretio pendens in Cruce redemit. Adora, & oſcula. Recognoſce te culpabilem. *Oſculataque Cruce, dicat Confeſſionem &c.* Sequitur Abſolutio, & deinde Communio infirmi utique morientis ſub ea formula, *Accipe frater Viaticum &c.* Similia leguntur in aliis Ritualibus permultis, ac præſertim in Romano Sacerdotali Venetiis impreſſo anno MDLXVII. Parte I. Tractatu IV. in Ordine ad communicandum infirmum, ubi expreſſe edicitur, ut Sacerdos data generali Abſolutione infirmo morituro, *elevet Corpus Domini de Pyxide, vel Calice, & oſtendat infirmo, dicens*: Credis, quod hic ſit Chriſtus Salvator mundi? *Quo dicente*, Credo, *dicat Sacerdos*: Dic ſicut ego dico. Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo, & ſanabitur anima mea. *Quo dicto ter, Sacerdos dans infirmo Euchariſtiam, dicat*: Accipe frater Viaticum Domini noſtri Jeſu Chriſti &c.

V. Quod ipſam formulam ſpectat, qua morituro infirmo Euchariſtia in modum Viatici ſolita fuit præberi, variat ea non nihil in variis Ritualibus. In antiquo ſiquidem ms. Pontificali inſignis Eccleſiæ Cameracenſis annorum circiter DC. communicans Sacerdos infirmum ſic ajebat: *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat animam tuam in vita æterna, ut cum dies judicii advenerit, cum Sanctis, & Electis ſuis, te jubeat ſuſcitari in vitam æternam. Amen.* Adhiberi conſueviſſe hanc formulam, cum dabatur ægrotanti morituro Communio in modum Viatici, probari poteſt ex ms. Floriacenſi Codice ejuſdem ætatis, in quo hæc extat formula: *Accipe Viaticum Corporis, & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui te cuſtodiat ab hoſte maligno, & perducat ad vitam æternam, & reſuſcitet in noviſſimo die.* Legitur ſimilis formula in ms. Rituali Monaſterii Beatæ Mariæ de Pontelevio ab annis circiter DC. exarato: *Accipe frater Viaticum Corporis, & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui te cuſtodiat, & defendat ab hoſte maligno, & perducat ad vitam æternam, & reſuſcitet in noviſſimo die. Qui venturus eſt judicare vivos, & mortuos.*

VI. Porro uſitata formula Viatici adminiſtrandi illa plane eſt, quæ legitur in noſtro §. XVII. *Accipe, frater* (vel *ſoror*) *Viaticum Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui te cuſtodiat ab hoſte maligno, & perducat in vitam æternam. Amen.* Unica eſt pro omnibus, dicique iccirco debet ſemper eum in modum, ſive Sacrum ipſum Viaticum plebeo, ſive nobili, aut Principi, Regi, Epiſcopo, S. R. E. Cardinali, ſive ipſi Summo Romano Pontifici adminiſtretur. Neque enim debet in ea formula titulus ullus dignitatis adjungi, qua polleat is, qui communicat. Abſurdum namque eſſet, ut qui Viaticum Epiſcopo præberet, diceret, *Accipe Illuſtriſſime Præſul*, Cardinalique daret tunc titulum Eminentiſſimi, & Summo Pontifici titulum Beatiſſimi, Sanctiſſimique. Forte non deſunt, qui cenſeant, dicendum

dum omnino eſſe Papæ in modum Viatici communicanti, *Accipe Beatiſſime Pater Viaticum Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui Sanctitatem tuam cuſtodiat ab hoſte maligno &c.* Verum qui ita opinantur, ſuam certe inſcitiam produnt, atque aſſentationem, quam nulla prorſus ratione, nullo probato teſtimonio, exemploque tueri poſſunt. Quid enim derogatur ſupremæ Romani Pontificis dignitati, ſi ſub præſcripta in adminiſtratione Viatici formula communicet, tum præſertim, quod is, qui ſolet Viaticum ei morienti præbere, Epiſcopus ſit, qualis eſt Apoſtolici Sacrarii Præfectus, ideoque nullam injuriam facit, ſi illum tunc Fratrem appellet; multis enim teſtimoniis probari poſſet Summos Romanos Pontifices appellaſſe Epiſcopos Fratres, & ab iis etiam Fratris nomine appellatos fuiſſe. Legendæ variæ S. Cypriani, ut alios omittam, Epiſtolæ ad Cornelium Papam ſic inſcriptæ: *Cyprianus Cornelio Fratri*. Sed & conſtanter aſſero, etiam ſimplicem Sacerdotem Papæ Viaticum adminiſtrantem, uti debere communi, & probata formula: *Accipe Frater Viaticum &c.* Nec addubito, quin etiam peccet, ſi formulam ipſam ab Eccleſia jam pro omnibus præſcriptam immutaret; quod quidem facile probari poteſt celebri Canone XIII. Seſſionis VII. Concilii Tridentini ſupra Titulo I. §. II. deſcripto, atque explicato: *Siquis dixerit*, inquit, *receptos, & approbatos Catholicæ Eccleſiæ ritus in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni aut ſine peccato a Miniſtris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Eccleſiarum Paſtorem mutari poſſe, anathema ſit*.

VII. Reliquum eſt, ut quoſdam alios ritus explicemus, qui adminiſtrationem Sacri Viatici ſpectant. Sane varia extant in Actis Sanctorum exempla, ex quibus docemur, voluiſſe olim nonnullos ex ipſis morti proximis, non quidem in proprio cubiculo, ſed in Eccleſia Sacrum Viaticum ſumere, ibique ſupremum ſpiritum exhalare. Ex his primus occurrit S. Benedictus, qui, ut ſcribit S. Gregorius Papa, Lib. II. Dialogi, Cap. XXXVII. *cum languor per ſingulos dies ingraveſceret, ſexta die portari ſe in Oratorium a Diſcipulis fecit, ibique exitum ſuum Dominici Corporis, & Sanguinis perceptione munivit, atque inter Diſcipulorum manus imbecillia membra ſuſtentans, erectis manibus ſtetit, & ultimum ſpiritum inter verba Orationis efflavit*. Sanctum Parentem proxime ſequitur Sanctus ejus Diſcipulus Maurus, qui, ut ſcribit Fauſtus in ejus Vita num. 70. *ante Altare B. Martini ſuper cilicium ſtratus ſui decubans, cum exitum ſuum vivificorum muniſſet perceptione Sacramentorum, adſtantibus, qui relicti erant, Diſcipulis, feliciter migravit ad Dominum.* Item S. Gregorius Abbas Trajectenſis, teſte S. Lindgero in ejus Vita, num. 22. *juſſit ſe ante Oratorium Sancti Salvatoris a Diſcipulis portari, & oſtium aperiri, ibique oratione facta, & Communione Sacri Corporis, & Sanguinis Domini accepta, aſpiciens ad Altare, mente cæleſtibus intentus, ad Dominum perrexit*. Vide & alia id genus exempla apud Martene Lib. V. *De antiquis Monachorum ritibus*, Cap. IX. num. 33.

VIII. Conſtat itaque & hic alius ritus ex dictis, factam nempe olim fuiſſe morientium infirmorum Communionem ſub utraque ſpecie; qui quidem ritus non modo aliis permultis exemplis, verum etiam Ritualibus confirmari facile poteſt, præſertim vero pervetuſto Sacramentorum Codice inſignis Eccleſiæ S. Gatiani Turonenſis annorum circiter CM. in Ordine ad viſitandum, & ungendum infirmum: *Deinde*, inquit, *communicet cum Corpore, & Sanguine Domini &c.* Id quod etiam in alio ejuſdem Eccleſiæ antiquo ms. Codice habetur ejuſdem ætatis, & in Codice Bibliothecæ Regis Francorum num. 4208. ab annis circiter DCCC. exarato, atque, ut alios omittam, in ms. Pontificali Libro Eccleſiæ Saliſburgenſis annorum circiter DCC. Quod autem alicubi communicarentur infirmi cum Corpore Domini Sanguine intincto, docet ms. Pontificale Eccleſiæ Sueſſionenſis annorum DCC. ubi hæc extat ad communicandum infirmum formula: *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti Sanguine ſuo tinctum conſervet animam tuam in vitam æternam. Amen*. Sed non mirum videri debet, cum olim paſſim Fideles etiam ſani communicarent vel ſub utraque ſpecie, vel Corpore Sanguine intincto, ut in variis noſtrorum Operum locis oſtendimus.

IX. Neque vero ille antiquus pariter hoc loco omittendus eſt ritus, ex quo addiſcimus conſueviſſe Fideles ante, vel poſt Sacri Viatici acceptionem, veniam ipſos non modo ab illis petere, in quos deliquiſſent, verum etiam & iis præbere, qui ipſos læſiſſent. Hujus rei praxim legere eſt in Actis Sanctorum, & in Libris Ritualibus omnium pene Eccleſiarum, atque Religioſorum Ordinum paſſim. Certe S. Maximus Abbas in Gallia, & Martyr, ut teſtatur Auctor ejus Vitæ apud Bollandum ad diem II. Januarii, morti proximus convocavit Fratres, *& veniam ab eis petens, ſi forte contra aliquem peccaſſet, ut ei indulgerent, & oſculans eos, & valefaciens eis,* obiit anno circiter DCXXV. Sed quid alia exempla memorem, aut Ritualia deſcribam, cum vel ex ipſo Cæremoniali S.R.E. quod Auguſtinus Patricius Papalium Cæremoniarum Magiſter concinnavit, Marcellus Archiepiſcopus Corcyrenſis publici juris fecit anno MDXVI. & nos omnium primi perpetuis Commentariis illuſtravimus, expreſſe cautum ſit, ut Summus Pontifex moriturus, poſt emiſſam Fidei profeſſionem, *præſente Sanctiſſimo Chriſti Corpore*, quod ſcilicet in modum Viatici ſumpturus eſt, *petat veniam ab omnibus, ſiquem forte injuſte offenderit &c.* Atque in hunc locum videri poteſt quod ſcripſimus nos in citato Opere.

§. XVIII.

Si vero Communio non datur per modum Viatici, dicat more ordinario: *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat animam tuam in vitam æternam. Amen.*

COMMENTARIUS.

I. QUamquam ea, quæ ait hic noſter §. explicata jam alias fuerint, illud nihilominus iterum admonendum cenſuimus, duplicem eſſe Euchariſticam infirmorum Communionem, alteram nempe per modum Viatici, alteram ex devotione, duplexque etiam eſſe

eſſe inter utramque diſcrimen, & quoad jejunium a communicante ſervandum, & quoad formam a Sacerdote in ejus adminiſtratione dicendam. Porro ſola Communio in modum Viatici ſuam habet peculiarem formulam, quam in ſuperiori Commentario expoſuimus, Communio autem quæ ex devotione infirmis adminiſtratur, ea plane formula peragitur, qua Fideles, quicumque ii ſint, ſive plebei, ſive nobiles, ſive Clerici, ſive Laici, ſive mares, ſive feminæ, *more ordinario* communicare ſolent, præſcripta ſcilicet in hoc §. formula, quam nefas eſt immutare. Hoc autem iterum hoc loco admonendum duximus, quod quoſdam noverimus ignorantes Sacerdotes, adulatoreſve, qui non veriti fuerunt, cum communicarent Principes, dicere eiſdem: *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat animam veſtræ excellentiæ, Amen*. Similem abuſum notavit jam Barrufaldus in nonnullis Confeſſariis, qui, ut ait in Addendis ad Commentaria in Rituale Romanum, ad Titulum XIX. *De Abſolutionis forma*, quæ leguntur in fine ejus Operis pag. 393., *reverentiæ, & urbanitatis gratia, dum peccata audiunt alicujus Magnatis, vel Principis, vel nobilis viri, & in dignitate conſtituti, ſolent in Sacramentali Abſolutione ſuperaddere conſuetæ & ſimpliciter neceſſariæ formæ*, Ego te abſolvo &c. *titulos honorificos gradus, & dignitatis pœnitentis, immutando pronomen te in hæc, vel ſimilia verba*, Abſolvo Dominationem veſtram, Majeſtatem, Eminentiam, *vel* Excellentiam veſtram &c.

§. XIX.

Quod ſi mors immineat, & periculum ſit in mora, tunc dicto, *Miſereatur &c.* prædictis precibus omnibus, vel ex parte omiſſis, ei ſtatim Viaticum præbeatur.

COMMENTARIUS.

I. TAmetſi difficile ſit, obſervari poſſe in praxi quod ſtatuit hic noſter §. obſervandum tamen eſt, ubi caſus contigerit, ut nempe, *ſi mors immineat, & periculum ſit in mora, tunc dicto*, Miſereatur &c. *prædictis precibus omnibus, vel ex parte omiſſis, ei ſtatim Viaticum præbeatur*, ſub recitata ſcilicet formula, *Accipe frater Viaticum &c.* Porro cavendum illud, ne in os mortui Euchariſtia immittatur, quod olim non ſine abuſu factum eſt; cui tamen Patres ſapientiſſime occurrerunt, tum in Occidente, tum in Oriente, uti conſtat ex Concilio Carthaginenſi III. anni CCCXCVII. Canone IV. *Placuit*, inquit, *ut corporibus defunctorum Euchariſtia non detur*; & ex Concilio Antiſiodorenſi in Galliis celebrato anno DLXXVIII. Can. XII. *Non licet mortuis, nec Euchariſtiam, nec oſculum tradi*. Viguiſſe autem eum abuſum in Oriente, labente Sæculo VIII. addiſcere licet ex Trullano Concilio anni DCCXCII. Can. LXXXIII. quo abuſus ipſe proſcriptus fuit ob eam rationem, quod Euchariſtia, ipſo Chriſto edicente, iis diſpenſari non poſſit, qui illam comedere non valent, quippe quod dictum ſit, *Accipite, & manducate*, mortui vero manducare non poſſunt; *Nemo*, inquit memoratus Canon, *mortuorum corporibus Euchariſtiam communicet; ſcriptum eſt enim*, Accipite, & comedite; *mortuorum autem corpora non poſſunt accipere, nec comedere*. Videſis quæ diximus nos in Commentario ad ipſum Canonem noſtro Tomo II. Commentariorum in Concilia Oecumenica.

§. XX.

Poſtea Sacerdos abluat digitos, nihil dicens, & infirmo detur ablutio. Deinde dicat.

℣. *Dominus vobiſcum*. ℟. *Et cum ſpiritu tuo*.

Oremus.

Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, te fideliter deprecamur, ut accipienti fratri noſtro (vel *ſorori noſtræ*) *Sacroſanctum Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti Filii tui, tam corpori, quam animæ proſit ad remedium ſempiternum. Qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum*. ℟. *Amen*.

COMMENTARIUS.

I. RItum præſcriptum in hoc præſenti §. egregie explicat S.Carolus in Ordine miniſtrandæ Euchariſtiæ infirmis, ubi ſic inquit: *Poſtea Parochus, digitis pollice & indice, quibus miniſtravit, ſuper Pyxide ſimul junctis, ad menſam revertitur, ubi depoſita Pixide ſuper Corporale, eaque contecta, tum facta genuflexione, ſtatim digitos, quibus Sacramentum tetigit, vino, & aqua abluit in vaſe non conſecrato ad eum uſum præcipue parato, quod ſecum portandum curabit, tum purificatorio abſtergit. Clericus autem præbet ægroto ablutionem. Quod ſi ægrotus ſumere non poteſt, eam ad Eccleſiam deferet, & in Sacrarium mittet*. Huc plane facit quod olim in Synodalibus ſuis Conſtitutionibus editis circa annum MCCXVII. ſtatuit Ricardus Poore Sarum Epiſcopus, Capite XXXIX. ubi & inter alia edixit, ut Sacerdos ad communicandum ægrotum accedens, *habeat vas argenteum, vel ſtanneum ad hoc publice deputatum, quod ſemper ſecum ad ægrum deferat, ut in eo ægro dare valeat poſt ſumptam Euchariſtiam ſuorum loturam digitorum*.

II. Porro ex ms. antiquis Conſuetudinibus Mo-

Monaſterii Cluniacenſis Cap. LII. apud Martene Lib. V. *De antiquis Monachorum ritibus*, Capite VIII. num. 19. ubi infirmus Corpus Domini in vino aqua mixto intinctum ſumpſerat, ebibebat quoque ablutionem Calicis, &, ſi poterat, *ablutionem digitorum Sacerdotis, & adhuc Calicis*; eoque non valente, alius ebibebat. Juxta Ordinarium vero Carthuſienſium anno MDLXXXII. Pariſiis impreſſum, Cap. XXXIII. *poſtquam infirmus recepit Corpus Chriſti, ſumit etiam de manu Sacerdotis vinum, & poſtea Sacerdos digitos lavat ob reverentiam Sacramenti.* Cæterum licet hic noſter §. aliique Rituales Codices, eam digitorum Sacerdotis ablutionem præbendam infirmo præſcribant, in arbitrio nihilominus illius eſt, ſi eam ſumere velit; quæ etiam num fieri cum aqua debeat, an vero cum vino, ejuſdem infirmi arbitrio relinquendum cenſeo; licet enim nulla faciendæ cum aqua, aut vino prædictæ ablutionis in hoc §. mentio occurrat, id tamen ſatis expreſſum fuit ſupra in §. IX. ubi inter alia paranda in cubiculo infirmi pro ejus Communione, recenſentur *duo vaſcula, alterum cum vino, alterum cum aqua*. Non omittendum autem hoc loco illud, quod alias ſupra S. Carolus monuit, ut nimirum ſi ægrotus ablutionem illam digitorum Sacerdotis ſumere nequiret, aut nollet, ad Eccleſiam deferatur, in Sacrarium projicenda.

III. Quod tandem Orationem ſpectat in noſtro §. notatam dicendam a Sacerdote poſt acceptam ab infirmo Euchariſtiam, & ſumptam ablutionem, extat ipſa in variis antiquis Ritualibus, in quibus etiam aliæ complures recenſentur. In mſ. Pontificali Prudentii Epiſcopi, qui ante annos CM. Trecenſem regebat Eccleſiam, hæc Oratio legitur: *Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, te fideliter deprecamur, ut accipienti Fratri noſtro N. Sacroſanctum Corpus, & Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti Filii tui, tam corporis, quam animæ ſit ſalus.* Legitur & hæc eadem Oratio una cum aliis apud Martene Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Capite VII. Articulo IV. itemque in citato Ordine miniſtrandæ Euchariſtiæ Sacramentum infirmis apud S. Carolum in Inſtructionibus, *De viſitatione, & cura infirmorum*, ubi tamen tantiſper variat. Denique antiquam quoque eſſe Orationem in §. noſtro relatam, conſtat ex variis Sacramentorum Libris a Martene allatis, præſertim vero ex mſ. Rituali Monaſterii B. Mariæ de Pontelevio annorum circiter DC. Varias quoque benedictionum formulas ſuper infirmum tum recitatas, docet nos inter alios mſ. Codex inſignis Eccleſiæ S. Gatiani Turonenſis annorum circiter CM. apud eundem Martene in recitato loco Ordine III.

§. XXI.

His expletis, ſi altera Particula Sacramenti ſuperfuerit (ſupereſſe autem ſemper debet, præterquam in caſu jam dicto) genuflectit, ſurgit, & accipiens Vas cum Sacramento, facit cum eo ſignum Crucis ſuper infirmum, nihil dicens; & reverenter illud deferens, ordine, quo venerat, revertitur ad Eccleſiam, dicendo Pſalmum, *Laudate Dominum de Cælis*, & alios Pſalmos, & Hymnos, prout tempus feret.

COMMENTARIUS.

I. Accepta ab infirmo Communione Euchariſtica, varias conſueviſſe & olim Orationum, ac benedictionum formulas a Sacerdote ſuper eum recitari, jam nos in calce ſuperioris Commentarii notavimus, extantque eæ paſſim in antiquis, recentibuſque Libris Sacramentorum a Martene allatis citato ſuperius Libro I. Cap. VII. Articulo IV. in quo varii ad ungendum infirmos Ordines referuntur, præſertim vero in Ordine III. ex antiquo Sacramentorum Libro Eccleſiæ Turonenſis S. Gatiani annorum circiter CM. Sed his omiſſis, ex præſcripto noſtri §. dicta illa unica Oratione, *Domine Sancte, Pater Omnipotens &c.* in ſuperiori §. deſcripta, ex præſcripto item præſentis §. *Si altera Particula Sacramenti ſuperfuerit (ſupereſſe autem ſemper debet, præterquam in caſu jam dicto) genuflectit, ſurgit, & accipiens Vas cum Sacramento, facit cum eo ſignum Crucis ſuper infirmum, nihil dicens*. Sane, excepto caſu longi itineris, quo Parochus unam tantum Particulam ponit in Pyxide, quam defert ad communicandum infirmum, regulariter duas ſaltem debet deferre ex præſcripto §. X. ſupra explicati, ut nimirum cum ea, quæ ſuperſit, benedicto prius infirmo, nempe facto verſus ægrotum cum ea Crucis ſigno, uti explicat S. Carolus, *ordine, quo venerat, revertatur ad Eccleſiam, dicendo Pſalmum*, Laudate Dominum de Cælis, *& alios Pſalmos, & Hymnos, prout tempus feret*.

II. Sed audiamus S. Carolum, cujus locus in ordine miniſtrandi Euchariſtiæ Sacramentum infirmis quammaxime facit ad explicationem hujus noſtri §. Ergo S. Antiſtes poſt deſcriptam Orationem, *Domine Sancte, Pater Omnipotens &c.* ita ſtatim ſubdit: *Hic infirmum Parochus aliquid admonebit ex iis, quæ ſupra expoſita ſunt; hocque in primis, ut in tempore petat Extremam Unctionem; ſique in eo ſtatu eſt, ut non ſit differenda, Parochus nullam moram interponet.* Tum vero pergit: *Videbit, antequam inde diſcedat, ut ſi aliquando Sacramentum palato ægroti adhæſerit, tantum vini, aut aquæ det, ut illud glutiat. Quod ubi factum viderit, ad menſam genuflectit, & Pyxidem capiet, ut attulit, & verſus ægrotum cum ea Crucis ſignum faciet.* Et mox: *Ita ad Eccleſiam rediens, quo ordine venerat, dicat Canticum ſequens, & item alias religioſas preces ad hunc uſum accommodatas, præcipue cum longum eſt iter, cum Sacerdotibus, & Clericis alternatim, ut ſupra*, Benedicite omnia opera Domini Domino &c. *uſque ad finem Cantici*. Cum vero ex noſtro §. ſit in arbitrio Sacerdotis dicendi *Pſalmum*, Laudate Dominum de Cælis, *& alios Pſalmos, & Hymnos, prout tempus feret*, merito aliqui in reditu ad Eccleſiam cum Sacramento, cantare ſolent Hymnum, *Te Deum laudamus &c.* itemque Hymnum, *Pange lingua &c.*

§. XXII.

§. XXII.

Cum pervenerit ad Eccleſiam, ponit Sacramentum ſuper Altare, adorat, deinde dicit. *℣. Panem de Cælo præſtitiſti eis.* ℟. *Omne delectamentum in ſe habentem.* ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo. Oremus.*

Deus, qui nobis ſub Sacramento mirabili paſſionis tuæ memoriam reliquiſti: tribue quæſumus, ita nos Corporis, & Sanguinis tui ſacra myſteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter ſentiamus. Qui vivit, & regnat cum Deo Patre &c. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. CUm pervenerit ad Eccleſiam Sacerdos, ex præſcripto noſtri §. *ponit Sacramentum ſuper Altare*, ſuppoſito ſcilicet Corporali, quod ibidem adſit, nam alias uti illo poteſt, quod per Clericum fuit ad infirmum allatum; tum *adorat*, genuflexus nempe ad extremum Altaris gradum, ut interim populus ad Eccleſiam ingrediatur; *deinde dicit.* ℣. *Panem de Cælo &c.* ut ait hic idem §. Sed mos tamen invaluit, ut Sacerdos, poſito ſuper Altare Sacramento, intonet prius, *Tantum ergo &c.* quod populus cantando proſequitur. Forte ſilet de hoc ritu noſter §. quia ſupponit ipſum Hymnum totum cantatum fuiſſe in reditu Proceſſionis ad Eccleſiam, una cum, *Pange lingua &c.* ideoque mandat dici Verſiculum, *Panem de Cælo &c.* & Orationem, *Deus, qui nobis ſub Sacramento mirabili &c.* Sed hæc levis eſt conjectura Barruſaldi, in ſuo ad hunc §. ubi etiam notat, quod licet Rubrica hujus §. mandet, dici Verſiculum, *Dominus vobiſcum*; in nova tamen Inſtructione ab Urbe miſſa ad functiones Eccleſiaſticas peragendas, ſub Clemente XI. ſublata fuit hæc dictio de mandato Sacræ Rituum Congregationis. Sed dicendus omnino eſt ipſe Verſiculus juxta præſcriptum noſtri hujus Ritualis Romani juſſu, atque auctoritate BENEDICTI Papæ XIV. editi, auctique. Porro concinit noſtro §. quod in citato toties Ordine miniſtrandæ Euchariſtiæ infirmis S. Carolus ſtatuit: *Reverſus vero*, Sacerdos nempe e domo infirmi ad Eccleſiam, *collocat debita reverentia Pyxidem cum Sacramento ſuper Altari, ſuppoſito Corporali extento, genuflectit, poſtea ſtans manibus junctis, dicit.* ℣. Panem de Cælo præſtitiſti eis. ℟. Omne delectamentum in ſe habentem. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. *Tum manibus extenſis dicit Orationem ſequentem*: Deus qui nobis &c.

§. XXIII.

Deinde annunciat Indulgentias a Summis Pontificibus conceſſas Sanctiſſimum Sacramentum comitantibus.

COMMENTARIUS.

I. DIcta Oratione, ſtans Sacerdos verſus ad populum, ſed advertens, ne terga vertat SS. Sacramento adhuc ſuper Altari expoſito, ex præſcripto hujus §. *annunciat Indulgentias a Summis Pontificibus conceſſas Sanctiſſimum Sacramentum comitantibus*; in genere ſcilicet loquendo, neque enim debet ſingillatim eas recenſere; ſed ſat erit, ſi dicat, omnes, qui Sanctiſſimum Sacramentum comitati ſunt, lucratos fuiſſe Indulgentias, quas Summi Pontifices conceſſere. Porro juxta S. Caroli Ordinem de adminiſtranda Euchariſtia infirmis, poſt datam populo cum Pyxide benedictionem, eamque repoſitam in Tabernaculo, & clauſam, Parochus, *tum indulgentiam publice denunciat iis conceſſam, qui Sacramentum eo modo comitantur, paucis verbis eos hortatus, ut in religioſo eo inſtituto perſeverent, & ita fideles in pace dimittet.* Præter Summos Pontifices etiam Epiſcopi in Synodis ſuis Indulgentias conceſſerunt aſſociantibus Sanctiſſimum Sacramentum ad Infirmus delatum, quarum inter alios meminit Vaneſpen Parte II. *Juris Eccleſiaſtici univerſi*, Tit. IV. Cap. IV.

§. XXIV.

Poſtea cum Sacramento in Pyxide velo cooperta faciat ſignum Crucis ſuper populum, nihil dicens. Poſtremo illud in loco ſuo reponat.

COMMENTARIUS.

I. JUxta S. Caroli præſcriptum loco ſupracitato Parochus, *Oratione peracta*, Deus qui nobis &c. *genuflectit, Pyxidem utraque manu tenens, ſignum Crucis cum ea verſus populum adhibet, benedicens his verbis*, Benedicat vos Omnipotens Deus, Pater ✠, & Filius, & Spiritus Sanctus. ℟. Amen. *Deinde converſus ab alia parte ad Altare, reponit Pyxidem in Tabernaculo, genuflectit, poſtea claudit.* Ita ille; ſed ſtandum eſt noſtro §. qui quidem

mandat, ut poſt prædictam Orationem Parochus annunciet Indulgentias, *poſtea cum Sacramento in Pyxide velo cooperta*, humerali ſcilicet de quo ſuo loco diximus, faciat *ſignum Crucis*, *nihil dicens*; eodem ſcilicet modo, quo benedixit infirmum, de quo vide ſupra in §. XXI. *poſtremo illud in ſuo loco reponat*, in Tabernaculo ſcilicet, quod priuſquam claudat, genuflectere debet, & adorare, juxta Rubricas, quæ etiam in Romano Miſſali notantur.

§. XXV.

Quod ſi ob difficultatem, aut longitudinem itineris, vel quia ea, qua decet, veneratione Sacramentum ad Eccleſiam commode reportare non poteſt, ſumpta fuerit una tantum Particula conſecrata, ut dictum eſt, tunc ea infirmo adminiſtrata, Sacerdos prædictis precibus recitatis, eum manu benedicit, & una cum aliis privato habitu, extinctis luminibus, umbella demiſſa, latente Pyxide, ad Eccleſiam, vel domum quiſque ſuam revertatur.

COMMENTARIUS.

I. Quod ſtatuit hic tandem noſter §. faciendum a Parocho, ubi una allata ad infirmum Particula, eum communicavit, docet etiam S. Carolus in Instructionibus, *De viſitatione, & cura infirmorum*, eo Capite, quod, *De communione*, inſcriptum eſt, ubi ſic inquit: *Si quando ſine ſacra Hoſtia redibit, Parochus, antequam domo ægroti abſcedat, lumina extingui jubebit, Superpelliceum, Stolam, tintinnabulum, Pyxidem palam non deferet.* Atque hæc ſunt, quæ infirmorum communionem ſpectant, rite, recteque a Parocho, aliove Sacerdote eam adminiſtrante ſervanda. Cæterum, quod in Parochiis multæ vaſtitatis contingere poſſit, & quidem non raro, infirmum propera, & ſolicita Viatici Communione indigere, multoque ſpatio diſtet ejus domus ab Eccleſia Parochiali, ſanctiſſime ſtatuit Innocentius Papa XII. peculiari ſua Conſtitutione, ſeu Edicto, ut Eccleſiæ Regularium, ſi quæ in circuitu Parochiæ ſunt, præſtent, ac præſtare teneantur commodum Parochis extrahendi Sanctiſſimam Euchariſtiam infirmis præbendam pro Viatico, nec denegare, aut impedire audeant uſum adeo ſalutaris Sacramenti ſub prætextu privilegiorum, aut alterius cujuſcumque exceptionis, quibus omnibus Pontifex in hoc caſu derogare intendit. Atque hæc praxis hodie Romæ ſervatur.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS

TITULUS V.

I. Varia ſunt hujus Sacramenti nomina, uti poſt alios Theologos inſignes, & Catechiſmum Concilii Tridentini, notavit eruditus Jueninus in Opere, *De Sacramentis*, Diſſertatione VII. quam inſcripſit, *De Extrema Unctione*. Primo ſiquidem a materia, ex qua conſtat, vocatur a Græcis *Oleum Sanctum*, ut conſtat ex eorum Euchologio, ubi legitur, *Officium Olei Sancti*. A Latinis dicitur vel *Oleum* ſine addito, vel *Oleum* cum hac additione *Sanctum Chriſmatis Oleum*. Quod dictum ſcilicet S. Jacobi, *Infirmatur quis in vobis &c.* non eſt dubium de Fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui Sancto Oleo Chriſmatis perungi poſſunt, ut inquit Innocentius Papa I. ad Decentii Eugubini Epiſcopi Conſultationes reſpondens. Secundo a materia, & forma ſimul junctis appellatur etiam ab ipſis Græcis *Oratio cum Oleo*, juxta illud ejuſdem Jacobi, *Orent ſuper eum, ungentes eum Oleo*. Tertio a ſubjecto, a quo recipitur, dicitur a Latinis *Unctio infirmorum*, & *Sacramentum exeuntium*, uti docet Concilium Tridentinum Seſſione XIV. *De Sacramento Extremæ Unctionis*, Cap. I. *Inſtituta eſt autem*, ait, *Sacra hæc Unctio infirmorum &c.* Tum vero Cap. III. *Declarat autem, eſſe hanc Unctionem infirmis adhibendam, illis præſertim, qui tam pericoloſe decumbunt, ut in exitu vitæ conſtituti videantur; unde & Sacramentum exeuntium nuncupatur*. Quarto ex ordine, quem habet ad alias Unctiones, quæ iſtam præcedunt, dicitur *Extrema Unctio*. Eæ autem Unctiones, quæ iſtam præcedunt, ſunt Unctio Catechumenorum in pectore, & inter ſcapulas. Unctio baptizatorum, quæ fit in ſummo vertice. Unctio, quæ per Epiſcopum fit in fronte, quæque alio nomine *Confirmatio* dicitur, vel *Sacramentum Chriſmatis*. Unctio Chriſmatis, qua Sacerdotum manus; Epiſcoporum vero, dum ordinantur, tum manus, tum caput, inunguntur. Unctio, qua Reges inaugurantur. Unctio denique, qua ſpeciali ritu conſecrantur inſtrumenta quædam ad Sacrificium neceſſaria. Quinto a ratione quadam ſibi intrinſeca vocatur Pœnitentiæ conſummativum, uti ex eodem Tridentino Concilio addiſcimus, ubi ita inquit: *Viſum eſt autem Sanctæ Synodo præcedenti doctrinæ de Pœnitentia, adjungere ea, quæ ſequuntur de Sacramento Extremæ Unctionis. Quod non modo Pœnitentiæ, ſed & totius Chriſtianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia eſſe debet, conſummativum exiſtimata eſt a Patribus*. Atque hac ratione adducti quidam apud Græcos Miniſtri Unctionem Olei poſt auditam peccatorum confeſſionem injungebant ſatisfactionis Sacramentalis loco, quem qui-

quidem morem Innocentius Papa IV. ad Epiſcopum Tuſculanum ſcribens his verhis proſcripſit: *Nullis autem per Sacerdotes, vel Confeſſores pro ſatisfactione Pœnitentiæ unctio aliqua ſolummodo injungatur*, ut idem Jueninus teſtatur initio citatæ VII. Diſſertationis.

CAPUT I.

§. I.

Extremæ Unctionis Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum, tanquam cæleſtis medicina, non animæ ſolum, ſed etiam corpori ſalutaris, omni ſtudio, ac diligentia periculoſe ægrotantibus adhibendum eſt, & eo quidem tempore, ſi fieri poſſit, cum illis adhuc integra mens, & ratio viget, ut ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam, ipſi etiam ſuam fidem, ac piam animi voluntatem conferre poſſint, dum ſacro liniuntur Oleo.

COMMENTARIUS.

I. Quamquam varii hæretici Extremam Unctionem ex albo Sacramentorum Novæ Legia expunxerint, Eccleſiæ tamen Catholicæ Fidem circa exiſtentiam Sacramenti Extremæ Unctionia, ejuſque inſtitutionem a Chriſto Domino ſactam complexa eſt Tridentina Synodus Seſſione XIV. Cap. I. *Inſtituta eſt autem*, inqnit, *Sacra hæc Unctio infirmorum tamquam vere, & proprie Sacramentum Novi Teſtamenti*. Tum Canone I. anathema in eoa intorquet, qui contrarium auſi fuerint aſſerere: *Si quis dixerit, Extremam Unctionem, non eſſe vere, & proprie Sacramentum a Chriſto Domino noſtro inſtitutum, & a Beato Jacobo Apoſtolo promulgatum, ſed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, anathema ſit*. Et iterum: *Si quis dixerit, ſacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam &c. anathema ſit*. Ex Canone itaque ſuperius recitato Concilii Tridentini, & doctrina Canoni præmiſſa perſpicuum eſt, non a Jacobo, vel ab alio quocumque Apoſtolo, neque etiam ab univerſo Apoſtolorum Collegio, ſed ab ipſo Chriſto Novi Teſtamenti Pontifice inſtitutum eſſe hoc Extremæ Unctionis Sacramentum, apud Marcum qnidem inſinnatnm, per Jacobum autem Apoſtolum, ac Fratrem Domini Fidelibus commendatum, & promulgatnm. Idem patet ex Canone I. ejuſdem Concilii Seſſione VII. quo damnantur in univerſum, qni dicunt, non omnia Novæ Legia Sacramenta fuiſſe a Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, uti jam diximus ſupra, Tit. I. in Commentario ad §. III.

II. Quod ergo poſt Hugonem Magiſter Sententiarum Lib. IV. Diſtinctione XXIII. dicit, ab Apoſtolis inſtitutum eſſe hoc Sacramentum, id, ut ſcite explicat Eſtius, non de prima illa inſtitntione accipiendnm eſt, qnia Lex aliqua, ſive quodcumque Decretum, Legislatoris, ſeu Principis auctoritate conditur, ſed de Legia, ſeu Decreti promnlgatione. In quem ſenſum, Jacobi de hoc Sacramento verba, *Infirmatur quis in vobis &c.* Patres Concilii Tridentini acceperunt. Jacobus enim hoc Sacramentum promulgavit, non quomodocnmque, ſed prius ſcripto tradens, & commendans illud poſteritati. Quo ſenſu non abſurde ipſum inſtituiſſe dicitur. Sic enim etiam legimus, a Romanis Pontificibus inſtituta quædam fuiſſe, velut a Lino, nequa mulier velato capite in Eccleſiam introiret; ab Alexandro, ut tantummodo panis, & vinum aqua mixtum in Myſterio ſanctiſſimi Sacrificii offerretur; a Victore, ut ſacrum Paſcha die Dominico celebraretur; & ab aliis jam complura alia, quæ tamen partim Divinæ, partim Apoſtolicæ ſunt inſtitntionis; ſed quia ab hia Pontificibns Lege ſcripta ſunt promulgata, aut cum neglecta eſſent, in uſum revocata, ab iis inſtituta dicuntur. Certe non magia dici poteſt, Jacobum hoc Sacramentum proprie inſtituiſſe, eo quod ejus quaſi Legem in Epiſtola ſua ſcripſerit, quam dicendum ſit, Apoſtolum Petrum inſtituiſſe Baptiſmi Sacramentum, qnando in prima ſua Concione quaſi præcipiens dixerit ad populnm, Actorum Apoſtolorum Cap. II. *Baptizetur unuſquiſque veſtrum &c.* Sed ſicut hic nuda promulgatio fuit cum adhortatione, & commendatione Sacramenti, ſic & ibi.

III. Probari autem & illud nullatenus poteſt, quod qnidam ex Scholaſticis Theologia, & in hia S. Bonaventura ſenſerunt, Apoſtoloa ſcilicet hoc Sacramentum poſt Chriſti Aſcenſionem in Cælum inſtituiſſe ex ſpeciali revelatione Spiritua Sancti. Quamvis enim hi revera Sacramenti hujus inſtitutionem ad Chriſtum Auctorem reſerant, quaſi qui per Spiritnm Sanctum, quem Apoſtolis promiſerat, rationem, & uſum hujus Sacramenti eos, ut multa alia, docuerat; attamen haud veriſimile eſt, Sacramenti alicujus proprie dicti inſtitntionem ad id uſque tempua dilatam fuiſſe, qnum, Luca atteſtante, Actorum Apoſtolorum Cap. I. Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam per dies XL. converſatus fuerit cum Apoſtolis ſuis, *loquens de Regno Dei*. Quo tempore ſane credibile eſt, illa, quæ ad ſundandam Eccleſiam adhnc reliqua erant, ab eo inſtitnta, & tradita fuiſſe. Quod eo probabilius dicitur de hoc Sacramento, quia Chriſtus jam ante ſecundum typnm, & inchoationem quamdam hoc Sacramentum inſtituerat, Marci Cap. VI. Quare conveniebat & perſectionem ejus ab ipſo immediate Apoſtoloa edoceri. Vide exactiorem hujus Quæſtionis diſcuſſionem apud Theologoa paſſim non modo nbi ſpeciatim de hoc Sacramento, verum etiam ubi generatim de Sacramentis tractant, præſertim vero apud Bellarminum, Eſtium, Natalem Alexandrum, Jueninum, & alios permultos tum veteres, tum præſertim recentiores.

IV. Extremæ Unctionis Sacramentum tanquam cæleſtem medicinam, non animæ ſolum, ſed etiam corpori ſalutarem, omni ſtudio, ac di-

diligentia, periculoſe ægrotantibus eſſe adhibendum, merito edicit hic noſter §. Eos enim eſſe iſtius Sacramenti effectus, perſpicue docet, ac probat Tridentina Synodus, Seſſione xiv. *De Extrema Vnctione*, Cap. II. his verbis: *Res porro, & effectus hujus Sacramenti illis verbis explicantur*: Et Oratio Fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, &, ſi in peccatis ſit, remittentur ei. *Res enim hæc gratia eſt Spiritus Sancti, cujus Vnctio delicta, ſi quæ ſunt, adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit, & ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo divinæ miſericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus ſublevatus, & morbi incommoda, ac labores levius fert, & tentationibus dæmonis calcaneo inſidiantis facilius reſiſtit; & ſanitatem corporis interdum, ubi ſaluti animæ expedierit, conſequitur*. Vide Concilii Tridentini Catechiſmum Parte II. *De Extremæ Vnctionis Sacramento*, num. xxviii. & ſeqq. ubi quinque ejuſdem Sacramenti effectus recenſentur, explicanturque, itemque memoratos Theologos, qui latius effectus ipſos exponunt, variaſque de eiſdem effectibus quæſtiones reſolvunt.

V. At vero quæſtionibus hiſce omiſſis, ut nos etiam de effectibus ipſis Sacramenti Extremæ Unctionis dicamus, explicantur profecto ipſi, ut inquit Concilium Tridentinum, per hæc Beati Jacobi verba: *Oratio Fidei ſalvabat infirmum, & alleviabit eum Dominus, &, ſi in peccatis ſit, dimittentur ei*. Quibus ex verbis conſtat, duos eſſe principales hujus Sacramenti effectus, alterum ad corpus, alterum ad animam pertinentem. Id quod etiam addiſcimus ex noſtro §. cujus initio dicitur: *Extremæ Vnctionis Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum, tamquam cæleſtis medicina, non animæ ſolum, ſed etiam corpori ſalutaris*. Et quidem, quod effectum ſpectat pertinentem ad corpus, Jacobi Apoſtoli teſtimonio inhærens Synodus Tridentina Seſſione xiv. Cap. iii. diſerte docuit, tradiditque, per ipſum Sacramentum Extremæ Unctionis, ægrotantem *ſanitatem corporis interdum, ubi ſaluti animæ expedierit, conſequi*. Atque huc facit, quod eam in rem jam longe ante Tridentinum Concilium ſcripſit S. Thomas in iv. Sententiarum, Diſtinctione xxiii. Quæſtione i. Articulo II. in reſponſione ad II. *Sicut ablutio Baptiſmi*, inquit, *habet effectum corporalis ablutionis, quia etiam corporalem mundationem facit; ita etiam Extrema Vnctio habet effectum corporalis medicationis, ſcilicet corporalem ſanationem. Sed hæc eſt differentia, quia corporalis ablutio ex ipſa naturali proprietate elementi facit corporalem mundationem, & ideo ſemper eam facit. Sed Extrema Vnctio non facit corporalem ſanationem ex proprietate naturali materiæ, ſed ex virtute Divina, quæ operatur rationabiliter. Et quia ratio operans nunquam inducit ſecundarium effectum, niſi ſecundum quod expedit ad principalem; ideo ex hoc Sacramento non ſequitur corporalis ſanatio ſemper, ſed quando expedit ad ſpiritualem ſanationem; & tunc ſemper eam inducit, dummodo non ſit impedimentum ex parte recipientis*.

VI. Ad effectus quod attinet reſpectu animæ, quatuor communiter recenſentur. Primum locum videtur obtinere Gratia ſanctificans, quod ei Sacramento cum reliquis Sacramentis commune eſt; quodque definitum etiam fuit a Tridentino Concilio citata Seſſione, Can. II. *Siquis dixerit, Sacram infirmorum Vnctionem non conferre Gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, anathema ſit*. Alter ejus effectus eſt, arma, vireſque dare, quibus fortiter reſiſtere poſſimus inſultibus, quos dæmon communis generis noſtri inimicus inferre ſolet vita præſertim periclitantibus, & fiduciam illam nobis conatur eripere, quam in paterna Dei miſericordia collocare debemus. Quocirca idem Tridentinum Concilium Capite II. prædictæ Seſſionis ſic ait: *Ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo Divinæ miſericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus ſublevatus, & morbi incommoda, ac labores levius fert, & tentationibus dæmonis, calcaneo inſidiantis facilius reſiſtit*. Tertius effectus eſt delere peccata venialia, & etiam mortalia, quando ægrotus veram concipit contritionem, & facultatem non habuit ea confitendi. Iccirco B. Jacobus ait: *Et ſi in peccatis ſit*, ſcilicet infirmus, *remittentur ei*. Et ut ait Concilium Tridentinum ibidem: *Delicta ſiquæ ſint adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit*. Quod quidem ſecundum S. Thomam in Supplemento Partis iii. Quæſtione xxx. Articulo i. in Corpore, intelligi debet tam de mortali, quam de veniali peccato. Sic enim inquit: *Si invenit peccatum aliquod, vel mortale, vel veniale, quoad culpam tollit ipſum, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis*. Quartus denique, & ultimus hujus Sacramenti effectus, qui ei maxime proprius eſt, eſt animam a reliquiis peccati liberare; datur enim, ut ait S. Thomas loco mox citato, *contra illos defectus, quibus homo ſpiritualiter infirmatur, ut non habeat perfectum vigorem ad actus vitæ Gratiæ, vel Gloriæ; & hic defectus nihil aliud eſt, quam quædam debilitas, & ineptitudo, quæ in nobis relinquitur ex peccato actuali, vel originali, & contra hanc debilitatem homo roboratur per hoc Sacramentum*. Atque hi ſunt effectus Sacramenti Extremæ Unctionis ad corpus, & ad animam pertinentes, ad quos quidem alludit noſter §. ubi initio ait, Extremæ Unctionis Sacramentum a Chriſto Domino noſtro inſtitutum, eſſe tanquam cæleſtem medicinam, *non animæ ſolum, ſed etiam corporis* ſalutarem.

VII. Recte autem illud hic noſter §. admonet, ut nempe *omni ſtudio, ac diligentia periculoſe ægrotantibus adhibendum* ſit hoc Sacramentum. Cui plane concinit S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolanenſi v. ubi de iis agit, quæ ad Sacramentum Extremæ Unctionis pertinent, ſic inquiens: *Caveat Parochus, ne in eo miniſtrando negligentiam, ullamve moræ culpam contrahat. Alioquin ſi ad illius miniſtrationem accerſitus ire neglexerit, cum rationem Deo reddet, tum pœna ab Epiſcopo graviter plectatur*. Quod quidem mox S. Carolus egregie confirmat exemplo S. Malachiæ, his verbis: *Is porro ad omnem hujus Sacramenti in tempore adminiſtrandi diligentiam, præterquamquod præcipue cura ſua, quæ ſancta ſollicitudinis plena eſt, officio valde admodum perpetuo excitetur; propoſito etiam ſibi exemplo Sanctiſſimi Epiſcopi Malachiæ accendatur, qui tam vehementi animi dolore ex eo affectus eſt, quod culpa ſua, mulier quædam Sacramenti hujus gratia fraudata deceſſerit, ut totam noctem orando, gemendo, lacrymando conſumſerit, lacrymarumque vi, quaſi maximo*

xime

ximo imbre, pro Oleo Sancto, quod non miniſtravit, mortuam perſuaderit. Mane autem exaudivit Dominus Sanctum ſuum, ita ut illa e morte tamquam ſomno excitata, e lecto ſe ſe erigens, Sacramentum hoc ab eo acceperit, ac deinceps a morbo convaluerit.

VIII. Mandat præterea idem hic noſter §. miniſtrandum hoc Sacramentum, *eo quidem tempore, ſi fieri poſſit, cum illis adhuc integra mens, & ratio viget, ut ad uberiorem Sacramenti Gratiam percipiendam ipſi etiam ſuam fidem, ac piam animi voluntatem conferre poſſint, dum Sacro liniuntur Oleo.* Hinc plane errant, qui infirmum inungendum cenſent, dum morti vicinus appropinquat, quia ſcilicet ideo *Extrema Unctio* hoc Sacramentum appellatur, quod extremum agentibus ſpiritum conferri debeat. Verum, ut recte notat Martene, Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. VII. Articulo II. præterquamquod *Extremæ Unctionis* vocabulum ante annos quingentos vix auditum fuerat, uihil ab Eccleſiæ mente, & propoſito ita alienum unquam extitit, quæ variis in Conciliis, & Decretis hunc abuſum carpſit, atque damnavit. Nam etſi nonniſi de ſalute periclitantes ex antiqua Eccleſiæ traditione inungi debeant; nihilo tamen minus, ubi aliqua viguit Eccleſiaſtica diſciplina, illud ſemper obſervatum eſt, poſtremis etiam noſtris temporibus, *ne mors Unctionem præveniat, vel morbo invaleſcente, ſemimortuus non ſentiat*, ut loquitur Concilium Provinciale Remenſe anni MDLXXXIII. Quod quidem conſentit repetitis de ea re S. Caroli Decretis, ac præſertim illi Concilii ejus Provincialis I. Mediolanenſis, ubi mandat Parocho, ut *Extremæ Unctionis Sacramentum ægroto, dum integris eſt ſenſibus, adhibeatur.* Ceterum inungendos eſſe infirmos antequam ſenſu careant, expreſſe, graviterque inculcat laudatus ſuperius Tridentini Concilii Catechiſmus, num. XVIII. his plane verbis ſcitu neceſſariis, atque a Parochis præſertim ſemper memoria retinendis: *In quo tamen graviſſime peccant, qui illud tempus ægroti ungendi obſervare ſolent, cum, jam omnis ſalutis ſpe amiſſa, vita & ſenſibus carere incipiat. Conſtat enim ad uberiorem Sacramenti Gratiam percipiendam plurimum valere, ſi ægrotus, cum in eo adhuc integra mens, & ratio viget, Fidemque, & religioſam animi voluntatem afferre poteſt, ſacro Oleo liniatur. Quare Parochis animadvertendum eſt, ut eo potiſſimum tempore cæleſtem medicinam adhibeant, illam quidem ſemper vi ſua admodum ſalutarem, cum eorum etiam pietate, & religione qui curandi ſunt, magis profuturam intellexerint.*

IX. Porro quod antiquitus ſtatim ut aliquis vita periclitaretur infirmus, eo ipſo inungeretur, nec, ut omnino jam deſperatus eſſet, aut extremum exhalaturus ſpiritum expectaretur, triplici comprobat argumento memoratus Martene. I. Quod Unctio ante ſacrum Viaticum, quod nonniſi mente integra, & corpore non deficiente ſuſcipi debet, miniſtraretur. II. Quod Unctio per ſeptem dies repeteretur, id quod erga deſperatos, & pene ſenſu carentes obſervari minime potuiſſet. III. Quod aliqui in Eccleſia, aut ſedentes, ſive genuflexi, hoc Sacramentum in Eccleſiaſtica Hiſtoria ſuſcepiſſe referuntur. Atque hæc omnia teſtimoniis veterum Patrum, Conciliorum, ac Ritualium demonſtrare haudquaquam erit difficile, tum præſertim poſtquam inter alios eruditos Scriptores rerum Theologicarum, ac Ritualium, ea antiquæ diſciplinæ capita eximius Martene enarravit, dilucidavitque, quæ nos operæ pretium duximus in hoc præſenti Commentario ad tyronum eruditionem recenſere.

X. Primo itaque, quod ante Sacrum Viaticum inungerentur infirmi, probat Euſebii Papæ Decretum, ſeu alius antiqui Auctoris teſtimonium apud Ivonem Carnotenſem, Decretorum Parte XV. Cap. XXXV. jubens, ut Sacerdos circa ægrotantem pœnitentem *Orationes dicat, & ungat eum Oleo Sancto, & Eucharistiam ei donet.* In Sacramentario S. Gregorii Papæ apud Menardum, poſt recitatas preces, & Unctionem infirmi ſubditur: *Deinde communicet eum Corpore, & Sanguine Domini.* Id quod etiam habetur in Codice Rotradi, & Ratoldi, & Tiliano, & S. Remigii, & S. Germani a Pratis. Acta S. Treſani Presbyteri, qui Sæculo VI. in Pago Remenſi florebat, apud Bollandum ad diem VII. Februarii, de eodem teſtantur, quod *Oleum ſanctæ reconciliationis accepit, & cum cordis intima contritione, & humilitate ſuſcepit .... quæ poſtquam explevit, Viaticum petiit.* Concilium Aquiſgranenſe anni DCCCXXXVI. Cap. V. *Si autem infirmitate depreſſus fuerit, ne Confeſſione, atque Oratione Sacerdotali, necnon Unctione ſacrificati Olei per ejus* (Presbyteri) *negligentiam careat; denique, ſi finem urgentem perſpexerit, commendet animam chriſtianam Domino ſuo more Sacerdotali cum acceptione Sacræ Communionis.* Sed quid alia hic congero teſtimonia, cum videri ea poſſint una cum variis antiquis Ritualibus eandem diſciplinam referentibus apud Launojum in Libro, cui Titulus eſt, *Explicata vetus Eccleſiæ traditio de data infirmis poſt Unctionem Eucharistia*; & apud laudatum Martene loco citato, num. III.

XI. Alterum argumentum, quo demonſtretur, infirmos olim de ſalute periclitantes, antequam ad extremas eſſent anguſtias redacti, inunctos fuiſſe, repeti poteſt ex antiqua aliquarum Eccleſiarum conſuetudine, iterandæ Unctionis per ſeptem continuos dies. Hunc plane ritum præſcribunt antiqui Libri Rituales permulti, præſertim vero duo inſignis Eccleſiæ Turonenſis annorum circiter CM. Unus B. Mariæ Remenſis ejuſdem circiter ætatis, alter Regis Francorum num. 4208. Pontificale Salisburgenſe, Codex Victorinus annorum circiter DC. aliique Sacramentorum Libri allati a Martene in citato Opere, Lib. I. Cap. VII. Articulo IV. Eundem ritum videre eſt in Vita S. Remberti Hamburgenſis Archiepiſcopi, qui obiit anno Chriſti DCCCLXXXVII. ſcripta ab Auctore æquali: *Septimo*, inquit, *ante obitum die miniſterium Sacræ Unctionis ei fieri cœpit, & una cum Communione Corporis, & Sanguinis Domini uſque in diem animæ exeuntis de corpore hoc ſalutare remedium omni die percepit.* Meminit & ejuſdem ritus Matthæus Galenus in Promptuario Theologico, Catecheſi CLXXX. ubi ſic loquitur: *Unde diſcimus, olim non ita parce actum, ut nunc; ſed tota infuſa, delibutaque fuiſſe corpora, neque tantum organa ſenſuum, ſed omnes illæ partes inungebantur, in quibus morbus potiſſimum graſſabatur, idque interdum per continuos ſeptem dies.* Et Catecheſi CLXXXI. *Quid enim eſt mirum, raram contingere ſanitatem, cum vix habentur*

nunc

nunc ratio partium affectarum, quas Majores noſtri totis ſeptem diebus inungebant. Rurſus Catecheſi CLXXXII. *Ad hæc, non fiebat illud perfunctorie, ac properanter, ſed ubi æger non convaleſcebat, redibant eodem Sacerdotes per ſeptiduum ungentes, non quidem Sacramentum toties repetentes, ſed ſtatis precibus Vnctione curantes laborantia membra, præbenteſque Sacroſanctam Euchariſtiam*. Quod ait Galenus, unctionem ipſam, non Sacramentum fuiſſe, alium deſideraret teſtem. Nam veroſimilius eſt, Galenum antiquos ritus cum hodiernis hic conciliare voluiſſe; & cum certis ſibi conſtaret monumentis, Unctionem Sacram repetitam olim fuiſſe, nunc vero ſemel dumtaxat in eodem morbo hoc Sacramentum adminiſtrari, exiſtimavit, per ſeptem quidem dies inunctos fuiſſe ægrotos, ſed nulla verborum forma enunciata, ac conſequenter abſque Sacramento. Hujuſmodi argutiis, ut obſervat laudatus Martene citato Lib. I. Cap. VII. Articulo II. num. V. in fine, & explicationibus miras in antiqua Eccleſiæ de Sacramentorum adminiſtratione diſciplina tenebras injecerunt Doctores Scholaſtici, quas non ſine labore Viri eruditi, & venerandæ antiquitatis ſcrutatores ſtudioſi hodie diſſipare poſſunt.

XII. Ex dictis refutata manet opinio Gaufridi Vindocinenſis Lib. II. Epiſtola XIX. Ivonis Carnotenſis apud eundem in Epiſtola ſequenti, Theobaldi Senonenſis S.Columbæ Abbatis, aliorumque plurium, qui Sæculo XII. floruere, Virorum illuſtrium, qui infirmorum Unctionem non ſolum in eadem ægritudine, ſed in diverſa non magis iterandam cenſebant, quam Baptiſmatis, Confirmationis, Ordinationis, Eccleſiarum, Vaſorumque Eccleſiaſticorum unctionem, quorum ſententiam refutavit Petrus Venerabilis Abbas Cluniacenſis, ſcripta ad Theobaldum egregia Epiſtola, quæ eſt Libri V. ſeptima, & Petrus Lombardus Lib. IV. Sententiarum, Diſtinctione XXIII. quibus ſubſcripſerunt deinceps Theologi, qui ſaltem in diverſa ægritudine Unctionem repeti poſſe docuerunt. Audiendus S. Thomas, qui in citatum locum Sententiarum, Quæſtione II. Articulo IV. Quæſtiuncula II. ſic inquit: *Hoc Sacramentum non reſpicit tantum infirmitatem, ſed etiam infirmitatis ſtatum, quia non debet dari niſi infirmis, qui ſecundum humanam æſtimationem videntur morti appropinquare. Quædam ergo infirmitates non ſunt diuturnæ, unde ſi in eis datur hoc Sacramentum, tunc, cum homo ad illum ſtatum perveniat, ut ſit in periculo mortis, non recedit a ſtatu illo, niſi infirmitate curata, & ita iterum non debet inungi. Quædam vero ſunt ægritudines diuturnæ, ut hectica, & hydropiſis, & hujuſmodi, & in talibus non debet fieri inunctio, niſi quando videntur perducere ad periculum mortis; & ſi homo illum articulum evadat, eadem infirmitate durante, & iterum ad ſimilem ſtatum per illam infirmitatem reducatur, iterum poteſt inungi, quia jam eſt quaſi alius infirmitatis ſtatus, quamvis non ſit alia infirmitas ſimpliciter*. Ita etiam docent Catechiſmus Tridentini Concilii, S. Carolus, aliique Epiſcopi in ſuis Conciliis, & Ritualibus, ac Sacri Theologi, quorum loca ſupervacaneum eſt deſcribere.

XIII. Reſtat, ut tertii argumenti probationes, quæ ex cæremoniis Unctionis repetuntur, proferamus ex laudato Martene citato loco, num. VII. Et primo Unctionem aliquando in Eccleſia peractam fuiſſe, probatur ex celebri Sancti Cæſarii teſtimonio, qui in Sermone CCLXXIX. Appendicis novæ Editionis S.Auguſtini, redarguens eos, qui in morbis divinos conſulerent, *Quantum*, inquit, *rectius, & ſalubrius erat, ut ad Eccleſiam currerent, Corpus, & Sanguinem Chriſti acciperent, Oleo benedicto ſe, & ſuos fideliter perunguerent, & ſecundum quod Jacobus Apoſtolus dicit, non ſolum ſanitatem corporum, ſed etiam remiſſionem acciperent peccatorum*. Illuſtre ejus rei exemplum extat in Actis S.Oſwaldi Vigornienſis Epiſcopi. Is enim, ut ipſa Acta habent, *regreſſus in Oratorium, convocatis Fratribus, hortatur eos, impendere ſibi miniſterium Sacræ Vnctionis*. Quicquid ſit de hoc ritu apud Latinos ſervato, ipſi etiam Græci hodieque id plerumque faciunt, ut teſtatur doctiſſimus Goar ad Rituale Græcorum in Notis in Officium Sancti Olei, ubi ſic inter alia inquit: *Gravi afflictos ægritudine, deque ſalute recuperanda deſperantes, Officio præſenti ſuper eos recitato, unanimi cum Latinis conſenſu, in domibus Græci ungunt, in quo non modica, ut Chriſtianos decet, ſe laude dignos oſtendunt. Imo & ægroti plerique e plebe, aliorum manibus, & ope ad Eccleſiam ſe deferri ſtudent; tum ut Sacrorum præſentia, & animo levamen, & corpori miraculi alicujus experimentum in recuperanda ſalute obveniat, ibique plurium nonnumquam dierum ſpatio in Catechumenæis jacent, pernoctant, morantur, & ſacra tandem Vnctione ſibi remedium expoſcunt*.

XIV. Illud præterea ex multis Ritualibus Libris addiſcimus, infirmos non ſemper jacentes, ſed genuflexos, aut ſedentes inunctos fuiſſe: *Poſt has orationes flectat genua languidus, & ſedeat ad dextram Sacerdotis &c. Tum perungat Sacerdos infirmum &c.* Verba ſunt antiqui Libri Sacramentorum Eccleſiæ S. Gatiani Turonenſis annorum circiter CM. Cui concinunt alter Codex ejuſdem Eccleſiæ, & ætatis, Pontificale Eccleſiæ Salisburgenſis annorum DCC. Codex ms. Victorinus annorum DC. & alii plures. Acta quoque S. Octonis Babergenſis Epiſcopi apud Surium die II. Julii teſtantur, ipſum, *non jacendo, ſed ſedendo*, perunctum fuiſſe. Cum itaque ex dictis hactenus conſtet, ægrotos olim fuiſſe inunctos ante Viaticum per ſeptem continuos dies, idque in Eccleſiis plerumque, & quidem flexis genibus, aut ſedendo, nemini non perſpicuum erit, hæc omnia peragi haudquaquam potuiſſe in eum, qui exhauſtis omnino viribus, & pene exangui eſſet corpore, ac proinde ſtatim, ut certum ineſſet ſalutis periculum, infirmos inunctos fuiſſe. Quamobrem veteri Diſciplinæ, ac Patrum Statutis, exempliſque inhæret noſtrum hoc Rituale Romanum, ubi in præſenti §. edicit, ut Extremæ Unctionis Sacramentum, *omni ſtudio, ac diligentia perículoſe ægrotantibus adhibendum ſit, & eo quidem tempore, ſi fieri poſſit, cum illis adhuc integra mens, & ratio viget, ut ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam ipſi etiam ſuam fidem, ac piam animi voluntatem conferre poſſint, dum Sacro liniuntur Oleo*.

XV. Hinc ut quis rite Sacra Unctione donetur, neceſſaria eſt, *ſi fieri poſſit*, actualis quædam in hoc Sacramentum devotio, uti inter alios docet, probatque S. Thomas Parte III. Quæ-

Quæſtione XXXII. Articulo IV. in Corpore: *Reſpondeo dicendum, quod hoc Sacramentum exigit actualem devotionem in ſuſcipiente.* Verum noo de actuali devotiooe, quæ præſeos ſit, iotelligeodus eſt S. Doctor, quippe qui ita meotem ſuam explicat in citata Parte III. Quæſtione LXXX. Articulo IX. in Corpore: *Reſpondeo dicendum, quod aliqui dicuntur non habere uſum rationis dupliciter. Uno modo, quia habent debilem uſum rationis, ſicut dicitur non videns, qui male videt; & quia tales non poſſunt aliquam devotionem hujus Sacramenti concipere, non eſt eis hoc Sacramentum denegandum. Alio modo dicuntur aliqui non habere uſum rationis totaliter. Aut igitur nunquam habuerunt uſum rationis, ſed ſic a nativitate permanſerunt; & ſic talibus non eſt hoc Sacramentum exhibendum, quia in eis nullo modo præceſſit hujus Sacramenti devotio. Aut non ſemper caruerunt uſu rationis; & tunc, ſi prius, quando erant compotes ſuæ mentis, apparuit in eis devotio hujus Sacramenti, debet eis in articulo mortis hoc Sacramentum exhiberi.* Cohæret hæc S. Thomæ expoſitio cum hodierna Eccleſiæ praxi. Conſtat nempe, Unctionem Extremam iis hominibos exhiberi, qui uſu rationis actu minime fruuntur, modo eam prius petierint, aot per pietatis opera, dum ſani eſſeot, teſtati ſunt, ſe bene ſenſiſſe de Eccleſiæ Sacramentis, itaut ex æquo, & bono, præſumi poſſit a prodeotibus Parochis, eos iſtud Sacramentum petituros fuiſſe, ſi per morbum improviſum eis liceret.

XVI. Fateri autem cogimur, illum adhuc vigere abuſum, ut Parochorum æque, ac domeſticorum colps, extrema infirmi ad eum perungeodum ſuſpiria expectentur. Cui quidem aboſoi dno soſam, & occaſionem, præbuiſſe videntur. Primum eſt falſa, qoæ nonnullos vulgi animos Sæculo XIII. perſuaſio invaſit, nempe non amplius poſt ſuſceptam infirmorom Uoctiouem licere uxoratis, ſi convaluiſſent, reverti ad opus conjugale. Quæ ſuperſtitio, ut notat Mabillonios io Præfatione ad Sæculum I. Benedictinom, §. IX. oum. c. ad alia erroris capita ſeoſim prolapſa, effecit, ut Unctioni Viaticum præmitteretur. Hinc eſt, qood Richardus Epiſcopus Sarum in Anglia io Cooſtitutionibus anno Chriſti MCCXVII. editis, Cap. LXVIII. *Moneant*, ioqoit, *Sacerdotes frequenter populum, hoc Sacramentum licite iterari poſſe, ſcilicet in qualibet gravi infirmitate, de qua metus imminet mortis. Dicant etiam, & denuncient confidenter, quod poſt ſuſceptum hoc Sacramentum, licitum eſt reverti ad opus conjugale.* Eam vero perſuaſionem non modo oon deſiiſſe, ſed accreviſſe, diſcimus plane ex Synodo Wigornienſi anni MCCXL. ſic ſtatoente Cap. XIX. *Sunt quidam, ut audivimus, qui poſt perceptionem hujus Sacramenti, ſanitati priſtinæ reſtituti, nefas reputant, vel uxores ſuas cognoſcere, vel carnes comedere, vel aliqua ratione nudis pedibus ambulare. Horum autem errorem utpote doctrinæ ſanæ contrarium execramur, & eos excommunicationibus, & monitionibus duximus corrigendos.* Et poſt pauca: *Quidam etiam abhorrent hoc percipere Sacramentum, quod hoc ſibi vix in ipſo mortis articulo ſuſtinent exhiberi; propter quod forſan accidit, quod ejus expertes plurimi ab hac luce ſubtrahuntur. Contra hunc igitur errorem cum aliis eos per Sacerdotes ſuos, & Prædicatores alios crebris exhortationibus præcipimus præmuniri.* Gliſcentem errorem jam oon ſuſtulit Synodus iſta Wigornienſis, uti apparet ex Synodo Exonienſi anni MCCLXXXVII. Cap. VI. *Quoniam*, ioquit, *quidem laici imperiti, de hoc Sacramento nequiter ſentientes, illud abhorrent in tantum, quod vix velint illud ſuſcipere etiam in extremis, fatue æſtimantes, poſt ipſius ſuſceptionem, carnis eſum, nudis pedibus inceſſum, copulam carnalem etiam cum uxore legitima ſibi fore penitus interdictu: præcipimus Parochialibus Presbyteris, ut ubi noverint tantam hæreſim pullulare, contrarium prædicent &c.* Idemque denuo io Syoodo Wiotooieoſi anoi MCCCVIII. iterator Decretum; ut veriſimile ſit, ob ea vulgi deliramenta, Unctiooem infirmorum in mortis articulum reſervari cœpiſſe, ac ſenſim oſum in omnes Eccleſias fuiſſe propagatum, ob falſam ſcilicet, & vulgi animis inhærentem perſoaſionem, ooo amplius poſt ſuſceptam infirmorom Unctionem, licere convaleſceotibus ad opos conjogale reverti, caroes comedere, pedibus nudis incedere.

XVII. Altera differendæ Unctionis occaſio fuit plane, oti obſervat Martene, avaritia, & cupiditas Miniſtrorum, qui plora exigebant ab ungeodis, adeo ot vix aliqoando pauperes hojus Sacrameoti participes fieri contingeret. Hanc cauſam obſervavit Reinerius Ordinis Prædicatorum Vir doctus, qui poſt mediom Sæculum XIII. florebat. Is enim in Libro, quem adverſus Waldenſes ſcripſit, Cap. V. ootat, eos Sacramentom Unctionis reprobaſſe, *quia tantum divitibus datur*; illudque *eſſe ultimam ſuperbiam* aſſerere, quia nolli daretur *ſine pretio*. Et mox addit: *Item quidam prædicant, nulli Sacramentum hoc debere dari, niſi qui poſſit habere ſaltem duas vaccas, unde pauperes graviter ſcandalizantur. Item dicunt, quod duodecim luminaria ſunt neceſſaria in Unctione.* Eandem Sacerdotom cupiditatem, ingluviemque, notavit Goillelmus Majoris Epiſcopus Andegavenſis in Statutis Synodalibus anni MCCXCIV. Spicilegii Dacheriani Tomo XI. ubi hæc habet: *Noſque accepimus, referentibus fide dignis, quod dictum Sacramentum, ſine quo, ut dicunt Sancti, periculoſum eſt ex hac vita migrare, ex quadam negligentia omittatur; immo, ut verius loquamur, ex Sacerdotum rapacitate, & avaritia, qui in collatione hujus Sacramenti novas, & inſolitas exactiones inducunt aliunde, petendo linteamina, quibus jacens inungitur ægrotans.* Varii Canones, quibus vetator aliquid exigere pro adminiſtranda Extrema Uoctione, legi poſſont apud doctiſſimum Lupum, Tomo III. Operum Venetæ editioois, io Seconda Procemiali Diſſertatione, *De Simoniæ crimine, & variis ad ipſum ſpectantibus*, Cap. VIII. §. *Quintum Sacramentum eſt Extrema Unctio &c.*

XVIII. Sed his omiſſis, onum reſtat, qood in noſtrum §. adnotemus, cooſereodum ſcilicet hoc Extremæ Unctioois Sacramentum pericoloſe ægrotantibns, *eo quidem tempore, ſi fieri poſſit, cum illis adhuc integra mens, & ratio viget*. Recte enim clauſulam illam sdjunxit, *ſi fieri poſſit*, ut nempe doceamur, recte poſſe hoc Sacrsmentum mioiſtrari & iis, quibos oulla ex aliquo accidenti ſupereſt amplius cognitio, aut nullos rationis uſus. Hinc, quod S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolanenſi I. ubi agit de hoc Sacramento, ſine ipſa clauſula edixerat, ot *Extremæ Unctionis Sacramentum curet Parochus, ut ægro-*

ægroto, dum integris eſt ſenſibus, adhibeatur; ita deinde hoc Decretum in Provinciali III. Concilio explicavit: *Quod Concilio primo decretum eſt, ut, dum æger integris eſt ſenſibus, Extremæ Unctionis Sacramentum ei miniſtretur; ſi tamen vel curantium negligentia, vel morbi vi, vel repentino aliquo caſu, ſenſum omnem amiſerit, ut nihil plane intelligat; illius Decreti ſententiam vetitum non eſſe declaramus, quin hoc Extremæ Unctionis Sacramentum ei miniſtrari liceat, ſi modo adhuc vivat, & dum uſum rationis haberet, pii animi ſignificationem dederit, ut inde judicari poſſit, eum hoc Sacramentum petiturum, ſi adhuc integra mente eſſet*. Hæc S. Carolus, quæ quidem & noſtro huic §. & doctrinæ ſuperius explicatæ conſentiunt.

§. II.

In quo illud in primis ex generali Eccleſiæ conſuetudine obſervandum eſt, ut ſi tempus, & infirmi conditio permittat, ante Extremam Unctionem, Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta infirmis præbeantur.

COMMENTARIUS.

I. Tametſi ex veteri Eccleſiæ more Unctio Extrema Sacro Viatico conſuevisset præmitti, uti jam probatum ſuperius fuit, certa nihilominus eſt illa Patrum doctrina, ut Extremæ Unctionis Sacramentum adminiſtrari infirmo non debeat, niſi poſt Confeſſionem peccatorum, & poſt Viaticum Corporis Chriſti, ſi tamen poſſit, ſeu, ut verbis utar noſtri hujus §. *ſi tempus, & infirmi conditio permittat*. Quia ſcilicet non raro contingere poteſt, ut quis ſuſcipere valeat Extremam Unctionem, non vero Pœnitentiam, vel Euchariſtiam, ut cum aliquis patitur vomitum, vel repente morbo correptus in lethargum incidit. Cæterum quod his, aliiſque id genus impedimentis ceſſantibus, ſervanda ſit generalis Eccleſiæ conſuetudo, ut *ante Extremam Unctionem, Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta infirmis præbeantur*, conſentit profecto & huic præſcriptæ in noſtro §. regulæ Catechiſmus Tridentini Concilii, Parte II. *De Extremæ Unctionis Sacramento*, num. XXIII. hac ratione: *Quoniam vero omni ſtudio curare oportet, nequid Sacramenti gratiam impediat; ei vero nihil magis adverſatur, quam alicujus peccati mortiferi conſcientia, ſervanda eſt Catholicæ Eccleſiæ perpetua conſuetudo, ut ante Extremam Unctionem, Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramentum adminiſtretur. Ac deinde ægroto perſuadere Parochi ſtudeant, ut ea fide ſe ungendum Sacerdoti præbeat, qua olim, qui ab Apoſtolis ſanandi erant, ſe ipſos offerre conſueverant*. Atque his concinit etiam S. Carolus in ſuis Inſtructionibus de Sacramento Extremæ Unctionis, ſic loquiens: *Quoniam nihil Sacramenti gratiam magis impedit, quam mortiferi alicujus peccati conſcientia, idcirco in eo miniſtrando uſum, conſuetudinemque hanc tenebit*, Parochus ſcilicet, *ut, ſi fieri poteſt, infirmum non ante ungat, quam peccata confeſſus ſit, ac præterea Sacram Euchariſtiam ſumpſerit, aut ſaltem ſit confeſſus, ſi forte non potuerit infirmus ob ſtomachi, gutturiſve impedimentum, Sacram Communionem ſumere &c.*

II. Quamquam vero plura a nobis allata in Commentario præcedenti teſtimonia ſatis oſtendant, conſueviſſe olim ante Viaticum Corporis Chriſti adminiſtrari Extremam Unctionem ægrotis, non deſunt tamen plura itidem vetera, & Ritualium, & Scriptorum loca, quibus docemur, præmiſſum fuiſſe Viaticum ipſum Extremæ Unctioni, uti videre eſt apud Martene, Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. VII. Articulo IV. Quicquid autem ſit de ea variatione diſciplinæ, cujus cauſas varias attulimus nos in citato ſuperiori Commentario, ſtandum eſt hodie noſtro §. & Catechiſmo Romano, immo & generali Eccleſiæ conſuetudini, præmittendi ſcilicet Extremæ Unctioni Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ. Ab hac tamen regula docet inter alios Natalis Alexander, *Theologiæ Dogmaticæ, & Moralis*, Lib. II. Tractatu, *De Extrema Unctione*, Cap. V. Regula XXI. exceptas cenſeri debere Eccleſias, *in quibus mos antiquus perſeverat, ut apud Ciſtercienſes, vel, ubi Epiſcopi morem illum venerandum, ob rationes, quibus nitebatur, & ſæculorum pene quatuordecim praxim, ſuis Decretis recognoverunt*. Additque mox: *Hac in re demum, quæ mere diſciplinæ eſt, ſequatur unuſquiſque Parochus quod Ritualibus, ſeu Manualibus Diœceſis ſuæ Libris præſcribitur*, qui ſcilicet probati ſunt longo uſu, aut permiſſi a Romana Sede Apoſtolica.

§. III.

Habeat igitur Parochus loco nitido, & decenter ornato in vaſe argenteo, ſeu ſtanneo diligenter cuſtoditum Sacrum Oleum infirmorum, quod ſingulis annis Feria quinta in Cœna Domini ab Epiſcopo benedictum, veteri combuſto, renovandum eſt. Id tamen ſi forte infra annum aliquo modo ita deficiat, ut ſufficere non poſſe videatur, neque aliud benedictum haberi queat, modico Oleo non benedicto in minori quantitate ſuperinfuſo, reparari poteſt.

COMMENTARIUS.

I. Quod primum in hoc noſtro §. edicitur, ut *habeat Parochus loco nitido, & decenter ornato in vaſe argenteo, ſeu ſtanneo diligenter cuſtoditum Sacrum Oleum infirmorum, quod ſingulis annis Feria quinta in Cœna Domini ab Epiſcopo benedictum, veteri combuſto,*

buſto, renovandum eſt, ſtatutum eſt paſſim in Ritualibus, ac Synodis, præſertim vero Medinlanenſibus S. Caroli, & ut alias omittam, in Salernitana anni MDLXXIX. a M. Antonio Columna Marſilio Salernitano Archiepiſcopo celebrata, Tit. xxxII. Cap. vII. *Infirmorum Oleum*, inquit, *ſingulis annis novum ab Eccleſia noſtra in die Cœnæ Domini procuretur, vetus autem in Sacrario comburatur. Aſſervetur in vaſe argenteo, vel ſaltem ſtanneo apte ſabrefacto, cum bombice, & velo ſerico, illudque maneat omnino ſejunctum a cæteris Oleis in Ciborio Fontis Baptiſmalis*. Confecta eſſe debere hujuſmodi vaſcula ex ſtanno, aut ex argento, non autem ex vitro, aut aurichalco, aliave materia, quæ frangi poſſit, vel male olere, expreſſum quidem in variis Conciliis fuit, ac præſertim in Provinciali v. Beneventano anni MCCCLXXIV. Tit. III. Capite I. ubi non modo præcipitur Parochis, *ut vaſa, in quibus ſanctum Chriſma, & Oleum ſanctum reponuntur, habeant, & ſint de ſtagno, vel de alio metallo, ita quod de facili frangi non poſſint, nec liquores prædicti effundi*; verum etiam ut vaſa ipſa clavibus adhibitis conſerventur, ne manus ulla temeraria ad illa poſſit extendi. Sane mandant communiter Synodi, ac Rituales Codices, confici vaſcula ipſa debere ex argento, vel ſtanno, ſervarique loco decenti, ac tuto, non autem in Tabernaculo, una cum ſacra Pyxide, quod quidem merito vetuit S. Carolus in Concilio Provinciali IV. Capite, *Quæ ad Sanctiſſimum Eucbariſtiæ Sacramentum pertinent*, ubi loquens de Tabernaculo, ſic ad noſtram rem ait: *Vacuum etiam ſit a Reliquiis, Vaſculo Olei infirmorum, atque inani alio vaſe, ut omnino Sacra Eucbariſtia cum ſuo vaſe in eo dumtaxat conſervetur, aliud præterea nihil*.

II. Explicandum nunc illud, quod in eodem noſtro §. ſtatuitur, ut nempe eo in conferenda Extrema Unctione Parochus Oleo utatur, *quod ſingulis annis Feria quinta in Cœna Domini ab Epiſcopo benedictum, veteri combuſto, renovandum eſt*. Quibus ex verbis jam plura addiſcimus, ac primo quidem, materiam, ut ajunt, remotam Sacramenti Extremæ Unctionis eſſe Oleum olivarum ab Epiſcopo rite benedictum, quod & Eugenius IV. in Inſtructione pro Armenis, & Concilium Tridentinum definivit in Seſſione XIV. *De Sacramento Extremæ Unctionis*, Cap. I. ubi relatis verbis Jacobi Apoſtoli, ex ejus Canonica Epiſtola Cap. v. *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum Oleo, in Nomine Domini, & oratio Fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei*; immediate ſubjicit: *Quibus verbis, ut ex Apoſtolica traditione per manus accepta Eccleſia didicit, docet, materiam, formam, Miniſtrum, & effectum hujus ſalutaris Sacramenti*. Tum vero ſtatim: *Intellexit enim Eccleſia, materiam eſſe Oleum ab Epiſcopo benedictum. Nam Unctio aptiſſime Spiritus Sancti gratiam, qua inviſibiliter anima ægrotantis inungitur, repræſentat*. Atque his concinit ejuſdem Tridentini Concilii Catechiſmus, citata Parte II. *De Extremæ Unctionis Sacramento*, num. IX. his verbis: *Ejus igitur elementum, ſive materia, quemadmodum Concilia, ac præſertim Tridentinum Decrevit, eſt Oleum ab Epiſcopo conſecratum, liquor ſcilicet, non ex quovis pingui, & craſſa natura, ſed ex olearum baccis tantummodo expreſſus*. Eſſe hanc hujus Sacramenti materiam convenientem, docet mox ſequenti num. x. *Aptiſſime autem hæc materia illud ſignificat, quod vi Sacramenti, interius in anima efficitur. Nam ut Oleum ad mitigandos corporis dolores magnopere proficit, ita Sacramenti virtus animæ triſtitiam, ac dolorem minuit. Oleum præterea ſanitatem reſtituit, hilaritatem affert, & lumini tanquam pabulum præbet; tum vero ad recreandas defatigati corporis vires maxime accommodatum eſt; quæ omnia, quid in ægroto Divina virtute per hujus Sacramenti adminiſtrationem efficiatur, declarant*.

III. Communis autem, & certa eſt illa ſententia, Conciliorum, ac Ritualium auctoritate, praxique veteri, ac nova Eccleſiæ, comprobata, Olei nomine, quod ad hoc Sacramentum requiritur, intelligi Oleum, quod ex olivarum baccis educitur, juxta recitatam Catechiſmi Tridentini Concilii doctrinam; eductum enim aliunde improprie dicitur Oleum, & quidem non ſimpliciter, ſed cum addito, nempe *Oleum nucum &c.* Confirmatur ex eo, quod Oleum expreſſum ex olivis aptius ſit, quam alii liquores, qui eo nomine nonnumquam appellantur ad exprimendos Extremæ Unctionis effectus. Vix enim ea, quæ memoratus Catechiſmus docuit, quæque longe ante ſcripſit S. Thomas in Supplemento, Quæſtione XXIX. Articulo III. cæteris oleis conveniunt: *Spiritualis ſanatio*, inquit, *quæ in fine adhibetur, debet eſſe perfecta, quia poſt eam alia non relinquitur; & lenis, ut ſpes, quæ exeuntibus eſt maxime neceſſaria, non frangatur, ſed feratur. Oleum autem lenitivum eſt, & penetrativum uſque ad intima, & etiam diffuſivum; & ideo quantum ad utrumque prædictorum eſt conveniens materia hujus Sacramenti*. Similia legere eſt apud alios Theologos, qui materiam Sacramenti Extremæ Unctionis recenſent.

IV. Diſcimus præterea ex noſtro §. Oleum infirmorum unctioni deſtinatum, illud eſſe, *quod ſingulis annis Feria quinta in Cœna Domini ab Epiſcopo benedictum eſt*. Id plane eſt, quod Leges Eccleſiaſticæ paſſim præſcribunt, quas nemo ſine crimine temerare, aut infringere poteſt. Meminit quidem ejuſdem benedictionis Innocentius Papa I. in ſua ad Decentium Eugubinum Epiſtola, ſic inquiens: *Quo*, Oleo ſcilicet, *ab Epiſcopo confecto, non ſolum Sacerdotibus, ſed omnibus uti Chriſtianis licet, in ſua, aut ſuorum neceſſitate inungendo*. Meminit Gregorius Magnus in Sacramentario his verbis: *Tunc offertur Pontifici Oleum, & benedicit illud tam ipſe, quam omnes Presbyteri, ad ungendum infirmum &c.* Meminit quoque Concilium Cabiloneuſe anni DCCCXIII. Can. XLVIII. ſic dicens: *Secundum Beati Apoſtoli Jacobi documentum, cui etiam documenta Patrum conſonant, infirmi Oleo, quod ab Epiſcopis benedicitur, a Presbyteris ungi debent*. Meminere paſſim & aliæ Synodi; ejuſque ritus rationem, ut nempe Oleum, quo in Extrema Unctione utimur, benedictum eſſe debeat ab Epiſcopis, aſſignat S. Thomas in IV. Sententiarum, Diſtinctione XXIII. Quæſtione I. Articulo III. Quæſtiuncula III. *Miniſter Sacramenti*, inquit, *non propria virtute effectum Sacramenti inducit, ſed per efficaciam Sacramenti, quod diſpenſat; quæ quidem efficacia prime eſt a Chriſto, & ab ipſo in alios deſcendit or-*

dinate, ſcilicet in populum, mediantibus Miniſtris, qui Sacramenta diſpenſant, & in Miniſtros inferiores mediantibus ſuperioribus, qui materiam ſantificant, & ideo in omnibus Sacramentis, quæ indigent materia ſanctificata, prima ſanctificatio materiæ ſit per Epiſcopum, & uſus quandoque per Sacerdotem, ut oſtendatur Sacerdotalis poteſtas ab Epiſcopali derivata, ſecundum illud Pſalmi cxxxii. Sicut unguentum in capite, quod deſcendit in barbam, deinde uſque ad oram veſtimenti.

V. Quamquam vero conveniant Catholici in aſſerendo, Epiſcopalem Olei infirmorum conſecrationem, neceſſariam eſſe neceſſitate Præcepti Eccleſiaſtici, quia ſcilicet & Summi Pontifices, ac Sacræ Synodi eam præcipiunt, inter ipſos tamen non conſtat, an ipſa Olei conſecratio per Epiſcopum, ſit neceſſaria neceſſitate Sacramenti. Certe inter Thomiſtas Dominicus Soto in iv. Sententiarum, Diſtinctione xxiii. Quæſtione i. Articulo iii. ita ſuam mentem aperit: *Utrum vero* (Olei conſecratio) *ſit de eſſentia Sacramenti, non apparet prima fronte uſque adeo verum; attamen indubie tenendum eſt, quod requiritur benedictio Olei tamquam de eſſentia Sacramenti*. Huic ſententiæ quammaxime favent Summorum Pontificum, & Conciliorum Decreta ſuperius allata, quæ nullum alium ejuſmodi benedictionis Miniſtrum agnoſcunt, quam Epiſcopum, confirmarique etiam poteſt ea ratione, quam etiam ſupra ex S. Thoma attulimus, ac illa quoque alia, quam plerique Theologi docent, ut nempe ſignificetur, omnem virtutem Sacramentorum derivari ex merito Chriſti, cujus perſonam præcipue gerit Epiſcopus. Porro tenet & hanc ſententiam Eſtius in citatam Diſtinctionem xxiii. Libri iv. Sententiarum §. ix. ubi etiam cenſet, non poſſe in hac re Summum Pontificem diſpenſare, *nempe ut per alium quemcumque fiat Olei benedictio, ſi quod dictum eſt, neceſſitate Sacramenti ipſa benedictio requiratur. Tum enim intelligendum eſt, omnino requiri benedictionem ab eo factam, cui fuit ab initio inſtitutionis Sacramenti commiſſa. Nam alioquin nihil videretur obſtare, quo minus etiam Diacono committi poſſit, ſi ſepoſita Sacramenti inſtitutione, ad ſolam plenitudinem poteſtatis Summi Pontificis reſpiciamus*.

VI. At vero labi Eſtium puto, ubi negat, poſſe Presbyterum ex Summi Pontificis diſpenſatione ſancti Olei conſecrationem conficere. Licet enim, teſte Sambovio in Tractatu, *De Extrema Unctione*, nullum extet exemplum, quo probetur, Sacerdotes apud Latinos conſecraſſe infirmorum Oleum; itemque licet Epiſcopi in Diœceſibus ſuis minime poſſint eam facultatem Presbyteris impertiri, conſtanter aſſerunt Theologi inſignes, ac præſertim Jueninus, *De Sacramentis*, Diſſertatione vii. Quæſtione iii. Cap. i. Concluſione 4. poſſe Summum Romanum Pontificem, penes quem eſt declarare, quod non obligent Eccleſiaſtici Canones, cum Eccleſiæ perutilis eſt eorum diſpenſatio, cum Presbyteris diſpenſare, ut nimirum valeant ſaltem tanquam extraordinarii Miniſtri, Olei infirmorum conſecrationem peragere; quia ſcilicet hujuſmodi Olei conſecratio non eſt ex Præcepto Divino ita Epiſcopis reſervata, ut ex plenitudine poteſtatis Summi Romani Pontificis non poſſit aliis Sacerdotibus ob gravem aliquam cauſam committi. Quid quod in Orientali Eccleſia nuſquam prohibitum fuit, ne Presbyteri ſimplices Oleum infirmorum conſecrent. Immo a mille & amplius annis, eo privilegio fruuntur, ut videre eſt in Euchologio, ſeu Rituali Græcorum, ſub hoc Titulo, *Officium Sancti Olei*. Conſtat nempe in ipſa hujus Sacramenti exhibitione, quæ fit a Presbyteris, Oleum benedici. Atque hanc Gentis ſuæ praxim tuetur Arcudius Lib. v. *De Extrema Unctione*, Cap. II. confirmavitque Clemens Papa VIII. in ſua Inſtructione directa ad Epiſcopos Latinos, ubi ſic inquit: *Non ſunt cogendi Presbyteri Græci Olea ſancta, præter Chriſma ab Epiſcopis Latinis Diœceſanis accipere, cum ejuſmodi Olea ab eis, in ipſa Oleorum, & Sacramentorum exhibitione, ex veteri ritu conficiantur, & benedicantur*. Probavit denique & eam praxim, teſte Sambovio Sacra Romana Congregatio de Propaganda Fide, ubi ejuſdem juſſu, & impenſis, edita eſt Romæ *Synopſis vernacula Neophyti Rhodini*, in qua hæc habentur: *Materia Sacramenti Extremæ Unctionis eſt Oleum oliva expreſſum a Pontifice, vel a Sacerdote benedictum.*

VII. Ceterum eſſe hunc antiquum Orientalis Eccleſiæ morem, ut Presbyteri Oleum in Extrema Unctione adhibendum benedicant, teſtatur Theodorus Cantuarienſis Archiepiſcopus in ms. Capitulari apud Martene Lib. i. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. vii. Articulo iii. num. vii. *Secundum Græcos, Presbytero licet Virginem ſacro velamine conſecrare, & reconciliare pœnitentem, & facere Oleum exorcizatum, & infirmis Chriſma, ſi neceſſe eſt. Romanis autem non licet, niſi Epiſcopo ſoli.* Ita traditionem ſuæ Gentis ante annos mille ſcribebat homo Græcus, & in diſciplina Eccleſiaſtica verſatiſſimus. Quod Sacerdotes apud Armenos Oleum ipſum infirmorum conſecrent, aſſerit Joannes XXII. ad Oſſinium Armenorum Regem ſcribens in hæc verba: *Ipſi etiam Sacerdotes Oleum, quod infirmorum dicitur, conſecrant pro Sacramento Extremæ Unctionis, cum tamen apud nos ad Epiſcopos ſolos ſpectet*. Quod quidem adeo verum eſt, ut ſi Presbyter apud Latinos infirmum periculoſe decumbentem ungeret Oleo, vel non conſecrato, vel per alium, quam per Epiſcopum, nullum penitus eſſet Sacramentum, quia ſcilicet apud Latinos tanta non pollent Presbyteri poteſtate, quam tamen ob gravem aliquam cauſam poſſet eiſdem Romanus Pontifex Maximus ex poteſtatis ſuæ plenitudine concedere, uti ſuperius diximus.

VIII. Neque vero quodcumque Oleum ab Epiſcopo benedictum eſt materia Sacramenti Extremæ Unctionis, ſed plane illud, quod ut in noſtro §. edicitur, *ſingulis annis Feria quinta in Cœna Domini ab Epiſcopo benedictum, veteri combuſto, renovandum eſt*. Et ſane licet de hoc ritu jam nos latius egerimus noſtro Tomo iii. Commentariorum in Partem iii. Romani Pontificalis, in iis ſcilicet, quibus Titulum iv. illuſtravimus, qui eſt, *De Officio in Feria quinta Cœnæ Domini, cum benedicitur Oleum infirmorum, & Catechumenorum, & conficitur Chriſma*, operæ nihilominus pretium ducimus nonnihil hoc loco de eo ritu dicere, benedicendi ſcilicet ipſa Olea, prædicta Feria quinta Cœnæ Domini. Et quidem ſi veterem diſciplinam ſpectemus, nulla primum hujuſmodi benedictioni ſtata, fixaque dies fuiſſe videtur, ſed prout res exigebat, ad Epiſcopi arbitrium peragebatur. Id

ſal-

ſaltem clare enunciat Concilium I. Toletanum anni CD. de Chriſmate loquens, Can. xx. *Epiſcopo ſane eertum eſt omni tempore licere Chriſma eonficere*. Idem dicendum & de iis Oleis, Catechumenorum, & Infirmorum, quibus tamen benedicendis, ſicut Chriſmati conſecrando, non multo poſt, prædicta dies aſſignata ſuit, ac fixa, uti cooſtat ex variis Synodis, & Ritualibos, ac præſertim ex teſtimonio S. Iſidori, qui Libro II. *De Divinis Officiis*, Cap. XVIII. *De Cœna Domini*, ejus inſtitutionis hanc rationem docet: *Qua die proinde etiam ſanctum Chriſma conficitur, quia ante biduum Paſchæ Maria eaput, ac pedes Domini ungaento perfudiſſe perbibetur*. Varias myſticas ratiooes aſſignatæ ea die benedictionis, non modo Chriſmatis, ſed & aliorum duorum Oleorum recenſet inter alios Duraodus, Lib. VI. *Rationalis Divinorum Officiorum*, Capite LXXIV. Quicquid autem ſit de myſticis hiſce rationibus, illud certum habeo, ita hodie hujuſmodi beocdictionem prædictæ diei eſſe affixam, ut alio tempore ſine diſpenſatinne Summi Romani Pontificis oon poſſit Epiſcopus licite eam peragere, peccaret etenim contra Canonicam Eccleſiæ inſtitutionem.

IX. Ergo, ut ait ooſter §. *Oleum Infirmorum ſingulis annis Ferin quinta in Cœna Domini ab Epiſcopo benedictam, veteri combuſto, renovandum eſt*. Atqne id eſt, qnod in Breviario Romano ad diem xx. Januarii inſtituiſſe S. Fabianum Papam legitur: *Idem ſtatuit, ut quotannis Feria quinta in Cœna Domini, vetere combuſto, Chriſma renovaretur*. Quod de Chriſmate dicitur, ad alia duo Olea referri poſſet, Catechumenorum, & Infirmorum. Sed ingeoue fateor, Decretum ipſnm ſpnrium eſſe, ac ſalſo S. Fabiano tributum, cum, uti ſuperius dictum eſt, primis ſæculis neqnsquam ipſa dies Feriæ quintæ Cœnæ Domini conſecrationi Chriſmatis, benedictionique Oleorum ſuerit præfixa, ſed prout res exigebat ad arbitrium Epiſcopi, ea cooſecratio, benedictiove peragebator. Porro legitur ipſum Fabiani Decretum io ejus Epiſtola ad Orieotales Epiſcopos data, & a Gratiaoo ſno Decreto inſerta, *De conſecratione*, Diſtinctiooe I. Can. XVIII. cujus initium eſt, *Litteris veſtris &c.* Suppoſititiam eſſe hanc Epiſtolam, ſicut & alias duas eidem Papæ adſcriptas, ac qnæcumque etiam a Gratiano veluti Decreta Fabiani laudantur, ootavit jam io ejnſdem Pootificis Vita Pagius, num. IX. Sed negari tamen non poteſt, quin ritus ipſe, quem ab Apoſtolica traditione etiam maoaſſe ait in citata Epiſtola Pſeudoſabianus, fuerit deinde, & in Conciliis, & io Ritualibus paſſim receptus, atque approbatus, præſertim vero in Romano Rituali, uti ex præſenti noſtro §. cooſtat. Cæterum, quod, accepto novo Olco rite ab Epiſcopo prædicta die benedicto, comburendum ſit vetus, præſcribunt paſſim Rituales Codices, ac Synodi permultæ, inter quas Provincialis IV. Mediolanenſis S. Caroli, Conſtitutionum Parte II. Capite ioſcripto, *Quæ nd Sacramentalia, vel ad Sacramenta cammuniter ſpectunt*, inter alia ſtatuit, ut *Parocbus, ubi primum Olea ſacra nova aceeperit, vetera ſtatim comburat in lampade, quæ ante Sanctiſſimum Saeramentum collucet, bombice in Sacrario plane exuſto*.

X. Ex præſcripto inſuper ooſtri §. ſive potius ex Synodorum Decretis, ac Ritualium veterum monitis, ubi infirmorum Oleum *ſarte infra annum aliquo modo itn deficiat, ut ſufficere non poſſe videatur, neque aliud benedictum baberi queat, modieo Oleo non benedicto in minori quantitate ſuperinſuſo, reparari poteſt*. Quod quidem probari poteſt celcbri loco Innocentii Papæ III. in Capite, *In dubiis, De conſeeratione Eccleſiæ*, ubi ſic inquit: *Nec negamus, quin Oleum non conſecratum conſecrnto poſſit Oleo admiſceri*. Sed ootandum tamen in hunc locum videtnr, quod alias obſervandum monet Sambovius in ſuo, *De Sacrnmento Extremæ Unctionis*, Tractatu, nollam ſcilicet fieri ibidem illorum verborum mentionem, *in minori quantitate*. Quidquid autem de ea re ſit, teoenda eſt hodie regula noſtri §. qni expreſſe edicit, qnod ubi Olenm conſecratum Feria qninta in Cœna Domini aliquo modo ita deficiat, ut ſufficere non poſſe videatur, neque aliud benedictum prædicta ſcilicet die haberi queat, *modico Oleo non benedicto in minori quantitate ſuperinſuſa reparari poteſt*. Porro conſonant & huic noſtro §. Rituales Libri paſſim receotiores, ac Synodi, inter quas memorata ſuperius Mediolanenſis loco citato ſic inquit: *Sacro Olco deficiente, ſi tempus non patitur, ut aliunde baberi poſſit, illa ratio ineatur Canone præſcrpta, ut cum Olco conſeernto miſceatur non conſecratum; id vero non conſecratum guttatim ita infundatur, ut ſemper, quod infunditur, minus ſit Oleo conſecrato, quod vel exiguum in vaſe reliquum eſt*. Cur autem Oleum non conſecratum fiat conſecratum ex admiſtione cum Oleo conſecrato, ratio deducitur, noo quidem a virtute aliqua phyſica, quæ ex Olei conſecrati contactu oriatur, ſed a mera inſtitutione Eccleſiæ, cui placuit Epiſcopi preces extendere non taotum ad Oleum præſens, ſed ad illud etiam quod ipſi poſtea admiſcebitor, uti ſcite Theologi docent.

§. IV.

Oleum porro ipſum, vel per ſe ſolum, vel in bombacio, ſeu re ſimili ſervari poteſt; ſed ad evitandum effuſionis periculum multo commodius ad infirmos defertur in bombacio.

COMMENTARIUS.

I. QUod in hoc §. ſtatuitur, jam ſupra etiam præſcriptum ſuit Titulo II. Capite I. §. XXXVIII. quæ itaque in illis Commentario diximus, facere & ad explicationem hujus §. poſſunt. Traditæ autem in utroque §. regulæ & Rituales multi Codices, & ſacræ Synodi ſuffragantur, præſertim vero Diœceſana Mediolaoenſis XI. S. Caroli in Monitis execntioois Decretorum, quæ ad Sacrameotalia, & Sacramenta pertinent, ubi ſic inquit: *Vaſcula ſacri Chriſmatis, & Oleorum ſacrorum ita bambacio intrinſecus munita ſint, ut nequid ſacri*

Olei

Olei inde effluere ullo modo poſſit, cum circumferuntur. Porro ſi hæc cautio, ac diligentis adhibenda eſt in omnibus ſacris Oleis, potiſſimum eſt adhibenda in delatione Olei Sancti ad infirmos; non enim in alio Oleorum ſacrorum uſu vaſcula huc illuc tam ſæpe transferuntur, quam in Extrema Unctione. Cæterum ubi bombacium deeſſet, in quo ad evitandum effuſionis periculum ſervari multo commodius ſacrum Oleum potest, adhiberi potest ex præſcripto noſtri §. alia res ſimilis, linum nempe, ſeu ſericum diſſolutum, parva ſpongia, ſive alia res, quæ apta ſit ad ebibendum Oleum, illudque reddendum, ſeu exprimendum ad omnem levem compreſſionem digiti pollicis, qui ex Rubricarum præſcripto ſemper in ſacris unctionibus eſt adhibendus.

§. V.

Debet autem hoc Sacramentum infirmis præberi, qui, cum ad uſum rationis pervenerint, tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur; & iis, qui præ ſenio deficiunt, & in diem videntur morituri, etiam ſine alia infirmitate.

COMMENTARIUS.

I. SOlis corpore infirmis præbendum eſſe Sacramentum Extremæ Unctionis, docet nos inprimis S. Jacobus Apoſtolus in Epiſtola ſua, Cap. v. ad quam quicquid de vera hujus Sacramenti natura dicitur, tanquam in certam regulam transferendum eſt, ut ſcite obſervant Theologi, Sacrique alii Scriptores, nam de his ſolis loquitur ille, ubi ſic inquit: *Infirmatur quis in vobis, inducas Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum Oleo in Nomine Domini, & oratio Fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & ſi in peccatis ſit, remittentur ei*. Quapropter conſtans fuit Eccleſiæ, præſertim Latinæ traditio, ut nonniſi ægris hoc Sacramentum exhiberetur. Cui inhærens Innocentius Papa I. in celeberrima ad Decentiam Engubinum Epiſcopum, Cap. VIII. relatis prædictis Jacobi Apoſtoli verbis, *Si quis infirmatur in vobis &c.* ita ſubnectit: *Quod non eſt dubium de Fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui Sancto Oleo Chriſmatis perungi poſſunt; quo ab Epiſcopo confecto, non ſolum Sacerdotibus, ſed omnibus uti Chriſtianis licet in ſua, aut ſuorum neceſſitate ungendis.* Huic traditioni, & Apoſtoli Jacobi verbis inhærens Synodus Tridentina Seſſione XIV. Cap. III. jam merito declaravit, definiitque, *eſſe hanc Unctionem infirmis adhibendam; illis vero præſertim, qui tam periculoſe decumbunt, ut in exitu vitæ conſtituti videantur, unde & Sacramentum exeuntium nuncupatur*.

II. Quam gravis autem corporis infirmitas requiratur, ut ad mentem Apoſtoli Jacobi, Sacramentali hac Unctione infirmus inungi queat, facile determinari nequit, ut ſcite obſervat Vaneſpen Parte II. *Juris Eccleſiaſtici univerſi*, Tit. VIII. Cap. II. num. III. probatque ex eo, quod Apoſtolus citato loco ſimpliciter, & indefinite dixit: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros &c.* Quicquid autem ſit de hodierno Græcorum uſu, qui, ut docet Allatius Lib. III. *De conſenſu Occidentalis, & Orientalis Eccleſiæ*, Cap. XVI. num. 3. *non tantum infirmos, ſed ſanos quoque homines Extrema Unctione ſæpius inungunt*; quique iccirco merito impugnantur a Petro Arcudio Lib. V. Cap. IV. retinenda eſt, atque ſervanda Latinæ Eccleſiæ doctrina, ac praxis, quæ in conferenda Extrema Unctione requirit quidem infirmitatem non modo gravem, ſed periculoſam, & talem profecto, ut ob eam, *mortis periculum imminere videatur*, ut verbis utar hujus noſtri §. qui plane concinit recitato Concilii Tridentini Decreto, quo edicitur, illis præſertim infirmis Unctionem Extremam adminiſtrandam, *qui tam periculoſe decumbunt, ut in exitu vitæ conſtituti videantur*.

III. Quod vero ætatem ſpectat ad Extremam hanc Unctionem requiſitam, expreſſam illam habemus in hoc noſtro §. ex cujus præſcripto *debet hoc Sacramentum infirmis præberi, qui, cum ad uſum rationis pervenerint, tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur*. Similia legere eſt in variis Ritualibus, Synodiſque recentioribus. Nam alias Odo Pariſienſis Epiſcopus, qui claruit Sæculo Chriſti XII. in Synodalibus Conſtitutionibus, Cap. VIII. quod eſt, *De Sacramento Extremæ Unctionis*, num. II. longiorem ætatem requirit: *Ad Sacramentum*, inquit, *Extremæ Unctionis moneant populum Sacerdotes, non tantum divites, & ſenes, ſed pauperes, & juvenes omnes, a tempore diſcretionis, maxime a quatuordecim annis, & ſupra, & ad omnes communiter, ut ſe paratos exhibeant, cum neceſſe fuerit*. Idem habent Statuta Synodalia Galonis, & Simonis Legatorum Sedis Apoſtolicæ in Gallia miſſorum ab Innocentio III. & non multo poſt ab Honorio III. Conſtitutiones Richardi Epiſcopi Sarum, Cap. LXVII. Conſtitutiones Synodales Epiſcopi Anonymi anno MCCXXXVII. editæ. Statuta Petri de Collemodio Archiepiſcopi Rotomagenſis anno Chriſti MCCXLV. ſcriptæ. Quibus addi & poteſt antiquum Rituale ms. Canonicorum Regularium Monaſterii de Aqua-viva in Diœceſi Turonenſi, teſte Martene Lib. I. Cap. VII. Articulo I. n. III.

IV. Serius Extremam Unctionem, quod quidem mirum videri debet, adminiſtratam in quibuſdam Eccleſiis adultis fuiſſe, teſtis eſt Guilſelmus Durandus Lib. I. Rationalis Divinorum Officiorum, Cap. VIII. quod inſcriptum eſt, *De Conſecrationibus, & Unctionibus*, num. 25. *De quibuſdam*, inquit, *ordinarie legitur, quod inungendus debet eſſe ad minus decem & octo annorum, & quod ægrotans ſemel dumtaxat debet in anno inungi, licet pluries ægrotet.* Idipſum teſtatur Poeta quidam Anonymus, qui in Carmine, quod ms. ſe legere in Codice S. Martini Turonenſis ait laudatus Martene, ita canit:

Non niſi menſe ſemel aliquis communicet æger.
Hic idem ſolo non bis ungatur in anno.
Octo decemq; tantum annos ungendus habebit.
Ordine Clauſtrales alio potiuntur in ægris.

Suc-

Google

Succinit Fridericus Nauſea Viennenſis Epiſcopus in ſuo Catechiſmo, Lib. III. Cap. CVII. ubi ait: *Scitu proinde dignum cenſeo, paſſim haberi Catholicum, ut inungendus annos ad minus ætatis ſuæ habeat octodecim*. Additque, *nequis pluries in anno, quam ſemel ungatur, & ſi ſæpius illum ægrotare contingat*.

V. At vero merito reprobata eſt hæc ſententia, ac praxis non conferendæ Extremæ Unctionis Fidelibus, niſi perveniſſent ad annorum quatuordecim, vel decem & octo ætatem; recteque admodum in poſterioribus Synodis, ac Ritualibus, præſertim in hoc Romano Ritualium omnium Principe, quippe quod Auctorem habet Romanum Pontificem Maximum, præſcriptum fuit, uti ex præſenti §. conſtat, *debere hoc Sacramentum infirmis præberi, qui cum ad uſum rationis pervenerint, tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur*. Uſum rationis communiter cenſent habere pueros circa annum ætatis ſuæ ſeptimum, cumque circa eam ætatem, quam variis vitiis noſtra præſertim hac tempeſtate pueri fœdare ſoleant, eamque ob cauſam, confiteri, jure ac merito, iiſdem, ſi ita periculoſe decumbunt, ut in exitu vitæ conſtituti videantur, conferri debet Sacramentum Extremæ Unctionis, quod, ut docet Synodus Tridentina Seſſione XIV. in Doctrina de eodem Sacramento, *Pœnitentiæ conſummativum a Patribus exiſtimatum eſt*. Quod autem pueruli, puellulæve, vel ante annum ætatis ſeptimum, non ſine calliditate in varia peccata labantur, & quidem graviſſima, teſtari poſſent non modo Confeſſarii, qui eorum Confeſſiones excipiunt, ſed & domeſtici, qui eoſdem clanculum peccare non ſemel reperiere.

VI. Sed his omiſſis, ex præſcripto demum noſtri §. debet hoc Sacramentum & iis præberi, *qui præ ſenio deficiunt, & in diem videntur morituri, etiam ſine alia infirmitate*. Atque hæc eſt regula, quam & Rituales Codices, & Sacræ Synodi tradunt; inter quas Provincialis VI. Beneventana anni MCCCLXXIV. Tit. VIII. Cap. I. rationem etiam prædictæ regulæ aſſignat: *Senibus autem datur, qui moriuntur etiam ſine aliqua infirmitate, quia defectus naturæ reputatur in eis pro actuali infirmitate*. Idipſum ſtatuit non uno in loco S. Carolus, præſertim vero in Concilio Provinciali Mediolanenſi IV. & in ſuis de Extrema Unctione Inſtructionibus, expreſſe mandans, miniſtrandum eſſe hoc Sacramentum *ſenio etiam confectis in diem morituris, etiamſi ægroti non ſint*. Quia ſcilicet virium defectus, quo laborant homines ſenio confecti, gravis profecto infirmitas eſt, iiſque iccirco accenſeri debent, de quibus Apoſtolus Jacobus loquitur in ſua Canonica Epiſtola, *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbiteros Eccleſiæ &c.* Sed advertendum tamen, non quibuſcumque ſenibus, decrepitiſque adminiſtrandam eſſe paſſim Unctionem Extremam, ſed iis dumtaxat, qui ita præ ſenio deficiunt, ut in diem videantur morituri, tametſi ægroti non ſint, & minime febre laborent, ut ex noſtro hoc §. addiſcimus, & ex variis Ritualibus, ac Synodis, quas non oportet hoc loco recenſere.

§. VI.

Infirmis autem, qui, dum ſana mente, & integris ſenſibus eſſent, illud petierunt, ſeu veriſimiliter petiiſſent, ſeu dederint ſigna contritionis, etiamſi deinde loquelam amiſerint, vel amentes effecti ſint, vel delirent, aut non ſentiant, nihilominus præbeatur.

§. VII.

Sed ſi infirmus, dum phreneſi, aut amentia laborat, veriſimiliter poſſet quidquam facere contra reverentiam Sacramenti, non inungatur, niſi periculum tollatur omnino.

COMMENTARIUS.

I. Nihil profecto ſtatuunt duo hi noſtri Paragraphi, quod prius præſcriptum, latiuſque explicatum non fuit in variis Synodis, ac Ritualibus. Certe Sanctus Carolus in ſuis de Sacramento Extremæ Unctionis Inſtructionibus, iiſdem fere verbis loquitur: *Infirmis, qui ſana mente dum erant, illud petierunt, aut veriſimile eſt, quod petiiſſent, etiamſi poſtea in amentiam inciderint, vel ratione, ſermoneve uti deſierint, miniſtrabitur*. Tum vero ſubjicit: *Si vero dum infirmus amentia, phreneſive laborat, veriſimile ſit, indecore, aut ſpurce, impureve, aliquid agat, irreverentia Sacramento huic fiat, non ungetur, niſi alicujus complexu ita teneatur, ut firmus, ſtabiliſque hæreat*. Longe ante S. Carolum plura ſcitu digna hanc in rem docuit Concilium Provinciale VI. Beneventanum anni MCCCLXXIV. Tit. VIII. Cap. I. ubi regulam tradit, quibus nempe amentibus, phreneticiſve, dari, aut non dari debeat hocce Extremæ Unctionis Sacramentum: *Phreneticis, inquit, & amentibus illis præcipue dari non debet, qui poſſent Sacramento irreverentiam per aliquam immunditiam facere, niſi haberent dilucida intervalla, in quibus Sacramentum recognoſcerent, quia tunc eis in aliquo ſtatu conferri poteſt, maxime ubi in ſana mente conſtituti petiviſſent, quia ad hoc, quod proſit hoc Sacramentum requiritur devotio quædam interior, quam furioſi, & ſimiles habere non poſſunt. Unde nullus ungendus eſt, niſi qui primo compos mentis exiſtens, verbis, aut ſignis id poſtulaverit*. Et paucis interjectis: *Si vero infirmus, qui petit hoc Sacramentum, amiſerit notitiam, vel loquelam nihilominus, dum tamen vitam habeat, concedatur eidem*.

II. Conſonant hæc quidem doctrinæ, quam de hac quæſtione tradidit S. Thomas in Libri IV. Sententiarum Diſtinctionem XXIII. Quæſtione II. Articulo II. Quæſtiuncula III. *Ad effe-*

effectum, inquit, *bujus Sacramenti ſuſcipiendum, plurimum valet devotio ſuſcipientis, & perſonale meritum conferentium, & generale totius Eccleſiæ. Quod patet ex boc, quod per modum deprecationis forma bujus Sacramenti confertur; & ideo illis, qui non poſſunt recognoſcere, & cum devotione ſuſcipere, hoc Sacramentum dari non debet; & præcipue furioſis, & amentibus, qui poſſunt irreverentiam Sacramento facere, niſi baberent lucida intervalla, in quibus Sacramentum recognoſcerent, & ſic eis conferri in ſtatu ipſo poſſet*. Hinc dignum notatu eſt, quod in recitato ſuperius S. Caroli loco legitur, poſſe ſcilicet actu furioſum, phreneticumque Extrema Unctione donari, *ubi alicujus complexu ita teneatur, ut firmus, ſtabiliſque bæreat*; nihilque indecore, aut ſpurce, impureve aliquid agere queat, quo irreverentia Sacramento huic fieri poſſit. Puto equidem, amentibus, phreneticiſque gravi morbo laborantibus, ſi dum ſana mente eſſent, ſigna ſinceræ ad Deum converſionis oſtenderint, ſicut reconciliatio Eccleſiaſtica neganda non eſt, ita nec Unctionem Extremam, maxime ſi eam ante petiverint. Neque enim præſens actualis devotio ad ſuſcipiendum utiliter Sacramentum neceſſaria eſt, ut ex iis, quæ ſupra de Baptiſmo, & de Abſolutione dicta ſunt, ſatis poteſt intelligi. Quod & uſus Eccleſiæ in hoc Sacramento declarat, dum illud ſæpe iis adminiſtrat, qui jam præ magnitudine morbi, mentis uſu ſunt deſtituti, uti ſcite inter alios notavit Eſtius in Libri IV. Sententiarum Diſtinctionem XXIII. §. XIII.

III. Unum reſtat, quod & hic adnotemus, quod nempe docet Catechiſmus Tridentini Concilii Parte II. *De Extremæ Unctionis Sacramento*, num. XIX. ubi expreſſe ait, amentem a nativitate nullo modo iſto Sacramento donandum: *Qui ab ipſo ortu numquam mentis, & rationis compos fuit, ungendus non eſt*. Idem præſcribunt pleræque Synodi, docentque paſſim Theologi, ac probant, I. quia in hujuſmodi hominibus locum habere non poteſt hujus Sacramenti forma: *Indulgeat tibi Deus quicquid per viſum &c. deliquiſti*. II. Cum iſti homines nuſquam actu peccaverint, nullæ ſunt peccatorum reliquiæ, ad quarum abſterſionem inſtituta eſt Extrema Unctio. III. Cum hoc Sacramentum, per modum curationis, & medicinæ, augeat gratiam ſanctificantem, illius augmenti non ſunt capaces, niſi ii, qui morbos per actualia peccata contraxere. IV. Sanitas corporis, quæ ſecundarius eſt hujus Sacramenti effectus, & propter quam ſolam amentibus ipſis a nativitate conferri poſſet, non datur per hoc Sacramentum, niſi iis, in quibus primarius effectus locum habere poteſt.

§. VIII.

Impœnitentibus vero, & qui in manifeſto peccato mortali moriuntur, & excommunicatis, & nondum baptizatis penitus denegetur.

COMMENTARIUS.

I. Quatuor hominum genera ex præſcripto hujus §. a Sacramento Extremæ Unctionis arcentur, nempe primo impœnitentes, quod quidem vel olim cautum fuit ex celebri illa Innocentii Papæ I. Epiſtola ad Decentium, Cap. VIII. ubi inter alia expreſſe ſtatuit, ne hoc Sacramentum *non pœnitentibus conferatur*. Cum enim hoc ſit omnibus Sacramentis commune, ut nimirum impœnitentibus conferri non debeant, iſtud quoque, ſicut & alia pleraque præviam reconciliationem, quatenus a gratia quis exciderit, requirit. Cum enim conferatur per modum ſanationis ſpiritualis, præſupponit vitam ſpiritualem, quæ per reconciliationis Sacramentum pœnitenti reſtituitur. Hanc rationem a Theologis allatam, ac præſertim ab Eſtio in Libri IV. Sententiarum Diſtinctionem XXIII. §. XIII. confirmat Eccleſiæ perpetua conſuetudo, quæ, uti ſuperius ſuo loco oſtenſum fuit, nonniſi reconciliatos, & prætererea Viatico Corporis Domini præmunitos, ſi tamen illud infirmo commode miniſtrari poteſt, hujus ſacræ Extremæ Unctionis participes facit. Eſt enim ultimo loco exhibendum tanquam migrantium Sacramentum. Atque hæc eſt ratio, ob quam ab ipſo Sacramento Extremæ Unctionis excludendi pariter ſunt, *qui in manifeſto peccato moriuntur*, qui ſcilicet in actu læthalis peccati, quod patrant, morte correpti ſunt, aut actualiter peccando ſenſibus deſtituuntur; itemque excommunicati, qui Cenſura publice innodati, adhuc abſoluti non ſunt. Quod tandem non baptizatos ſpectat, merito & iis omnino denegandum eſt hoc Sacramentum. Cum enim Baptiſmus ſit janua Sacramentorum, profecto habere aditum ad alia Sacramenta non valet, qui prius per Sacramentum Baptiſmi cæterorum capax non eſt effectus.

§. IX.

Non miniſtretur etiam prælium inituris, aut navigationem, aut peregrinationem, aut alia pericula ſubituris, aut reis ultimo ſupplicio mox afficiendis, aut pueris rationis uſum non habentibus.

COMMENTARIUS.

I. Synodi æque, & Rituales Codices, atque Theologi communiter mandant, ac docent, non eſſe adminiſtrandum hoc Sacramentum iis, qui cum ſano ſint corpore, vel probabile, vel certum vitæ periculum adeunt, ut qui prælium krituri ſunt, aut navigationem, aut

aut peregrinationem, aut alia pericula ſubituri, aut etiam ii, qui capitis condemnati, ad certum mortis ſupplicium ducuntur. Quamvis enim iſtiuſmodi omnes præparatione ad imminentem mortem egeant, non tamen pro illis, ſed pro ſolis ægrotantibus, inſtitutum eſſe hoc Sacramentum, ex citata toties Canonica S. Jacobi Apoſtoli Epiſtola conſtat. Ratio autem ejus reddi poteſt, *quia talis mors non imminet ex defectu naturæ, ſed ex eventu fortunæ*; ut verbis utar Concilii Provincialis VI. Beneventani Tit. VIII. Cap. I. Præter hanc rationem, duas alias affert Eſtius Lib. IV. Sententiarum, Diſtinctione XXIII. §. XIII. *Tum quia*, inquit, *in illis infirmitas mentis non ſignificatur infirmitate corporis, cum exhibeatur hoc Sacramentum tamquam medicina utriuſque, ita ut animæ curatio per curationem corporis ſignificetur. Tum quia inſtitutio reſpicit ad id, quod ordinarium eſt, nempe homines de morte periclitantes eſſe infirmos, non ſanos.*

II. Vetat tandem hic noſter §. miniſtrari hoc Sacramentum *pueris rationis uſum non habentibus*, licet nempe iſti pericoloſe ægrotent. Ita plane ſtatuit inter alia memoratum Concilium Beneventanum loco citato, ubi etiam prohibitionis rationem aſſignat: *Pueris etiam non datur, quia non habent infirmitatem ſpiritualem contractam ex peccato actuali, nec diſpoſitionem habere poſſunt ad hoc Sacramentum, ſcilicet devotionem. Unde ſicut Eucbariſtia non debet dari pueris, ita nec hoc Sacramentum.* Huc plane faciunt variæ rationes allatæ a nobis ſupra in Commentario ad §. VI. & VII. quibus probavimus, non debere amentibus a nativitate hoc Sacramentum conferri. Sed non omittendum inſigne Eſtii teſtimonium præcitato loco, ubi diſerte docet, neque infantibus, aut omnino pueris ratione nondum utentibus, etſi graviter ægrotent, adminiſtrandum eſſe hoc Sacramentum, *eo quod neque introducere, ſive accerſere poſſunt Presbyterum, ideſt, Sacramentum ab Eccleſia petere; neque peccatis actualibus obnoxii ſunt, ne levioribus quidem, quorum remiſſio continetur in principali effectu hujus Sacramenti; quocirca nec forma Sacramenti, quæ ſolam exprimit delictorum remiſſionem, eis poterit accomodari.* Concludit tandem, & ſtatim inquit. *Itaque non prius hoc Sacramentum pueris conferre licebit, quam ratione uti cœperint, & juxta conſuetudinem Eccleſiæ Viaticum accipere poſſint.* Subditque mox: *Quod ſi ſanis, aut leviter ægrotantibus, aut pueris nondum utentibus ratione tentaverit quis hoc Sacramentum conferre, non modo peccabit graviter contra hujus Sacramenti inſtitutionem, verum etiam nullum erit Sacramentum, ſcilicet ob defectum neceſſarii ſubjecti, ſeu ſuſcipientis.* Porro unum eſt, in quo ab Eſtio diſſentio, quod dicit, tunc licitum eſſe pueris Extremam Unctionem præbere, cum uſu rationis uti cœperint, & juxta Eccleſiæ conſuetudinem accipere Sacrum Viaticum poſſint, cum alias, uti ſuperius probavi, poſſit non modo, ſed & debeat eiſdem Sacramentum Extremæ Unctionis adminiſtrari, cum confiteri peccata cœperint, ad ſacram etenim Communionem ſerius admittuntur.

III. Præter hactenus memoratos, qui a Sacramento Extremæ Unctionis arcentur, ex variis Synodis, ac Ritualibus, præſertim vero a S. Carolo in Inſtructionibus, *De Sacramento Extremæ Unctionis*, excluſæ etiam ſunt mulieres in partu laborantes. Manuale tamen Cameracenſe vult hoc Sacramentum adminiſtrari *feminis in partu deficientibus*; adjungitque: *Rabidis, peſte infectis, lætaliter vulneratis, ex hauſto veneno periclitantibus, etiam dum adhuc robuſti ſunt, ſi poſtea ſuſcipiendæ Unctionis opportunitatem non habent.* Sed quidquid ſtatuant hujuſmodi Manualia, Ritualiave, variarum Eccleſiarum, ſtandum cenſeo Romano huic Rituali a Summis Pontificibus probato, iiſque ajo conferendum, negandumve, hoc Extremæ Unctionis Sacramentum, quibus Rituale ipſum Romanum conferendum, negandumve in hoc præſenti Titulo præſcribit.

§. X.

Siquis autem laborat in extremis, & periculum immineat, ne decedat, antequam finiantur unctiones, cito ungatur, incipiendo ab eo loco, *Per iſtam ſanctam unctionem &c.* ut infra; deinde ſi adhuc ſupervivat, dicantur orationes prætermiſſæ ſuo loco poſitæ.

COMMENTARIUS.

I. Tametſi in adminiſtrando Sacramento Extremæ Unctionis tot unctiones fieri debeant, quot noſtrum hoc Romanum Rituale præſcribit, maximeque in quinque ſenſuum organis, ut inferius ſuo loco dicemus, nullaque prætermitti ex iis poſſit abſque gravi peccato, cum ſcilicet peragi omnes poſſunt; rectiſſime tamen ex hoc noſtro §. cautum eſt, ut *ſiquis laborat in extremis, & periculum immineat, ne decedat antequam finiantur unctiones, cito ungatur, incipiendo ab eo loco*, Per iſtam ſanctam unctionem &c. *ut infra.* Ratio hujus rei eſſe poteſt, quia ſcilicet, uti docent Theologi, unica unctione ſatisfit Præcepto S. Jacobi, ſeu potius Præcepto Chriſti per S. Jacobum in ſua Canonica Epiſtola promulgato: *Ungentes eum Oleo*; ſicut unica ablutione ſatisfit alii Chriſti de Baptiſmo Præcepto: *Baptizantes eos.* His accedit multorum Ritualium auctoritas, quibus permittitur inungi unica unctione non modo eos, quibus mors proxima non ſinit fieri ſingulas inunctiones, ſed & peſte laborantes, ut Miniſtri ipſi contagii periculum vitent. Ita plane Paſtorale Mechlinenſe anno MDLXXXIX. editum, & a Doctoribus Lovanienſibus approbatum: *In omnibus morbis contagioſis, & peſte graſſante, ut periculum vitetur, ſufficit inungi ſenſus organum magis ad unctionem expoſitum, aut detectum dicendo*: Per iſtam ſanctam unctionem, & piiſſimam ſuam miſericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti per viſum, auditum, guſtum, odoratum, & tactum.

II. Eandem praxim, eandemque regulam approbat inter alia Manuale Cameracenſe, quod qui-

quidem in morbis contagioſis, & peſte graſſante, ac inſuper etiam morte urgente permittit, ut *ungantur celeriter quinque ſenſuum organa in capite dicendo ſemel: Per iſtam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquiſti per viſum, auditum &c.* Quin & addit hoc Manuale, *quod ſi tantum ſit contagii, vel mortis periculum, ut nec conſuetæ partes ungi, nec illa forma pronunciari poſſit, ungatur organum ſenſus magis ad unctionem expoſitum, dicendo: Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquiſti per quinque ſenſus tuos.* Ulterius ad vitandum contagium adjicit idem Manuale: *In rabidis ungatur pars ori vicina, ne ſaliva, quæ inficiendi vim habet, tangatur. In peſtiferis uti licebit virga oblonga Olio tincta, quæ deinde comburatur, aut ſervanda purgetur.* Porro ex citato Manuali Cameracenſi illud plane colligitur, ab Auctoribus iſtius Manualis creditum non fuiſſe, alicujus determinatæ partis unctionem ad Sacramenti validitatem requiri. At vero, quia hoc certum non eſt, ut recte obſervat Vaneſpen Parte II. *Juris Eccleſiaſtici univerſi*, Tit. VIII. Cap. I. num. XXVIII. haud facile Sacerdotes quinque ſenſuum organorum inunctionem ob infectionis periculum, præſertim ſi propinquum non ſit, omittere poſſunt, præcipue iis in locis, ubi Ritualia licentiam omittendi eam integram inunctionem expreſſe Sacerdoti non tribuunt.

III. Quamvis itaque quinque ſenſuum unctiones neceſſariæ ſint neceſſitate Præcepti, ad conferendum rite Sacramentum Extremæ Unctionis, certum nihilominus illud tenent plerique Theologi magni nominis a BENEDICTO XIV. laudati Lib. VIII. *De Synodo Diœceſana*, Cap. III. num. III. unicam unctionem ſufficere, ſi omnes perfici nequeant; ſiquidem præter memorata, Paſtorale Mechlinenſe, & Manuale Cameracenſe, in antiquo Codice Remigio-Remenſi a Sambovio in Tractatu, *De Sacramento Extremæ Unctionis*, laudato legitur ritus abbreviatus conferendi huius Sacramenti, ubi unius pariter unctionis fit mentio. In Rituali quoque Pariſienſi prolato a Tournely, *De Sacramento Extremæ Unctionis*, Quæſtione II. Articulo I. dicitur: *Si non poſſit ſuper infirmum fieri, niſi unica unctio, ungatur oculus, vel aliud ſenſuum organum, & cæteris precibus prætermiſſis, dicatur: Per iſtam ſacri Olei unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Deus quicquid peccaſti per ſenſus.* Atque hæc eſt praxis, quam approbant Atrebatenſis, aliarumque Eccleſiarum Manualia, apud Natalem Alexandrum, Lib. II. Theologiæ Dogmaticæ, & Moralis, Cap. V. Regula VI. & cui adhærere videtur non ſine elogio nominandus BENEDICTUS Papa XIV. citato Lib. VIII. *De Synodo Diœceſana*, Cap. III. num. V. ubi poſtquam dixit, nullam de hac quæſtione, quæ ſane graviſſima eſt, hactenus ab Apoſtolica Sede prodiiſſe ſententiam, ideoque non debere Epiſcopum in ſua Synodo aliquid de illa decernere; monendos mox ſubdit ab ipſo Epiſcopo Parochos, *ut, cum prudenter timent, ægrotum deceſſurum, priuſquam omnes abſolvantur quinque ſenſuum unctiones, unicum ſenſum inungant, formam univerſalem pronunciando, quam ab allegatis Ritualibus audivimus; quinimo in prædicto caſu conſultius eſſe, ut caput, e quo omnium ſenſuum nervi deſcendunt, ſub eadem forma univerſali inungatur.* Ne vero Parochi hac libertate abutantur, opportune admonet idem Sapientiſſimus Pontifex, expedire quidem, *ut Epiſcopus ſimul ſerio eoſdem admoneat, a gravis culpæ reatu non excuſari, qui extra caſum veræ neceſſitatis, vel unam ex quinque ſenſuum unctionibus prætermittit.*

IV. Licet denique in caſu neceſſitatis, ſatis ſit, ſi ungatur infirmus ſub præſcripta formula, *Per iſtam ſanctam unctionem &c.* & omitti iccirco poſſint Orationes, ac Preces in Rituali præſcriptæ, ſtatuit nihilominus hic noſter §. ut *deinde ſi ſupervivat, dicantur Orationes prætermiſſæ, ſuo loco poſitæ.* Atque hæc eſt regula, quam inter alios tradidit S. Carolus in ſuis, *De Sacramento Extremæ Unctionis*, Inſtructionibus, Capite inſcripto, *De diligentia in miniſtrando*, ubi ſic inter alia inquit: *Si æger autem in eo ſtatu eſt, ut ſpiritum ante exhalaturus videatur, quam Sacramenti hujus miniſtrationem ipſe Parochus abſolvere poſſit, tunc Pſalmis, & Litaniis prætermiſſis, ſtatuta formula verborum ſingulas partes, quas ungi ritus poſtulat, inunget; ſique ſuperſtes erit, tunc ſtatas reliquas Preces, Litaniaſque adhibebit.* Ut ita ritus ſcilicet integer aliquo modo adimpleatur, juxta aliorum etiam Ritualium præſcriptum.

§. XI.

Si vero, dum inungitur, infirmus decedat, Presbyter ultra non procedat, & prædictas Orationes omittat.

COMMENTARIUS.

I. ADmonendum quidem hic primum cenſeo, turpem in hunc §. typographi, correctoriſque oſcitantia, irrepſiſſe errorem, quippe qui in nova hujus Romani Ritualis BENEDICTI Papæ XIV. juſſu editi, auctique impreſſione Romæ facta anno MDCCLII. apud Generoſum Salomoni particulam illam *non* prætermiſit, ineptumque verborum ſenſum reddidit. Ergo recte ſtatuit hic noſter §. ut, *ſi dum inungitur, infirmus decedat, Presbyter ultra non procedat, & prædictas Orationes omittat.* Idem monet, S. Carolus loco ſuperius citato & in Concilio Provinciali Mediolanenſi V. *Si vero, dum ungitur ſpiritum emiſerit, ungere Parochus deſiſtet.* Et ratio eſt, quia ex ipſa Sacramenti hujus inſtitutione infirmus inungi debet, non vero mortuus. Cæterum, licet non pauci ex antiquis Scholaſticis, quos recenſet BENEDICTUS Papa XIV. Lib. VIII. *De Synodo Diœceſana*, Cap. III. num. II. exiſtimarint, omnes quinque ſenſuum unctiones pertinere ad ſubſtantiam, & integritatem Sacramenti, quod ex ſingulis tanquam ex ſui partibus eſſentialibus conſtitui, atque integrari, ſunt opinati; ideoque ægro ante com-

complectam quintam unctionem mortuo, Sacramentum remanſiſſe invalidum, & propterea abſque ullo effectu; probabilior eſt nihilominus aliorum complurium Theologorum ſententia, quos idem Pontifex ibidem num. III. laudat, aſſerentium, validum eſſe Extremæ Unctionis Sacramentum, ſi vel una tantum eo caſu inungatur corporis pars, unica forma prolata. Sed de hac re jam late diſſerui in Commentario ſuperiori, & alibi.

§. XII.

Quod ſi dubitet, an vivat adhuc, unctionem proſequatur, ſub conditione pronunciando formam, dicens: *Si vivis, per iſtam ſanctam unctionem &c.* ut infra.

COMMENTARIUS.

I. Ecce & hic alius memorati typographi error, ubi enim in hoc §. legendum eſt, ut ego ſcripſi, *Si vivis, per iſtam ſanctam unctionem &c.* ille addidit particulam conjunctivam *&*, turbavitque verborum ſenſum, ſic inquiens: *Si vivis, & per iſtam ſanctam unctionem &c.* Sane regula in hoc §. tradita, ut nempe ſi Parochus dubitet, an vivat adhuc infirmus, unctionem proſequatur ſub conditione pronuntiando formam hunc in modum, *Si vivis, per iſtam ſanctam unctionem &c.* confirmatur, explicaturque luculentius a S. Carolo in Concilio Provinciali Mediolanenſi V. & in ſuis, *De Sacramento Extremæ Unctionis*, Inſtructionibus, in eo Capite, quod, *De diligentia in adminiſtrando*, inſcriptum eſt, ubi ſic inquit: *Quod ſi aliqua morbi vi infirmus oppreſſus, dubitatur, vivus ne ſit, an mortuus, tunc diligenter de hoc Sacerdos videbit, conſulto etiam Medico, ſi in tanta temporis brevitate poteſt. Si non poteſt, & in dubio, ea conditione utetur: Si es vivus, per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid &c.* Atque ex hac S. Caroli regula addiſcere licet, non ita facile, ut Caſuiſtæ putant, adminiſtranda eſſe Sacramenta ſub conditione.

§. XIII.

Si autem acciderit, infirmum poſt peccatorum ſuorum Confeſſionem ad exitum vitæ properare, tunc cum Sacro Viatico poterit & Oleum Infirmorum ad eum deferri per ipſum Sacerdotem, qui defert ſacram Euchariſtiam; ſi tamen alius Presbyter, vel Diaconus, qui Oleum Sanctum deferat, haberi poſſit, per ipſum deferatur, qui Superpelliceo indutus cum Oleo ſacro occulte delato ſequatur Sacerdotem Viaticum portantem; & poſtquam infirmus Viaticum ſumpſerit, inungatur a Sacerdote.

COMMENTARIUS.

I. Latius, luculentiuſque explicat hunc noſtrum §. S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolanenſi IV. ubi de Extrema Unctione agit, ſic inquiens: *Cum autem is*, Parochus ſcilicet, *ad ægrum, qui a Parochiali Eccleſia longius abeſt, graviter, ac non ſine periculo mortis, febri, morbove laborantem, Sanctiſſimum Corpus Domini defert, ne ubi ad Parochiale domicilium ipſe redierit, mortem ille prius obeat, quam ad Extremæ Unctionis Sacramentum eidem miniſtrandum reverti poſſit, vaſculum etiam ſacræ illius unctionis ſecum feret, illam ei, poſtquam Corpus Domini præbuerit, miniſtraturus; ſi ita morbi ingraveſcentis ratione, mortiſque periculo faciendum cenſuerit.* Eadem brevius præſcribit idem S. Antiſtes in Inſtructionibus de ipſa Extrema Unctione his verbis: *Cum ad ægrum valde periculoſum ægrotantem Sacram Euchariſtiam pro Viatico fert, vaſculum etiam ſacræ unctionis afferet, præſertim, ſi infirmi domicilium ab Eccleſia longe abeſt, ut ſi morbi vis magis ingraveſcet, in tempore miniſtret.* Similia legere eſt in variis Synodis, potiſſimum vero in Provinciali Beneventana XIII. Tit. XLVII. num. 19.

II. Deferendum eſſe una cum Sacro Viatico & Oleum Infirmorum, prædicto ſcilicet caſu, per ipſum Sacerdotem, qui Viaticum defert, ait hic quidem noſter §. qui tamen mox ſubdit, ut *ſi alius Presbyter, vel Diaconus, qui Oleum Sanctum deferat haberi poſſit, per ipſum deferatur, qui Superpelliceo indutus cum Oleo ſacro occulte delato ſequatur Sacerdotem Viaticum portantem; & poſtquam infirmus Viaticum ſumpſerit, inungatur a Sacerdote.* Aliud eſt Oleum Sanctum deferre, aliud miniſtrare. Et quidem ſolum Sacerdotem eſſe hujus Sacramenti Miniſtrum, docent nos ea Apoſtoli Jacobi verba: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ.* Nec alteri a Sacerdote, etiam in articulo neceſſitatis, competere hoc Sacramentum miniſtrare, definitum plane eſt in Concilio Tridentino, Seſſione XIV. Can. IV. *Si quis dixerit, proprium Extremæ Unctionis Miniſtrum, non eſſe ſolum Sacerdotem, anathema ſit.* Recte itaque ſtatuit hic noſter §. inungendum eſſe infirmum *a Sacerdote*, tametſi Sancti Olei vaſculum deferri a Diacono permiſerit. Quod quidem mirum videri non debet, cum ex variorum Conciliorum Decretis, jam non modo Diaconi, ſed & Subdiaconi, Clericique, de ſingulis Eccleſiis ad Epiſcopos proprios ante Paſchatis diem mitterentur, ad ſacra Olea accipienda. Ita plane ſtatuit inter alia Concilium Provinciale VI. Beneventanum anni MCCCLXXIV. Tit. III. Cap. III. licet poſtea Beneventanum itidem Concilium Pro-

Provinciale XII. anni MDXCIX. Tit. XXII. Cap. unico in fine expreſſe edixerit, ut *Olea Sacra*, *& Sanctum Chriſma non niſi in Sacris conſtituto, ubi haberi poteſt, Superpelliceo induto deferenda concedantur*. Similia legere eſt in Synodis aliis Provincialibus, & Diœceſanis permultis.

§. XIV.

In eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non debet, niſi diuturna ſit; ut ſi, cum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis incidat.

COMMENTARIUS.

I. FUiſſe nonnullos graves cæteroqui Scriptores labente Sæculo XI. & ineunte XII. ea imbutos opinione, ut illicitum reputarent, Fidelem ſancto Oleo ſemel inunctum, unquam deinceps eodem linire, notavit jam inter alios eruditos Scriptores doctiſſimus Pontifex BENEDICTUS XIV. Lib. VIII. *De Synodo Diœceſana*, Cap. VIII. num. III. Ejus plane opinionis fuere Gaufridus Vindocinenſis Lib. II. Epiſtola XIX. Ivo Carnotenſis apud eundem Epiſtola ſequenti, Theobaldus Senonenſis S. Columbæ Abbas, aliique illuſtres Viri, qui Sæculo XII. floruere; cenſentes, infirmorum unctionem, non ſolum in eadem ægritudine, ſed in diverſa, non magis iterandam, quam Baptiſmi, Confirmationis, Ordinationis, Eccleſiarum, Vaſorumque Eccleſiaſticorum unctionem. Quorum tamen ſententiam refutarunt Petrus Venerabilis Abbas Cluniacenſis, ſcripta ad Theobaldum egregia Epiſtola, quæ eſt ſeptima Libri V. & Petrus Lombardus Lib. IV. Sententiarum, quibus ſubſcripſerunt omnes deinceps Theologi, qui ſaltem in diverſa ægritudine unctionem repeti poſſe docuerunt.

II. Hinc falſum eſt, quod narrant Ciaconius, & Ughellus, diſputatum fuiſſe, an Summo Pontifici Pio II. graviter ægrotanti adminiſtrari poſſet Extrema Unctio, eo quod pluribus antea annis eam recepiſſet Baſileæ, cum peſte laboraret, quæ in ea Urbe graſſabatur. Verum cum hujuſmodi memorandi certe facti nulla mentio occurrat, neque in Vita ejuſdem Pii II. a Joanne Antonio Campano, Epiſcopo Aprutino, accurate deſcripta, neque in Commentariis Cardinalis Papienſis, qui cæteroquin quamminutiſſime ſcribit, quæ in Pii II. morte contigerant, illud merito aut fabuloſis, aut ſaltem ſuſpectis narrationibus laudatus BENEDICTUS Papa XIV. citato loco accenſet; tum vero potiſſimum, quod medio Sæculo XV. quo Pius II. claruit, communis erat Theologorum opinio, complurium Synodorum, ac Ritualium auctoritate comprobata, Sacramentum ſcilicet Extremæ Unctionis poſſe, ac aliquando etiam debere iterari.

III. Negari certe illud non poteſt, quin Auctores non pauci opinarentur, Extremam Unctionem poſſe iterum eidem conferri, modo tamen a die, qua inunctus fuiſſet, tres integri anni effluxiſſent. Hanc falſam perſuaſionem ſibi induxiſſe Monachos Hirſaugienſes, refert Auctor veteris diſciplinæ Monaſticæ in Præfatione, Cap. CXXVIII. ubi poſtquam antiquum exhibuit eorundem Monachorum uſum ponendi infirmum Extrema Unctione jam munitum, & cui mortis momentum inſtaret, *ſuper ſagum cilicinum cinere aſperſum*, hæc ex Guidone Farfenſi addit: *Cæterum Hirſaugienſes exiſtimabant, Unctionis Sacramentum ab eodem iterari non poſſe, niſi effluxo triennio; hinc ſtatuerunt, eumdem Fratrem, ſi mortem evaſerit, poſt tres annos iterum perungi poſſe*. Cenſuerunt denique alii apud Petrum Cantorem in Summa, Cap. CXXXII. & Durandum Lib. I. Rationalis Divinorum Officiorum, Cap. VIII. num. 25. non licere Extremam Unctionem intra ejuſdem anni ſpatium repetere, etiamſi contingeret, quempiam in periculoſum morbum iterato incidere.

IV. At vero ex adverſo Ritualia, & exempla multa non deſunt, quibus docemur, non modo olim reiterari conſueviſſe in diverſa ægritudine Unctionem ipſam Extremam, verum etiam per ſeptem continuos dies in eadem infirmitate repeti. Hunc ritum præſcribunt permulti quidem Rituales Codices ante & poſt annum Chriſti milleſimum exarati, quorum nonnullos recenſet Martene Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Lib. I. Cap. VII. Articulo IV. Eundemque videre eſt ritum in Vita S. Remberti Hamburgenſis Archiepiſcopi, qui obiit anno DCCCLXXXVIII. ſcripta ab Auctore æquali, ubi ſic legitur: *Septimo ante obitum die miniſterium Sacræ Unctionis ei fieri cœpit, & una cum Communione Corporis, & Sanguinis Domini, uſque in diem animæ exeuntis de corpore, hoc ſalutare remedium omni die percepit*. Multa id genus exempla occurrunt frequenter in antiquorum Sanctorum Vitis, ad eaque alludens Matthæus Galenus in Promptuario Theologico, Catecheſi CLXXX. ſic inquit: *Unde diſcimus, olim non ita parce actum, ut nunc, ſed tota infuſa, delibutaque fuiſſe corpora, neque tantum organa ſenſuum, ſed omnes illæ partes inungebantur, in quibus morbus potiſſimum graſſabatur, idque interdum per continuos ſeptem dies*. Et Catecheſi CLXXXI *Quid enim eſt mirum*, ait, *raram contingere ſanitatem, cum vix habeatur nunc ratio partium affectarum, quas Majores noſtri totis ſeptem diebus inungebant*.

V. Quicquid autem ſit de varia antiqua in hanc rem diſciplina, certa eſt plane regula illa, quam tradit hic noſter §. ex cujus præſcripto *in eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non debet, niſi diuturna ſit, ut ſi, cum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis incidat*. Atque hæc eſt regula, quæ pluribus etiam ab hinc Sæculis prævaluit, & communi uſu recepta, ac probata Theologorum non modo, ſed & Ritualium, atque Synodorum auctoritate, qui hujus Sacramenti iterationem docent, ac jubent, quotieſcumque Fidelis in novum incidit morbum, & in diverſum adducitur vitæ diſcrimen. Ita plane ſtatuit, definiitque Tridentinum Concilium Seſſione XIV. Cap. III. *Quod ſi infirmi poſt ſuſceptam hanc unctionem convaluerint, iterum hujus Sacramenti ſubſidio juvari poterunt, cum in aliud*

aliud ſimile vitæ diſcrimen inciderint. Concilio Tridentino inhæret ejus Catechiſmus, Parte II. *De Extremæ Unctionis Sacramento*, num XXII. ſic inquiens: *In quibus illud conſervare oportet, in una, eademque ægrotatione, cum æger in eodem vitæ periculo poſitus eſt, ſemel tantum ungendum eſſe. Quod ſi poſt ſuſceptam hanc unctionem æger convaluerit, quoties poſtea in id vitæ diſcrimen inciderit, toties ejuſdem Sacramenti ſubſidium ei poterit adhiberi; ex quo patet, in eorum Sacramentorum numero, quæ iterari ſolent, reponendam eſſe*. An eodem morbo, eodemque infirmitatis ſtatu durante, iterari Extrema Unctio poſſit, nec Tridentinum Concilium, nec ejus Catechiſmus determinarunt, quod id ſcirent pendere a diſciplina, uti notavit Vaneſpen Parte II. *Juris Eccleſiaſtici univerſi*, Titulo VIII. Cap. III. num. XXXIII.

VI. Cæterum durante eadem infirmitate, ſi poſt ſuſceptam Extremam Unctionem, morbus ita remittat, ut ægrotus mortis periculum evaſiſſe videatur, ſed antequam convaleſcat, iterum in vitæ diſcrimen relabatur, etiam juxta præſentem diſciplinam poterit abſque ſcrupulo denuo Sacra Unctione muniri, juxta regulam in hoc noſtro §. traditam, quam ſequutæ ſunt variæ Synodi, ac præſertim Salernitana anno Chriſti MDLXXIX. habita Tit. XXXII. Cap. III. *In eadem, infirmitate*, ait, *nonniſi ſemel Sacra Unctio adhibeatur; niſi illa longa exiſtente, pluries vitæ periculum, plurieſque ſalutis ſpes inſurgeret*. Hanc plane regulam longe ante Theologorum omnium Princeps S. Thomas docuit, probavitque in IV. Sententiarum, Diſtinctione XXIII. Quæſtione II. Articulo IV. ad II. ſic inquiens: *Hoc Sacramentum non reſpicit tantum infirmitatem, ſed etiam infirmitatis ſtatum; quia non debet dari, niſi infirmis, qui ſecundum æſtimationem humanam videntur morti appropinquare. Quædam ergo infirmitates non ſunt diuturnæ, unde ſi in eis datur hoc Sacramentum, tunc cum homo ad illum ſtatum perveniat, quod ſit in periculo mortis, non recedit a ſtatu illo, niſi infirmitate curata, & ita iterum non debet inungi. Sed ſi recidivum patiatur, erit alia infirmitas, & poterit fieri alia inunctio. Quædam vero ſunt ægritudines diuturnæ, ut hectica, & hydropiſis, & hujuſmodi, & in talibus non debet fieri inunctio, niſi quando videntur perducere ad periculum mortis; & ſi homo illum articulum evadat, eadem infirmitate durante, & iterum ad ſimilem ſtatum per illam infirmitatem reducatur, iterum poteſt inungi, quia jam eſt quaſi alius infirmitatis ſtatus, quamvis non ſit alia infirmitas ſimpliciter.*

VII. Hanc itaque S. Thomæ doctrinam amplexum eſt Rituale Romanum, ubi in hoc noſtro §. ita ſtatuit, ut *in eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non debeat, niſi diuturna ſit; ut ſi, cum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis incidat*. Cui concinit Rituale Cardinalis Sanctorii pag. 324. ubi legitur: *In eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non debet, niſi diuturna ſit, & infirmus, cum viſus eſſet melius ſe habere, iterum in periculum mortis incidit*. Itemque Rituale Argentinenſe, ac Paſtoralia Viennenſe, Mechlinenſe, Lemovicenſe, aliaque complura congeſta a Launojo, Tomo I. in Tractatu, *De Extrema Unctione*, & a Vaneſpennio loco citato, qui etiam in fine prædicti Capitis opportune Parochos monet, ne nimium ſcrupuloſe in hoc ſe gerant; ſed ſi dubitent, an revera morbi ſtatus ſit, ſeu num idem, vel diverſum ſit periculum, in quo ægrotus verſatur, expedire ait, ut ad Sacramenti iterationem propendeant, eo quod hæc iteratio conformior ſit veteri Eccleſiæ conſuetudini, & per eam novum ſpirituale ſubſidium, & levamen infirmo obveniat. Quod enim olim ea diſciplina viguerit, ut infirmi per ſeptem continuos dies & Extrema Unctione, & ſacro Viatico donarentur, jam nos ſupra in hoc Commentario notavimus, oſtendimuſque, allatis variis antiquorum Ritualium locis.

§. XV.

Quinque vero corporis partes præcipue ungi debent, quas veluti ſenſuum inſtrumenta homini natura tribuit, nempe, oculi, aures, nares, os, & manus; attamen pedes etiam, & renes ungendi ſunt, ſed renum unctio in mulieribus, honeſtatis gratia, ſemper omittitur; atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non poteſt. Sed ſive in mulieribus, ſive in viris, alia corporis pars pro renibus ungi non debet.

COMMENTARIUS.

I. Proximam Sacramenti Extremæ Unctionis materiam recte docent Theologi paſſim, ipſam eſſe unctionem. Id etenim expreſſe tradit S. Apoſtolus Jacobus in celebri ſua Canonica Epiſtola, Cap. V. illis verbis: *Ungentes eum Oleo*. Idemque confirmant Patres, ac Synodi præſertim Florentina ſub Eugenio Papa IV in Inſtructione pro Armenis, & Tridentina Synodus Seſſione XIV. Cap. I. quibus & ratio ipſa ſuffragatur. Materia enim proxima Sacramentorum, quæ ſunt in uſu poſita, eſt uſus ipſe, ſeu applicatio materiæ remotæ ad ſubjectum idoneum. Cum igitur materia remota Extremæ Unctionis, quod Sacramentum eſt in uſu poſitum, ſit Oleum, nec aliter applicetur illud, niſi unctione, unctio iccirco materia proxima eſt.

II. Porro autem cum laudatus Apoſtolus ſolam unctionem expreſſerit, nulla facta partium corporis ungendarum mentione, factum eſt, ut non parum variarint eam in rem Eccleſiæ. Unctionem adhibent Græci, teſte Arcudio Lib. V. Cap. VII. ubi citat Simeonem Theſſalonicenſem, *ad frontem, mentum, ambas genas, ut fieri videatur unctio in capite ad modum Crucis, deinde ad pectus, tum ad manus, idque ex utraque parte, poſtremo ad pedes*. Quod Eccleſiam Latinam ſpectat, varia haud dubie fuit de partibus inungendis conſuetudo, uti oſtendit Sambovius in celebri Tractatu, *De Sacramento Extremæ Unctionis*. Teſte Martene Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. VII. Articulo III. num. VIII. ex Pontificali Prudentii Tricaſſini Epi-

Epiſcopi, qui ante annos CM. Trecenſem regebat Eccleſiam, infirmi inungendi ſunt, *in ſuperciliis oculorum, ad aures deintus, ad nares in ſummitate, ad labia exterius, ad manus exterius, ad pedes, in gutture, in collo, in ſcapulis, in umbilico, ſeu in loco, ubi plus dolor imminet.* Ex antiquo Codice Turonenſi ejuſdem fere ætatis, *in collo, in gutture, inter ſcapulas, & in pectore, & in quinque corporis ſenſibus, ideſt, in ſuperciliis oculorum, & in aurium ſummitate, ſive interius, & in labiis exterius, & in narium ſummitate, ſive deintus, & in manibus deforis, in genibus quoque, & in cruribus, ſuris, pedibus, ac plantis, & pene in omnibus membris, ſeu in loco, ubi dolor plus imminet.* Ex antiquo Codice B. Mariæ Remenſis ætatis pene ejuſdem, *in vertice capitis, in ſuperciliis oculorum, in auribus deintus, in narium ſummitate, in labiis exterius in planta pedum.* Ex Pontificali Cameracenſis Eccleſiæ annorum circiter DC. *in vertice, in fronte, in temporibus, in facie, in ſuperciliis oculorum, in auribus deintus, in narium ſummitate, in labiis exterius, in gutture, & collo, inter ſcapulas, inter pectora, ſuper manus deforis, in pedibus, in umbilico, ſeu in loco, ubi amplius dolor imminet.* In Statutis denique Monialium Gilbertinarum Tomo II. Monaſtici Anglicani pag. 775. præſcribitur, ut *unctio, quæ ſolet fieri circa umbilicum infirmorum, fiat in pectore Sororum circa guttur, unctio gulæ in mento.*

III. Longum eſſet alios Rituales Libros referre a Martene relatis citato loco Articulo IV. ubi varios ad ungendos infirmos Ordines deſcribit, ex quibus invaluit uſus ungendi varias corporis partes. Cenſet autem Launojus Libro inſcripto, *Explicata Eccleſiæ traditio circa partes corporis, quæ unguntur in Sacramento Extremæ Unctionis*, Cap. II. Obſervatione II. poſt tempora S. Gregorii paulatim invaluiſſe, ut plures corporis partes inungerentur, ſed non eaſdem in omnibus Eccleſiis, immo in aliquibus quaſdam debuiſſe inungi, quas in aliis ungi vitium erat. Certe qui Vitam S. Augendi, volgo Eugendi Abbatis ſcripſit, tantum unius partis, ſcilicet pectoris, inunctæ meminit: *Cum ultra ſexagenariam ætatem*, inquit, *ſex fere menſibus prædictus Pater inæqualitate corporea laboraret, ſic tamen, quod numquam Canonico uſque ad horam defuiſſet Curſu, nec bis in die feſſo corpuſculo coactus fuit aliquid impertiri, vocato uno ad ſe de Fratribus, cui cum libertate peculiari olim etiam perungendi infirmos opus injunxerat, ſecretiſſime quoque ſibi pectuſculum petiit, ut moris eſt, inungi.* Ergo tunc moris erat, ideſt, Sæculo Chriſti VI. quo claruit S. Eugendus, pectuſculum tantum inungere. Quod & in Præfatione ad Sæculum I. Benedictinum obſervat Mabillonius num. 97. Sed & illud diſſimulari non debet, quod nempe in pluribus Ritualibus a nobis ſuperius allegatis dicitur, eam eſſe in conferendo hoc Sacramento inungendam corporis partem, *ubi dolor plus imminet*, ſuum habere fundamentum in iis Canonicæ Epiſtolæ S. Jacobi Apoſtoli verbis: *Et alleviabit eum Dominus.* Quod tamen jam pluribus ab hinc Sæcolis in uſu eſſe deſiit, *ne forſan videretur Unctio hæc Sacri Olei ad medicinam corporis magis, quam animæ adhiberi*; uti ſcite obſervat Vanefpen Parte II. *Juris Eccleſiaſtici univerſi*, Tit. VIII. Cap. I. n. XXI.

IV. Explicato hucuſque antiquo ritu, variarumque Eccleſiarum uſu ungendi plures corporis partes, devenio ad ritum in hoc noſtro §. expreſſum, ex cujus præſcripto *quinque corporis partes præcipue ungi debent, quas veluti ſenſuum inſtrumenta homini natura tribuit*, nempe, *oculi, aures, nares, os, & manus; attamen pedes etiam, & renes ungendi ſunt.* Idipſum docet, explicatque Tridentini Concilii Catechiſmus Parte II. *De Extremæ Unctionis Sacramento*, num XX. ubi ita inquit: *Non ſunt autem omnes corporis partes ungendæ, ſed eæ tantum, quas veluti ſenſuum inſtrumenta natura homini attribuit; oculi propter viſionem, aures propter auditum, nares propter odoratum, os propter guſtum, vel ſermonem, manus propter tactum; qui tametſi toto corpore æquabiliter fuſus eſt, in ea tamen parte maxime viget.* Addit mox quod & maxime notandum eſt: *Hunc autem ungendi ritum univerſalis Eccleſia retinet, atque etiam hujus Sacramenti naturæ optime convenit; medicamenti enim eſt inſtar. Ac quoniam in corporis morbis, quamvis univerſum corpus male affectum ſit, tamen illi tantum parti curatio adhibetur, a qua tanquam a fonte, & origine morbus manat, idcirco non totum corpus, ſed ea membra, in quibus potiſſimum ſentiendi vis eminet. Renes etiam veluti voluptatis, ac libidinis ſedes unguntur; tum pedes, qui nobis ingreſſus, & ad locum movendi principium ſunt.*

V. Quinque ſenſuum, & pedum, renumque unctionis mentionem faciunt non pauci Rituales Codices, ac Synodi, præſertim vero Eugenius IV. in Decreto Unionis Armenorum, ubi etiam multiplicis ejus unctione rationem docet, ſic inquiens: *Hoc Sacramentum, niſi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet, qui in his locis ungendus eſt, in oculis propter viſum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter guſtum, vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter greſſum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem.* Longe ante Eugenium viguiſſe in Eccleſia Latina hanc diſciplinam, ut memoratæ corporis partes inungerentur, teſtantur varii Rituales Libri, ac Synodi Eugenio antiquiores, præſertim vero Provincialis VI. Beneventana anni MCCCLXXIV. Tit. VIII. Cap. IV. his verbis: *Et quia omnis noſtra cognitio incipit a ſenſu, ſicque ſenſus ſunt in nobis prima principia peccandi, ideo in hoc Sacramento inſtrumenta quinque ſenſuum tanquam primæ radices peccandi inunguntur, oculi propter viſum, aures propter auditum, nares propter odoratum, labia propter guſtum, manus propter tactum, qui maxime viget in pulpis digitorum, pedes vero propter motivam vim, renes etiam propter vivam appetitivam.* Quæ explicatio deſumpta eſt quidem ex S. Thoma in Supplemento III. Partis, Quæſtione LXIII. Articulo V. & in IV. Sententiarum, Diſtinctione XXIII. Quæſtione II. Articulo II. Quæſtiuncola II.

VI. Ad unctionem renum quod attinet, notandum profecto illud, quod ait hic noſter §. quod nempe *renum unctio in mulieribus honeſtatis gratia, ſemper omittitur; atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non poteſt.* Et ratio potiſſima eſt illa, quia, uti inter alios docet, monetque S. Carolus in ſuis, *De Sacramento Extremæ Unctionis*, Inſtructionibus, ubi cæremonias, & ritus illius adminiſtrandæ ex-

Digitized by Google

expoſuit, renum unctio, ſicut & pedum, *non ita ſunt neceſſariæ, ut aliæ, quæ ſunt quinque ſenſuum*; ideoque ſubdit, in feminis renum inunctionem omittendam; & quidem *honeſtatis gratia*, uti ait hic noſter §. cui quidem varii Rituales Codices, ac Synodi conſentiunt, inter quas Salernitana anni MDLXXIX. Tit. XXXII. *De Sacramento Extremæ Unctionis*, Cap. VI. ſic habet: *Renum autem unctio, quia ad hujus Sacramenti eſſentiam neceſſaria non eſt, omittendam ducimus. In viris autem ita adhiberi poſſe, ſi per infirmitatem licuerit, alioquin renum loco pectus inungi poterit*. Quod tamen poſtremum de inungendo pectore loco renum, correctum eſt ex noſtro §. ubi expreſſe edicit, quod, *ſive in mulieribus, ſive in viris, alia corporis pars pro renibus ungi non debet*.

VII. Porro conſueviſſe olim inter alias corporis partes inungi umbilicum, conſtat plane ex antiquo Cameracenſi Pontificali, cujus locum ſupra attulimus, in feminis autem loco umbilici, inunctum pectus fuiſſe, ex Monialium Gilbertinarum Statutis ſupra etiam allatis liquet. Sed ſublata eſt penitus tandem ea inunctio non modo umbilici, ſed renum, ac pectoris in feminis *honeſtatis gratia*; & quidem, ut recte obſervat Raynaudus in Diſſertatione, *De ſobria alterius ſexus frequentatione per ſacros, & religioſos homines*, Cap. VIII. pag. 268. *non tam perſonæ inunctæ, quæ in eo ſtatu eſt, ut extra diſcriminis aleam conſtituta videatur, etiamſi ibi quoque inungeretur; quam perſonæ inungentis, hoc eſt, Sacri Miniſtri, cui ab inunctione impenderet aliquod illecebroſitatis periculum*. Hinc corrigenda, ac diris omnino vovenda, fœda illa, ac turpis Victorelli opinio, qui in Tractatu, *De Sacro Extremæ Unctionis Sacramento*, Patavii edito anno MDCIX. pag. 62. de ipſa lumborum inunctione loquens, non veritus eſt hæc ſcribere: *Si ſæcularis femina hac unctione linienda ſit, prope umbilicum inunge, is locus luxuriæ ſedes in femina.* Sed de his opinionum portentis jam alias dixi.

VIII. Sed his omiſſis, opportune in hoc Commentario diſcuti poſſunt tres quæſtiones, quarum prima eſt, an quinque ſenſuum unctio ſit de ſubſtantia Sacramenti. Et quidem licet apud etiam inſignes Theologos, ut ſupra notavimus, probabilis ſit opinio, qua aſſeritur, quinque ſenſuum unctionem non eſſe de eſſentia Sacramenti, addubitari tamen nequit, quin Miniſter extra caſum neceſſitatis eam unctionem quinque ſenſuum omittens, peccaret læthaliter contra inſtitutionem Eccleſiæ; tum vero potiſſimum quod illicitum eſt in adminiſtratione Sacramentorum ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore; damnata enim eſt ab Innocentio Papa XI. contraria quorundam Caſuiſtarum ſententia, qui id non eſſe illicitum aſſerebant. Sed de hac re plura videri poſſunt apud Jueninum in Opere, *De Sacramentis*, Diſſertatione VII. Quæſt. III. Cap. II. & apud Eſtium in IV. Sententiarum Diſtinctione XXIII. §. XV.

IX. Altera quæſtio eſt, Cur cordis locus, ideſt pectus non ungatur, cum in corde potiſſima ſit peccati radix juxta illud Chriſti Domini in Evangelio Matthæi, Cap. XV. *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria &c. hæc ſunt quæ coinquinant hominem*. Reſpondet ad hanc quæſtionem Eſtius loco citato, aitque, cor pro voluntate accipi in recitato Evangelii loco, ſicut & in aliis pene innumeris. Atqui ex voluntate non prodeunt cogitationes malæ, niſi mota fuerit ab imaginatione, quæ ſumitur a ſenſu; & proinde cor, ideſt voluntas, licet potiſſima, non tamen prima in nobis eſt cauſa peccandi. Atque hæc eſt ratio, cur ipſa cordis, pectoriſve inunctio, non fuerit neceſſaria reputata, ſequioribus ſcilicet Sæculis, nam alias Rituales antiqui Codices multi inter alias corporis partes inungendas, cor, & pectus etiam recenſent; ut exempla omittam, quibus docemur, ſolum pectus fuiſſe aliquando inunctum. Atque huc facit S. Augendi, vulgo Eugendi exemplum, quod ſupra deſcripſimus num. III.

X. Quæſtio tertia eſt, Quomodo hoc Sacramentum ſit unum, & non plura, cum & in pluribus membris plures, atque diſtinctæ unctiones adhibeantur, itaut in univerſum XII. unctiones numerentur a Scoto, & forma ipſa ad ſingulas, vel ſaltem ad binas unctiones repetatur, mutato tantum nomine ſenſus, aut ſenſorii. Reſpondet & ad hanc quæſtionem memoratus Eſtius ibidem, dicens, omnes illas unctiones cum repetitione verborum ad ſingula membra, tanquam partes integrales conſtituere unum totum, atque integrum Sacramentum; non quod gratiam Sancti Spiritus ex hoc Sacramento tum demum percipiat ægrotus, cum ultima unctio perfecta fuerit, ut eſt quorumdam opinio; ſed perinde, atque Euchariſtiæ Sacramentum ex pluribus conſtet partibus, quarum ſingulæ ſtatim ſuum habeant effectum; ita tamen, ut in poſtrema unctione facta tandem integrum, & perfectum cenſeatur Sacramentum, ſicut perfectum eſt Euchariſtiæ Sacramentum, facta conſecratione Calicis. Itaque ſi ægrotus, inunctis oculis, ſtatim expiret, Sacramentum accipit, ſed imperfectum; & proinde quando accedunt aliæ unctiones, non multiplicatur Sacramentum, ſed idem Sacramentum additis ſuis partibus augetur, & perficitur. Atque his adde, quæ longe ante Eſtium, alioſque idem aſſerentes, docuit Beneventana VI. Provincialis Synodus habita anno MCCCLXXIV. Tit. VIII. Cap. III. his verbis: *Licet multæ fiant ibi inunctiones, ultima tamen eſt ibi formalis, reſpectu omnium præcedentium, & agit in virtute earum, & ideo in ultima inunctione gratia infunditur, quæ effectum præbet Sacramenti. Et ideo unum Sacramentum dicitur unitate perfectionis, quæ eſt per finem.*

§. XVI.

Manus vero, quæ reliquis infirmis inferius ungi debent, Presbyteris exterius unguntur.

COMMENTARIUS.

I. Si veteres Codices Rituales permultos ſpectemus, præſcripta eſt quidem in iis manuum inunctio, ſed nulla facta mentione, an interius, exteriuſve, fieri illa deberet. Ex Pontificali Prudentii Epiſcopi qui ante annos CM. Trecenſem regebat Eccleſiam, cautum lego,

go, ut inunctio ipſa fiat *ad manus exterius*; ſive *ſuper manus deforis*, ut ait Pontificale Eccleſiæ Cameracenſis annorum circiter DC. & alia complura ejuſdem, ſequioriſve ætatis, ſed nulla prorſus facta perſonarum diſtinctione. Neque vero iccirco dici poteſt, recens eſſe inſtitutum, quod ait hic noſter §. ut nempe *manus, quæ reliquis infirmis interius ungi debent, Presbyteris exterius ungantur*. Ejus enim ritus mentionem faciunt mſ. Codex Floriacenſis, ante annos D. exaratus, aliique Rituales Libri ſequioris ævi a Martene allati Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Lib. I. Cap. VII. Articulo IV. Porro autem laudatus Floriacenſis Codex, ubi agit de unctione manuum, hæc addit: *Si fuerit Sacerdos, ſolummodo deforis*. Cui concinit Rituale Eccleſiæ Catalaunienſis annorum circiter CCC. ubi ſic legitur: *Item ſuper manus, & infra. Si vero ſit Sacerdos, ungatur tantum extra*. Mentionem rationemque hujus varii ritus inter alios Scriptores fecit, docuitque Durandus Epiſcopus Mimatenſis, qui claruit labente Sæculo XIII. Lib. I. Rationalis Divinorum Officiorum, Capite VIII. num. 25. ubi inter alia ait, Presbyteri manus exterius inungi, *quod in ordinatione ejus interius inunctæ fuerunt*. Atque hæc eſt ratio, quam S. Carolus in Inſtructionibus, *De Sacramento Extremæ Unctionis*, Synodi, Rituales Codices, Auctoreſve paſſim aſſignant, ubi ajunt, quod habet noſter §. ut *manus, quæ reliquis infirmis interius ungi debent, Presbyteris exterius ungantur*.

§. XVII.

Dum oculos, aures, & alia corporis membra, quæ paria ſunt, Sacerdos ungit, caveat, ne alterum ipſorum inungendo, Sacramenti formam prius abſolvat, quam ambo hujuſmodi paria membra perunxerit.

COMMENTARIUS.

I. Tradunt & hanc regulam Rituales Codices, recentiores paſſim, ac Synodi, eamque communiter probant Theologi, ac rerum ritualium Scriptores, præ ceteris autem S. Carolus in ſuis, *De Sacramento Extremæ Unctionis*, Inſtructionibus, ſic inter alia inquiens: *Ungendis autem oculis, aliiſque membris, quæ in homine paria ſunt, hoc valde cavebit*, Parochus, aliuſve Sacerdos, qui ipſum Sacramentum miniſtrat, *ut cum utrumque membrum unius tantum ſenſus ſit, utriuſque itidem unctionem abſolvat, unica ſolum verborum forma, licet duas Cruces faciat. Unget autem primo dexterum, deinde ſiniſtrum, Cruce unicuique impreſſa Oleo Sacro*. Idipſum præſcribunt permultæ Synodi S. Caroli ævo celebratæ, & quidem Provinciales, Diœceſanæque, inter quas Salernitana habita anno MDLXXIX. Tit. XXXII. Cap. VI. ſic habet: *Caveat omnino Parochus, ne dum oculos, nares, aures, & manus inungit, alteri tantum unctionem adhibeat, ne imperfectum remaneat Sacramentum*.

§. XVIII.

Siquis autem ſit aliquo membro mutilatus, pars loco illi proxima inungatur, eadem verborum forma.

COMMENTARIUS.

I. Conſtat hæc regula ex variis Ritualibus, Conciliiſque, eamque probarunt Theologi antiqui inſigniores, inter quos S. Thomas in IV. Sententiarum, Diſtinctione XXIII. Quæſtione II. Articulo III. Quæſtiuncula III. hæc habet: *Mutilati inungi debent, quanto propinquius eſſe poteſt ad partes illas, in quibus unctio fieri debuerat; quia quamvis non habeant membra, habent tamen potentias animæ, quæ illis membris debentur, ſaltem in radice, & interius peccare poſſunt per ea, quæ ad partes illas pertinent, quamvis non exterius*. Hanc doctrinam ſequutus inter alios S. Carolus in memoratis toties de Extrema Unctione Inſtructionibus, ita inquit: *Cæcis, ſurdis, mutis, paralyticis, quamvis eo ſenſu, vel videndi, vel loquendi, vel ambulandi, ſemper earuerint, præbebitur; peccare enim potuerunt per internas potentias, quibus ea membra reſpondent*. Hinc non puto adhærendum Natalis Alexandri opinioni, qui Libro II. Theologiæ Dogmaticæ, & Moralis, Tractatu, *De Extrema Unctione*, Capite V. Regula VII. ait, in cæcis, aut ſurdis a nativitate non eſſe faciendam unctionem oculorum, aut aurium, nec verba iis ſenſibus reſpondentia proferenda; in mutis vero a nativitate faciendam quidem unctionem ad labia, ſed dicendum tantum: *quidquid peccaſti per guſtum*.

§. XIX.

Hujus autem Sacramenti forma, qua Sancta Romana Eccleſia utitur, ſolemnis illa precatio eſt, quam Sacerdos ad ſingulas unctiones adhibet, cum ait: *Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per viſum, ſive, per auditum &c. deliquiſti*.

COMMENTARIUS.

I. Dum peragitur unctio, nonnulla Sacerdos, qui eam miniſtrat, verba pronunciat, quæ a Scholaſticis Doctoribus forma appellantur. Hæc in quibuſdam Ritualibus modo abſoluto, in aliis deprecativo, in nonnullis partim abſoluto, partim deprecativo

tivo enunciantur ; uti jam notavit antiquorum Ritualium peritiſſimus , & in eiſdem valde verſatus Edmundus Martene, Lib. 1. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. vii. Articulo iii. num. ix. Et quidem quod in multis Eccleſiis abſoluta , ſeu indicativa fuerit antiquitus forma Sacramenti Extremæ Unctionis , conſtat non modo ex variis Ritualibus ab eodem Martene allatis loco citato, Articulo iv. verum etiam ex ea forma , quæ dicitur Ambroſiana, quæque in Eccleſia Mediolanenſi Sæculo iv. ut ajunt, in uſu erat , eratque hujuſmodi : *Vngo te Oleo ſanctificato in Nomine Patris , & Filii , & Spiritus Sancti , ut more militis uncti præparatus ad certamen aereas poſſis ſuperare poteſtates* . Aſſerit præterea Beatus Albertus Magnus in iv. Sententiarum, Diſtinctione xxiii. Articulo iv. ſe luſtraſſe oculis antiquiſſimos Germaniæ Rituales Libros , qui Sacramenti, de quo agitur, formam mere indicativam continerent; additque mox etiam , praxim , qua Sacramentum eo modo conferebatur , a Germanis vocari Gregorianam . Rurſus teſte Arcudio Lib. v. *De concordia Eccleſiæ Orientalis cum Occidentali*, Cap. v. in antiquo ms. Codice Halirgarii, qui florebat Ludovici Pii temporibus, ita ea forma legitur : *Vngo te de Oleo ſanctificato , ut more militum , & præparatus ad luctamen aereas poſſis ſuperare catervas . Operare Creatura Olei in Nomine Patris , & Filii, & Spiritus Sancti , ut non lateat hic ſpiritus immundus , nec in membris , nec in medullis , nec in ulla compagine membrorum hujus hominis ; ſed operetur in eum virtus Chriſti Filii Altiſſimi, qui cum Patre , & Spiritu Sancto vivit , & regnat in ſæcula ſæculorum , Amen* .

II. His aliiſque plurimis veterum teſtimoniis edocti Menardus in Notis ad Librum Sacramentorum S. Gregorii Papæ , Morinus in Opere, *De Pœnitentia*, Vanceſpen Parte II. Juris Eccleſiaſtici univerſi , Tit. viii. Cap. 1. Jueninus , *De Sacramentis*, Diſſertatione vii. Quæſtione iv. Concluſione 1. Natalis Alexander Lib. II. *Theologiæ Dogmaticæ , & Moralis*, Tractatu , *De Extrema Vnctione*, Capite 1. Articulo iii. ac Martene loco citato , conſtanter ajunt, in multis olim Eccleſiis Latinis obtinuiſſe abſolutam , indicativamque Extremæ Unctionis formam ; ſimulque etiam fatentur , in aliis Eccleſiis Extremam ipſam Unctionem per indicativam & deprecativam ſimul formam fuiſſe collatam . Quod quidem probat memoratus Jueninus ex Libro Sacramentorum S. Gregorii Papæ , in quo hæc legitur Extremæ Unctionis forma : *Inungo te de Oleo Sancto, ſicut unxit Samuel David in Regem, & Prophetam . Operare Creatura Olei in Nomine Patris Omnipotentis , ut non lateat illic ſpiritus immundus , neque in membris illius , neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum; ſed in te habitet virtus Chriſti Altiſſimi , & Spiritus Sanctus . Per eundem.* Porro ejuſmodi formæ verba , *Inungo te &c.* ſunt abſoluta, ſeu indicativo modo prolata ; poſteriora vero , *In te habitet virtus Chriſti &c.* ſunt deprecativa , ſeu prolata in modum Orationis , uti obſervant Jueninus, & Alexander ; quamvis alii non deſint , ac præſertim Vaneſpen , qui docent, deſcriptam Sancti Gregorii formam eſſe omnino abſolutam , atque indicativam . Quicquid ſit de varia iſtorum interpretatione , recte ait Martene, de ea re fruſtra diſputare Scholaſticos, *cum parvi referat, quovis modo proferantur*, verba ſcilicet prædictæ formæ, *dummodo in Nomine Domini, quod ſolum requirit Apoſtolus,* Jacobus nempe in laudata toties ſua Canonica Epiſtola , *proferantur* . Subditque mox , Scholaſticos ipſos , *nec omnibus argumentationum ſuarum cavillationibus formas abſolutas convellere poſſe , quas omnis approbavit antiquitas, nec reſpuerunt inſigniores Theologi* .

III. Sed audiamus quæſo , quid ad hoc efficax certe argumentum repoſuerit Cardinalis Sanctorius in ſuo Rituali , pag. 324. ubi ad illud refellendum hæc ſcripſit : *Sciat autem*, Sacerdos ſcilicet , *formam hujus Sacramenti eſſe verba illa deprecatoria , quæ in unctionibus proferuntur , veluti , ſecundum uſum Romanæ Eccleſiæ* , Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam , indulgeat tibi Dominus quidquid per viſum deliquiſti . *Tum etiam noverit , formam non ſervari , & nihil agi per verba indicativa tantum, puta* , Ungo oculos tuos , *vel*, manus tuas , *& ſimilia , ſine verbis deprecativis , cujuſmodi hactenus ego non reperi . Et quamvis ea occaſione aliqui Theologi referant , quod multæ Eccleſiæ habent pro forma verba indicativa , ut ,* Ungo oculos tuos &c. *& ideo quæſierint , an valeat , & de ea re plura extra rem dixerint ; cum nuſquam reperiatur talis forma per verba indicativa tantum, ſeu per Orationem indicativam tantum ſine verbis deprecativis hoc Sacramentum conferri . Sed , & Libri , & Ritus Eccleſiarum , qui pro ea parte citantur , quod habent verba indicativa , paulo poſt habent etiam verba deprecativa &c. Quare quæſtio inanis , & fruſtranea eſt. Quoniam autem hujuſmodi forma variis verbis traditur in diverſis Eccleſiis, etiam præmittendo verba indicativa , & ſubjungendo deprecativa , unaquæque Eccleſia ſuam poteſt retinere formam, modo ſemper adhibeantur verba deprecativa &c. Cæterum apud Sanctam Romanam Eccleſiam unam tantum in hoc Sacramento deprecandi formulam traditam , & paſſim in Italia , & toto Orbe receptam eſſe, compertiſſimum , & exploratiſſimum eſt* . Verum , ut ſapientiſſime notat, docetque BENEDICTUS Papa XIV. Lib. viii. *De Synodo Diœceſana* , Cap. II. num. II. in fine , etſi Sanctorio concedamus aliquam deprecationem poſſe deprehendi in antiquiſſima citata formula Ambroſiana , & in aliis nonnullis ; neſcimus tamen, quo pacto poſſit deprecatio inveniri in aliis formis ex pluribus antiquis Ritualibus , in quibus ſolum adhibetur verbum , *Vngo* , abſque alio additamento , e quo deprecatio colligi, aut fingi queat ; nec facile erit ad deprecativum ſenſum hanc detorquere , quæ extat in antiquo Pontificali Narbonenſi : *In Nomine Patris , & Filii , & Spiritus Sancti regnantis in ſecula ſeculorum , accipe ſanitatem corporis , & remiſſionem peccatorum tuorum* .

IV. Fateri vero jam illud cogimur , multis jam ab hinc Sæculis ubique in Eccleſia Latina invaluiſſe formam deprecativam his verbis conceptam , quæ in hoc noſtro §. leguntur. *Per iſtam ſanctam unctionem , & ſuam piiſſimam miſericordiam , indulgeat tibi Dominus quidquid per viſum , ſive , per auditum &c. deliquiſti* . Hanc plane formulam reperiri in Codice Monaſtico ſimul , & Eccleſiaſtico Gemeticenſi , qui ſexcentorum eſt annorum , & amplius , affirmat Jueninus citato loco , Concluſione II. ubi etiam obſervat, Sancto Thomæ, cæteriſque Scholaſticis Sæculo

xiii, ita fuiſſe perſuaſum, ut contenderint, formam abſolutam non valere. Porro ad formam in §. noſtro expreſſam alludit inter alias Synodus vi. Provincialis Beneventana habita anno MCCCLXXIV. Tit. viii. Cap. II. ubi ſic inquit; *Formam hujus Sacramenti hic non ponimus, quia in Ordinario perfecte continetur, & intelligimus de illa, quam fecit Beatus Gregorius, quæ fit per illa verba*; Per iſtam unctionem &c. *cujus uſus generalis eſt, & hanc ſervat Romana Eccleſia, non illam Beati Ambroſii, quæ fit per verba*, ſcilicet, *Ungo iſtos oculos &c.* Certe juxta Romanum antiquum Ordinem x. quem Mabillonius in Admonitione ad ipſum, Tomo II. ſui Muſei Italici ad Seculum undecimum revocandum ait, in eo Capite, quod inſcriptum eſt, *Ordo compendioſus, & conſequens ad ungendum infirmum*, hanc Sacerdos pronunciabat formam: *Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, parcat tibi Dominus quicquid oculorum vitio deliquiſti.* Sed omiſſis Ritualibus, deprecativam ſtatuit formulam Eugenius Papa IV. in Inſtructione pro Armenis, itemque Concilium Tridentinum Seſſione xiv. in Doctrina de Sacramento Extremæ Unctionis, Cap. i. ubi expreſſe ait, hujus Sacramenti formam eſſe illa verba, *Per iſtam unctionem &c.*

V. Neque vero quemquam offendere debet, quod quædam Eccleſiæ utuntur verbis omnino diverſis; nam ea verborum diverſitate nihil detrahitur de ſenſu, uti poſt Catechiſmum Concilii Tridentini, Parte II. *De Extremæ Unctionis Sacramento*, num. xiii. inter alios docet Eſtius in iv. Sententiarum, Diſtinctione xxiii. §. x. Conſiſtere ait integritatem formæ, dum pro verbo, *Indulgeat*, aliæ Eccleſiæ dicunt, *ignoſcat*; aliæ *dimittat*, vel *parcat*; quædam etiam, *ſanet*; & dum pro verbo, *deliquiſti*, aliæ Eccleſiæ dicunt, *peccaſti*; aliæ utrumque conjungunt, dicentes: *quidquid peccaſti, vel deliquiſti*. Subdit mox quoque, fieri id veriſimile eſſe ad majorem cautelam propter mortalia oblita, quamquam hujuſmodi adjectione, & cautela non eſt opus; quandoquidem ſine ea nihil minus conſequitur infirmus. Cæterum variat nonnihil formula in noſtro §. præſcripta ab illa, quæ legitur in Tridentini Concilii Catechiſmo, citata Parte II. *De Extremæ Unctionis Sacramento*, num. xi. ubi ſic ait: *Forma vero Sacramenti eſt verbum, & ſolemnis illa precatio, quam Sacerdos ad ſingulas unctiones adhibet, cum inquit*: Per iſtam ſanctam unctionem, indulgeat tibi Deus quidquid oculorum, ſive narium, ſive tactus vitio deliquiſti.

VI. At vero omiſſa hac variatione, quæ parvi momenti eſt, quod forma ipſa deprecatoria, vera ſit, & propria hujus Sacramenti forma, uti recte docet Catechiſmus Concilii Tridentini loco citato, num. xii. Sanctus Jacobus Apoſtolus ſignificat, cum ait: *Et orent ſuper eum, & oratio fidei ſalvabit infirmum*. Ex quo licet cognoſcere, formam precationis modo proferendam eſſe, tametſi quibus potiſſimum verbis concipienda ſit, Apoſtolus non expreſſerit. Convenientiſſimam eſſe autem formam ipſam in noſtro §. præſcriptam, *Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per viſum &c. deliquiſti*, vel ex eo probant inſignes Theologi, ac rerum ritualium Scriptores, quod exprimitur in illa Sacramentum, cum dicitur, *Per iſtam ſanctam unctionem*; & id, quod operatur in Sacramento ſcilicet Divina miſericordia, cum dicitur: *Et ſuam piiſſimam miſericordiam*; & effectus, ſcilicet remiſſio peccatorum, cum dicitur: *Indulgeat tibi Dominus*. Non autem neceſſe eſt, ut in forma hujus Sacramenti corporis ſanitas exprimatur; ſatis enim eſt, quod in forma exprimatur effectus principalis; & qui ſemper inducitur ex Sacramento, niſi ſit defectus ex parte recipientis. Talis autem non eſt corporis ſanitas, quamvis quandoque ſequatur, Ita S. Thomas in iv. Sententiarum, Diſtinctione xxiii. Quæſtione i. Articulo iv. Quæſtiuncula III. Ceterum ſiquis forte objiciat, fruſtra commemorari in prædicta forma Divinam miſericordiam, quæ in cæterorum Sacramentorum formis minime commemoratur, quorum tamen effectus ſunt æque a miſericordia Divina, ac eſt effectus unctionis infirmorum; reſpondeo plane cum S. Thoma, *miſericordiam reſpicere miſeriam; & quia hoc Sacramentum datur in ſtatu miſeriæ, ſcilicet infirmitatis, ideo potius hic, quam in aliis formis, fit mentio miſericordiæ*.

VII. Cur vero hoc Sacramentum præ cæteris omnibus precatoriam habeat formam, varias rationes affert idem S. Thomas citato loco, Quæſtione II. Articulo iv. Quæſtiuncula III. *Prima eſt, quia ſuſcipiens hoc Sacramentum, eſt viribus propriis deſtitutus, unde indiget orationibus ſublevari. Secunda eſt, quia datur exeuntibus, qui jam deſinunt de Foro Eccleſiæ eſſe, & in ſolius Dei manu requieſcunt, unde & ei per orationem committuntur. Tertia eſt, quia hoc Sacramentum habet aliquem effectum, qui ſemper ex operatione Miniſtri conſequatur, omnibus, quæ ſunt de eſſentia Sacramenti, rite peractis, ſicut character in Baptiſmo, & Confirmatione, & tranſubſtantiatio in Eucharistia, & remiſſio peccati in Pœnitentia, exiſtente contritione, quæ eſt de eſſentia Sacramenti Pœnitentiæ, non autem de eſſentia hujus Sacramenti; & ideo in hoc Sacramento non poteſt eſſe forma indicativi modi, ſicut in prædictis Sacramentis*. Porro licet ſtandum ſit hodie formæ deprecatoriæ in noſtro hoc §. expreſſæ, & communi Eccleſiæ praxi probatæ, non puto certa ratione doceri poſſe, non eſſe ſcilicet ratam formam modo enunciativo prolatam. Licet enim & ipſum Tridentinum Concilium citato ſuperius loco aſſerat, formam hujus Sacramenti eſſe verba illa, *Per iſtam unctionem &c.* non ita tamen deprecatoriam illam adſtruit, ut omnino rejiciat indicativam, quam olim multis in Eccleſiis fuiſſe uſitatam, oſtendimus ſupra. Atque hujus ſententiæ eſt inter alios Eſtius in iv. Sententiarum, Diſtinctione xxiii, §. x. cui quidem ſuffragatur BENEDICTUS Papa XIV. Lib. viii. *De Synodo Diœceſana*, Cap. II. in fine, ubi ſic habet: *Sed utcumque hæc res ſe habeat, cum nihil de ea ab Eccleſia definitum habeamus, non decet in Synodo, ſeu Synodali Inſtructione ejuſmodi quæſtionem commemorare; ſed dumtaxat injungendum eſt Parochis, ut formam adhibeant in Rituali præſcriptam, quæ certe, ſine gravi flagitio, non poteſt privata auctoritate immutari*.

VIII. Siquis demum hic quærat, utrum omnia verba, quæ in forma præſcripta leguntur, ſint de ejus eſſentia, reſpondet jam negative Jueninus in citato Opere, *De Sacramentis*, Diſſertatione vii. Quæſtione iv. Nam primo expreſ-

peeſſio quinque ſenſuum non requiritur abſolute, cum ex dictis ſuperius ſatis ſit unica uuctio, modo cum forma univerſali conjuncta ſit. II. hæc veeba, *Per iſtam ſanctam unctionem*, uon ſunt de neceſſitate Sacrameuti; valet enim Sacramentum etiamſi materia, ex qua conſtat, in illiua forma uou exprimatur, Idqne tum iu Ordinatione, tum iu Pœnitentia videre eſt. Non eſt pariter ueceſſe, ut exprimatur intentio Miuiſtri, ſat quippe ſignificatur iu ipſo actu exteriure, quem exeecet, iu unctione nimirum, qua deliuit infirmum. III. hæ voees, *Per ſuam piiſſimam miſericordiam*, uun requiruutur neceſſario, cum verbum, *Indulgeat*, ſatis exprimat actum miſericordiæ, quem Deus exercet in infirmum, qui a Miniſtro inungitur. IV. conveniunt omnes, valere Sacramentum abſque diſtincta trium Peeſonarum Sauctiſſimæ Trinitatis iuvocatione, ſeu abſque his verbis, *In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Nec mirum, ſiquidem Extrema Unctio non eſt Sacramentum Fidei, ſeu ab eo, qui eo donatue, uon exigitur, ut edat profeſſiouem Fidei, quemadmodum fit in Baptiſmate; ac proiude non eſt neceſſe, ut fiat expreſſa, aut diſtincta mentio Sanctiſſimæ Trinitatis, ad quam aliquo modo Symboli Capita reducuutur.

IX. Concludit itaque Jueninus, & ait, hæc ſola verba, *Indulgeat tibi Deus*, ſatia eſſe, ut Sacramentum valeat; ſignificant uempe Sacramenti effectum, cauſam priucipalem, a qua producitur, itemque perſonam, ſeu ſubjectum, cui remiſſio peccatorum impenditur. Similia hia ante Jueninum docuit Sambovius iu Tractatu, *De Sacramento Extremæ Unctionis*, Diſputatioue IV. Articulo III. qui tamen iu eo diſſeutit a Juenino, quud Sambovius ſcilicet ad eſſentiam hujus Sacrameuti pertinere ait Integra hæc verba: *Per iſtam unctionem, indulgeat tibi Deus*. Neceſſaria autem prima illa verba, *Per iſtam unctionem*, cenſet Sambovius, ut actus hujus Sacramenti exprimatur, quem tamen neceſſarium minime cenſuit Jueninus.

C A P U T II.

Ordo miniſtrandi Sacramentum Extremæ Unctionis.

§. I.

Sacerdos igitur Sacramentum miniſtraturus, quatenus fieri poterit, parari curet apud infirmum menſam mappa candida coopeetam; itemque vas, in quo ſit bombacium, ſeu quid ſimile in ſeptem globulos diſtinctum, ad abſtergendas paetes inunctas, medullam panis ad detergendos digitos, & aquam ad abluendas Sacerdotis manus; ceream item candelam, quæ deinde accenſa ipſi ungenti lumen præbeat. Denique operam dabit, ut quanta poterit munditia, ac nitore hoc Sacramentum miniſtretur.

COMMENTARIUS.

I. Opportuua ſe nobis præbet occaſio in Commeutario ad hunc §. de Miniſtro Sacramenti Extremæ Uuctionis diſſerenui, *Sacerdos*, iuquit, *Sacramentum miniſtraturus*. Quod quidem couſeutaneum eſt teſtimonio S. Jacobi Apoſtoli, qui iu Epiſtola ſua Canonica, Cap. V. loquens de ipſo Extremæ Unctionis Sacramento, ait: *Inducat Presbyteros Eccleſiæ*. Preabyteri nomine non eum, qui inter Fideles ætate provectior eſt, intelligens, quomodo hodierni hæretici iuterpretantur, ſed Sacerdotem juxta ritum Eccleſiæ ordinatum. Atque ita Apoſtolum iutellexerunt, & iuterpretati ſunt Origenes Homilia II. in Leviticum, Innocentius Papa I. in Epiſtola ad Decentium, Chryſoſtomus Lib. III. *De Sacerdotio*, aliique Patres permulti, itemque Concilium Florentinum, ſeu Eugeniua Papa IV. in Deceeto Armenia dato, ac poſtremo Tridentinum Concilium Seſſione XIV. *De Sacramento Extremæ Unctionis*, Cap. III. ac deinde Canone IV. *Siquis dixerit, Presbyteros Eccleſiæ, quos Beatus Jacobus adducendos eſſe ad infirmum inungendum hortatur, non eſſe Sacerdotes ab Epiſcopo ordinatos, ſed ætate ſeniores in quavis communitate; ob idque proprium Extremæ Unctionis Miniſtrum non eſſe ſolum Sacerdotem, anathema ſit*.

II. Mirum autem illud videri debet, quod cum Jacobus Apoſtolus citato loeo *Presbyteros* nominet, dubitatum aliquando fueeit, num Epiſcopi hoc Saceamentum couſerre poſſent, uti addiſcere licet ex celeberrima Epiſtola Innocentii Papæ I. ad Decentium Eugubiuum Epiſcopum, ubi eam controverſiam ſolvit, ſic plane inquiena: *Cæterum ſuperfluo videmus adjectum, ut de Epiſcopo ambigatur, quod Presbytero licere non dubium eſt. Nam idcirco Presbyteros dictum eſt, quia Epiſcopi aliis occupationibus impediti, ad omnes languidos ire non poſſunt. Cæterum ſi Epiſcopus, aut poteſt, aut dignum ducit, aliquem a ſe viſitandum, & benedicere, & ungere Chriſmate, ſine cunctatione poteſt, cujus eſt ipſum Chriſma conficere*. Eodem modo loquitur Crodegandus Meteuſis Epiſcopus in Regula Canonicorum, Cap. LXXI. Et certe Carolus Magnua, teſte Monacho Engoliſmenſi, *inunctus eſt ab Epiſcopis*; S. Adalardus ab Hildemanno Bellovacenſi Præſule, ut ſcribit S. Gerardus in ejus Vita; Mathildis Imperatrix a Willelmo Archiepiſcopo Moguutino; S. Ferdinandus Rex Caſtellæ, & Legionis, *ab Epiſcopis accepta pœnitentia, & gratia ultimæ Unctionis, indutus cilicio, & conſperſus cinere*, legitue apud Toletanum, Lib. VI. Cap. XIV. Pertinere ad ipſos præſertim Epiſcopos hoc miuiſterium miniſtrandi hujus Sacramenti infirmo, ubi eſſent præſentea, docet plane ma. Pontificale inſignis Eccleſiæ Salisbuegenſis annorum circiter DCC. apud Martene Lib. I. Cap. VII. Articulo IV. Ordine XII. *Ad viſitandum, & ungendum infirmum*, ubi ſic legitur:

Si autem aderit Epiſcopus, ipſius officium hoc erit. Atque huc referri poteſt, quod ait Durandus Lib. I. Rationalis Divinorum Officiorum, Capite VIII. num. 25. *quod ab Epiſcopo ſemel inunctus, non debet propter ejus reverentiam ulterius per Presbyterum inungi*.

III. At vero quod non modo Epiſcopi, verum etiam Presbyteri, Miniſtri ſint hujus Sacramenti, ex eo perſpicuum eſt, quia numero plurali Presbyteros advocandos eſſe monet Jacobus, cum ſecundum ſacros, & Apoſtolicos Canones in una Civitate unicum eſſe conſtet Epiſcopum; ac rurſum ex eo, quod alioqui neceſſe eſt, plurimos Fideles hoc Sacramento defraudari, ut omnes eos, ad quos Epiſcopus, ob loci diſtantiam, vel aliud quodcumque impedimentum, accedere non poſſet; uti ſcite inter alios obſervavit Eſtius in IV. Sententiarum, Diſtinctione XXIII. §. XI. ubi etiam recte docet, ſufficere ad hoc Sacramentum adminiſtrandum, unicum Sacerdotem, quia, etſi multitudinis numero utatur Apoſtolus, intelligendum eſt tamen, ſingulis datam eſſe hujus miniſterii poteſtatem, ſicut iis verbis, *Quorum remiſeritis &c.* poteſtas data eſt unicuique Sacerdoti peccata remittendi, ac retinendi. Eſtque id definitum ab Alexandro Papa III. in Capite, *Quæſivit* XIV. *De verborum ſignificatione*, ubi decernit, ab unico Presbytero inungi poſſe infirmum. Quod & S. Thomas Libro IV. contra Gentes, Cap. LXXIII. confirmat his verbis: *Jacobus dicit*: Inducat Presbyteros Eccleſiæ, & oratio Fidei ſanabit infirmum. *Si tamen unus ſolus Presbyter adſit, intelligitur hoc Sacramentum perficere in virtute totius Eccleſiæ, cujus Miniſter exiſtit, & cujus perſonam gerit*. Sed de hac re nonnihil etiam infra dicemus in Commentario ad §. ſequentem.

IV. Quamvis autem omnis Presbyter ratione Ordinis, hanc habeat poteſtatem, ejus tamen executio ſoli conceditur proprio Parocho, qui in infirmum juriſdictionem habet; vel alteri, cui proprius Paſtor ejus muneris exequendi poteſtatem fecerit. Ita plane docet Tridentini Concilii Catechiſmus, Parte II. *De Extremæ Unctionis Sacramento*, num. XXVII. ſic inquiens: *Neque tamen ex Sanctæ Eccleſiæ Decreto, cuivis Sacerdoti, ſed proprio Paſtori, qui juriſdictionem habeat, ſive alteri, cui ille ejus muneris fungendi poteſtatem fecerit, hoc Sacramentum adminiſtrare licet*. Quinimo Religioſi, qui, nulla petita a Parocho venia, Sacramentum Etremæ Unctionis adminiſtrare præſumunt, præter gravis culpæ reatum, in excommunicationem incidunt Sedi Apoſtolicæ reſervatam, uti habetur in Clementina I. *De privilegiis*, quam quidem cum tanta ſeveritate, poſt Archidiaconum accepit Navarrus in Manuali Cap. XXVII. num. 102. ut aſſerat, eadem Cenſura irretiri Regulares Extremam Unctionem miniſtrantes ægroto etiam conſtituto in mortis articulo, cumque Parochus abeſt. Sed jure ac merito Navarri opinionem refellunt Sotus, Sambovius, Alexander, Jueninus, aliique paſſim inſignes Theologi, quos citat, ac ſequitur BENEDICTUS Papa XIV. Libro VIII. *De Synodo Diœceſana*, Cap. IV. num. VII. Etenim cum Eccleſia, urgente mortis periculo, cuilibet Sacerdoti poteſtatem fecerit abſolvendi a quibuslibet Cenſuris, & peccatis, veriſimile certe non eſt, quod cuipiam Sacerdoti interdixerit, ne in eodem ſtatu, ac vitæ diſcrimine conſtituto, cum Parochus abeſt, adminiſtret Extremam Unctionem, quæ eſt perfectio, & complementum Pœnitentiæ, neque ad ſui validitatem requirit in Miniſtro poteſtatem juriſdictionis, ſicuti Sacramentum Pœnitentiæ. Quare S. Carolus, etſi Parochorum jura ſtudioſe ſemper tutatus fuerit, nihilominus in Concilio Mediolanenſi V. de iis agens, quæ pertinent ad Sacramentum Extremæ Unctionis, deficiente Parocho, cuilibet Sacerdoti integrum eſſe voluit Sacro Oleo inungere infirmum in mortis periculo conſtitutum, ſic inquiens *Ne alius Sacerdos, niſi Parochus hoc Sacramentum miniſtret. Si porro is impeditus, aut alias in mora eſt, mortiſque periculum inſtat, tunc Sacerdos alius miniſtret, licet*.

V. Fuſius hoc loco de Miniſtro Sacramenti Extremæ Unctionis diſſerere abſtineo, quod de eo iterum dicendum erit in Commentario ad ſequentem §. Nequid autem omittam, quod in præſenti §. ſtatuitur, de præparandis in cubiculo infirmi Sacro Oleo mox inungendi, concinit hic quidem iis, quæ S. Carolus notavit in Concilio Provinciali Mediolanenſi IV. & in Inſtructionibus ſuis de ipſa Extrema Unctione miniſtranda: *Cum accerſitur*, Parochus nempe, *prope ægrotantis lectum menſam parvulam, ubi commode fieri poteſt, parari, mappave candida ſterni curet, ſuper qua, & vas ſit, ubi bombix, ſeu ſtuppa ad abſtergendas unctiones, micaque panis ad abſterſionem digitorum præparata, & vas alterum aquæ ad manus lavandas, & candela ceræ item parva. Qua in menſa vas Sacri Olei a parte lecto viciniori ponatur; a laico autem homine ne manu teneatur*. Optandum plane eſſet, ut nonnulla ſaltem ex iis, quæ præparari in cubiculo infirmi debent, a Parocho deferantur, tum quod difficile ſit ea in pauperum domibus invenire, tum ut occaſio avaritiæ Parochis quibuſdam tollatur, qui vaſa ipſa, in quibus bombacium poſitum fuit, & manus lavit, ac manutergium, quo illas abſterſit, non ſine Fidelium ſcandalo ad ſe pertinere contendunt. Quorundam Sacerdotum avaritiam, turpemque mercedis exactionem in adminiſtranda Extrema Unctione, cauſam fuiſſe, quod olim permulti morientes Sacro Oleo inungi nollent, & ſine hoc Sacramento decederent, in ſuperioribus Commentariis diximus, dicemuſque mox iterum in Commentario ſequenti.

VI. Sed tandem ut paulo fuſius quæ paranda ſunt in cubiculo infirmi, explicemus, quod ait hic §. de ſeptem globulis bombacii, ſeu ſtupæ, ut alia Ritualia, ac Synodi ajunt, intelligitur, ubi vir eſſet inungendus in renibus, nam alias ſex ſufficerent, quorum quiſque pro utroque pari membro inſerviat, ſeu organo inuncto; unico enim globulo abſtergendi ſunt ambo oculi, eoque repoſito in vaſe, globulus alter aſſumendus. Atque hinc eſt, quod Rituale vetus Eccleſiæ Catalaunenſis annorum circiter CCC. apud Martene Lib. I. Cap. VII. Articulo IV. Ordine XXVII. parandos ait *ſeptem boliones ſtupæ, canapis ad modum magnæ nucis inter duas ſcutellas poſitos*. Aqua pariter ex noſtro §. parari debet cum vaſe, medulla panis, ac manutergium; peracta enim Sacra Unctione, debet Sacerdos manus lavare juxta ritum in variis Ritualibus præſcriptum, ac præſertim a S. Carolo in Actis Eccleſiæ Mediolanenſis, ubi Ordinem miniſtrandi hoc Sacramentum recenſet, ſic inter alia inquiens: *Poſtea Parochus digitum pollicem, quo un-*

unxit, medulla panis bene fricat, & aqua abluit in vaſe ſupradicto; tum manutergio abſtergit, ablutionis vero aquam cum micis refert in Sacrarium. Candela tandem, & quidem cerea, eſſe debet in promptu, licet die adminiſtretur hoc Sacramentum; adhibendum eſt enim lumen non modo ad Sacramenti dignitatem, verum etiam ut Sacerdos bene diſcernat partes inunctas, quas cum prædictis bombacii, ſeu ſtupæ globulis abſtergat; unumquodque ſcilicet par membrum cum unico globulo peculiari, ut ſuperius diximus, & ut Rituales permulti Codices, ac Synodi præſcribunt, inter quas Salernitana anni MDLXXIX. Tit. XXXII. Cap. VI. ſic ait: *Eadem vero ſtuppa, ſeu bombice ſingula loca non unguntur, ſed in qualibet membrorum ſpecie mutetur.* Ceterum, ut in adminiſtranda Extrema Unctione, ad dignitatem ſcilicet ſacræ actionis, *accendantur ſeptem candelæ ad minus, quæ ardeant per totum Officium*, ſtatuit quidem prædictum Rituale Catalaunienſe, itemque alia, quæ non oportet hic recenſere.

§. II.

Deinde convocatis Clericis, ſeu Miniſtis, vel ſaltem uno Clerico, qui Crucem ſine haſta, aquam benedictam cum Aſperſorio, & Librum Ritualem deferat, ipſe Parochus decenter accipit vas Sacri Olei infirmorum ſacculo ſerico violacei coloris incluſum, illudque caute defert, ne effundi poſſit. Quod ſi longius iter peragendum, aut etiam equitandum ſit, vel alias adſit periculum effuſionis, vas Olei ſacculo, aut burſa incluſum, ut dictum eſt, ad collum appendat; ut commodius, & ſecurius perferat. Procedat autem ſine ſonitu Campanulæ.

COMMENTARIUS.

I. QUum S. Apoſtolus Jacobus Sacramenti Extremæ Unctionis a Chriſto Domino inſtituti promulgator in Epiſtola ſua Canonica, Cap. V. Presbyteros ad ungendum infirmum inducendos eſſe aſſerat, non ſimplicem, unicumve Sacerdotem, antiqua apud Græcos hactenus conſuetudo intemerata ſervatur, ut a pluribus, ideſt, a ſeptem Presbyteris inungantur infirmi, ut ex variis teſtimoniis probat Martene Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. VII. Articulo III. Num. II. Plures quoque Sacerdotes fuiſſe olim in Eccleſia Latina adhibitos, ex pervetuſtis Ritualibus conſtat collectis a Menardo in Notis ad Sacramentarium S. Gregorii Papæ, & a Martene Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. VII. Articulo IV. ubi Ordo I. ex ms. Pontificali Anglicano Monaſterii Gemmeticenſis, annorum circiter mille, non modo Sacerdotum meminit, verum etiam ſolemnis proceſſionis, & apparatus in adminiſtranda Extrema Unctione: *Dum invitati Sacerdotes ad infirmum fuerint, viſitandi, ungendique cauſa, qui eorum ad illud officium dignus jure cenſetur, induat ſe Superhumerali, Alba, & Stola, cum Phanone, atque Planeta, ſi affuerit; ſin alias, Caſula non induatur. Diaconus vero, qui Evangelii Textum ferat, & Oleum infirmorum; & Ceroferarii ſecundum ordinem ſuum ſe induant. Unus Ceroferariorum dextra cereum, læva thuribulum cum incenſu. Sic induti cum domum, in qua infirmus jacet, intrare voluerint, Sacerdos læva Codicem, quo hujus Officii orationes habentur, teneat; dextra ſe ſigno Dominicæ Crucis muniat, quatenus cum ſumma humilitate, & timore Dei, quod incœperit, perficere valeat.*

II. Sed ut de ritu dicamus factæ olim a pluribus Presbyteris Extremæ Unctionis, præter Ritualia, quæ ritum ipſum communi uſu receptum fuiſſe probant, eundem confirmant plura Sanctorum Acta. Acta S. Chrotildis Reginæ de ea quidem teſtantur, quod *trigeſimo die vocationis ſuæ ſecundum Apoſtolum inuncta a Sacerdotibus Oleo Sancto, & Sacri Corporis, & Sanguinis Chriſti percepto Viatico, in confeſſione Sanctæ Trinitatis Corpus exuit*. Acta S. Hunegundis ajunt, quod *converſa ad eos, qui aſſidebant ſibi, Presbyteros, Unctionis Oleum, & Communionem expetit*. Eodem modo loquuntur Acta S. Hildegundis Virginis apud Bollandum XX. Aprilis. Hinc etiam Valdenſes hæretici hoc reprobabant Sacramentum *propter plures Sacerdotes ibi neceſſarios*, ut notat Martene citato loco, Articulo III. num. III. Cæterum ut idem Auctor ex variis antiquis Ritualibus docet in ſequenti num. IV. ex ipſis Sacerdotibus, qui Extremæ Unctioni infirmi aderant, aliquando unus applicabat Oleum, altero verba formæ pronunciante; aliquando ſinguli omnes corporis partes ungebant, & ungendo formam pronunciabant; aliquando ſinguli ſingulas partes, hoc eſt, unus unam, alter alteram, perungebant. Atque hic audire præſtat Concilium Provinciale VI. Beneventanum anni MCCCLXXIV. Tit. VIII. Capite III. ubi ſic inter alia inquit: *Debent in collatione hujus Sacrameati plures eſſe Sacerdotes, ſi poteſt commode fieri; & non debet unus inungere, & alius Orationem infundere, ne fiat diviſio Sacramenti, ſed uno inungente, & orante, alii poſtea ſtatim orent; vel uno inungente, & orante, poſſet quilibet inungere, & orare.*

III. Neque vero ad inungendum ſolum, verum etiam ad alios peragendos ritus Sacerdotes ipſi adhibebantur, præſtabant enim iidem morienti infirmo varia alia pietatis opera, quæ longum eſſet hic recenſere. Porro notandum, quod in Ordinario Caſſinenſi præſcribitur, quodque obſervavit Menardus in Notis ad Sacramentarium S. Gregorii pag. 331. ut nimirum, antequam ungeretur infirmus, adſtantes Sacerdotes eidem manus imponerent; de quo etiam ritu loquitur Martene Lib. V. *De antiquis Monachorum ritibus*, Cap. VIII. num. 3. ubi ex antiquo Breviario Caſſinenſi orationem deſcribit, quam in ea manuum ſuarum impoſitione ſuper infirmum Sacerdotes pronunciabant. Conſueviſſe etiam Sacerdotes ipſos adſtantes omnes inſimul ægro-

ægrotum Extremam Unctionem ſumpturum, facta prius ab eo generali Confeſſione, abſolvere in forma communi, addiſcimus plane, ut alia omittam, ex Breviario Congregationis Valliſoletanæ impreſſo anno MDC.

IV. Quamquam vero multi adhiberentur Sacerdotes in adminiſtranda Extrema Unctione, recte tamen obſervat laudatus Martene, Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. VII. Articulo III. num. V. hanc ipſam Eccleſiæ Latinæ conſuetudinem, non fuiſſe firmam, conſtantem, & univerſalem, cum ex aliis æque antiquis monumentis ab eodem productis conſtet, ſæpius infirmos ab unico Sacerdote inunctos. Nam Artemium febre correptum ab unico *S. Nepotiano viſitatum, atque Oleo Sancto perunctum*, narrat S. Gregorius Turonenſis Lib. I. *Hiſtoriæ*, Capite XLI. & S. Eugendum *ab uno de Fratribus* pariter inunctum, legimus in ejus Vita apud Bollandum die I. Januarii. Hic vero ritus ſacræ unctionis ab unico recipiendæ Sacerdote, a paucis tunc, nec fortaſſe extra caſum neceſſitatis uſurpatus, ut cenſet BENEDICTUS Papa XIV. Lib. VIII. *De Synodo Diœceſana*, Cap. IV. num. V. adeo poſtea in Eccleſia Latina invaluit, ut Theologi Scholaſtici cum Suarez Tomo IV. in III. Partem, Diſputatione XLIII. Sectione II. in fine, & Cardinali de Lauræa in IV. Sententiarum, Tomo III. Diſputatione XI. Articulo IX. num. 114. illicitum nunc reputent, ſecluſa neceſſitate, ejuſmodi Sacramentum a pluribus ſimul adminiſtrari, quoniam nemini integrum eſt in Sacramentis adminiſtrandis a norma recedere in Rituali præſcripta. Si autem plures ſimul Sacerdotes re ipſa Sacramentum hoc conficiant, nemo ambigit, illud eſſe ratum, modo ſinguli diverſos inungant infirmi ſenſus, & quilibet congruentem inuncto ſenſui formam pronunciet, quemadmodum iidem memorati Auctores ſcite animadvertunt.

V. At vero etiam ſpectata hodierna Eccleſiæ diſciplina, ut ſapientiſſime docet laudatus Pontifex BENEDICTUS XIV. loco citato, nedum licitum, ſed valde laudabile eſt, ut uni Sacramentum adminiſtranti alii plures aſſiſtant Sacerdotes, ob rationem, quam adducit S. Thomas, Lib. IV. contra Gentes, Cap. LXXIII. ubi ait: *Quia hoc Sacramentum perfectæ curationis effectum habet, & in eo requiritur copia gratiæ, competit huic Sacramento, quod multi Sacerdotes interſint, & quod oratio totius Eccleſiæ ad effectum hujus Sacramenti coadjuvet*. Hinc merito S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolanenſi IV. ubi agit de Sacramento Extremæ Unctionis ſtatuit, ut *id Extremæ Unctionis Sacramentum miniſtraturus, quot commode poteſt, Presbyteros, & Clericos adhibere ſtudeat, Superpelliceo indutos, qui ipſum & miniſtrantem & precantem, pietatis, orationiſque ſtudio in eo miniſterio adjuvent*. Atque hæc eſt certe ratio, cur hic noſter §. convocandos etiam dicit numero plurali Clericos, ſeu Miniſtros, qui in ea Extremæ Unctionis admiſtratione Parocho aſſiſtant. Sane ſi plures Sacerdotes intereſſe nequeant, alios arceſſendos probos viros, qui commode haberi valeant, ob eandem rationem adnotavit Cardinalis Sanctorius in ſuo Rituali pag. 324. ſic inquiens: *Sacerdos, ubi commode fieri poteſt, ut in Eccleſiis Collegiatis, plures ſecum adhibeat Presbyteros, cum ungit infirmum. In aliis vero Eccleſiis, ſaltem uno Clerico præſente, aut aliis pluribus Scholaribus, vel Confratribus Eccleſiæ.*

VI. Si porro cauſam inveſtigemus, cur Eccleſia Latina, quamvis etiamnum plures adeſſe cupiat, per unicum tamen Sacerdotem velit Sacramentum adminiſtrari, jam nos ſuperius diximus, factum id eſſe ad coercendam quorumdam Sacerdotum avaritiam, id quod etiam notavit BENEDICTUS Papa XIV. loco citato, num. VI. *Cum plures*, inquit, *ſimul Sacerdotes ad infirmum inungendum advocabantur, quilibet pro ſua opera haud exiguam expoſcebat mercedem, cui ſolvendæ cum pauperum vires non ſufficerent, ii ſine Extrema Unctione decedebant; quamobrem hæretici Valdenſes, ſeu Pauperes de Lugduno, uti notat Reinerus Ordinis Prædicatorum in Opere contra eoſdem circa annum 1254. exarato, inter cæteras falſas rationes, propter quas Sacramentum Extremæ Unctionis reprobabant, hanc etiam adducebant*, quia tantum divitibus datur. *Curaverant ſane Eccleſiarum Præſules prædictam turpem Sacerdotum avaritiam reprimere, ſeveriſque ſanctionibus interdixerant pro Sacramentali Unctione quidquam exigere; quod potiſſimum ſtatutum reperimus ab Odone Epiſcopo Pariſienſi Capite viij. ſuarum Conſtitutionum, atque in Synodis, Andegavenſi anni 1283. Remenſi, & Trecenſi habitis initio Sæculi XV. Verum cum hæc repagula haud ſufficientia comperta ſint ad compeſcendam Sacerdotum petulantiam, viſum eſt deliberandum, ut deinceps Extrema Unctio, nulla petita mercede, a ſolo conferretur ægrotantis Parocho*. Solum proprium Parochum, eſſe Ordinarium hujus Sacramenti Miniſtrum, & nonniſi eo abſente, vel eo mandante, poſſe alium quemvis Sacerdotem Sacramentum ipſum adminiſtrare, jam diximus nos in Commentario ſuperiori.

VII. Itaque ex dictis hactenus conſtat, quod quamvis plures olim adhiberentur Sacerdotes in adminiſtranda Extrema Unctione, unus tamen ſatis eſt ad eam rite, recteque adminiſtrandam, etiamſi nec ei ullus adeſſet Clericus, miniſterve; uti expreſſe declaravit Concilium Provinciale VI. Beneventanum loco citato: *Sacerdos*, inquit, *etiam ſolus cum Clerico ſuo, vel uno laico litterato, hoc Sacramentum poterit conferre, ſi non poſſunt Sacerdotes alii adhiberi. Et ſi nullum poſſit ſecum habere, tunc in neceſſitate Sacerdos ſolus poteſt ipſemet totum Officium explere, & ſibi reſpondere*. Quod quidem conſentaneum eſt Decretali Epiſtolæ Alexandri Papæ III. qui conſultus ab Epiſcopo Carnotenſi, *utrum Sacerdos unico Clerico tantum præſente infirmum debeat inungere*, uti legitur apud Antonium Auguſtinum in prima Decretalium Collectione Libro V. Tit. XXVII. Cap. IX. ita reſpondit: *Sacerdos, unico præſente Clerico, & etiam ſolus infirmum ungere poteſt*. Legitur Fragmentum Epiſtolæ continens Reſponſum Pontificis in Capite, *Quæſivit*, XIV. *De verborum ſignificatione*. Nec mirum videri debet; nam, ut recte docet S. Thomas citato Lib. IV. contra Gentes, Cap. LXXIII. *ſi unus ſolus Presbyter adſit, intelligitur hoc Sacramentum perficere in virtute totius Eccleſiæ, cujus miniſter exiſtit, & cujus perſonam gerit*.

VIII. Sed his tandem abunde explicatis, devenio ad noſtrum §. ubi edicitur, ut Parochus, ſi nimirum id & commode fieri poteſt, adminiſtraturus Sacram Unctionem, utatur *ſaltem*

uno

uno Clerico, qui Crucem ſine haſta, Aquam benedictam cum Aſperſorio, & Librum Ritualem deferat; Idem plane mandat S. Carolus tum alibi, tum vero in Inſtructionibus de Sacramento Extremæ Unctionis, ubi ſic inter alia inquit: *Clericus indutus Superpelliceo, vas feret aquæ benedictæ cum Aſperſorio, & Librum hunc Sacrametalem.* Et mox: *Curabit etiam Crucifixi parvam Imaginem afferri, ſi forte ea ægroto deſit.* Sed attendendus eſt noſter §. qui nulla facta limitatione, abſolute mandat deferri a Clerico *Crucem ſine haſta.* Eſſe hunc antiquum ritum, ut Crux ad inungendum ægrotum deferretur, ex variis Ritualibus conſtat, in quibus non modo ea Crucis delatio præſcribitur, verum etiam, ut ipſa Crux una cum Sacro Evangelii Codice ante unctionem deoſculanda infirmo præbeatur, ac poſt unctionem coram eo relinquatur. Ita plane ſtatuunt inter alios Rituales Codices Pontificalis Codex inſignis Eccleſiæ Apamienſis in Syria annorum circiter D. & vetus Codex Ritualis inſignis Eccleſiæ Catalaunenſis apud laudatum Martene Articulo IV. Ordine XX. & XXVII. Pro hac Cruce, quæ defertur ad infirmos occaſione Extremæ Unctionis, mos erat in Diœceſi Senogallienſi, ut Parochi prætenderent quoddam ſudariolum, ſeu velum, & quatenus hujuſmodi ſudariolum non placeret, exigerent Julium unum. Quæ conſuetudo diſcuſſa in Sacra Congregatione Concilii die XXIV. Maji MDCCX. propoſito Dubio, *An debeatur velum, ſeu illius pretium in adminiſtratione Olei Sancti in caſu &c.* Reſponſum fuit, *Negative*, neque etiam a ſponte dantibus poſſe recipi per allegata ab Urſaya Tomo II. Diſceptationum Eccleſiaſticarum Parte II. Diſceptatione XVIII. num. 42.

IX. Eſſe præterea antiquum ritum, ut aqua benedicta ad ipſum ægrotum inungendum portaretur, docet nos Pontificale Anglicanum Monaſterii Gemmeticenſis, aliique permulti antiqui Codices Rituales, in quorum tamen non paucis præſcriptum legitur, ut *in primis facerent Sacerdotes aquam benedictam extra domum,* infirmi ſcilicet, quæ ea erat primum aſpergenda. Sic enim mandant inter alios duo antiqui Sacramentorum Libri Turonenſes annorum circiter CM. apud eundem Martene, Ordine III. & IV. Quod vero ſpectat Librum Ritualem, quem ex præſcripto noſtri hujus §. deferre Clericus debet, præſcriptum id quoque jam fuit in variis Synodis, ac Ritualibus antiquis, præſertim vero in priſcis Conſtitutionibus Odonis Epiſcopi Pariſienſis, Cap. VIII. num. IV. ubi ſic inquit: *Librum, qui dicitur Manualis, habeant Sacerdotes Parochiales, ubi continetur Ordo ſervitii Extremæ Unctionis, Catechiſmi, Baptiſmi, & hujuſmodi.* Ceterum deferendum quoque eſſe cereum lumen in delatione Olei Sancti ad infirmum, licet nulla hujus ritus in noſtro §. mentio fiat; præſcribunt quidem antiqui Rituales, Pontificaleſque Codices, ac potiſſimum laudatus ſupra Anglicanus, quibus inhærens S. Carolus, in ſuis Inſtructionibus, Parocho inter alia mandat, ut curet afferri *cereum laterna incluſum, idque per Clericum, ſi adſit.* Subditque mox quod & alias idem noſter §. monet, ut ſcilicet *tintinnabulum non adhibeatur.*

X. Porro, ut populus ſciat, Sacro Oleo non deberi eum cultum adorationis, qui Euchariſtiæ exhibetur, monent iccirco Synodi, uti & Ritualia, ut dum Sacrum Oleum ſolum defertur, Clericus Sacerdotem præcedat, ſed ſine campanula, ſive nola, tintinnabulove, cujus ſonitu populus ad adorationem Euchariſtiæ excitari, & moneri ſolet. Quin & Synodus Namurcenſis anni MDCXXXIX. Tit. XIV. Cap. I. vult quidem, ut *Parochum Sacrum Oleum infirmorum ad ægrotos deferentem Matricularius detecto capite comitetur.* Sed addit: *Non tamen lumen, aut nolam ſonantem præferat, niſi ſimul deferatur Sanctiſſimum Sacramentum Euchariſtiæ.* At vero quod de vetita luminis geſtatione ante Sacrum Oleum in Synodo ipſa decernitur, hodie nequaquam obſervari, notavit Vaneſpen, Parte II. *Juris Eccleſiaſtici univerſi*, Tit. VIII. Capite III. num. XVIII. immoque in pleriſque Synodis, & Ritualibus expreſſe decerni, ut lumen ipſum præferatur. Licet autem ob rationem ſuperius expreſſam in delatione Sacri Olei ad infirmum Capanulam deferri, ac pulſari vetetur, teſte eodem Vaneſpen num. XIX. monent Synodi, ac præſertim Provincialis II. Cameracenſis, Tit. XII. Cap. I. ut cum Sacrum Oleum ad infirmum deferendum eſt, *Campana aliqua pulſetur ex Parochiis, cujus ſono omnes intelligant, deferendam Extremæ Unctionis Sacramentum, moneanturque Fideles, ut hoc ſigno dato, ſe ad Eccleſiam conferant, & Sacerdoti ſe jungant, pro ſalute ægri cum eodem deprecaturi; & ad hoc opus charitatis, etiam propoſitis Indulgentiis, ubi expedire judicaverit Epiſcopus, invitentur; ceteri vero, quibus non vacat, erigant ſaltem animum in Cœlum, & pro ſalute decumbentis aliquam oratiunculam offerent Deo; extrema enim hac neceſſitate, Fidelium precibus ægri maxime indigent, & iiſdem maxima juvantur.*

XI. Sed ut de Parocho ipſo adminiſtraturo hoc Sacramentum nunc diſſeramus, ex præſcripto quidem noſtri §. *ipſe Parochus decenter accipit vas Sacri Olei infirmorum ſacculo ſerico violacei coloris incluſum, illudque caute defert, ne effundi poſſit.* Quamquam nihil dicat hic noſter §. de veſtibus, quibus tunc indutus eſſe Parochus debeat, cum ad Sacramentum ipſum Extremæ Unctionis adminiſtrandum accedit, conveniunt tamen Rituales paſſim Codices recentiores, ac Synodi cum Concilio Provinciali Mediolanenſi IV. Sancti Caroli, in quo edicitur, ut *accedat illud miniſtraturus Stola, & Superpelliceo indutus.* Idem legitur in ejuſdem S. Caroli Inſtructionibus, ex quibus etiam addiſcimus Stolam debere eſſe violacei coloris: *Indutus Superpelliceo, & Stola violacea, accipit vas Olei Sacri.* Decenter vas ipſum ſacculo ſerico violacei itidem coloris incluſum, cauteque deferendum, ne effundi poſſit, recte admonet hic noſter §. idemque paſſim Rituales Codices mandant, quos longo agmine affert Martene citato Articulo IV. Sed notandum, quod ait in memorato Concilio IV. S. Carolus: *Vas Sacri Olei ne ſinu, brachiove comprehenſum, ſed ſacculo ſerico apte incluſum, cordula ſerica a collo pendens, pie reverenterque ferat.* Hunc quidem ritum ſtatuit noſter §. ut *ſi longius iter peragendum, aut etiam equitandum ſit, vel alias adſit periculum effuſionis, vas Olei ſacculo, aut burſa incluſum, ut dictum eſt, ad collum appendat, ut commodius, & ſecurius perferat.* Verum ex aliis multis Ritualium, Synodorumque teſtimoniis addiſcimus deferendum ſemper vas collo Sacerdotis appenſum.

§. III.

§. III.

Cum perventum fuerit ad locum, ubi jacet infirmus, Sacerdos intrans cubiculum dicit: *Pax huic domui.* ℟. *Et omnibus habitantibus in ea.*

§. IV.

Deinde depoſito Oleo ſuper menſam, Superpelliceo, Stolaque violacea indutus, ægroto Crucem deoſculandam porrigit; mox in modum Crucis cum aqua benedicta, & cubiculum, & circumſtantes aſpergit, dicens Antiphonam, *Aſperges &c.* Quod ſi ægrotus voluerit confiteri, audiat illum, & abſolvat. Deinde piis verbis illum conſoletur, & de hujus Sacramenti vi, atque efficacia, ſi tempus ferat, breviter admoneat, & quantum opus ſit, ejus animum confirmet, & in ſpem erigat vitæ æternæ.

COMMENTARIUS.

I. Conveninnt omnes in eum ritum pervetuſti, recentioreſque Libri Rituales, ut, *eum perventum fuerit ad locum, ubi jacet infirmus, Sacerdos intrans cubiculum dicat*: *Pax huic domui*, aſpergatque cum aqua benedicta infirmum, circumſtanteſque. Ecce hic quod de hac re præſcribit ms. Pontificale Anglicanum Monaſterii Gemmeticenſis annorum circiter mille: *Intrando, iſtam Antiphonam dicat*: Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea. Pax ingredientibus, & egredientibus. *Oratio, quam Sacerdos, cum intra januam fuerit, dicere debet*: Omnipotens ſempiterne Deus, quæſumus immenſam pietatem tuam, ut ad introitum humilitatis noſtræ, hunc famulum tuum hoc in habitaculo feſſum ſalutifere viſitare digneris; & ſicut viſitaſti Tobiam, & Saram, ſocrumque Petri, necnon & puerum Centurionis, ita & iſte, priſtina ſanitate animæ, corporiſque recepta, a te viſitatus, gratiarum tibi in Eccleſia tua referat actionem. Per. *Deinde vero progrediens, undique verſus, aquam benedictam aſpergendo, atque Antiphonam*, Aſperges me Domine yſopo, *decantando, ad lectum ægroti, non tumidæ mentis auſteritate, verum cum omni manſuetudinis induſtria accedere ſatagat*. Una cum aſperſione aquæ benedictæ adhibitam fuiſſe incenſationem, docet nos ms. Pontificale Prudentii Epiſcopi, qui ante annos CM. Trecenſem regebat Eccleſiam: *Cum ingreditur*, inquit, *Sacerdos ad viſitandum infirmum, primum dicat*, Pax huic domui III. *Et reſp.* Et cum ſpiritu tuo, *Deinde Antiph.* Benedic, Domine, domum iſtam; *& aſpergatur aqua benedicta cum odore incenſi*. Meminit quoque & hujus ritus, ut alios omittam, ms. Codex inſignis Eccleſiæ B. Mariæ Remenſis ejuſdem ætatis. Ad eumque reſpexit memoratum Pontificale Anglicanum, ubi in ipſa Olei Sancti ad infirmum delatione præſcripſit inter alia deferri incenſum.

II. Illud vero ex antiquo Libro Sacramentorum inſignis Eccleſiæ S.Gatiani Turonenſis annorum circiter CM. cautum eſt, ut *in primis faciant Sacerdotes aquam benedictam extra domum; &, cum ingreſſi fuerint domum, dicant primum*, Pax huic domui; *& tunc incipiant Antiphonam*, Aſperges me Domine; *& aſpergatur aqua ſuper infirmum, vel ſuper domum ejus cum Pſalmo*, Miſerere mei Deus I. Sequitur benedictio domus, aliæque deinde orationes. Similia præſcribunt & alii Libri Rituales, quos longo agmine affert Martene Lib. I. Cap. VII. Articulo IV. Ex aliis Codicibus, & quidem antiquis, qualis eſt ille inſignis Eccleſiæ Noviomenſis annorum circiter CM. præſcriptum eſt, ut, *cum venerit Sacerdos ante oſtium, faciat ſignum Crucis, & ſic ingrediatur*. Mandat mox, ut dicat, *Pax huic domui*, una cum Antiphona, *Benedic, Domine, domum iſtam &c.* Pſalmo, *Ecce quam bonum*, & Oratione, *Introeat Domine domum hanc &c.* quæ habetur infra in ſequenti noſtro §. Sequitur deinde aſperſio cum aqua benedicta, itemque variæ Preces, Litaniæ, & Orationes, quas longum eſſet hoc loco deſcribere, quaſque videre licet apud eundem laudatum Martene loco ſupra citato.

III. Dicto, *Pax huic domui*, quod quidem juxta complures antiquos Rituales Codices ter pronunciabatur, ex præſcripto noſtri §.IV. Sacerdos, *depoſito Oleo ſuper menſam, Superpelliceo, Stolaque violacea indutus, ægroto Crucem deoſculandam porrigit*. Fateor quidem, quod alias obſervavit Burrufaldus, ex verbis noſtri hujus §. clare demonſtrari, Sacerdotem generatim loquendo, non teneri eſſe indutum Superpelliceo & Stola, cum defert hoc Sacramentum, ſed tunc primum illa induere, cum ingreſſus infirmi cubiculum, dixit, *Pax huic domui*, & poſuit vas ſacri Olei ſuper menſa. Optimam vocat hanc noſtri §. inſtitutionem Barrufaldus, neque enim laudabile putat, *quod Parochus ex improviſo appareat coram infirmo ſacris veſtibus indutus; quia* ſcilicet, *acceſſus hoc modo factus, plures infirmos deterruit, & ad mortem pene duxit, ob ſubitum conceptum timorem moriendi*. Sed puto equidem, laudadilius eſſe, quod Sacræ Synodi. Ritualeſque antiqui Codices, recentioreſque præſcribunt, ac præſertim S. Carolus, tum in Conciliis, tum in Inſtructionibus de Extrema Unctione, ut Sacerdos ab Eccleſia procedat indutus Superpelliceo, & Stola, præcedente Clerico cum parva Cruce, aqua benedicta, & cereo lumine laterna incluſo. Quibus inhærens Salernitana Synodus anni MDLXXIX. Tit. XXXII. Cap. VIII. de hoc Sacramento loquens, ſic ait: *Cum ad infirmos defertur, ſit Parochus Superpelliceo, & Stola indutus, cum Clerico, & lumine*. Quod quidem optime inſtitutum eſt, reverenter enim deferri debet, & non jam cum communi veſte, ſed illa, quam cujuſque Diœceſeos Synodi,

di, Ritualeſque probati Codicea præſcribunt. Ceterum nec noſter §. tunc primum mandat indui a Parocho Superpelliceum, & Stolam, cum poſuit vas ſacri Olei ſuper menſam, ſed potius ſupponit, jam eſſe indutum.

IV. Quidquid autem de ea re ſit, quod noſter §. IV. præſcribit, ut *Parochus ægroto Crucem pie deoſculandam porrigat*, ſtatutum quoque antiquitus fuit in variia Ritualibus, ſed tamen ut plurimum poſt peractam unctionem, & ſumptam Eucharistiæ Communionem; ſic enim ex ms. Rituali Monaſterii B. Mariæ de Pontelevio annorum circiter DC. cautum eſt, ut Sacerdos accipiat Crucem, & dicat: *Ecce Vultum Salvatoris, qui te ſui Sanguinis pretio pendens in Cruce redemit. Adora, & oſcula*; adorataque Cruce, faciebat infirmus Confeſſionem. At vero ex ms. Codice ad uſum Eccleſiæ S. Mariæ Magdalenæ prope Cenomanos, annorum circiter CD. poſt varias orationes, Sacerdos jubetur, ut *deinde accipiat Crucem, in qua debet eſſe Imago Chriſti depicta, & Imago glorioſæ Virginis Mariæ, & ſignet ex ea infirmum ſigno ſanctæ Crucis, dicendo*: Benedicite. ℟. Dominus. Benedictio Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus Sancti deſcendat ✠ ſuper hunc infirmum, & maneat ſemper, Amen. *Sacerdos præſentet Crucem infirmo, utique deoſculandam, & loquatur ei repræſentando memoriam Paſſionis Chriſti Domini noſtri, & qualiter paſſus eſt pro ea, & pro ſalute totius mundi*. Porro invaluit apud Monachos ritus, ut, ſive ante, ſive poſt datum Fratribus omnibus oſculum, Crux etiam oſculanda, & adoranda infirmis præberetur, ut patet ex Conſuetudinibus Cluniacenſium, Collectaneo S. Petri ſupra Divam, Breviario S. Germani a Pratis, & ex Vita S. Odilonis Abbatis Cluniacenſis. Sic etenim Auctor ejuſdem Jotſaldus, Cap. XV. ſanctiſſimum illius obitum deſcribens, ait: *Secundum Apoſtolicam ſententiam Oratio Fidei ſuper eum celebratur, Myſterium vivifici Corporis, & Sanguinis ſumitur, Pax Fratribus præbetur, & ad ultimum illa ſalutifera Crux noſtræ redemptionis, & Imago Domini noſtri ad adorandum præſentatur*. Hanc Crucem Petrus Venerabilis Abbas Cluniacenſis, ut in ejuſdem Statutis legitur, Cap. LX. nolebat eſſe auream, vel argenteam, ſed tantum ligneam.

V. Oſculata Cruce, Sacerdos, ut ait hic noſter §. *mox in modum Crucis cum aqua benedicta, & cubiculum, & circumſtantes aſpergit, dicens Antiphonam*, Aſperges me &c. Legitur hæc aſperſio in omnibus vel antiquiſſimis Ritualibus Libris, uti ſuperius oſtenſum fuit. Ergo, facta aſperſione, mandat & illud quidem noſter §. ut Sacerdos, *ſi ægrotus voluerit confiteri, audiat illum, & abſolvat*. Quoniam nihil Sacramenti gratiam magis impedit, quam mortiferi alicujus peccati conſcientia, iccirco in eo miniſtrando id potiſſimum Rituales Codices pervetuſti, recentioreſque, ac præterea ſacræ Synodi juſſerunt, ut, ſi fieri poteſt, infirmus non ante inungatur, quam peccata confeſſus ſit, ac præterea ſacram Euchariſtiam ſumpſerit. Conſtat id quidem non modo ex Catechiſmo Tridentini Concilii, Parte II. *De Extremæ Unctionis Sacramento*, verum etiam ex variis Ritualibus, Libriſque Sacramentorum a Martene productis loco citato, præſertim vero ex Pontificali Anglicano a nobis ſæpiua memorato, cujus locum, quod alios ritus ſcitu dignos, ac in aliis multis Ritualibus præſcriptos contineat, lubet deſcribere: *Tunc Sacerdos*, poſt factam ſcilicet aſperſionem, & Orationes recitatas, *flexis genibus ante ægrotum inclinet, dicens ei*: Ut quid nos vocaſti Frater? *Infirmus dicat*: Ut unctionem mihi tradere dignemini. *Sacerdos tunc eum compendioſe cum omni lenitate Divinis inſtruat Dogmatibus, ſi ſpiritualis eſt, dicens ei*: Prius te ad puram præpara Confeſſionem, de cætero ſanctam accipies unctionem. *Si ſæcularis eſt, dicat ei*: Tuæ prius diſpone domui, & ſiquid intra tui cordis conſcientiam habere cenſes contra quempiam, indulgendo remitte, quatenus, opitulante Summi Tonantis clementia, per hanc valeaa unctionem, tuorum percipere peccaminum abolitionem. *Deinde Sacerdos hanc dicat Orationem*: Oremus, Fratres dilectiſſimi Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum cum omni intenta ſupplicatione, ut hunc famulum viſitare, & conſortare in puram dignetur Confeſſionem. Qui vivit. *Tunc ejus accipiet Confeſſionem. Et ſi cunctis voluerit dimittere, ſanctam ei humiliter tradat unctionem. Quod ſi noluerit, ſacrato eum Chriſmate omnino non tangat, quia in Evangelio legitur*. Si non dimiſeritis hominibus peccata eorum, nec Pater veſter cœleſtis dimittet vobis peccata veſtra.

VI. Præmittendum Extremæ Unctioni Sacramentalem Confeſſionem, jam & alii paſſim Rituales Codices jubent, inter quos Liber Sacramentorum Monaſterii Moiſſacenſis annorum circiter CM. ita loquitur: *Antequam ungatur infirmus, omnimodis Deo & Sacerdoti confiteatur peccata ſua, quia unctio niſi per veram confeſſionem nequaquam proficit ad peccatorum emundationem*. Similia habet Codex Pontificalis Eccleſiæ Salisburgenſis annorum circiter DCC. in Ordine ad ungendum infirmum, ſic dicens: *Antequam ungatur infirmus, confiteatur omnimodis Deo & Sacerdoti ſuo pariter omnia peccata ſua, & reconciliationem ab eo percipiat plenam; ut ulceribus vitiorum per confeſſionem prius adapertis, dignius proficiat ei unctio ſpiritualis, medendo nequitiarum putredinem interius latitantem*. Afferri ad hoc comprobandum permultæ Synodi poſſent, quibus tamen omiſſis, notandum hic illud cenſeo, quod, ſi morbi vis ita impediat ægrotum, ut confiteri non poſſit, cum Presbyter excitare debet, ut verum ſuorum peccatorum dolorem concipiat, eorumque remiſſionem ita percipere mercatur. Quod ſi nulla poſſit indicia pœnitentiæ præbere, ſive quia in phreneſim incidit, aut alio quovis modo vi morbi oppreſſus eſt, eo tamen Sacramento illum Parochus privare non debet, ſi probabiliter judicet, ſive ex bona ægroti vita, ſive ex præcedenti deſiderio recipiendi Sacramenta, ægrotum hoc Sacramentum petiturum, ſi poſſet; quoniam, ut ait S. Auguſtinus in Libro, *De adulterinis conjugiis*, Capite ultimo, *multo ſatius eſt nolenti dare, quam volenti negare, ubi velit, an nolit, non apparet; attamen credibilius eſt, eum, ſi poſſet, velle ſe potius dicturum fuiſſe*. Licet autem infirmus ipſe Sacro Oleo ungendus confeſſus fuerit, eum adhuc Parochus excitare debet ad magnum de peccatis ſuis concipiendum dolorem, præſertim vero de iis, quæ malo ſenſuum uſu commiſit, quibus applicari unctiones debent.

VII. Denique mandat noſter §. ut Sacerdos ante unctionem, *piis verbis illum conſoletur, &*

de hujus Sacramenti vi, atque efficacia, ſi tempus feret, breviter admoneat, & quantum opus ſit, ejus animum confirmet, & in ſpem erigat vitæ æternæ. Idem ſane mandant Sacræ Synodi, Codiceſque Rituales, quibus inhærens S. Carolus in Inſtructionibus ſuis, ubi de diligentia agit in ipſo Sacramento adminiſtrando, ſic inquit: *Ad quod etiam Sacramentum percipiendum, quo magis Fideles accendat, ejus fructus, atque utilitates aliquando, prout opportunum eſſe viderit, accurate explicabit; idemque unicuique infirmo cum miniſtrat, præſtare non omittet, quantum ſane tunc per temporis anguſtiam, morbique vexationem poteſt*. Optandum plane eſſet, ut Parochi in Catechiſmis, & in concionibus ſuis, quos habere debent ad populum, Sacramentorum virtutem, rituſque exponerent, ac nominatim Sacramenti Extremæ Unctionis, ne Fideles poſtea cum in periculo mortis conſtituti, Sacro Oleo ungendi ſunt, horrorem ex ea unctione conciperent. Sed ſive id peractum fuerit, ſive omiſſum, quo diligentius item infirmum præparet Parochus, præter alia, quæ ei de vi, ſalutaribuſque fructibus hujus Sacramenti, ut ſupra dictum eſt, diligenter exponet, hoc etiam perſuadebit, ut ea fide ſe ungendum præbeat, qua olim, qui ab Sanctis Apoſtolis ſanandi erant, ſe ipſos offerre conſueverunt; in primis autem animæ ſalus, deinde etiam corporis valetudo, cum conditione, ſi ad æternam gloriam profutura ſit, expetenda eſt. Tum vero demonſtrabit, illum dubitare non debere, quin ſanctæ illæ preces a Deo exaudiantur, quibus ipſe Parochus, Sacerdoſve, Eccleſiæ, & Domini perſonam gerens, utitur ad hujus Sacramenti miniſtrationem.

VIII. Tradit hæc quidem S. Carolus in laudatis ſuis Inſtructionibus, ubi præparationem ad Extremæ Unctionis Sacramentum adhibendam exponit; mandans præterea, docendum eſſe & a Parocho infirmum, eam quoque corporis adhibendam præparationem, *ut partes ungendæ prius abluantur, quantum commode fieri poſſit, ad Sacri Olei reverentiam, præſertim quæ ſordes ſolent magis contrahere*.

§. V.

Poſtea dicat: *Adjutorium noſtrum in Nomine Domini*. ℟. *Qui fecit Cælum, & terram*. ℣. *Dominus vobiſcum*. ℟. *Et cum ſpiritu tuo*.

Oremus.

Introeat, Domine Jeſu Chriſte, domum hanc ſub noſtræ humilitatis ingreſſu æterna felicitas, divina proſperitas, ſerena lætitia, charitas fructuoſa, ſanitas ſempiterna; effugiat ex hoc loco acceſſus dæmonum; adſint Angeli pacis; domumque hanc deſerat omnis maligna cuſtodia. Magnifica, Domine, ſuper nos Nomen ſanctum tuum, & benedic noſtræ converſationi; ſanctifica noſtræ humilitatis ingreſſum, qui ſanctus, & qui pius es, & permanes cum Patre, & Spiritu Sancto in ſæcula ſæculorum. Amen.

Oremus, & deprecemur Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ut benedicendo benedicat ✠ *hoc tabernaculum, & omnes habitantes in eo, & det eis Angelum bonum cuſtodem, & faciat eos ſibi ſervire ad conſiderandum mirabilia de Lege ſua. Avertat ab eis omnes contrarias poteſtates, eripiat eos ab omni formidine, & ab omni perturbatione, ac ſanos in hoc tabernaculo cuſtodire dignetur. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat Deus in ſæcula ſæculorum. Amen.*

Oremus.

Exaudi nos, Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris Sanctum Angelum tuum de Cælis, qui cuſtodiat, foveat, protegat, viſitet, atque defendat omnes habitantibus in hoc habitaculo. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

COMMENTARIUS.

I. Conſueviſſe olim præmitti Extremæ Unctioni infirmorum varias preces, orationeſque, conſtat ex multis antiquis Sacramentorum Libris, quos recenſet Martene Lib. I. Cap. VII. Articulo IV. per totum. Oratio, *Introeat, Domine &c.* &, *Exaudi nos &c.* leguntur quidem in antiquo ms. Codice inſignis Eccleſiæ Bellovacenſis a Viro Clariſſimo Godefrido Heman deſcripto, & in ms. Rituali Monaſterii B. Mariæ de Pontelevio annorum circiter DC. itemque in aliis ſequioris ætatis, in quorum etiam nonnullis extat oratio ſecundo loco in §. noſtro deſcripta, quæ incipit, *Oremus, & deprecemur &c.*

§. VI.

Quæ Orationes, ſi tempus non patiatur, ex parte, vel in totum poterunt omitti. Tum de more facta Confeſſione generali, Latino, vel vulgari ſermone, Sacerdos dicat, *Miſereatur tui &c. Indulgentiam, abſolutionem, &c.*

COMMENTARIUS.

I. Dictis orationibus, quæ etiam, ut ait hic noſter §. *ſi tempus non patiatur*, quia ſcilicet urget mortis imminentis periculum, *ex parte, vel in totum poterunt omitti*; ex præſcripto ejuſdem §. *tum de more facta Confeſſione generali Latino, vel vulgari ſermone, Sa-*

Sacerdos dicit, Miſereatur tui &c. Eſtque hic antiquus ritus, ut Confeſſio generalis communis Extremæ Unctioni præmitteretur, uti ex variis Ritualibus conſtat, præſertim vero ex ms. Pontificali Eccleſiæ Apamienſis in Syria, & ex aliis a Martene productis. Quo ritu ea ſit peragenda, explicat in ſuis Inſtructionibus S. Carolus, ubi Ordinem miniſtrandi Sacramentum Extremæ Unctionis recenſet, his plane verbis: *Aſperſione peracta, & Crucifixi etiam Imagine ante oculos ægroti collocata, Parochus ab illo quærit, an aliquid habeat, recordeturve, quod confiteri velit; ſique nihil quidquam habet, Clericus verſus Sacram Imaginem, & Parochum genuflexus monet ægrotum, & cæteros omnes, ſignum Crucis ſibi adhibere, & ipſe ſignans ſe, dicit:* In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen; *& manibus junctis Confeſſionem generalem dicit, ægroto ſi poteſt, cum eo ſaltem ſubmiſſa voce pronunciante, aut ſaltem attente audiente, percutitque ter pectus ad ea verba*, mea culpa &c.

II. Recitata generali Confeſſione, *Latino, vel vulgari ſermone*, ut ait hic noſter §. aliique Rituales Codices docent, Sacerdos dicit, *Miſereatur tui &c. Indulgentiam, abſolutionem &c.* quæ quidem verba pronunciare quidem debet eo ritu, quem nos alias explicuimus, quemque recenſet Sanctus Carolus loco citato: *Deinde Parochus manibus junctis dicit*: Miſereatur tui &c. *deinde ſignum Crucis dextra formans verſus ægrotum, dicit*: Indulgentiam, abſolutionem ✠ &c. Atque hæc eſt formula generalis abſolutionis in variis Ritualibus præſcripta, quam Sacerdos infirmo Sacro Oleo inungendo poſt recitatam ab ipſo, ſive a Clerico, vel ab aliquo alio adſtante generalem Confeſſionem, impertit. Verum ex recitato Apamienſi Pontificali, & ex Pontificali Senonenſis Eccleſiæ annorum circiter DC. quod extat in Bibliotheca Regis Francorum n. 4219. hanc Sacerdos generalem abſolutionem Sacræ Unctioni præmittebat ſuper ægrotum inungendum: *Omnipotens Deus, qui B. Petro Apoſtolo ſuo, cæteriſque Diſcipulis ſuis licentiam dedit ligandi, atque ſolvendi, ipſe te abſolvat ab omni vinculo peccatorum, & quantum fragilitati noſtræ permittitur, ſis abſolutus ante Tribunal Domini noſtri Jeſu Chriſti, habeaſque vitam, & vivas in ſæcula ſæculorum, intercedente B. Dei Genitrice Maria cum omnibus Sanctis. Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti deſcendat, & maneat ſuper te ſemper*. Ita formula Pontificalis Apamienſis, illa vero Senonenſis Pontificalis in hunc modum concludit: *Benedictio Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen*. Utrumque Pontificale videre eſt apud Martene Lib. 1. Cap. VII. Articulo IV. Ordine XV. & XX. Ceterum juxta Sacerdotale Romanum Venetiis impreſſum anno MDLXVII. Parte 1. Tractatu V. pag. 102. facta ab ægroto generali Confeſſione, hanc Sacerdos Abſolutionem pronunciat: *Dominus noſter Jeſus Chriſtus te abſolvat, & ego abſolvo te ab omni vinculo excommunicationis, majoris, ſive minoris, ſuſpenſionis, vel interdicti, & ab omnibus peccatis tuis, & reſtituo te unitati, & Communioni ſanctæ Matris Eccleſiæ abſolutum. In Nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti. Amen*. Porro verbum *ſuſpenſionis* dicitur quidem quum Clericus abſolvitur, laicus enim nullam incurrit ſuſpenſionem, ut jam alias in Commentariis ſuperioribus notavi.

§. VII.

Antequam Parochus incipiat ungere infirmum, moneat adſtantes, ut pro illo orent, & ubi commodum fuerit, pro loco, & tempore, & adſtantium numero, vel qualitate, recitent ſeptem Pſalmos Pœnitentiales cum Litaniis, vel alias Preces, dum ipſe Unctionis Sacramentum adminiſtrat. Mox dicat: *In Nomine Patris ✠, & Filii ✠, & Spiritus ✠ Sancti, extinguatur in te omnis virtus diaboli per impoſitionem manuum noſtrarum, & per invocationem omnium Sanctorum, Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, atque omnium ſimul Sanctorum, Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Conſentit profecto veteri Eccleſiæ diſciplinæ in variis Ritualibus expreſſæ, quod ſtatuit hic noſter §. quodque luculentius recenſet, explicatque S. Carolus in ſuis Inſtructionibus de ordine miniſtrandi Sacramentum Extremæ Unctionis, ubi poſt datam a Sacerdote ſuper infirmum inungendum generalem abſolutionem, ſic habet: *Poſtea omnes, qui adſunt, & præſertim familiam præſentem genibus flexis orare jubet; tum is genibus etiam flexis, dicit una cum aliis Presbyteris, vel Clericis, ſi plures interſunt, ſi minus, cum uno, Pſalmos Pœnitentiales, & Litaniat, ut mox infra, ſi tempus datur, alioqui ſi non datur, ut ſupra, dum ab aliis Pſalmi, & Litaniæ dicuntur, ipſe ſtata formula inferius deſcripta unget*. Afferri huc plane poſſent varii antiqui Sacramentorum Codices, recentioreſque, in quibus, non modo variarum Precum, & Orationum fit mentio, quæ vel olim Extremæ Unctionis præmitti ſolebant, verum etiam ſeptem Pſalmorum Pœnitentialium cum Litaniis, uti videre eſt apud Martene Libro 1. Cap. VII. Articulo IV. Cæterum ex ms. Pontificali Prudentii Epiſcopi, qui ante annos CM. Trecenſem regebat Eccleſiam, cautum fuit, ut, *dum inungitur ægrotus, dicatur Antiphona*, Sana me Domine &c. *Sequuntur octo Pſalmi ad imitationem octo Beatitudinum, ſive ad ſpem octavæ diei reſurrectionis*. Domine ne in furore 1. Ad te levavi. Beati quorum. Domine ne in furore 2. Domine exaudi 1. De profundis. Domine exaudi 2. Kyrie eleiſon. Pater noſter. *Capitula*. Ego dixi, Domine, miſerere mei. Convertere Domine. Salvum fac ſervum tuum.

Domine conſerva eum. Domine opem fer ei ſuper lectum. Mitte ei Domine. Nihil proficiat.

II. Ex antiquo Libro Sacramentorum Eccleſiæ S. Gatiani Turonenſis annorum circiter CM. canebant quidem *Saeerdotes, vel Miniſtri Eccleſiæ ſuper infirmum ſeptem Pſalmos Pœnitentiales eum Antiphona*, Ne reminiſcaris Domine. *Sequitur Oratio.* Reſpice Dominc ſamulum tuum infirmitate corporis ſui laborantem, & animsm refove, quam creaſti, ut caſtigstionibus emendata, continua ſe ſentiat tua medicina ſalvatum. *Poſtea vero eanant Litaniam ſuper infirmum, & poſt Litaniam dicat Sacerdos ſuper infirmum has Orationes.* Sequuntur tres Orationes, & deinde variæ Antiphonæ cum vsriis Pſalmis, Orationibuſque. Idem legere eſt in alio antiquo Turonenſi Codice ejuſdem ætatis, & in alio itidem Turonenſi, in quo poſt ſeptem Pſalmos Pœnitentiales ſequitur prolixs Litanis cum multis Precibus, atque Orationibus. In vetuſto quoque Sacramentorum Libro Monaſterii Moiſacenſis annorum CM. Bibliothecæ Colbertinæ, poſt cantatos ſeptem Pſalmos Pœnitentiales, ſequitur Oratio, *Paree Domine, paree famulo tuo, quem redimiſti, Chriſte, Sanguine tuo, ne in æternum iraſearis ei. Qui eum Patre.* Sequitur deinde Litania ſimiliter cum Precibus, & Orationibus.

III. Qusmquam vero non deſint Rituales Codices, in quibus, Litsnlis ipſis non Pœnitentiales Pſalmi, ſed alii præmitterentur, uti videre eſt in Pontificsli Eccleſiæ Salisburgenſis annorum cireiter DCC. in quo hi recenſentur Pſalmi, *Domine ne in furore 2. Beatus, qui intelligit. Miſerere mei Deus. Inelina aurem. Qui habitat.* Antiquiſſimus nihilominus, & communis extitit ritus, præſcribens, ut in adminiſtratione Extremæ Unctionis ſeptem Pœnitentiales Pſalmi ſuper infirmum recitarentur cum Antiphonis interjectis, uti videre in variis Ritualibus, quæ deſcripſit Martene, & in citatis S. Caroli Inſtructionibus. Porro conſueviſſe Pſalmos ipſos a moriente legi, ut es lectione ad contritionem, & pœnitentiam excitaretur, docet nos Sancti Auguſtini exemplum, qui, uti legitur in Breviario Romano ad diem XXVIII. Auguſti, & apud Poſſidium in ejuſdem S. Antiſtitis Vita, Capite XXXI. *eum diſceſſum ſibi inſtare intelligeret, Pſalmos David, qui ad pœnitentiam pertinent, in conſpectu poſitos profuſus lacrymis legebat. Solebat autem dieere, neminem, & ſi nullius ſeeleris ſibi conſeius eſſet, permittere debere, ut ſine pœnitentia migraret e vita.* Hoc S. Auguſtini exemplo excitatus S. Csrolus in ſuis, *De viſitatione, & eura infirmorum*, Inſtructionibus, mandat inter alia infirmo morituro, ut, *ſi litteras norit, quod S. Auguſtinus feciſſe traditur, dum æger fuit, ſeptem Pſalmos Pœnitentiales pie recitet.* Sed de Pſalmis iſtis Pœnitentialibus videſis, quæ infra dicemus in Commentario sd Caput III.

IV. Porro recitatis ſeptem Pœnitentialibus Pſalmis, vel, dum ipſi dicuntur, ex præſcripto noſtri §. dicit Sacerdos, qui Sacramentum Extremæ Unctionis miniſtrat, Orstionem, *In Nomine Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus ✠ Sancti, &c.* quæ quidem legitur in variis Ritualibus, præſertim vero in antiquo Romano X. Ordine apud Mabillonium Tomo II. Muſei Italici, pag. 113. Licet autem nec noſter §. nec citatus Ordo Romanus exprimat, ſuper quem fieri debeat hoc triplex Crucis ſignaculum, nihilominus Sacerdotale Brixienſe perſpicue docet, fieri debere a Sacerdote ſuper infirmum inungendum, ſuper quem etiam idem Sacerdos manus imponet, ut vel ex deſcripta in noſtro §. Oratione addiſcimus, in iis verbis, *extinguntur in te omnis virtus diaboli per impoſitionem manuum noſtraram.* Fuiſſe autem antiquum ritum, & in variis Eccleſiis uſitatum, ut ſuper ipſum infirmum Sacerdotes non modo, ſed & Miniſtri Eccleſiæ, ac reliqui Fideles msnus ſuas imponerent, docent duo antiqui Rituales Codices Turonenſes annorum circiter CM. ac alii plures a Msrtene producti Lib. I. Capite VII. Articulo IV. Ordine III. IV. XI. & aliis ſeqnentibus. Ceterum quod etiam ſuper ipſum infirmum poſt factsm inunctionem manus imponeretur, & quidem cum prolixa Oratione, ex Pontificali Eccleſiæ Salisburgenſis annorum circiter DCC. addiſcere licet spud eundem Martene, Ordine XII.

§. VIII.

Deinde intincto pollice in Oleo Sancto, in modum Crueis ungit infirmum in partibus hic ſubſcriptis, aptando proprio loco verba formæ in hunc modum.

Ad oculos: *Per iſtam ſanctam unctionem ✠, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per viſum deliquiſti &c.*

§. IX.

Miniſter vero, ſi eſt in Sacris, vel ipſemet Sacerdos poſt quamlibet unctionem tergat loca inuncta novo globulo bombacii, vel rei ſimilis, eaque in vaſe mundo reponat, & ad Eccleſiam poſtea deferat, comburat, cinereſque projiciat in Saerarium.

COMMENTARIUS.

I. ANtequsm explicemus ritus unctionis ſenſuum Chriſtisni ægrotantis, notstu dignum illud cenſeo in hujus Commentarii exordio, conſueviſſe olim ex vsriorum Ritualium præſcripto Fidei profeſſionem Extremæ huic Unctioni præmitti, itemque alia, quæ deſcribere hic Iubet ex ms. Miſſali Romaricenſi annorum circiter DCC. apud Martene citato ſuperius Articulo IV. Ordine XIV. ex cujus præſcripto, facta squæ benedictæ aſperſi ne in cubi-

biculo ægroti, ac lecto ibidem Evangelio Joannis, *In principio erat Verbum &c.* interrogabatur a Sacerdote ægrotus de credulitate ſua hunc in modum: *Credis in Dominum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum?* Cui ille: *Credo*. Interrogat iterum Sacerdos: *Credis, quod illæ tres Perſonæ, quas modo diximus, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tres Perſonæ ſint, & unus Deus?* Ille: *Credo*. Rurſus Sacerdos: *Credis, quod in ipſa carne, in qua nunc es, in ipſa habeas reſurgere in die judicii, & recipere, ſive bonum, ſive malum, quod geſſiſti?* Reſpondet æger ungendus: *Credo*. Similia legere eſt in Codice Victorino annorum circiter DC. in Pontificali Eccleſiæ Apamienſis in Syria, & in veteri Rituali Eccleſiæ Catalaunenſis annorum circiter CCC. Præterea facta Fidei profeſſione, ex memorati Miſſalis præſcripto rurſus Sacerdos interrogat: *Vis dimittere, quicumque in te peccaverit, Domino dicente*: Si non remiſeritis hominibus peccata eorum, nec Pater dimittet vobis peccata veſtra. *Si reſponderit*, Volo, *tunc ſuam Confeſſionem, ſicut melius noſti, da ei; & doceatur a Sacerdote, ut ſpondeat firmiter in corde ſuo, ſi ei Deus vitam conceſſerit, mores ſuos, & actus ejus, in quibus deliquerat, omnino corrigere debeat; & quamdiu in infirmitate jacet, plangat, gematque peccata ſua, quia lacrymæ, & gemitus celerem invenire merentur indulgentiam peccatorum*. Sed longum eſſet omnia hic adnotare, quæ laudatum Miſſale, Codiceſque Rituales peragenda ab ægroto ſacro Oleo inungendo præſcribunt.

II. Ergo ut de ipſa unctione loquamur, ex præſcripto noſtri §. VIII. Sacerdos, *intincto pollice in Oleo Sancto, in modum Crucis ungit infirmum in partibus hic ſubſcriptis, aptando proprio loco verba formæ &c.* Conſueviſſe vel olim hujuſmodi unctiones fieri *in modum Crucis*, docent nos paſſim antiquiſſimi Codices Sacramentorum, inter quos Anglicanus Codex Pontificalis Monaſterii Gemmeticenſis ſic ait: *Perungat infirmum de Oleo ſanctificato, Cruces faciendo*. Liber Sacramentorum Eccleſiæ S. Gatiani Turonenſis: *Tunc perungat Sacerdos infirmum, faciens ſignum Crucis de Oleo, ſanctificato in collo, in gutture &c.* Codex alter ejuſdem Eccleſiæ: *Perungunt infirmum de Oleo ſanctificato, Cruces faciendo &c.* Codex Bellovacenſis a Godefrido Herman deſcriptus: *Intincto pollice in Oleo, Crucem faciat in ſuperciliis oculorum &c.* Sed quid opus eſt alios Codices recenſere, cum ritus iſte ungendi infirmi ſenſus in modum Crucis, communis eſſet, & a Ritualibus non modo, ſed etiam a Conciliis præſcriptus?

III. Veteri itaque ritui inhærens noſter §. mandat, ut Sacerdos, *intincto pollice in Oleo Sancto, in modum Crucis ungat infirmum in partibus ſubſcriptis, aptando proprio loco verba formæ &c.* Quod hodie unus & idem Sacerdos præſtat, unctionem ſcilicet, & formæ prolationem, antiquitus quidem, alicubi ſaltem, diverſi Sacerdotes præſtabant. Ut enim ex variis Ritualibus, & Conciliis conſtat, aliquando unus applicabat Oleum, altero verba formæ pronuntiante. Id plane docent duo antiqui Codices Sacramentorum Turonenſes annorum circiter CM. apud Martene citato ſuperius Articulo IV. Ordine III. & IV. ex quorum præſcripto, dum Sacerdos unus inungit infirmum, alter formam profert. Aliquando ſinguli omnes corporis partes ungebant, & ungendo, formam proferebant; quod quidem addiſcere licet ex vetuſtiſſimo Codice Regis Francorum annorum circiter DCCC. apud eundem Martene, Ordine XI. aliquando ſinguli ſingulas partes, hoc eſt, unus unam, alter alteram perungebant. Atque huc ſpectat, quod ſtatuit Concilium Provinciale VI. Beneventanum anni MCCCLXXIV. Tit. VIII. Cap. III. *Debent*, inquit, *in collatione hujus Sacramenti plures eſſe Sacerdotes, ſi poteſt commode fieri; & non debet unus inungere, & alius orationem infundere, ne fiat diviſio Sacramenti, ſed uno inungente, & orante, alii poſtea ſtatim orent; vel uno inungente, & orante, poſſet quilibet inungere, & orare*. Sed his omiſſis, de quibus alias ſupra non uno in loco diximus, meminiſſe debet Sacerdos, quod ſupra etiam Cap. I. §. XVII. ſtatutum fuit, ut nempe dum oculos, aures, & alia corporis membra, quæ paria ſunt, ungit, caveat, ne alterum ipſorum inungendo, Sacramenti formam prius abſolvat, quam ambo hujuſmodi paria membra perunxerit.

IV. Ad ſenſuum unctionem quod ſpectat, ex præſcripto noſtri hujus §. prima fit *ad oculos*, & quidem, ut ait S. Carolus in ordine miniſtrandi Sacramentum Extremæ Unctionis, *primo dextrum, deinde ſiniſtrum*; cavendumque Sacerdoti, ne hunc ordinem pervertat, &, ut inter alias monet Salernitana Synodus anno Chriſti MDLXXIX. habita, Tit. XXXII. Cap. VI. *ne dum oculos, nares, aures, & manus, inungit, alteri tantum unctionem adhibeat, ne imperfectum remaneat Sacramentum*. Ut autem commode inungantur oculi, claudi debent, & unctio fieri ſuper utramque palpebram, a Sacerdote ſcilicet dicente interim, *Per iſtam ſanctam Unctionem &c.* Atque hic eſt ritus antiquus, ut ipſa nempe unctio fieret *in ſuperciliis oculorum*, ſive, ut habet vetus Rituale inſignis Eccleſiæ Catalaunenſis annorum circiter CCC. *in ſuperciliis juxta angulos oculorum, & oculis clauſis*. Ceterum ſi veterem diſciplinam ſpectemus in variis Ritualibus expreſſam, ac præſertim in Pontificali Anglicano Monaſterii Gemmeticenſis annorum circiter mille, præter alias Preces, Antiphonas, atque Orationes, quæ generaliter Sacræ Unctioni præmittebantur, ad unamquamque unctionem, quæ in ſingulis corporis ægroti partibus fiebat, præter formulam, quæ parti cuique aptabatur, dici etiam ſolebat peculiaris Oratio, & Pſalmus. Certe ex præſcripto laudati Pontificalis, *ad oculos ungendos in ſuperciliis oculorum*, dicebat Sacerdos hanc formam: *Ungo oculos tuos de Oleo ſanctificato, ut quidquid illicito viſu deliquiſti, hujus Olei ſanctificatione expietur. Per Dominum noſtrum*. Sequitur mox Oratio: *Succurre, Domine, infirmo huic, & medica eum ſpirituali medicamine, ut in priſtina ſanitate a te reſtitutus, gratiarum tibi referat actionem*. Poſt hanc vero Orationem ſequitur Pſalmus: *Beati, quorum*.

V. Quidquid autem de eo ritu ſit, facta oculorum unctione, de qua loquitur §. VIII. mox ſubdit ſequens §. IX. monetque, ut *Miniſter, ſi eſt in Sacris, vel ipſemet Sacerdos, poſt quamlibet unctionem tergat loca inuncta novo globulo bombacii vel rei ſimilis, eaque in vaſe mundo reponat, & ad Eccleſiam poſtea deferat, comburat, cineresque projiciat in Sacrarium*. Similia his legere eſt in aliis Ritualibus paſſim, ac præſertim apud S. Carolum,

rolum, ubi ordinem miniſtrandi Sacramentum Extremæ Unctionis recenſet his verbis: *Ubi vero unamquamque partem unxit, ipſemet, Parochus ſcilicet, aut Sacerdos alius ſi adeſt, aut Clericus Sacris initiatus, partem inunctam continuo tergit bambacio, quod in vaſe mundo ponitur ad eam uſum parato, quod ſecum portandum curabit, quod deinde, peracta tota unctione, ad Eccleſiam deferatur, & ibi comburitur; cineres vero projiciuntur in Sacrarium.* Ubi deſit bombacium, poſſe adhiberi aliam rem ſimilem, aptamque ad tergendum, expreſſe edicit recitatus noſter §. Cui concinit Rituale Eccleſiæ Leodienſis anno MDLIII. editum ſic dicens: *Hic linum, aut ſtuppam habeat paratam ad detergendum Oleum membris inunctis.* Sed ea tamen cautione, quam Ritualia multa, atque Concilia præſcribunt, potiſſimum vero Salernitanum loco citato, ſic inquiens: *Eadem vero ſtuppa, ſeu bombice ſingula loca non ungantur, ſed in qualibet membrorum ſpecie mutetur.* Atque id eſt, quod longe ante præſcripſit vetus Rituale Eccleſiæ Catalaunenſis annorum circiter CCC. apud eundem Martene, Ordine XXVII. ubi poſtquam dixit, ut *Sacerdos ungat de Oleo ſacrato cum pollice infirmum, vel infirmam, aliis Clericis auxiliantibus, & Cruces facientibus*, ita deinde ſubdit: *Et debet eſſe aliqua perſona ad detergendum dictas Cruces cum ſtuppis, & in qualibet Cruce accipiat ſtuppas novas, candelis accenſis.* Ex ejuſdem tandem Ritualis præſcripto, *lavat Sacerdos, unctione peracta, manus ſuas cum ſale, & aqua. Similiter ille, vel illa, qui, vel quæ exterſit Cruces de ſtuppis, quæ debent cuſtodiri, & reſervari inter duas ſcutellas ligneas, & reponi in quodam armariolo in Eccleſia, & de eiſdem facere cineres pro die cinerum, vel recondi in terra ſancta.* Ubi nota, quod in noſtro §. edicitur, ut *Miniſter, ſi eſt in Sacris, vel ipſemet Sacerdos poſt quamlibet unctionem tergat loca inuncta novo globulo bombacii, vel rei ſimilis*, id peractum aliquando fuiſſe non modo a ſæculari viro, verum etiam femina, qui iccirco lavare manus debebant, cum ſale ſcilicet, & aqua, ſicut Sacerdos, qui inunxerat.

§. X.

Ad aures: *Per iſtam ſanctam unctionem ✠, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per auditum deliquiſti. Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Poſt oculorum inunctionem, ſequitur in multis pervetuſtis Sacramentorum Libris, ac præſertim in Pontificali Anglicano, aurium inunctio hac forma concepta: *Ungo has aures ſacrati Olei liquore, ut quidquid delectatione nocua auditus admiſſum eſt, medicina ſpiritalis evacuet. Per.* Sequitur mox Antiphona: *Sanet te Jeſus Chriſtus ab omni ægritudine tua, quoſcumque habes dolores; dimittat Dominus omnia peccata tua.* Tum Pſalmus: *Domine ne in furore tuo* 2. Si Antiphonam, & Pſalmum excipias, legitur formula ipſa ad aures inungendas, in Pontificali Prudentii Epiſcopi Trecenſis, cum hac rubrica, *ad aures deintus*; & in antiquo Codice Noviomenſis Eccleſiæ, cum iſta tamen rubrica: *ad aures, infra, & ſupra.*

§. XI.

Ad nares: *Per iſtam ſanctam unctionem ✠, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per odoratum deliquiſti. Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Narium unctio, quæ unctionem aurium ſequitur, ita concepta legitur in citato Pontificali Anglicano: *Ungo has nares de Oleo ſacrato, ut quidquid noxæ contractum eſt odoratu ſuperfluo, iſta mundet medicatio. Per Dominum noſtrum.* Antiphona: *Opem ferat huic infirmo Deus ſuper lectum doloris ejus; ipſe conſervet eum, & vivificet eam.* Pſalmus: *Beatus qui intelligit*: Fieri debuiſſe iſtam unctionem *ad nares in ſummitate*, monet inter alia laudatum Prudentii Trecenſis Epiſcopi Pontificale.

§. XII.

Ad os, compreſſis labiis: *Per iſtam ſanctam unctionem ✠, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per guſtum, & locutionem deliquiſti. Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Juxta prædictum Pontificale Anglicanum *ad labia* inunctio, iſta verborum formula peragebatur, *Ungo labia iſta conſecrati Olei medicamento, ut quidquid otioſa, vel crimino ſa peccaſti locutione, Divina clementia miſerante, expietur hac unctione. Per.* Antiphona: *Dominus locutus eſt Diſcipulis ſuis: In Nomine meo dæmonia ejicite, & ſuper ægros manus* ve-

veſtras imponite, *& bene habebunt*. Pſalmus: *Deus Deorum Dominus*. Nulla in hac ſorma de guſtu mentio, ſicut nec in Pontificali Prudentii Trecenſis Epiſcopi, ubi præſcribit hanc unctionem, ſub iſta rubrica, *ad labia exterius*; nec in aliis multis, licet diverſa in ipſis verborum ſormula recenſeatur. In Ordine Romano x. apud Mabillonium, Tomo II. Muſei Italici, num. 33. hæc *ad os* extat ſormula. *Per iſtam ſanctam Unctionem*, *& ſuam piiſſimam miſericordiam pareat tibi Dominus quicquid linguæ*, *vel oris vitio deliquiſti*. ℟. *Amen*. Porro in ms. Rituali ad uſum Eccleſiæ S. Mariæ Magdalenæ prope Cenomanos annorum circiter CD. fit mentio illorum verborum, *deliquiſti per guſtum*. In Rituali quoque Eccleſiæ Leodienſis anno MDLIII. edito eorundem verborum fit mentio ſub iſta ſormula, in qua etiam quædam alia notatu ſunt digna; ſic enim *ad labia*, inquit: *Pax tecum*. *Et cum ſpiritu tuo*. *In Nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti*. *Amen*. *Accipe ſanitatem*. *Amen*. *Per iſtam unctionem* ✠, *& ſuam piiſſimam miſericordiam*, *indulgeat tibi Dominus quidquid deliquiſti per guſtum*, *& illicitum ſermonem*. *Amen*. Verba illa, *Pax tecum*, *&c*. *In Nomine Patris &c*. & *accipe ſanitatem*, leguntur ad ſingulas aliorum ſenſuum inunctiones. Faciendam autem iſtam unctionem *ad os*, *labris compreſſis*, præſcripſit inter alios S. Carolus in citato Ordine miniſtrandi Sacramentum Extremæ Unctionis.

§. XIII.

Ad manus: *Per iſtam ſanctam unctionem* ✠, *& ſuam piiſſimam miſericordiam*, *indulgeat tibi Dominus quidquid per tactum deliquiſti*. *Amen*. Et adverte, quod Sacerdotibus, ut dictum eſt, manus non inunguntur interius, ſed exterius.

COMMENTARIUS.

I. Unctioni *ad manus* hæc extat ſormula in laudato toties Pontificali Anglicano: *Ungo has manus de Oleo conſecrato*, *ut quicquid illicito*, *vel noxio opere peregerunt*, *per hanc unctionem evacuetur*. Antiphona: *Propitietur Dominus iniquitatibus tuis*, *& ſanet omnes ægritudines tuas*; *& renovetur*, *ut aquilæ*, *juventus tua*. Pſalmus: *Benedic*. 1. Ejuſdem unctionis ſormula, excepta Antiphona, & Pſalmo, *ad manus exterius*, ut in quibuſdam legitur, extat in aliis multis antiquis Ritualibus, Pontificalibuſque, ac præſertim in illo Prudentii Trecenſis Epiſcopi. In pluribus certe deſideratur adverbium illud *exterius*, ſolumque legitur, *ad manus*, nulla ſacta diſtinctione, ſi manus Sacerdotis, aut alterius non Sacerdotis inungantur. Porro in ms. Codice Floriacenſi annorum circiter DC. & in alio Domini Deſmarais annorum circiter D. apud Martene, Lib. 1. Capite VII. Articulo IV. Ordine XXI. & XXIII. in manuum unctione hæc extat rubrica: *Ad manus*, *ſi fuerit Sacerdos*, *ſolummodo deforis*. Eundem ritum præſcribit Rituale vetus Eccleſiæ Catalaunenſis annorum circiter CCC. ſed mandat tamen, ut cæteris manus exterius, interiuſque inungantur: *Item ſuper manus*, *& infra*; *ſi vero ſit Sacerdos*, *ungatur tantum extra*. Verum communis ritus eſt, cujus inter alios non uno in loco meminit S. Carolus, ut ſoli Sacerdoti unctio in manibus fiat exterius, cæteris vero tantum interius; quia ſcilicet, ut ſupra diximus, Sacerdotis manus in ejus ordinatione jam interius inunctæ fuerunt. Quod quidem jam longe ante notavit Durandus Lib. 1. Rationalis Divinorum Officiorum, Cap. VIII. num. 25. ut alios Scriptores omittam, qui idipſum tradiderunt.

§. XIV.

Ad pedes: *Per iſtam ſanctam unctionem* ✠, *& ſuam piiſſimam miſericordiam*, *indulgeat tibi Dominus quidquid per greſſum deliquiſti*. *Amen*.

COMMENTARIUS.

I. Formula unctionis *ad pedes*, hæc eſt in Anglicano Pontificali: *Ungo hos pedes de Oleo benedicto*, *ut quicquid ſuperfluo*, *vel nocuo inceſſu commiſerunt*, *iſta aboleat unctio*. *Per*. ℟. *Ne reminiſcaris Domine delicta noſtra*, *vel parentum noſtrorum*, *neque vindictam ſumas de peccatis noſtris*. Pſalmus: *De profundis*. Faciendam iſtam unctionem *ſuper pedes*, monet Pontificale Eccleſiæ Ambianenſis, itemque citatum ſuperius vetus Rituale Eccleſiæ Catalaunenſis, in quo etiam hæc extat ſormula: *Ungo hos pedes* ✠ *ex Oleo conſecrato*, *ut quidquid ſuperfluo*, *vel nocuo inceſſu commiſerunt*, *Sanctorum omnium interceſſionibus*, *iſta aboleat unctio*. Eſt eadem fere, ac illa ſuperius deſcripta ex Pontificali Anglicano, ſi verba illa excipias, *Sanctorum omnium interceſſionibus*. Porro faciendam iſtam unctionem *ad pedes in plantis*, recte admonet S. Carolus in Ordine adminiſtrandi Sacramentum Extremæ Unctionis, & longe ante ipſum, Pontificale Eccleſiæ Senonenſis, annorum circiter DC. quod extat in Bibliotheca Regis Francorum, num. 4219. Sed nec deſunt Ritualia, ex quorum præſcripto fieri debet iſta inunctio *ad pedes*, *infra*, *& ſupra*. Ita plane præſcribit Ritualis Codex Domini Deſmarais annorum circiter D. cum hujuſmodi formula: *Ungo hos pedes de Oleo benedicto*, *In Nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti*, *ut quicquid ſuperfluo*, *vel nocivo inceſſu commiſerunt*, *iſta aboleatur* *pe-*

perunctione . Amen . Quidquid ſit de tanta diverſitate, puto fieri debere hanc inunctionem in plantis pedum juxta S. Caroli præſcriptum, quia nimirum plantis utimur ad ambulandum .

§. XV.

Ad lumbos , ſive renes : *Per iſtam ſanctam unctionem* ✠ , *& ſuam piiſſimam miſericordiam , indulgeat tibi Dominus quidquid per lumborum delectationem deliquiſti . Amen.* Hæc autem unctio ad lumbos, ut dictum eſt, omittitur ſemper in feminis, & etiam in viris, qui ob infirmitatem vix , aut ſine periculo, moveri non poſſunt .

COMMENTARIUS.

I. Quamquam in antiquis Ritualibus Libris longe ante annum Chriſti milleſimum exaratis , præter hactenus memoratos ſenſus, varia alia loca ægrotantis corporis ſub præſcripta formula Sacro Oleo inungerentur , uti videre eſt in permultis Ordinibus a Martene allatis Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus* , Cap. VII. Articulo IV. per totum , in quibus paſſim occurrunt unctiones *ad collum, ad guttur , ad cerebrum , ad pectus , ad ſcapulas , in umbilico , in loco ubi plus dolor imminet* , aliæque id genus , quas longum eſſet hic recenſere , deſideratur nihilominus renum unctio , cujus alias meminit ms. Codex Ritualis Bibliothecæ Regis Francorum , num. 4234. annorum ad ſummum 300. ut ait laudatus Martene citato loco, Ordine XXV. in quo quidem Codice *ad renes* hæc extat formula : *Per iſtam unctionem , & ſuam piiſſimam miſericordiam , indulgeat tibi Deus quidquid peccaſti per ardorem libidinis . Per* . Atque hæc eſt formula , quæ ex præſcripto Pontificalis Eccleſiæ Apamienſis in Syria apud eundem Martene , Ordine XX. dicebatur in unctione , quæ fiebat *in umbilico* ; in ejuſque locum puto ſuffectam fuiſſe unctionem renum , quam recentiores præſertim Rituales Codices , ac Synodi præſcribunt .

II. Inungendos *renes etiam propter vim appetivam* , ſtatuit quidem inter alia Concilium Provinciale VI. Beneventanum anni MCCCLXXIV. Tit. VIII. Cap. IV. in fine , ubi etiam ait, quod renes ipſi *loco genitalium , quibus maxime in hominibus culpa contrahitur , & perpetratur , & venialis , & mortalis, inunguntur propter fœditatem membri, propter quam natura rationalis erubeſcit non ſolum tangere , ſed videre ; ſed , quod plus eſt , nec nominare , & amplius erubeſcit cogitare ; & ideo abſit , quod Oleum Sanctum debeat ibi apponi* . Addit mox : *Parcitur etiam verecundiæ infirmorum, quia nemo eſt ratione utens, qui non erubeſcat membra illa demonſtrare aliis, imo ipſemet erubeſcit videre* . Porro quod ipſam renum unctionem ſpectat , ex præſcripto noſtri §. aliorumque Ritualium, ac potiſſimum Sacramentalis Ambroſiani , *omittitur ſemper in feminis , & etiam in viris , qui ob infirmitatem vix , aut ſine periculo , moveri non poſſunt* . Sed & de hac re vide quæ diximus ſupra Cap. I. in Commentario ad §. XV. num. VI. & VII. quæ quidem & ad hunc Commentarium ſpectant .

III. Reliquum eſt, ut in calce hujus Commentarii duo adnotemus , quæ S. Carolus ſapientiſſime admonuit, explicavitque . Primum eſt , quod ait in Concilio Provinciali IV. Mediolanenſi , ubi agit de iis , quæ ad Sacramentum Extremæ Unctionis pertinent ; ibi enim docet , quid agendum a Sacerdote , qui per errorem uſus fuiſſet , in adminiſtrando hoc Sacramento , Oleo Catechumenorum , aut Chriſmatis : *Parochus* , inquit , *ſi per errorem aliud Oleum , quam quod Infirmorum eſt , ad ægrotum ungendum unquam adhibuerit , etiamſi Chriſmatis, aut Catechumenorum ſit, ut erratum emendet, Olei Sacri , quod proprie Infirmorum eſt , unctionem ei adhibeat ; tuncque Sacramenti formam iteret* . Alterum eſt, quod idem S. Antiſtes ſtatuit in Inſtructionibus Sacramenti Extremæ Unctionis , Capite inſcripto , *De diligentia in miniſtrando* , ut nimirum , *ſi aliquando acciderit , ipſum Parochum , dum ungit , præ virium imbecillitate , aliove caſu deficere ; alius Sacerdos , ſi præſens aderit , aut aliunde ſtatim evocatus , reliquas partes , quas ille non unxerit , ungere rite pergat , unctas autem denuo non unget* . Atque hæc eſt regula , quam longe ante S. Carolum tradidit laudatum Concilium Provinciale VI. Beneventanum initio citati Capitis IV. ſic inquiens : *Et notandum , quod ſi Sacerdos incipiat ungere, & infra unctionem deficiat , inunctis jam aliquibus partibus , tunc id , quod factum eſt , iterare non debet , ſed unctiones , quæ reſtant , ab alio Sacerdote compleantur , pro eo quod qualibet unctio habet ſpecialem formam , ut dictum eſt , & in Ordinario patet ; generaliter tamen conveniunt in effectu remiſſionis* .

IV. Unum adhuc dictis hactenus addam , quod nempe ſtatuit idem Concilium Provinciale VI. Beneventanum , Cap. I. in fine , *quod ſi æger inunctus convaleſcit , loca inuncta laventur , & aqua lotionis in ignem projiciatur ; ſi vero decedit , non lavetur corpus , propter recentem unctionem* . Inſtauravit ſane antiquum ritum , cujus totidem verbis citato Beneventano Concilio antiquior Guillelmus Durandus meminit Lib. I. Rationalis Divinorum Officiorum , Cap. VIII. num. 25. prope finem .

§. XVI.

Quibus omnibus peractis, Sacerdos dicit, *Kyrie eleiſon* , *Chriſte eleiſon* , *Kyrie eleiſon* . *Pater noſter &c.* ℣. *Et ne nos inducas in tentationem* , ℟. *Sed libera nos a malo* . ℣. *Salvum fac ſervum tuum* . ℟. *Deus meus ſperantem in te* . ℣. *Mitte ei Domine auxilium de Sancto* . ℟. *Et de Sion tuere eum* . ℣. *Eſto ei Domine turris fortitudinis* .

nis. ℟. *A facie inimici*. ℣. *Nihil proficiat inimicus in eo*. ℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei*. ℣. *Domine exaudi orationem meam*. ℟. *Et clamor meus ad te veniat*. ℣. *Dominus vobiſcum*. ℟. *Et cum ſpiritu tuo*.

Oremus.

Domine Deus, qui per Apoſtolum tuum Jacobum locutus es: Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum Oleo in Nomine Domini; & oratio Fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & ſi in peccatis ſit, remittentur ei. *Cura, quæſumus Redemptor noſter, gratia Sancti Spiritus languores iſtius infirmi, ejuſque ſana vulnera, & dimitte peccata, atque dolores cunctos mentis, & corporis ab eo expelle, plenamque interius, & exterius ſanitatem miſericorditer redde, ut ope miſericordiæ tuæ reſtitutus, ad priſtina reparetur officia. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis, & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen*.

Oremus.

Reſpice, quæſumus, Domine, famulum tuum N. in infirmitate ſui corporis fatiſcentem, & animam refove, quam creaſti, ut caſtigationibus emendatus, ſe tua ſentiat medicina ſalvatum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Oremus.

Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate cuſtodis; ad invocationem tui Nominis benignus aſſiſte, ut famulum tuum ab ægritudine liberatum, & ſanitate donatum, dextera tua erigas, virtute confirmes, poteſtate tuearis, atque Eccleſiæ tuæ ſanctæ cum omni deſiderata proſperitate reſtituas. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

COMMENTARIUS.

I. Extant quidem hæ Preces, Orationeſque in omnibus fere priſcis æque ac recentioribus Sacramentorum Libris, & Ritualibus, mutatis tamen nonnullis, & diverſo loco diſpoſitis. Sane Oratio, *Domine Deus, qui per Apoſtolum tuum Jacobum &c.* legitur in pervetuſto Pontificali Anglicano Monaſterii Gemmeticenſis annorum mille, in Pontificali Prudentii Epiſcopi Trecenſis ante annos CM. exarato, & in aliis paſſim ſequioris ævi, ſed dicebatur tamen a Sacerdote initio ſacræ actionis ſtatim poſt factam aquæ benedictæ aſperſionem in cubiculo infirmi, de qua ſupra ſuo loco diximus; & ut habet ipſum Anglicanum Pontificale, Orationem ipſam dicere debebat Sacerdos ſtans ante lectum ægroti, antequam ei quidquam loqueretur. Oratio quidem, *Reſpice quæſumus Domine &c.* in noſtro §. ſecundo loco poſita, ex præſcripto ejuſdem Pontificalis, una cum aliis dicebatur poſt peractam ſacram inunctionem. Oratio tandem, *Domine Sancte, Pater Omnipotens &c.* extat & ipſa in antiquis Ritualibus, Libriſque Sacramentorum, ſed tamen, ſicut duæ præcedentes, ordine inverſo diſpoſitæ. Quidquid ſit, antiquæ ſunt ipſæ Orationes, continentque varios Sacramenti Extremæ Unctionis effectus, præſertim vero prima illa, *Domine Deus, qui per Apoſtolum tuum Jacobum &c.* quos quidem effectus ex teſtimonio ejuſdem Apoſtoli prædictæ Orationi inſerto, poſt S. Thomam recenſet, latiuſque exponit Eſtius in IV. Sententiarum Diſtinctione XXIII. §. IV. Sed de hiſce effectibus nonnihil jam nos etiam ſupra diximus.

II. Porro unum eſt, quod hic admonendum ſupereſt, quodque opportune præſcripſit S. Carolus in citato Ordine miniſtrandi Sacramentum Extremæ Unctionis. Peracta enim poſtrema unctione, non debet ſtatim Parochus, Sacerdoſve Preces, Orationeſque in noſtro §. præſcriptas recitare, ſed prius *digitum pollicem; quo unxit, medulla panis bene fricare, & aqua abluere in vaſe ſupradicto; tum manutergio abſtergere, ablutionis vero aquam cum micis referre in Sacrarium*. Atque hic eſt ritus antiquus, cujus meminit Rituale Monaſterii B. Mariæ de Pontelevio annorum circiter DC. *Inuncto Fratre*, inquit, *lavet manus ſuas Sacerdos, & jactet in piſcinam*, aquam ſcilicet in Sacrarium, quod in multis Ritualibus *Piſcina* appellitatur. Meminit quoque vetus Rituale Eccleſiæ Catalaunenſis annorum circiter CCC. ubi poſt recenſitam ultimam unctionem *ſuper pedes*, ita ſtatim ſubjicit: *Hic lavat Sacerdos, unctione peracta, manus ſuas cum ſale, & aqua*. Tum vero mox: *Similiter ille, vel illa, qui, vel quæ exterſit Cruces de ſtuppis, quæ debent cuſtodiri, & reſervari inter duas ſcutellas ligneas, & reponi in quodam Armariolo in Eccleſia, & de eiſdem facere cineres pro die cinerum, vel recondi in terra ſancta*. Meminit tandem Rituale Eccleſiæ Leodienſis anno MDLIII. editum, & quidem poſt unctionem ultimam *ad pedes*, ſic inquiens: *Poſt hæc Sacerdos, exuſta ſtuppa, manus abluat, adhibito ſale; & aqua ablutionis cum cineribus ſtuppæ jubeantur projici in ignem, & aquam fluentem*.

III. Ergo, peracta ultima unctione, antequam Sacerdos Preces, Orationeſque deſcriptas legat, abluere manus debet juxta præſcriptum ſupra in §. I. Ablutione autem facta, dicet Sacerdos Preces, Orationeſque in hoc §. XVI. recenſitas. Sed nec puto, hoc loco omittendum, quod nempe in multis Ritualibus non modo variæ Orationes leguntur dicendæ poſt unctionem, verum etiam formulæ variarum Benedictionum, quas longum eſſet deſcribere. Certe ex citato veteri Rituali Eccleſiæ Catalaunenſis, cautum eſt, ut recitatis quibuſdam Orationibus, ac Benedictionibus poſt unctionem, *deinde accipiat Sacerdos Crucem, in qua debet eſſe Imago Chriſti depicta, & Imago glorioſæ Virginis Mariæ, & ſignet ex ea infirmum ſigno ſanctæ Crucis dicendo*: Benedicite. ℟. Dominus. Benedictio Dei Patris Om-

Omnipotentis, & Filii, & Spieitos Sancti, deſcendat ✠ ſuper hunc infirmum, & maneat ſemper. Amen. *Sacerdos præſentet Crucem infirmo, & loquatur ei repræſentando memoriam Paſſionis Chriſti &c.* De quo ritu dicemus infra in noſtro Commentaeio ad §. ſequentem. Quod autem ipſam benedictionem ſpectat infiemo poſt ejus inunctionem daei ſolitam, notatu dignus eſt eitus, quem in eam in rem peæſceibit peædictum Rituale Eccleſiæ Leodienſis; vult enim, ut Sacerdos poſtquam manus lavit, abſterſitqoe, *aſſumto rurſus Vaſculo Olei Saeri, dicat ſequentem benedictionem*. Seqountur variæ benedictiones, legendæ apod Maetene Lib. I. Cap. VII. Aeticulo IV. Ordine XXVIII. quas qoidem pae ceedere eſt fieri conſueviſſe ſupee infirmum cum ipſo vaſculo ſacri Olei. Ceterum morem fuiſſe, alicubi ſaltem, ut, Saceedos peeacta unctione, ubi ad Eccleſiam eediit, ibidem populum cum ipſo Sacri Olei vaſculo, quo infirmom inunxerat, benediceeet, atque com aqua benedicta adſpeegeret, docet nos memoeatum Catalaunenſis Eccleſiæ Rituale apud eundem Martene Ordine XXVII. his verbis: *Deinde recedat Sacerdos in Eccleſiam, & ſignet populum de Oleo ſancto, & aſpergat eum aqua benedicta, ut moris eſt.*

§. XVII.

Ad extremum pro perſonæ qualitate ſalutaria monita breviter præbere poterit, quibus infirmus ad moriendum in Domino confirmetur, & ad ſugandas dæmonum tentationes roboretur.

COMMENTARIUS.

I. UT facienda ſit iſta adhortatio, egregie docet S. Caeolus in ſuia de Sacramento Exteemæ Unctionia Inſtructionibus, Capite inſceipto, *Quæ Paroebus aget poſt miniſtrationem*, ubi hæc habet: *Parochus, miniſtroto Sacrumento Extremæ Unctionis, ſi videt, ſpatium vitæ eſſe, antequam diſcedat, ægrotum alloquetur, & conſolabitur brevibus, ac ſuavibus, ardentibuſque verbis, quibus illum maxime hortetur ad vim ægritudinis patienter pro Chriſto Domino ſuſtinendam, ad rerum humanarum eogitationes abjiciendas, ad ſatanæ ſuggeſtiones Chriſtiana virtute depellendas, ad ſpem de Divina miſericordio concipiendam, & ad deſiderium in primit vitæ æternæ. Tum præterea hæe hortabitur, ut ſe piorum, Religioſorumque hominum precibus, & orntionibus commendet, pias lectionet audiat, ſi poteſt, præcipue Domini Paſſionem, quam ipſe etiam Parochus pro opportunitate leget; eleemoſynus, ſi poteſt, det, propoſitaque ſibi ob oeulos Chriſti Paſſione, & Cruee, aſſidue pie meditetur mortem, quam omni ſanctæ Chriſtianæque humilitutis ſignificatione fortiter obeot; velitque in cinere & cilicio, ut pœnitens mori, quemadmodum Chriſtianum hominem deeere. S. Martinus affirmavit, & ſuo exemplo docuit. Quod ſi infirmus ita velle mori dixerit, tunc Parochus cinerem, & cilieium benedieet.*

II. Placuit hæc ex S. Caeolo deſcribeee, ot inde addiſcant Sacerdutes, ut ſe ſe gerere eega morientes debeant; ut nempe brevibus, ac ſuavibus, ardentibuſque verbis ægrotum conſoletue, & ut ait hic noſter §. *pro perſonæ qualitate ſalutaria monito breviter præbeot*. Quod non ita facile præſtabit Sacerdos, niſi in pioeum Librorum foeeit lectione verſatus. Sed his omiſſis audiamos Rituale Leodienſe anno MDLIII. editom, ubi poſt varias benedictionum ſoemulas, quas Sacerdoa dicet ſupee infirmum, ſtana ſcilicet cum vaſculo Sacei Olei in manibus, ut in præcedenti Commentario diximus, ita ſtatim ſubjicit: *Poſt hæc Sacerdos infirmum brevi exhoratione conſolatum, atque aqua benedicta aſperſum eommendabit Domino in pace.* At vero notatu dignum eſt quod eandem in eem late docet Rituale Catalaunenſe, cujus locum, qoo ritum ungendi infiemum abſolvit, hic deſcribam. Eego poſt recenſitam benedictionis formulam, quam Saceedos, Crocem manu tenens, eecitabat ſupee infirmum, eaque ipſum ſignabat, ita deinde inquit: *Saeerdos præſentet Crucem infirmo, & loquatur ei repræſentaudo memoriam Paſſionis Chriſti Domini noſtri, & qualiter paſſus eſt pro eo, & pro ſalute totius mundi. Item in fine debet infirmus aſpergi aqua benedicta, ut ab eodem loco dæmones expellantur. Nequaquam de cetero morienti amici earnalet, uxor, filii, divitiæ, & olia temporalia ad memoriam reducantur, niſi in quantum infirmi ſanitas ſpiritualis poſtulat, & requirit. Et notandam, quod in fine inducendæ ſunt infirmis aliquæ bonæ & devotæ perſonæ ad eos viſitandum, quæ habeant prodeſſe ad bonam diſpoſitionem infirmorum, dulciter, & ſecrete ſemper eis loquentes, Paſſionem Chriſti, articuloſque Fidei annunsiantes pro eorum ſalute. Et per Sacerdotem ſimiliter Crux Chriſti juxta infirmos relinquatur in loco, ubi eam commode aſpicere poſſint.* Subdit mox illud, quod oos in ſuperioei Commentario notavimus: *Deinde recedat Saeerdos in Ecceleſiam, & ſignet populum de Oleo Sancto, & aſpergat eum aqua benedicta, ut moris eſt.* Sed hic mos multis io locis jam minime obſeevatur.

§. XVIII.

Denique aquam benedictam, & Crucem, niſi aliam habeat, coram eo relinquat, ut illam frequenter aſpiciat, & pro ſua devotione oſculetur, & amplectatur.

COMMENTARIUS.

I. AQuæ benedictæ uſum, ut nimieum non modo in Eccleſiis, ſed & in habitaculis Fidelium ad effugandos dæmonea aſſeevaeetue, ab Apoſtolis fuiſſe emanatum, & Alexandei Papæ I. Deceeto ſtabilitum, probat poſt alios Caedinalis Baeonius ad annum Chriſti LVII.

LVII. & CXXXII. dicemuſque fuſius nos Tomo II. Titulo VIII. in Commentario ad Caput II. quod inſcriptum eſt, *Ordo ad faciendam aquam benedictam*. Tantum autem abeſt, ut quod Novatores oblatrant, delirantque, ſpecies ſit quædam incantationis, atque magiæ, ut potius ad eas diſſolvendas, aliaſque diaboli artes avertendas, ejuſmodi aqua benedicta ſolita ſit adhiberi, divino, atque in miraculorum virtute ſuffragio comprobata; prout multis illuſtribus exemplis declaratur apud antiquos Eccleſiæ Patres, & apud alios quamplurimos probatæ fidei Auctores, qui de rebus Eccleſiaſticis, ac geſtis Sanctorum ſcripſerunt, quibus non ſolum magicas incantationes, aliaſque pravorum dæmonum molitiones aquæ benedictæ aſperſione conſtat eſſe diſſolutas, ſed & varias diverſarum ſanitatum operationes, aliaque multiplicia beneficia, ejuſdem virtute ſibi divinitus inſita, per cuncta ſæcula in præſens uſque peracta eſſe. Atque hinc merito hic noſter §. mandat, ut Parochus aquam benedictam infirmo, ubi ſcilicet is eam in cubiculo minime habeat, relinquat, ad effugandos præſertim dæmones, qui ultimæ vitæ potiſſimum infirmitatis tempore, variis tentationibus infirmos aggredi ſolent, ut infra opportuniori loco fuſe nos etiam oſtendemus.

II. Quum vero iis ſuperandis multum Crux Chriſti valeat, recte & idem hic noſter §. ſtatuit, ut una cum Aqua benedicta Crucem quoque Parochus, *niſi aliam habeat, coram infirmo relinquat, ut illam frequenter aſpiciat, & pro ſua devotione oſculetur, & amplectatur*. Idem plane ſtatuunt Rituales Codices paſſim, inter quos ille Eccleſiæ Catalaunenſis annorum circiter CCC. in ſuperioribus Commentariis ſæpe allegatus, expreſſe edicit, ut *Crux Chriſti juxta infirmos relinquatur in loco, ubi eam commode aſpicere poſſint*. Sed audiamus S. Carolum, qui priſcis Ritualibus & ipſe inhærens, in Inſtructionibus de Sacramento Extremæ Unctionis, ritum ipſum confirmat, ſic dicens: *Ne vero Crucifixi Imago, & etiam alia pro devotione deſit morienti, cujus aſpectu excitetur, recreeturque; quam Crucifixi Imaginem ipſe etiam moriens manu pie tenere poterit*. Adhibenda itaque non ſimplex Crux, ſed Chriſti Imagine e Cruce pendentis inſignita, morientiſque manu, ubi poſſit, tenenda, exemplo complurium Sanctorum, ac præſertim S. Joannis de Deo, qui, ut in Breviario Romano legitur die VIII. in ejus lectione VI. *manu, & corde Chriſtum Dominum e Cruce pendentem perſtringens, octavo Idus Martii anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo obiit in oſculo Domini, quem etiam mortuus tenuit, nec dimiſit*.

III. Celebre eſt & in hac re exemplum S. Richardi Epiſcopi Ciceſtrenſis, qui obiit circa annum MCCLV. quique moriens, uti ſcribit Auctor ejus Vitæ apud Surium die III. Aprilis, *petiit vero ad ſe apportari Imaginem Crucifixi, eamque allatam devote complexus, locis vulnerum perinde, ac ſi jam morientem Dominum Jeſum cerneret, pio oſcula affixit, eaque ſuaviter labiis demulcens, in hæc verba prorupit*: Gratias tibi ago Domine Jeſu Chriſte pro omnibus beneficiis, quæ mihi præſtitiſti, pro pœnis, & opprobriis, quæ mea cauſa pertuliſti, quæ tanta fuere, ut merito illud ex Threnis Prophetæ tui dicere potueris: *Non eſt dolor ſicut dolor meus*. Tu noſti, Domine, quod ſi tibi placeret, omnia opprobria, atque tormenta, & ipſam denique mortem propter te paratus ſum tolerare; & ſicut tu noſti, vera me dicere, ita quæſo miſerearis mei, quia tibi commendo animam meam. *Illam Pſalmiſtæ vocem*, In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, *crebro iterabat*. Pergit Auctor, aitque, converſum ſubinde Richardum ad Deiparam Virginem, corde ſimul & voce ad eam dixiſſe, *Maria Mater gratiæ, Mater miſericordiæ &c.* ac paulo poſt in Domino obiiſſe.

§. XIX.

Admoneat etiam domeſticos, & miniſtros infirmi, ut ſi morbus ingraveſcat, vel infirmus incipiat agonizare, ſtatim ipſum Parochum acceſſant, ut morientem adjuvet, ejuſque animam Deo commendet; ſed ſi mors immineat, priuſquam diſcedat, Sacerdos animam Deo rite commendabit.

COMMENTARIUS.

I. STatuunt & id paſſim Rituales Codices, Sacræque Synodi, ac præſertim Sanctus Carolus in citatis ſuis Inſtructionibus, ut Parochus moneat domeſticos, *ut pro infirmo orent, ac ne corporis curam deſerant; hocque in primis, ut aliquot ante mortem horis mittant qui ſe vocet, ut in commendatione animæ præſto eſſe poſſit*. Agitur de re magni momenti, ideoque quod in hoc noſtro §. edicitur, jam iterum, iterumque in variis Conciliis conſtitutum fuit, atque, ut alia omittam, ita plane ſtatuit Concilium Provinciale x. Beneventanum anni MDCXVII. Tit. x. Cap. unico: *Callidiſſimus ſerpens, cum nullo unquam tempore oppugnet Chriſtifideles gravius, quam cum ex hac vita migrandum eſt, quod eam etiam ob cauſam agon vocatur, quia tunc pugna validiſſima, tunc certamen inſtat graviſſimum; curabit maxime Parochus, ut poſtquam Extremæ Unctionis Sacramentum ægroto dederit, quod, dum is integris eſt ſenſibus, adhibeat, apud ægrotum permaneat, illumque conſoletur, ut forti animo ad futuræ beatitudinis gloriam ex hujus mundi miſeriis evolare ſtudeat, illique vel Pſalmos, vel Evangelium legat, eumque uſque ad finem non deſerat*. Porro ex præſcripto noſtri §. *ſi mors immineat*, priuſquam diſcedat, Sacerdos animam *Deo rite commendabit*, eo nempe ritu, quem hoc Rituale Romanum præſcribit, quod certe etiam in commendatione cæteris Libris de ea re editis præferendum cenſeo, nihil etenim continet, niſi quod Ritualia antiqua, ac Sancti Eccleſiæ Patres, & Sacræ Synodi docuere. Cæterum cavendum Parocho, Sacerdotive, ne ad animæ commendationem procedant, ſi æger non ſit morti proximus. Quod ſatis intempeſtive nonnulli facere ſolent, qui, ut tempus commo-

dum capteut, uec redeondi iocommodom patiaotur, ſtatim ac Extremam Unctionem infirmo præbuerint, ad commendationem animæ tranſitum faciunt, uoo eodemque contextu, & quaſi per modum onius. Quod quidem merito refellit Barruſaldus in ſuo Commeotario ad hunc §. ubi ſic inquit: *Qui abuſus intolerabilis eſt, commendatio enim animæ, tunc, cum non eſt in proximo diſceſſu, quaſi ad nihilum valet, quia extra tempus, & inopportune.*

II. Teoeri ex juſtitia Parochos infirmis Parochiæ ſuæ aſſiſtere, potiſſimum in commendatione animæ, certa ſententia eſt unanimi Theologorum conſenſu combrobata, peccantque iccirco lethaliter Parochi illi, qui ubi infirmis, præſertim pauperibus Sacrameota adminiſtraront, eorum facies amplius non vident, niſi cum mortuoa efferre ad Eccleſiam debent. Sed forte excuſandi Parochi illi, quos io ſua ipſorum commendatione animæ infirmi morientes noluot, quod ægre ferant, ooo paucos inveniri Parochos, qui de hominom morte gratuleotor, ob ea ſcilicet emolumenta, quæ variis titulis iode percipere ſoleot. Atque hæc eſt cauſa, cur vel ipſum Parochorum nomeo, ceteroqui illuſtre, alicubi ſummo cootemptui habitum ſit, ob eorum ſcilicet importunas exactiooes pro exequiis, & ſepultura, liteſque perpetuas, quas prætextu Parochialium jorium ſoliti ſunt excitare. Sed de hoc abuſu opportuniori loco iuſerius.

§. XX.

Quæ autem pertinent ad viſitationem, curamque infirmorum, & adjuvandos morientes, ad commendationem animæ, & ad exequias, infra ſuis locis præſcribuntur.

COMMENTARIUS.

I. Nihil plane occurrit, quod in hunc §. adnotemus. Qoæ pertioent, ait, ad viſitationem, curamque ioſirmorum, & ad juvandos morientes, ad commeodationem, & ad exequias, ioſra ſuis locis præſcribuntor; ideoque infra etiam a oobis, ſois iiidem locis, juxta methodom hucuſque ſervatam explicabontur. Ceterum hoc loco opportune id adnotabo, quod docuit S. Carolus in Ordioe adminiſtrandi Sacramentum Extremæ Unctionis, de iis ſcilicet, quæ Parochua aget poſt ejus miniſtrationem, ubi ſic ioquit: *Ad Eccleſiam demum quomodo venit, redibit, devote dicendo Pſalmum, Qoi habitat, & alias pias orationes.* Porro vetus Rituale ioſignis Eccleſiæ Catalaunenſis aonorum circiter CCC. cujus non uno io loco in ſuperioribus Commentariis mentionem fecimus, ſtatuit quidem, ut admioiſtrata infirmo Extrema Unctiooe, *deinde recedat Sacerdos in Eccleſiam, & ſignet populum de Oleo ſancto, & aſpergat eum aqua benedicta, ut moris eſt.* Sed puto fuiſſe huoc pecoliarem Eccleſiæ Catalaunenſis morem; oam alias ea eſt commuois praxis, ot Sacerdos qoidem ad Eccleſiam redeat, ibique abſque ulla proſſos cæremouia vaſculum ſacri Olei loco ſuo ſervet.

CAPUT III.

Septem Pſalmi Pœnitentiales cum Litaniis, pro infirmis, dum ſacro liniuntur Oleo, ſeu pro alia neceſſitate, dicuntur flexis genibus.

I. Pſalmi Pœniteotiales numero ſeptem ex ceotom quinquaginta Pſalmis Davidicis deſumpti, ac ita dicti, quod ad pœnitentiam pertinent, antiquiſſimi ſunt io Eccleſia, atque io variis functionibus uſitati. Recitari ipſos jam olim conſueviſſe, dum ioſirmi Sacro Oleo inungereutur, ex variis antiqois Ritualibos a Martene Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Capite VII. Articulo IV. per totum productis liquido conſtat; ex iiſque docemor, præmitti illos utplurimom conſueviſſe Sacræ Unctioni. Sed nec dubiom eſt, quin Pſalmi ipſi Pœnitentialea, aliquando a moriente legerentor; id enim liquet ex S. Auguſtini exemplo, qui, uti legitur apud Poſſidium io ejos Vita, Cap. XXXI. & in Breviario Romaoo die XXVIII. Auguſti in Feſto S. Auguſtioi, *cum diſceſſum e vita ſibi inſtare intelligeret, Pſalmos David, qui ad pœnitentiam pertinent, in conſpectu poſitos profuſus lacrymis legebat. Solebat autem dicere, neminem, etſi nullius ſceleris ſibi conſcius eſſet, permittere debere, at ſine pœnitentia migraret e vita.* Sed audiamus Poſſidium, qoi Auguſtini exemplum his plane verbis recenſet: *Dicere autem nobis inter familiaria colloquia conſueverat, poſt perceptum Baptiſmum, etiam laudatos Chriſtianos, & Sacerdotes abſque digna, & competenti pœnitentia exire de corpore non debere. Quod & ipſe fecit, ultima, qua defunctus eſt, ægritudine; nam ſibi juſſerat Pſalmos Davidicos, qui ſunt pauciſſimi de pœnitentia, ſcribi, ipſoſque quaterniones, jacens in lecto contra parietem poſitos diebus ſuæ infirmitatis intuebatur, & legebat, & jugiter, ac ubertim flebat.*

II. Hoc S. Auguſtini exemplo edoctos Sanctus Carolus in ſois, *De viſitatione, & cura infirmorum*, Inſtructiooibus, moriturom ioſirmum hortatur, ut, *ſi literas norit, quod S. Auguſtinus feciſſe traditur, dum æger fuit, ſeptem Pſalmos Pœnitentiales pie recitet.* Qua devotione Pſalmos ipſos moritorus S. Pius Papa V. legi ſibi fecerit, auſcultaritque, tradit Gabutius in ejus Vita Lib. V. Cap. XII. ubi obitum illius deſcribit: *His vero peractis, ſeptem Pſalmos ad ſalutarem pœnitentiam accommodatos ſibi prælegi mandavit; legenti præcipiens, ut id faceret alta voce, ad ſingulos verſus paululum ſubſiſtens, quo melius ipſe poſſet divinos illos ſenſus meditanda degustare.* Similia his legere eſt paſſim io aliia Sanctorum Vitis apud Bollandianos, & Surium.

III. Por-

III. Porro docet noſter Caſſiodorus, qui labente Seculo v. centenarius obiit, in ſuo celebri Commentario ad Pſalmos, quem ſummopere laudat Sixtus Senenſis in ſua Bibliotheca Sancta, ubi nempe Caſſiodorus ipſe Pſalmum vi. exponit, ſeptem eſſe Pœnitentiales Pſalmos, quia totidem modis remittuntur peccata noſtra, Baptiſmo, paſſione martyrii, eleemoſyna, dimittendo aliis, convertendo alios, abundantia charitatis, & pœnitentia. Ita plane loquitur Gavantus in Commentariis ad Rubricas Breviarii Romani, Sectione ix. Cap. iv. quod inſcriptum eſt, *De Pſalmis Pœnitentialibus*, num. 1. Sed recte admonet Gavanti annotator Meratus, non ſolum Caſſiodorum, ſed etiam ante ipſum, docuiſſe Originem Homilia II. in Leviticum, Pſalmos Pœnitentiales ſeptenario numero concluſos eſſe, quia ſeptem ſupradictis modis a Gavanto ex Caſſiodoro allatis peccata nobis dimitti poſſunt. Quidquid autem de ea re ſit, quod Pſalmi ipſi Pœnitentiales olim una cum Eccleſiaſtico Officio dicerentur, non obſcure innuit Radulphus Tungrenſis Propoſitione xxi. ubi dum ait, mandaſſe Innocentium Papam III. qui claruit initio Sæculi xiii. ſuis Cappellanis, ut ſolum in Quadrageſima illos recitarent, quia ſcilicet Quadrageſima tempus eſt opportunum ad pœnitentiam, ſat plane ſignificat, fuiſſe antea & aliis diebus uſitatos, ut ſcite obſervat Guyetus in ſuo Heortologia, ſive, *De Feſtis propriis locorum, & Eccleſiarum*, Libro iv. Capite xx. Quæſtione 1. Teſte Gavanto citato loco, num. 3. ſtatuit quidem Pius Papa V. ut qualibet Feria ſexta Pſalmi iſti una cum Litaniis flexis genibus in Choro dicerentur, excepta Paraſceve, & ſextis feriis, in quibus Officium novem Lectionum occurrat.

IV. Recte autem ſtatutum eſt, ut flexis genibus dicantur, pertinent enim ad pœnitentiam, quæ, ut non uno in loco tradit Tertullianus, ex antiqua Eccleſiæ diſciplina peragi genibus flexis conſuevit. Hinc, quod vel antiquitus Pœnitentiales Pſalmi proſtrato pene corpore dicerentur, ipſos nonnulli cum Pſalmis proſtralibus confuderunt; quos tamen merito refellit eruditus Novarinus Lib. iii. Schediaſ. ſacro-prophan. Capite vii. num. 32. probatque inſigni teſtimonio Capituli Provincialis apud Nortampeonem celebrati anno MCCCXLIII. ubi hæc leguntur, Capite 1. *Diebus Ferialibus Pſalmi Pœnitentiales cum Litania dicentur in Choro poſt Primam. Pſalmi proſtrales in Quadrageſima dumtaxat dicantur*. Pœnitentiales igitur Pſalmi a proſtralibus diſcriminantur, uti idem Novarinus obſervat ex quodam Onomaſtico, quod rem aperit his plane verbis: *Proſternales Pſalmi, ſive proſtrales, ſive etiam proſtrati Pſalmi*, Verba mea auribus percipe Domine, *& aliqui alii, qui poſt Veſperas, & aliquando ante Collectas Horarum in Quadrageſima dicebantur, ad quos ſeniores genibus flexis, ſtallis, ſeu formis ſuis quadammodo procumbentes innitebantur; juvenes vero, & pueri omnino proſtrati in pavimento Chori, e regione ſtallorum, ſive ſedilium ſuorum jacebant.* Ex his conſtabit, quid ſibi ea verba velint, quæ eodem Capite ejuſdem Capituli habentur: *Precibus etiam pœnitentialibus dicendis in Feriis, & Pſalmis proſternalibus in Quadrageſima*. Et vero in his Pſalmis aliquando, & ſeptem Pœnitentiales, & ſeptem ex Gradualibus contentos fuiſſe, & Pſalmos proſtratos dictos, addiſcere licet ex Decretis Lanfranchi, Cap. 1. §. 3. ubi ait Pſalmos proſtratos, ideſt, ſeptem Pœnitentiales, & ſeptem primos graduum.

V. Pſalmis Pœnitentialibus ſic annexæ ſunt Litaniæ, ut illi quidem nunquam ſine his in Rubricis præcipiantur; iſtæ vero ſeparatim a Pſalmis præſcribuntur diebus Litaniarum majorum, & minorum, ideſt, in Feſto S. Marci, & in triduo Rogationum ante Feſtum Aſcenſionis Domini, ut dicemus Tomo II. Tit. ix. *De Proceſſionibus*, Cap. iv. Quibus ergo diebus omittuntur Pſalmi ipſi Pœnitentiales propter Feſtum occurrens, ut ſupra adnotavimus, Litaniæ quoque conſequenter omittuntur; ſecus vero in illis quatuor diebus, quibus ſeorſim a Pſalmis præſcriptæ ſunt; quocumque enim Feſto in ipſis occurrente, ſemper dici debent, non tantum in Choro, ſeu in Proceſſionibus, ſed etiam privatim ab iis, qui Proceſſionibus minime interſunt, & quidem cum obligatione ſub peccato mortali, uti poſt Suarez, & Gavantum docet laudatus Guyetus citato loco, Quæſtione iv. Porro Litaniæ, quæ habentur poſt memoratos Pœnitentiales Pſalmos, demptis aliquibus Sanctis de novo additis, eædem ſunt, quæ in Ordine Romano apud Hitorpium, in Benedictione Eccleſiæ, & in antiquis Ritualibus leguntur. Eas ante Sanctum Hieronymum minime fuiſſe in uſu, ſentit quidem Walfridus in Libro, *De rebus Eccleſiaſticis*, Cap. xxviii. Sed ait tamen Gavantus citato loco num. 9. *id intelligendum apud Romanos, nam in Eccleſia Cæſarienſi eas adhibitas eſſe, ſcribit S. Baſilius Epiſtola 63.*

VI. Eodem teſte Gavanto num. 10. in Breviariis mſs. & in edito anno MDL. plures Sancti recenſebantur, & petitiones diverſarum rerum, quibus ſcilicet additur, *Te rogamus, audi nos*, multo plures erant. Pius autem Quintus ſelegit nobiliores Sanctos, & ad ſufficientem numerum petitiones redegit, quibus non debet fieri ulla additio, inconſulta Sancta Sede Apoſtolica, nec etiam Patronorum loci, & præſertim quando dicuntur Litaniæ ex præſcripto Breviarii Romani in Rogationibus, & in Feriis ſextis Quadrageſimæ; quia ſcilicet laudatus Pontifex prohibuit in Bulla omnem additionem. Forte in aliis caſibus addi poterant ab Epiſcopis, at Sacra Congregatio die xxii. Martii MDCXXXI. reſpondit Canonicis Cathedralis Regienſis, non poſſe inſeri alios Sanctos in Litaniis, præter deſcriptos, etiam tempore peſtis, quod hi petebant facultatem addendi Sanctos Titulares, & Patronos Civitatis. Cæterum antiquum eſt noſtri Oratorii S. Hieronymi Charitatis de Urbe inſtitutum, ut in Litaniis Sanctorum, quas tribus per hebdomadam diebus in Oratorio Veſpertino dicere ſolemus, poſt S. Franciſcum, invocemus S. Philippum Nerium, quod hic triginta tres annos apud nos in eodem S. Hieronymi Charitatis Domo commoratus, ibidem Congregationem Oratorii inſtituerit, uti alibi late oſtendimus; eamque ob cauſam Feſtum ejus die de ipſo xxvi. Maji quo obiit, ſub ritu duplici primæ claſſis, cum Miſſa Pontificali, panegyrica Oratione, & octava ſolemni, ex quo Sanctorum Faſtis fuit adſcriptus, quotannis celebramus, & inter ſuffragia Sanctorum, quando in Officio occurrunt, commemorationem illius facimus. Sed de his alias.

VII. Pſalmus denique lxix. *Deus in adjutorium meum intende*, qui dicitur poſt Litanias cum

cum variis Precibus, erat quidem olim alius, itemque Orationes longe plures, quam hodie, ex Radulpho, a quo indicatur eſſe ultima Oratio, quæ item apud nos eſt ultima. S. Pius V. tamen nihil mutavit, ſed omnia ex Breviario edito anno MDL. in ſuum tranſtulit Breviarium, quo utimur, excepto Litaniarum fine, quem prorſus accepit a mſs. Breviariis. Orationes, quæ dicuntur poſt Preces, nempe, *Deus, cui proprium eſt &c.* ac reliquæ, antiquæ ſunt, occurruntque in Sacramentario Sancti Gregorii Papæ, & in priſcis Ritualibus, ſed ſparſim tamen, uti videre eſt apud Martene in Libris, *De antiquis Eccleſiæ ritibus*. Nequid vero hoc loco omittamus, teſte Radulpho in citata Propoſitione XXI. Pœnitentiales Pſalmi, de quibus loquimur, abſolute incipiebantur, ſed in Breviariis tamen nonnullis mſs. & in edito Breviario anno MDL. præmittitur Antiphona, *Ne reminiſcaris Domine &c.* deſumpta ex Libro Tobiæ.

CAPUT IV.

De viſitatione, & cura infirmorum.

§. I.

Parochus inprimis meminiſſe debet, non poſtremas eſſe muneris ſui partes ægrotantium curam habere. Quare cum primum noverit, quempiam ex Fidelibus curæ ſuæ commiſſis ægrotare, non expectabit, ut ad eum vocetur, ſed ultro ad illum accedat, idque non ſemel tantum, ſed ſæpius, quatenus opus fuerit; horteturque parochiales ſuos, ut ipſum admoneant, cum aliquem in Parochia ſua ægrotare contigerit, præcipue ſi morbus gravior fuerit.

COMMENTARIUS.

I. INter præcipuas Parochorum obligationes poſtremum certe locum non habet viſitatio, & cura infirmorum. Omni quidem tempore, ut ſapientiſſime loquitur S. Carolus in Inſtructionibus de viſitatione ipſa, & cura infirmorum, Parochus gregi ſuo invigilare debet; ſed cum primum aliquis ejus curæ commiſſus in morbum incidit, tum maxime omnem Parochialis caritatis diligentiam ipſe in eo ponet, ut ægrotantem in via ſalutis recte dirigat, & a nequiſſimi dæmonis inſidiis, conatibuſque tueatur, ac defendat pio præſidio ſalutarium adjumentorum. Hinc quod Concilio Agathenſis olim pie cautum eſt, id Sanctiſſimus Antiſtes renovans, non modo in ipſis Inſtructionibus, verum etiam in Concilio Provinciali V. Mediolanenſi, ubi agit de iis, quæ ad Sacramentum Extremæ Unctionis pertinent, Parochum monet, ut Miſſa celebrata, ſi quos in Parochiali vicinia ægrotos habet, frequenter, atque adeo quotidie, cum per alias Parochialis curæ ſuæ occupationes poteſt, viſitet, eiſdemque præſtet, prout opus eſſe viderit, officia charitatis, & ſolicitudinis Parochiali muneri ſuo conjuncta. Addit mox etiam, expectare Parochum non debere, ut ab ægroto vocetur, ſed ut ille ultro ad eum vadat; Porochialeſque item ſuos & univerſe, & ſigillatim, ſæpenumero, prout occaſio feret, debere hoc admonere, ut ſe acceſſant, quum primum aliquis in febrim, morbumve inciderit. Quod etiam non vocati debeant Parochi ægrotos Parochiæ ſuæ inviſere, *ut ad Sacramentorum ſuſceptionem inducant, & eorum animabus, quacumque ratione poſſunt, ſolicite conſulant*, ſtatuit idem S. Carolus in Concilio Provinciali I. Conſtitutionum Parte II. Capite, *De iis, quæ ad Sacramentorum adminiſtrationem generatim pertinent*. Ita quoque Sanctus Carolus in citatis ſuis Inſtructionibus, quibus permulti Epiſcopi inhærentes ſimilia in Synodis ſuis ſtatuere his plane conformia, quæ hic noſter §. ſervanda in viſitatione, & cura infirmorum Parochis mandat.

§. II.

Ad hoc juvabit præſertim in amplis Parochiis, ægrotorum notam, ſeu catalogum habere, ut cujuſque ſtatum, & conditionem cognoſcat, eorumque memoriam facilius retinere, & illis opportune ſubvenire poſſit.

COMMENTARIUS.

I. QUo diligentius Parochialis ſui muneris partes explere Parochus valeat, merito in hoc §. admonetur, *præſertim in amplis Parochiis, ægrotorum notam, ſeu catalogum habere, ut cujuſcumque ſtatum, & conditionem cognoſcat, eorumque memoriam facilius retinere, & illis opportune ſubvenire poſſit*. Huc plane faciunt, quæ inter alia ſtatuit Sanctus Carolus in memoratis ſuis Inſtructionibus de viſitatione, & cura infirmorum: *De ægri ſtatu, genereque morbi, adverſare valetudine perquiret. Ejus item mores, vitam, actiones, negotiave, ut ſciat ſalubria dare conſilia, opportunaque adhibere remedia, omnique ſancta conſolatione juvare*. Similia legere eſt in variis Ritualibus, Synodiſque Provincialibus, ac Diœceſanis, quorum loca ſupervacaneum eſt in hoc Commentario deſcribere.

§. III.

§. III.

Quod ſi Parochus legitime impeditus, infirmorum, ut quando plures ſunt, viſitationi interdum vacare non poteſt, id præſtandum curabit per alios Sacerdotes, ſiquos habet in Parochia ſua, aut ſaltem per laicos homines pios, & Chriſtiana charitate præditos.

COMMENTARIUS.

I. IDipſum ſtatuit in ſuo IV. Provinciali Concilio Mediolanenſi S. Carolus, Conſtitutionum Parte II. Capite inſcripto, *Quæ pertinent ad Extremam Unctionem, & reliqua erga morientes officia*, ubi ſic inquit: *Si vero adeſſe aliquando non poteſt, vel quia aliis graviter ægrotantibus Sacramenta miniſtrare neceſſe habet, vel quia neceſſariis Parochialis curæ occupationibus aliis impeditur, tunc ea pietatis officia illi a Sacerdote, ſiquis alius eo loco eſt, ſolicite præſtari curet.* Audiendus iterum Sanctiſſimus Præſul in ſuis de viſitatione, & cura infirmorum Inſtructionibus, ubi quædam alia notavit, quæ apprime noſtro huic §. conſentiunt: *Ei vero*, inquit, *quoniam aliis Parochialis curæ officiis aliquando fortaſſe deſtineri poteſt, propterea Parochiæ ſuæ Sacerdotes, ſi quos habet, aut ſaltem laicos aliquot homines virtute, & vitæ ſpiritualis uſu præſtantes deliget, qui ægrotum adeant, recteque cohortentur, cum ad vim morbi patienter in Domino ferendum, tum ad alia Chriſtianæ pietatis officia præſtanda.*

II. Opportune autem notandum hic illud cenſeo, quod, ubi Parochi legitimo impedimento detenti, aſſiſtere ipſi infirmis non poſſunt, cogendi plane ſint, ut neceſſarios Miniſtros ſibi adjungant; huc enim etiam ſpectare poteſt illud Concilii Tridentini Decretum, quod legimus in Seſſione XXI. *De reformatione*, Cap. IV. *Epiſcopi*, inquit, *tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati, in omnibus Eccleſiis Parochialibus, vel Baptiſmalibus, in quibus populus ita numeroſus ſit, ut unus Rector non poſſit ſufficere Eccleſiaſticis Sacramentis miniſtrandis, & cultui Divino peragendo, cogant Rectores, vel alios, ad quos pertinent, ſibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot ſufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum Divinum celebrandum.* Porro ubi id ob redituum tenuitatem Parochi præſtare non poſſint, non addubito, quin Sacerdotes non modo Sæculares, verum & Regulares Parochiæ, & a Parochis, & ab eorum Parochianis, cogi queant, ut & infirmis ſpirituali auxilio indigentibus aſſiſtant, Parochoſque in Parochiali munere juvent.

III. Et quidem quod ſæculares Presbyteros ſpectat, ſive priſcam, ſive hodiernam Eccleſiæ diſciplinam ſpectemus, quam late explicuimus, & in Commentariis ad Concilia Oecumenica, & in illis, quibus Romanum Pontificale illuſtravimus, nullus jam ordinari debet, niſi uni Eccleſiæ adſcribatur, eique pro ſua conditione, & talento inſerviat: *Neque vero*, ut ſcite obſervat Vaneſpen in Parte I. Juris Eccleſiaſtici univerſi, Tit. I. Cap. IV. num. IV. *ex mente Eccleſiæ ſufficit, ſi forſan aliquoties in Eccleſia, cui adſcriptus eſt tamquam Subdiaconus, aut Diaconus, miniſtret, vel Presbyter Miſſam celebret, & de reliquo nullum Eccleſiæ ſervitium exhibeat; ſed ita ſe exhibere debet, ut vere dici queat, quod Eccleſiæ illi ſerviat, ejuſque ſervitio ſe impendat, & occupet, verbi gratia, peragendo divino Officio, vel Parocho in cathechizandis parvulis, viſitandis ægrotis, aliiſve functionibus aſſiſtendo, ni ipſum major Eccleſiæ utilitas aliis functionibus impendat.* Cæterum ad Presbyteros Regulares, quod attinet, ſive ii Clerici ſint, ſive Fratres, Monachive, debent & ipſi pro ſua quique virili, conditioneve Parochos adjuvare, tum quod ut eorum ſubſidiarii ſunt, ut idem Vaneſpen probat citata Parte I. Tit. III. Cap. VII. ubi inter alia duorum inſignium Eccleſiæ Doctorum, Sancti Thomæ Aquinatis, & S. Bonaventuræ, qui Fratres Mendicantes fuerunt, ille Prædicatorum, hic Minorum Ordinis Alumnus, eam in rem loca deſcribit. Sed ubi alia argumenta deeſſent, ratio ipſa juſtitiæ poſtulat, ut Regulares, qui Locorum redditibus vivunt, eorumque legatis, eleemoſynisve in amplis Domibus degunt, eorum incolis ſpirituali ſaltem ſubſidio ſint, ubi præſertim læthali morbo laborant. Pertineret ad Magiſtratus locorum recurſum habere ad ſupremos Religioſorum Ordinum Moderatores, ad ipſumque Summum Pontificem, ut Regulares itidem cogerent, ut in Locis, in quibus degunt, literas etiam docerent, ſicque populis, a quibus ſuſtentantur, aliquo modo prodeſſent. Atque id utile, & honorificum admodum eſſet, & populis ipſis, & illis Regularibus, qui otioſi in Oppidorum Monaſteriolis commorantes, ac minus religioſe viventes, occaſionem non ſemel ſupremis Eccleſiæ Paſtoribus, Principibuſque præbuerunt, ut non ſine eorundem populorum ſpirituali, ac temporali detrimento, ac ſummo Regularium etiam dedecore, Monaſteriola ipſa ſuppreſſerint.

IV. Sed his obiter dictis, ubi Sacerdotes, ſive Sæculares, ſive Regulares deſiderantur, recte admodum noſter §. Parochum monet, ut ſi legitime impeditus, infirmorum, ut quando plures ſunt, viſitationi vacare interdum non poſſit, id præſtandum curet *ſaltem per laicos homines pios, & Chriſtiana charitate præditos.* Neque enim ii excuſare ſe poſſunt, niſi & ipſi legitimo impedimento detenti ſint. Nam inter opera corporalis miſericordiæ, ad quæ præſtanda Chriſtiani omnes tenentur, viſitatio infirmorum recenſetur, cujus omiſſio, ubi peragi poteſt, peccatum profecto læthale eſt, æterno inferni igne puniendum, uti ex Evangelio Matthæi addiſcimus, Cap. XXV. ubi Chriſtus inter alias multorum damnationis cauſas recenſet, quod infirmos non viſitarint. Cæterum charitatis, miſericordiæque præceptum, ac officium, ut eſt naturæ, ac rationi maxime conſentaneum, ſic ad omnes etiam ſe porrigit, ut hinc ſcriptum legamus, Eccleſiaſtici Cap. XVII. *Unicuique mandavit Deus de proximo ſuo.* Ita vero mandavit, veluti Chriſtus interpretatur, Matthæi VII. & Lucæ VI. *Omnia quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, ita & vos facite.*

§. V.

§. IV.

Ægrotos viſitans, ea qua Sacerdotes Domini decet, honeſtate, & gravitate ſe habeat, ut non ægris ſolum, ſed ſibi, & domeſticis, verbo, & exemplo proſit ad ſalutem.

COMMENTARIUS.

I. PRælucere Sacerdotes omnes, ac Parochos præſertim debere morum honeſtate, docent nos Sacræ Literæ, Sancti Patres, ac Synodi paſſim. Sed opportune tamen & hic §. Parochum monet, ut *ægrotos viſitans, ea qua Sacerdotes Domini decet, honeſtate, & gravitate ſe habeat, ut non ægris ſolum, ſed ſibi, & domeſticis, verbo, & exemplo proſit ad ſalutem*. Hinc merito S. Carolus in citatis ſuperius Inſtructionibus Parochum monet, ut ad ægrotas mulieres accedens ſibi comitem adjungere curet Virum, vel Eccleſiaſticum, vel laicum ſanctæ charitatis operibus deditum; & omnino nunquam ſit in cubiculo ſolus, & cum neceſſe fuerit, ob Pœnitentiæ Sacramentum miniſtrandum, patenti tamen oſtio id præſtet.

II. Porro honeſtas Parochi, aliorumve Sacerdotum ſæcularium, Regulariumve conſiſtere in eo potiſſimum debet, ut ægrotos viſitantes, ab omni ſpecie avaritiæ caveant, artibuſque illis abſtineant, quibus nonnulli Clerici, Monachique, infirmis ſenibus præſertim, ac anubus aſſiſtentes, legata, hæreditateſque captabant, occaſionemque iccirco dederunt Valentiniano Imperatori, ut Conſtitutionem ederet anno CCCLXX. ad Damaſum Papam datam, in qua eum monet, placuiſſe ſibi Eccleſiaſticos, & Monachos de viduarum bonis nihil vel teſtamento, vel donatione poſſe percipere. Meminere quidem ejus Legis S. Ambroſius, ac S. Hieronymus, quorum loca attulimus, explicuimuſque in noſtris Notis ad Epiſtolam ejuſdem Hieronymi ad Nepotianum, *De Vita Clericorum, & Sacerdotum*, pag. 36. & ſeq. Sane quam turpis, quam abjecta, quam vilis fuerit tunc temporis ſacrorum hominum aſſidua præſentia in ſenes, ac anus abſque liberis morientes, ut eos emungerent, & hæredes ab iis inſtituerentur, ſcriptum reliquit ad noſtram inſtructionem in citata Epiſtola idem Hieronymus, ſic inquiens: *Audio præterea in ſenes, & anus abſque liberis quorundam turpe ſervitium, ipſi apponunt matulam, obſident lectum, purulentiam ſtomachi, & phlegmata pulmonis manu propria ſuſcipiunt. Pavent ad introitum medici, trementibuſque labiis, an commodius habeant, ſciſcitantur; & ſi paululum ſenex vegetior fuerit, periclitantur, ſimulataque lætitia mens intrinſecus avara torquetur; timent enim, ne perdant miniſterium, & vivacem ſenem Mathuſalæ annis comparant*.

III. Sequioribus Sæculis conatæ quidem ſunt Sacræ Synodi ei ſacrorum hominum calliditati obviare, qui ſe piis Fidelibus ſenſim inſinuabant, ut eos prolicerent ad res ſuas Eccleſiæ legandas, qnique iccirco acriter reprehenſi ſunt a Concilio Cabilonenſi in Gallia celebrato anno DCCCXIII. Can. VI. ubi ita inquit: *Imputatur quibuſdam Fratribus, eo quod avaritiæ cauſa hominibus perſuadeant, ut abrenunciantes ſæculo, res ſuas Eccleſiæ conferant, quod penitus ab omnium mentibus eradicandum eſt*. Sed notanda ratio, quam mox ſubjicit: *Animarum quippe ſalutem inquirere Sacerdos, non lucra terrena debet, quoniam Fideles ad res ſuas dandas non ſunt cogendi, atque circumveniendi. Oblatio namque ſpontanea eſſe debet, juxta illud quod ait Scriptura* (Pſalm. LIII.) Voluntarie ſacrificabo tibi; *& illud* (Exodi XXXV.) Omnis populus mente devota obtulerunt donaria Domino. *Eccleſia vero ſancta non ſolum Fideles ſpoliare non debet, quin potius inopibus opem ferre, ut debiles, pauperes, viduæ, orphani, & cæteri neceſſitatem patientes, a Sancta Eccleſia, ut pote a pia Matre, & omnium gubernatrice ſubſidium accipiant*. Sed nec deſunt poſterioribus Sæculis Synodi, quæ variis Decretis, ac variis etiam ſtatutis pœnis, conatæ ſunt quorundam ſacrorum hominum avaritiam coercere, qui ſub prætextu ægrotos morientes juvandi in animæ commendatione, iiſdem adrepunt, ut eos inducant ad res ſuas ſibi legandas, relinquendaſque, conſanguineis omnino præteritis, ac derelictis.

§. V.

Eorum vero præcipuam curam geret, qui humanis auxiliis deſtituti, benigni, ac providi Paſtoris charitatem, & operam requirunt. Quibus ſi non poteſt ipſe ſuccurrere de ſuo, & eleemoſynas illis, prout debet, ſi facultas ſuppetit, erogare, quantum fieri poteſt, ſive per Charitatis, vel alterius nominis Confraternitatem, ſi in ea Civitate, vel loco fuerit, ſive per privatas, ſive per publicas collectas, & eleemoſynas, illorum neceſſitatibus ſuccurrendum curabit

COMMENTARIUS.

I. TAmetſi, & Rituales Libri complures, ac Synodi eadem ſtatuant, quæ in hoc ſunt §. præſcripta, lubet nihilominus ea ſemper ſectari, quæ docet S. Carolus in Inſtructionibus de viſitatione, & cura infirmorum, ubi ita ad rem inquit: *Illis maxime viſitandis, & conſolandis aſſiduam charitatem Parochus navabit, qui rerum omnium indigentia, & morbi acerbitate, miſerabilem in modum afflicti, curationem difficillimam experiuntur, quorum pau-*

per-

Digitized by Google

pertatem commotus zelo pietatis ſublevabit, ut & ipſe, ſi per facultates poteſt, aliquid de ſuo eroget, & aliorum eleemoſynas conquirat. Teneri Parochum, ceteroſque Beneficiarios, præter ſimplicem victum, ac veſtitum, quicquid ex Beneficiis Eccleſiaſticis percipiunt, in pauperes præſertim infirmos erogare, certa ſententia eſt, Sanctorum Patrum teſtimoniis, Conciliorumque Decretis comprobata, quorum loca non uno in loco Operum noſtrorum allegata, ſupervacaneum eſt in hoc Commentario repetere. Cæterum agendæ gratiæ ſanctæ memoriæ Benedicti Papæ XIII. qui intolerabile penſionum onus a quibuſcumque curam animarum habentibus Beneficiis abſtulit peculiari ſua Conſtitutione Romæ edita anno MDCCXXIV. octavo Idus Septembris, quæ incipit: *Quanta Paſtoribus &c.* Ergo ſublata hac deteſtanda, ſic enim in ipſa Conſtitutione loquitur Pontifex, Beneficiorum Eccleſiaſticorum nundinatione, Paſtores animarum commodius valebunt, non tantum Eccleſiarum ſuarum indigentiæ, ſed & pauperum ſuorum, *præſertim infirmorum*, neceſſitati ex eo, quod honeſtæ, & congruæ ipſorum Parochorum ſuſtentationi ſupererit, providere.

II. Quum autem multi ſint hodieque Parochi, qui vel in magnis Civitatibus, vix ſe ex redditibus Eccleſiæ ſuſtentare valeant, recte admodum monet hic noſter §. curandum Parocho, *ſi non poteſt ipſe ſuccurrere de ſuo, & eleemoſynas illis, prout debet, ſi facultas ſuppetit, erogare, quantum fieri poteſt, ſive per Charitatis, vel alterius nominis Confraternitatem, ſi in ea Civitate, vel loco fuerit, ſive per privatas, ſive per publicas collectas, & eleemoſynas, illorum neceſſitatibus ſuccurrendum.* Sane Archiconfraternitatem Charitatis ad pia opera exercenda, pauperesque juvandos Romæ inſtituit Julius Cardinalis Medices, qui fuit poſtea Clemens Papa VII. eamque primum approbavit Leo Papa X. peculiari ſua Conſtitutione, quæ incipit, *Illius, qui charitas eſt*, data Romæ IV. Idus Decembris, anno I. Pontificatus, Chriſti vero MDXIV. ad ejuſque imitationem aliæ deinde in aliis locis erectæ ſunt Confraternitates, quibus inter alia pia opera curæ eſt infirmorum neceſſitati ſuccurrere. Verum ubi hujuſmodi Confraternitates deſunt, curare tunc demum Parochus debet, *ſive per privatas, ſive per publicas collectas, & eleemoſynas*, indigentiæ ægrotorum ſubvenire. Quod quidem facile obtinebit, ſi populus Parochum viderit non ſua quærere, ſed quæ Jeſu Chriſti.

§. VI.

In primis autem ſpiritualem ægrotantium curam ſuſcipiat, omnemque diligentiam in eo ponat, ut in viam ſalutis eos dirigat, atque a diabolicis inſidiis ſalutarium adjumentorum præſidio defendat, ac tueatur.

COMMENTARIUS.

I. EAdem hæc plane ſunt, ac illa, quæ Sanctus Carolus initio ſuarum Inſtructionum de viſitatione, & cura infirmorum docet, Parochum monens, ut, *cum primum aliquis ejus curæ commiſſus in morbum incidit, tunc maxime omnem Parochialis charitatis diligentiam ipſe in eo ponat, ut ægrotantem in via ſalutis recte dirigat, & a nequiſſimi dæmonis inſidiis, conatibuſque tueatur, ac defendat præſidio ſalutarium adjumentorum.* Porro, quum diabolus *habens iram magnam, ſciens, quod modicum tempus habet*, ut loquitur Joannes in Apocalypſi, omnem tunc impendat operam ſuam, ut morientem potiſſimum variis tentationibus in deſperationem, ac viam perditionis inducat, opus plane eſt, ut Sacerdos aſſiſtens ſalutarium adjumentorum præſidio eum defendat, ac tueatur.

II. Omiſſis variis Patrum teſtimoniis, atque exemplis, quæ hac de re in Vitis Sanctorum occurrunt, unum domeſticum referam, quod eſt illud noſtri Perſiani Roſæ, qui una cum S. Philippo Nerio Sodalitium Sanctiſſimæ Trinitatis excipiendis Romæ peregrinis anno MDXLVIII. inſtituit, illumque, cujus erat a confeſſionibus, præcepto adegit, ut Sacerdotio initiatus, noſtræ Sancti Hieronymi Charitatis Domui inter Patres adſcriberetur, in eaque Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtraret, atque alia pietatis opera perageret, in quibus deinde Magiſter effectus Congregationem Oratorii inſtituit. Ergo Perſianus Roſa, ut in Vita S. Philippi narrat Gallonius ad annum MDLVIII. *ægrotabat graviſſime, cumque ad ultimum periculi veniſſet, a diabolo nigerrimi canis ſpecie vexari cœpit acerrime. His in anguſtiis Divinum magna animi demiſſione implorabat auxilium, illud Pſalmi frequenter inclamans:* Judica me Deus, & diſcerne cauſam meam. *Cumque hunc in modum cum communi hoſte decertaret, venit improviſo Philippus, quem ubi ille vidit, clamare continuo cœpit:* Adjuva me Sancte Philippe; eſt hic canis colore nigerrimus, qui me lacerare nititur, ſuccurre quæſo, ſuccurre quod potes, ne devorer. *Quibus verbis motus B. Pater, humi illico, adſtantibus primum, ut pro ægro vel ſemel Orationem Dominicam recitent, juſſis, ſe ſe proſtravit; quod cum faceret, ecce tibi ille de repente magna voce dicere cœpit:* Canis recedit, fugit canis, en in limine oſtii ſtat. *Tum ſurgens ab oratione Philippus, piacularis aquæ adſperſione dæmonem ab eo etiam loco fugavit cum ſolatio morientis, qui lætus effectus nullum faciebat agendi gratias Deo, Beatoque Patri modum; ea vero moleſtia, horribilique viſu non modo in præſens, ſed etiam inpoſterum liberatus, magna cum animi tranquillitate e vita migravit Kal. Aprilis;* prædicto ſcilicet anno MDLVIII. Atque hic eſt ille noſter Perſianus Roſa, cui æternum devinctam profiteri univerſa Congregatio Oratorii ſe debet, ipſe enim Philippum ſpiritu genuit, ejuſdem poſtea Congregationis Parentem.

III. Sed ne a noſtra Domo diſcedamus, ecce & hic aliud exemplum, ad illuſtrandum magis magiſque hunc noſtrum §. Teſte eodem Gallonio in ejuſdem S. Philippi Vita anno MDLX. ac Baccio Lib. II. Cap. VIII. num. 2. & aliis, cum qui-

quidam Sebaſtianus mulis Adrianæ tibicen, unus ex ſpiritualibus Philippi filiis, & nuſtri Oratorii S. Hierunymi Charitatis Fratribus, in morbum incidiſſet, quem mors couſecuta eſt, vitæ fine jam iuſtante, a communi humani generis hoſte graviſſimis cœpit teutatiunibus impeti; diabolus enim ut homluem in deſperationem induceret, nigrum ſe ſe illi, aſpectuque terribili ad videndum objecit, animu ejus inſultans, cujus hurribili viſu perterritus æger, magnis undique afflictatiouibus oppreſſus, prope deſperatione torpebat, exclamabatque: *Heu me miſerum, heu me, jam deſeruit me Deus, jamque perpetuis gehennæ flammis addictus ſum, væ mihi perdito, væ mihi*. Cumque duarum circiter horarum ſpatiu huuc iu modum anxius conqueſtus eſſet, neque ullam ab ullu cunſolationem admitteret, nec Parochum ipſum ad eum couvulautem audire, vel videre vellet, accerſitus a domeſticis re conterritis Philippus, ſtatim ac in jacentis cubiculum intravit, &, *quid rerum*, ait, *quid rerum? ne dubites*; iu ſpem illicu ille erectus, alta vuce quaſi cauendo dicere cœpit: *Philippus Pater dæmones fugat, en abeunt dæmones a Philippo fugati, O magnum Philippi virtutem? Vivat S. Hieronymus, vivat P. Philippus, vivat Oratorium.* Ita plane effatus eſt Sebaſtianus, teſte Franciſcu Burdino (1) S. Philippi alumno, qui aderat, ut ipſe aſſerit in Proceſſu Canonizationis Philippi, contemnique iccirco Gallunius, ac Baccius debent, ubi ajunt, dixiſſe Sebaſtianum: *Vivat Chriſtus, vivat Philippus, cujus ope ab inferni faucibus ereptus ſum, vigeat Oratorii opus.* Dixit enim, *Vivat S. Hieronymus*, quud quidem uomeu neſciu quu ſpiritu ducti memorati Auctures perperam ſuppreſſerint.

IV. Quicquid ſit de hujuſmodi hominibus Oratorio S. Hierunymi Charitatis Oratoriurum omnium a S. Philippu Neriu inſtituturum principi infeſtis, tenendum plane, obſervandumque a Parocho, aliove Sacerdote, qui infirmis adſiſtit, illud quod ait hic nuſter §. ut nempe *in primis ſpiritualem ægrotantium curam ſuſcipiat, omnemque diligentium in eo ponat, ut in viam ſalutis eos dirigat; atque a diabolicis inſidiis, ſalutarium adjumentorum præſidio defendat, ac tueatur*. Quamubrem multa reprehenſione ſunt digni, qui, ubi primum ad infirmus accedunt, factiuni teſtamenti abrepunt, quud quidem quammaxime improbabat S. Philippus, de quo ita ſcribit Baccius in ejus Vita Libro II. Capite xv. num. 7. *Quod autem attinet ad legata, & teſtamenta, non ignarus eos, qui hujuſmodi ſe negotiis immiſcent, ſæpenumero, vel offenſæ, vel ſuſpicionis anſam ſæcularibus præbere, hæc ipſe uſque adeo averſabatur, ut quotieſcumque ægrotantes inviſeret, ubi primum audiiſſet, conficiendi teſtamenti mentionem fieri, ab iis citiſſime diſcederet, eoſdem vix amplius reviſurus, niſi jam ſatis rebus ſuis conſuluiſſent*. Idem repetit num. 16. ubi inter alia tradit, Philippum ipſum non Confeſſarios ſolummodu cautos monitoſque voluiſſe, ſed Congregationis reliquos omnes, *ne videlicet in teſtamentis condendis ſe ullo unquam pacto implicarent; haud ignarum, quam facile ex his oriatur vel ſuſpicio, vel offenſio*. Sed de hujuſmudi teſtamentis vide quæ dicemus infra in Commentario ad §. XVI.

§. VII.

Accedat autem ad ægrotum ita paratus, ut in promptu habeat argumenta ad perſuadendum apta, ac præſertim Sanctorum exempla, quæ plurimum valent, quibus eum in Domino conſoletur, excitet, ac recreet. Horteturque, ut omnem ſpem ſuam in Deo ponat, peccatorum ſuorum pœniteat, Divinam miſericordiam imploret, & infirmitatis pœnas tanquam paternam Dei viſitationem patienter ferat, & ad ſalutem ſuam proveniſſe credat, ut vitam, moreſque ſuos melius inſtituat.

COMMENTARIUS.

I. HUc ſpectant, quæ S. Carulus in Sanctorum Patrum, ac ſacrarum Synudurum lectiune apprime verſatus, de cuhortatiunibus, & muuitis ad ægrutum faciendis, Paruchum ducet in ſuis Inſtructionibus de viſitatione, & cura infirmorum, ubi ſic inquit: *Præmeditatus veniet, ut habeat argumenta ad perſuadendum apposita, ac præſertim exempla Sanctorum, quæ recte, apteque adhibita valde commovent; his autem cohortationum locis uti poterit, etiam aliis, qui adſint, paululum ſecedere juſſis, itaut non audiant, ſi ita opus eſſe quandoque viderit.* Tum vero mux ſubjicit: *Hortabitur, ut febrim, ægritudinemve, in quam incidit, patienter ægrotus in Domino ferat, gratiaſque ei agat de ægrotatione, qua corpus affligitur: cum inde animæ utilitas ſalutaris exiſtere poſſit, ſi vere pieque charitatem Dei erga ſe agnoſcens, confirmabit ſe ipſum in omni patientia, unde fructum uberrimum capiet*. Pergit S. Antiſtes, aliaque ducet, quæ inſinuare ægroto Paruchus debet, quæque noſtrum §. luculeuter explicant: *Demonſtrare poterit, a Deo, qui fons eſt omnium bonorum, factum eſſe, ut infirmus proſperam corporis valetudinem amiſerit, quoniam illius animæ ſalutariter conſultum eſſe vult emendatione*

vitæ

(1) In Proceſſu authentico Canonizationis S. Philippi, qui extat in Archivo Reverendiſſimi Patris Generalis Magiſtri Fratrum Prædicatorum, rem ita narrat juratus teſtis Franciſcus Burdinus: *Sovviemmi ancora di un altro giovine maritato, muſico di Caſtel Sant' Angelo, chiamato, ſe ben mi ricordo, Baſtiano parente di Meſſer Maurizio Anerio di Burgheria, Dioceſi di Norni buo mem. Il quale dopo grave infermità condotto al punto della morte, & dopo grave tentatione del demonio, che non lo laſciava abbracciare la morte con quella prontezza, che a devoto Chriſtiano ſi richiede, viſitato, & confortato dal P. & da noi altri, dopo le nuvole della tentatione, raſſerenato il volto tutto giocondo cominciò a laudare Iddio, & gridare ad alta voce mezo cantando*: Viva S. Girolamo, viva il P. Philippo, viva l'Oratorio. *Et in queſto giubilo reſe lo ſpirito a Dio con molta edificazione de' circoſtanti*.

vitæ anteactæ. Itemque hæc ſubdit: *Si vero ægrum diſciplinæ ſpiritualis, ſanctorumque virtutum ſtudioſum eſſe animadverterit, morbi vim a Deo illatam eſſe oſtendet, ut in ſpiritualis vitæ curſu, quem ſuſcepit, majori progreſſione verſetur, atque adeo perfectius inſiſtat.*

II. Hæc plane, & alia S. Carolus, quibus latius quidem, luculentiuſque explicantur, quæ noſter hic §. præſcribit, quæque olim eandem in rem ſtatuit antiquum Namnatenſe Concilium ante annum Chriſti milleſimum, ut eruditi Scriptores cenſent, in Gallia celebratum, Can. IV. quo Parochos neceſſariis imbuit præceptionibus ad viſitandos ægrotos, inſtruendoſque ſalutaribus monitis, dum in tanto verſantur diſcrimine: *Cum Sacerdos*, inquit, *audierit, aliquem infirmari in ſua plebe, quam citius ad eum pergat, & ingreſſus cubiculum, aquam benedictam ſuper eum, & per omne cubiculum aſpergat cum Antiphona*, Aſperges me Domine; *& Verſu*, Exurgat Deus; *deinde dicat Orationem*, Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam præ cæteris gratiam contuliſti &c. *Deinde cantet ſeptem Pſalmos cum Precibus pro infirmis. Poſt hæc omnes jubeat extra cubiculum ſecedere, & appropinquans lecto, quo infirmus decumbit, eum blande, leniterque alloquatur, ut omnem ſpem ſuam in Deo ponat, ut flagellum Dei patienter toleret, ut hoc ad purgationem, & caſtigationem ſuam provenire credat; ut peccata ſua confiteatur, ut emendationem promittat, ſi Dominus vitam conceſſerit; pœnitentiam pro culpis commiſſis ſpondeat; ut ſubſtantiam ſuam, dum adhuc ſenſus, & ratio in eo vigent, diſponat; ut peccata ſua eleemoſynis redimat; ut his, qui in ſe peccaverunt, indulgeat; ut rectam Fidem, & credulitatem teneat; ut de Dei miſericordia nunquam deſperet.* Concludit tandem, ac mandat, ut, *cum his, & hujuſcemodi allocutionibus fuerit mens infirmi relevata, data benedictione, recedat Sacerdos, non poſt multum reverſurus, detque locum, ut ægrotus de peccatis ſuis poſſit cogitare*; quæ ſcilicet deinde confiteatur, ut dicemus mox in Commentario ad §. ſequentem. Porro ad conſolandum infirmos valida, ac ſcitu digna argumenta inveniet Parochus, Sacerdoſve in duobus S. Cypriani Operibus, quorum alterum, *De bono patientiæ*, alterum, *De mortalitate*, inſcriptum eſt.

§. VIII.

Deinde qua par eſt prudentia, & charitate, hominem ad ſacram Confeſſionem inducat, & confitentem audiat, etiamſi velit totius vitæ peccata confiteri; ac ſi opus fuerit, tam infirmo, quam ejus familiaribus, vel propinquis in memoriam revocet quod Lateranenſis Concilii, ac plurium Summorum Pontificum Decretis cavetur ſub gravibus pœnis, ne medici ultra tertiam vicem ægrotos viſitent, niſi prius ipſis certo conſtet, illos Confeſſionis Sacramento rite expiatos fuiſſe.

COMMENTARIUS.

I. HOc in primis ſuadere infirmo Parochum debere, *ut de peccatis confiteatur*, idque maxime ſtudere, *ut ad generalem de tota vita anteacta confeſſionem illum inducat*, monet quidem S. Carolus in ſuis Inſtructionibus de viſitatione, & cura infirmorum, Capite inſcripto, *De Confeſſione*. Eadem admonitio legitur paſſim in variis Synodis, ac iis potiſſimum poſt Oecumenicam IV. Lateranenſem celebratis. In ea ſiquidem Synodo, cujus meminit hic noſter §. ab Innocentio Papa III. anno MCCXV. habita, Can. XXII. diſtricte præceptum fuit *medicis corporum, ut, cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipſos ante omnia moneant, & inducant, quod medicos advocent animarum, ut poſtquam infirmis fuerit de ſpirituali ſalute proviſum, ad corporalis medicinæ remedium ſalubrius procedatur.* Hunc plane Canonem innovarunt mox, novoque vigore munierunt complures aliæ celebratæ in Provinciis, ac Diœceſibus Synodi, inter quas Ravennatenſis II. ſub Clemente V. Pontifice Maximo habita, Cap. XXV. *De Pœnitentiis*, diſtricte prohibuit, ne medici ad infirmos vocati, ulterius ad eoſdem redirent, & curare pergerent, *niſi prius eis conſtiterit, quod infirmi prædicti medicum advocaverint animarum, & eis fuerit de animarum ſalute proviſum.*

II. Celebris eam in rem eſt Conſtitutio Sancti Pii Papæ V. quæ incipit, *Super gregem*, edita anno MDLXVI. cujus executionem diſtricte inter alios imperavit S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolanenſi II. Decreto XVII. his verbis: *Summus Pontifex Pius V. propoſitis excommunicationis, aliiſque pœnis, juſſit, medicos ab ægrotantis curatione poſt triduum abſtinere, niſi eo tridui ſpatio de peccatis ſuis confeſſus ille ſit. Id Epiſcopus curet quamdiligentiſſime obſervari, rationemque præterea aliquam ſtatuat, qua medicis ipſis facilius exploratum eſſe poſſit, ægrum peccata ſua vere confeſſum eſſe.* Tum Canonem ipſum Lateranenſem, tum Pii V. Conſtitutionem, quod noſtro hoc ævo paſſim a medicis negligerentur, & multi ægri ſine Sacramentis decederent, ac præſertim abſque Sacramentali Confeſſione, confirmavit, innovavitque, novoque robore muniit ſanctæ memoriæ Benedictus Papa XIII. in ſuo Romano Concilio anni MDCCXXV. Tit. XXXII. Cap. I. ubi ita inquit: *Nos Epiſcopis omnibus jubemus, ut Decretalem ipſam Innocentianam* (Canonem ſcilicet XXII. Concilii IV. Lateranenſis Innocentii Papæ III. relatum in Capite, *Cum infirmitas*, *De pœnitentiis, & remiſſionibus*,) *& Conſtitutionem S. Pii V. quæ incipit*, Super gregem Dominicum, *ſuper hoc etiam emanatam, invigilent omnimode obſervari; impoſita contra medicos excommunicationis pœna ſibi reſervata, ſi tertiam poſt infirmi viſitationem, ab infirmi cura non abſtineant, infirmus dum uſque ipſe Pœnitentiæ non ſuſceperit Sacramentum, quod Confeſſarius relicta apud ægrotantem ſchedula ejus manu ſubſcripta teſtari teneatur.* Legenda Mandata, & Monita ejuſdem Papæ Benedicti XIII. ad idem negotium ſpectantia, quæ extant

in Appendice ad ipſum Romanum Concilium, num. XXVIII. quæque multum conferunt ad ea peragenda, quæ hic noſter §. præſcribit.

III. Plura jam nos in ipſum Canonem XXII. Concilii Generalis IV. Lateranenſis notavimus in noſtro Tomo III. Commentariorum ad Concilia Oecumenica, pag. 294. & ſeqq. Licet autem tam ipſe Canon, quam memoratæ Conſtitutiones Pii Papæ V. ac Benedicti XIII. proprie medicos feriant, qui infirmos non admonent de peccatis rite Sacerdoti confitendis, addubitari certe nequit, quin id etiam, ubi opus fuerit, præſtare Parochi teneantur, uti ex variis Conciliis conſtat, ac præſertim ex Namnatenſi, cujus prolixum locum in Commentario præcedenti deſcripſimus. Id quod perſpicue liquet vel ex ipſo noſtro præſenti §. quo Parochus jubetur, ut, *qua par eſt prudentia, & charitate, hominem ad ſacram Confeſſionem inducat, & confitentem audiat, etiamſi velit totius vitæ peccata confiteri; ac ſi opus fuerit tam infirmo, quam ejus familiaribus, vel propinquis in memoriam revocet, quod Lateranenſis Concilii, ac plurium Summorum Pontificum Decretis cavetur ſub gravibus pœnis, ne medici ultra tertiam vicem ægrotos viſitent, niſi prius ipſis certo conſtet, illos Confeſſionis Sacramento rite expiatos fuiſſe*. Porro Confeſſionis ſacræ Lege teneri Fideles, quoties mortis periculum imminet, docet S. Thomas in IV. Sententiarum, Diſtinctione XVII. Quæſtione III. Articulo I. Quæſtiuncula IV. ſic inquiens: *Quia ea, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, tenetur homo in hac vita implere, ideo ſi periculum mortis immineat, etiam per ſe loquendo obligatur aliquis ad Confeſſionem faciendam tunc, vel ad Baptiſmum ſuſcipiendum; & propter hoc etiam S. Jacobus ſimul præceptum edidit de Confeſſione facienda, & Extrema Unctione ſuſcipienda*.

IV. Quod tandem in recitato hoc noſtro §. inter alia edicitur de totius vitæ peccatis confitendis, opportune hic quæri etiam poſſet, num ipſa peccata jam pœnitentia expiata ſecundæ reconciliationi olim ſubjicerentur, vigueritque ne apud antiquos generalium, ut loquuntur, Confeſſionum uſus? Et quidem viguiſſe eum uſum, indubitata probant teſtimonia, & exempla a Martene collecta, ac deſcripta, Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. VI. Articulo II. n. IX. Inſigne eſt quod refert Socrates Lib. V. Hiſtoriæ, Cap. XIX. *Mulier quædam nobilis ad Pœnitentiarium Presbyterum accedens, delicta poſt Baptiſmum a ſe perpetrata ſigillatim confeſſa erat*. Aliud ſubminiſtrat S. Gregorius Turonenſis in Vita S. Aredii apud Mabillonium, Analectorum Tomo IV. Quippe Aredius, *ne aliqua ſuum pectus delicta fuſcarent, omnia acta adoleſcentiæ ſuæ coram conſpectu Viri Beatiſſimi Nicetii Epiſcopi confeſſus eſt*. Quæ verba ab ipſo Gregorio mutuatus eſt S. Audoenus in Vita S. Eligii, Lib. I. Capite VII. ubi eadem de Eligio narrat, quæ Gregorius de Aredio. Eodem modo de S. Tillone Sollemniacenſi Monacho loquitur Anonymus in ejus Vita apud Bollandum die VII. Januarii, qui eodem cum S. Eligio vivebat tempore. Neque vero minus inſigne Confeſſionis generalis exemplum extat in Libello, qui inſcribitur, Conſilium Hincmari Archiepiſcopi de pœnitentia Pippini Junioris olim Regis Aquitaniæ apud Sirmondum in Analectis ad Capitula Caroli Calvi: *Exhortandus eſt Pippinus, ut puram Confeſſionem de omnibus peccatis ſuis, quæ ab ineunte ætate perpetravit, ſecrete faciat; quia forte talia fecit, quæ turpe eſt etiam in publicum dicere*.

V. His adde duo inſignia teſtimonia, alterum S. Anſelmi, alterum vero S. Petri Damiani, quorum primus Lib. III. Epiſtola LXVI. ad Fratrem ſuum Hieroſolymam profecturum ita ſcribit: *Facite Confeſſionem omnium peccatorum veſtrorum nominatim ab infantia veſtra, quantum recordari poteſtis*. Alter vero Opuſculo LVI. ad Agnetem Auguſtam ſcribens, Confeſſionis generalis ab illa apud ipſum factæ luculentiſſimum teſtimonium exhibet, hiſce verbis: *Sed ut hi, qui ad Apoſtolorum Limina confluunt, ſanctæ devotionis tuæ ſalubriter imitentur exemplum, ſub arcana quoque S. Petri Confeſſione ante Sacrum Altare me ſedere feciſti, ac per lugubres gemitus, & amara ſuſpiria, ab ipſa quinquenni infantia, tenera adhuc, & nuper ablactata levitate cœpiſti; & tanquam illic ipſe B. Apoſtolus corporaliter præſideret, quidquid ſubtile, vel minutum in humanitatis tuæ potuit titillare viſceribus, quidquid in cogitationibus vanum, quidquid præterea ſubrepere potuit in ſermone ſuperfluum, fidelibus eſt relationibus evolutum. Ad quod mihi viſum eſt, ut nihil aliud confitenti pœnitentiæ pondus injungerem, niſi ut illud Divinæ legationis eloquium iterarem: Age quod agis, operare quod operaris*. In ipſo etiam Ciſtercienſis Ordinis exordio Novitii *mox poſt converſionem omnia peccata, quæ commiſerant, tenebantur Abbati ſuo confiteri*; ut teſtatur Cæſarius Monachus in Dial. Diſt. III. Cap. I. Id quod de generali Confeſſione intelligendum nemo non videt. Cujus etiam exempla quædam profert Capitibus XXIII. & XXV.

VI. Conſueviſſe potiſſimum generalem Confeſſionem ab ægrotantibus morientibus fieri, & quidem coram Sacerdotibus multis, demonſtrari id quoque variis exemplis, ac teſtimoniis poteſt. Inſigne plane ejus rei exemplum ſuppeditant Acta S. Theodardi, ſive Andardi Narbonenſis Epiſcopi apud Bollandum die I. Maji, qui cum in S. Martini in Agro Caturcenſi deveniſſet, *& ibi nimia vi febrium gravatus decumberet, & jam jamque ſui obitus non longe abeſſe mente perſpiceret, vocavit ad ſe ejuſdem Cœnobii Abbatem, & qui ſub ejus cura degebant, reliquos omnes Sacerdotes Monaſtico utentes officio, & confeſſionis ſuæ profeſſionem, eorum, quæ patraverat, delictorum, non enim eſt homo ſuper terram, qui faciat bonum, & non peccet, evidenter cum luctu, & gemitu, magna cum cordis contritione, necnon ſuſpiriis expoſuit*. Sed, ut omittam alia exempla, quæ frequenter occurrunt in Sanctorum veterum Vitis, & quorum nonnulla recenſet laudatus Martene citato loco, Articulo VI. num. X. *S. Anno Colonienſis, quarta ante deceſſum ſuum hebdomada Erphonem Sigebergenſem Abbatem, quem pro canitie veneranda Patrem ſemper appellabat, aliorumque Monaſteriorum Patres, & Fratres non minus duodecim juxta ſe aſſidere voluit, & cordis oculis perluſtrare omnem vitæ ſuæ decurſum, Confeſſione publica ſe reum, ſe peccatorem proclamabat*. Ex quibus omnibus diſcimus, antiquum eſſe generalis Confeſſionis uſum, quam optimum eſt, ut quiſque Fidelis moriturus rite ſeceret, juxta illud, *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*.

§. IX.

§. IX.

Illud præterea diligenter ſervari curabit, nequis pro corporali ſalute aliquid ægroto ſuadeat, vel adhibeat, quod in detrimentum animæ convertatur.

COMMENTARIUS.

I. QUod in hoc §. edicitur, jam iſtud quoque conſtituit Concilium Generale IV. Lateranenſe anni MCCXV. Can. XXII. cujus poſtrema verba hæc ſunt: *Cum anima ſit multo pretioſior corpore, ſub interminatione anathematis prohibemus, nequis medicorum pro corporali ſalute aliquid ægroto ſuadeat, quod in periculum animæ convertatur.* Itaque nunquam licet medico dare medicinam corporalem contra ſalutem animæ, quia præpoſterus ordo eſt corpus animæ præferre; & ne faciat, præcipitur ei ſub pœna excommunicationis; unde læthale peccatum eſt conſulere fornicationem, vel ebriatem, uti Doctores recitatum Canonis locum exponunt; idemque eſſe ajunt, ſi medicus infirmo diceret: *Non conſulo tibi, tamen ſi accederes ad aliquam mulierem, ſanaberis.* Revera enim hoc eſſet conſulere, ideſt, oſtendere quid ſit faciendum. Similiter etiam, ſi hoc ex imprudentia diceret, quia deberet veriſimiliter cogitare, quod eum exponeret periculo ſic faciendi; reuſque ſcandali fieret, uti poſt alios notavit Silveſter in Summa, verbo, *Medicus*, num. 4.

II. Cæterum cum ex noſtro §. imo ex Lateranenſi Canone, unde ille deſumptus eſt, atque ex Chriſtiana ipſa doctrina in Evangelio ſtabilita, *anima ſit multo pretioſior corpore*, eſſet quoque infirmus læthalis peccati reus, ſi pravum illud conſilium medici ſequeretur; laudaturque iccirco Thomas Eboracenſis Epiſcopus, quod vitæ ſalutem contempſerit, proponentibus medicis, quod non convaleſceret, niſi per coitum, quod ille facere tamen renuit; uti videre eſt apud Rogerium Hovedenum in Henrico I. ad annum MCVIII. & Guillelmum Neubricenſem Libro I. Cap. III. Commendatur etiam quammaxime ex hoc capite S. Caſimirus Poloniæ Rex, qui, uti de eo legitur in Vita ipſius, & in Breviario Romano in ejuſdem Feſto die IV. Martii, *dum gravi preſſus infirmitate, mori potius, quam caſtitatis jacturam ex medicorum conſilio ſubire conſtanter decrevit.* Non ergo mirum, ſi & ita quoque ſe geſſit Bonifacius Papa IX. teſtante S. Antonino, ac laudante Tit. XXII. Cap. III. apud Pagium in fine Vitæ ejuſdem Pontificis: *A multis vulgatum eſt, quod cum ſecundum medicinam carnalem diceretur ſibi, quod per coitum cum muliere liberaretur a calculo, ex quo deceſſit, minime acquieſcere voluit tanto ſacrilegio contra Divinam Legem, eligens potius pudice mori, quam impudice vivere, & ideo valde commendandus fuit.*

§. X.

Ubi vero periculum immineat, Parochus monebit ægrotum, ne dæmonum aſtutia, neque medicorum pollicitationibus, neque propinquorum, aut amicorum blanditiis ſe ullo modo decipi ſinat, quo minus ea, quæ ad animæ ſalutem pertinent, opportune procuret, & qua par eſt devotione, & celeritate, Sancta Sacramenta, dum ſana mens eſt, integriſque ſenſus, religioſe ſuſcipiat, citra fallacem illam, ac pernicioſam procraſtinationem, quæ plurimos ad æterna ſupplicia perduxit, in dieſque, fallente diabolo, perducit.

COMMENTARIUS.

I. QUod primum ait hic noſter §. deſumptum plane eſt ex iis, quæ docet Sanctus Carolus in ſuis Inſtructionibus de viſitatione, & cura infirmorum, ubi nempe cohortationes, & monita ad ægrotum facienda a Parocho recenſet, ſic inquiens: *Monebit etiam, ut ne dæmonis aſtu, neque medicorum pollicitationibus, nec propinquorum, aut amicorum, domeſticorumve blandis cohortationibus ſe ullo modo decipi ſinat, quo minus in ea, quæ ſibi ſalutaria ſunt, incumbat*; ut nempe, uti aperte hic noſter §. loquitur, *qua par eſt devotione, & celeritate Sancta Sacramenta, dum ſana mens eſt, integrique ſenſus, religioſe ſuſcipiat, citra fallacem illam, ac pernicioſam procraſtinationem, quæ plurimos ad æterna ſupplicia perduxit, in diemque, fallente diabolo, perducit.* Sane ſi Rituales Codices, ſi Sacras Synodos veteres æque, ac recentiores conſulamus, diſtricte ab iis jubetur Parochus, ut cum audivit, aliquem Parochiæ ſuæ ægrotare, ad eum accedat etiam non accerſitus, eumque moneat, præſertim ubi periculum immineat, ut Sacramenta ſuſcipiat. Verum fateri cogimur, non paucos inveniri Parochos, qui ſaluberrima Ritualium, & Conciliorum Statuta negligentes, vel ad ipſos etiam morientes infirmos non accedunt, niſi vocati, vel ſi accedunt, contriſtari ipſi infirmos nolentes, præſertim ſi ii magnates ſint, nullum ad eoſdem de periculo, in quo verſantur, nullum de Sacramentis ſuſcipiendis, verbum faciunt. Atque hinc eſt, quod multi ſine Sacramentis ex hac vita decedunt, culpa ſcilicet Parochorum, quorum etiam nonnulli de ſolo funere ſoliciti, poſt adminiſtrata ægroto Sacramenta, commendationem ejus animæ aliis peragendam relinquunt. Sed præter peccatum læthale, cujus rei fiunt, fiunt etiam ipſi variis pœnis obnoxii, quas permultæ Synodi tum Provinciales, tum Diœceſanæ ad coercendam Parochorum ſocordiam iterum, atque iterum ſtatuerunt.

§. XI.

Quod ſi æger aliquis hortationibus, ac monitis Sacerdotum, vel amicorum, & domeſticorum conſiliis adduci non poteſt, ut velit peccata ſua confiteri, tunc non omnino deſperanda res eſt, ſed quandiu ille vivit, repetendæ ſunt frequentes, variæ, & efficaces Sacerdotum, & aliorum piorum hominum exhortationes, proponendaque æternæ ſalutis damna, & ſempiternæ mortis ſupplicia, oſtendendaque immenſa Dei miſericordia eum ad pœnitentiam provocantis, ad ignoſcendum paratiſſimi; adhibendæ ſunt etiam tum privatæ, tum publicæ ad Deum preces, ad Divinam gratiam impetrandam pro ſalute miſeri decumbentis.

COMMENTARIUS.

I. SApientiſſime docet hic noſter §. quid nempe agendum ſit, ſi æger aliquis hortationibus, ac monitis Sacerdotum, vel amicorum, & domeſticorum conſiliis adduci non poteſt, ut velit peccata ſua confiteri, tunc non omnino deſperandam rem eſſe ait, ſed quandiu ille vixerit, repetendas eſſe frequentes, varias, & efficaces Sacerdotum, & aliorum piorum hominum exhortationes, proponendaque æternæ ſalutis damna, & ſempiternæ mortis ſupplicia, oſtendendamque magnam Dei miſericordiam eum ad pœnitentiam provocantis, ad ignoſcendum paratiſſimi. Ita plane docet hic noſter §. ex quo addiſcimus, nequaquam Parocho ſufficere in ſola Theologia morali eſſe inſtructum, ſed opus illi eſſe, ut in Sacræ Scripturæ ſtudio, ac Patrum, & in lectione Vitarum Sanctorum ſit bene verſatus, ex quibus argumenta, ac rationes deſumat, ad ſuadendum confiteri nolenti, ut peccata ſua confiteatur. Sane, ut cum hujuſmodi ægroto gerere ſe Parochus debeat, declaravit etiam Sanctus Carolus in ſuis Inſtructionibus de viſitatione, & cura infirmorum, ubi de Confeſſione agit, ſic inquiens: *Si vero æger ſe difficilem præbebit, ut, aut confiteri nolit, aut confeſſionem longius differre velit, ejus rei cauſam Parochus ſtudioſe perquiret; quæ unde accidat, ubi animadverterit, tunc illam appoſitis rationibus amovere ſtudebit; ſique recte, ſalutariterque ſuadendo, illum a propoſito deducere non poteſt; ne tamen ei confitendi tempus proroget ultra quam liceat, niſi re primum cum Archiepiſcopo, aut ejus Vicario communicata.*

II. Quidquid ſit de ejus rei delatione ad Epiſcopum, ejuſve Vicarium, illud plane edicit hic noſter §. quod ubi nihil cum adhortationibus, monitis, rationibuſque actum eſt, *adhibendæ ſunt tum privatæ, tum publicæ ad Deum preces ad Divinam gratiam impetrandam pro ſalute miſeri decumbentis*. Idque non ſemel factum vidi pro reis præſertim ad mortem damnatis, qui ſe convertere ad Deum renuebant. Ergo verbis primum utendum eſt, ad pertinaces, obſtinatoſque convincendos, deinde orationibus, precibuſque, quod quidem paſſim a Sanctis factitatum legitur ingenti illorum fructu, & admirabili ad Deum converſione. Celebre de hac re exemplum habemus quidem in Vita S. Catharinæ Senenſis Ordinis Prædicatorum apud Surium die xxx. Aprilis: *Anno Chriſti MCCCLXX. Senis erat civis quidam Andreas Naddini dives opum, ſed omnis virtutis inops, cunctis prope flagitiis coopertus, teſſerarum ludo totus deditus, in Deum, & Sanctos ejus perpetim blaſphemus, & deteſtabilis. Is anno ætatis ſuæ quadrageſimo gravi correptus morbo tendebat ad extrema. Venerunt autem ad eum multi homines pii, & utriuſque ſexus Cœnobitæ, atque ante omnes ejus Parochus, hortabanturque eum, ut ſua peccata confiteretur. Sed ille miſer, qui nec ſacras Ædes inviſere, nec Sacris initiatos unquam honorare conſueſſet, admonitiones omnes reſpuit, ſeipſum plane deſperans. Audivit hoc Fr. Thomas Sanctæ Virginis Confeſſarius, efficitque, ut ea Dominum pro homine pereunte deprecaretur, & quidem ferventiſſime, atque inſtantiſſime. Sed Dominus illi reſpondit*; Illius blaſphemi hominis flagitia ad Cælos uſque pertingunt, qui, præter alia ſcelera, etiam tabulam, in qua erat picta Imago mea, & Matris meæ, atque aliorum Sanctorum jactavit in ignem, dignus proinde, qui æternis gehennæ flammis exuratur. *Verum Sancta Virgo ſalutis animarum ſitientiſſima, dolens vicem perditi hominis, non ceſſavit a lacrymis, & precibus, donec flexus Dominus Jeſus decumbenti Andreæ appareret, hortareturque eum, ut ſua peccata confiteretur, liberaliter ei, ſi id faceret, veniam pollicens. Et ecce ille ſaxo durior repente molleſcit, magna voce poſtulat acciri Confeſſarium, dicit Chriſtum Jeſum ſe vidère, qui ipſum de facienda confeſſione admoneat. Lætantur omnes, curritur ad Sacerdotem, ille venit, Andreas cum magno cordis dolore integre confitetur peccata ſua, condit teſtamentum, & feliciter migrat e vita*. Plurima id genus exempla legere eſt paſſim in Vitis Sanctorum.

§. XII.

Videbit denique Sacerdos, quibus potiſſimum tentationibus, aut pravis opinionibus æger ſit ſubjectus, eique, prout opus fuerit, apta remedia prudenter adhibebit.

COMMENTARIUS.

I. REcte admodum citato ſuperius loco admonet S. Carolus, quod, quoniam cauſa, quamobrem æger confiteri nolit, multiplex, & varia eſſe poteſt, utpote vel deſperatio, quam ex peccatorum magnitudine, multitudineve concepit; vel affectus alicujus peccati,

eſti, quod objicere nolit; vel accidia quædam, qua fiat, ut is laborem ſe diſponendi exhorreſcat; vel alia gravis cauſa, quæ eum a confitendo deterreat, ideo bene notos habere debet Parochus *locos, rationes, & argumenta ſuadendi, vel diſſuadendi, prout cauſa tulerit, qua æger impeditur, aut deterretur*. Atque hic nota, quæ idem S. Archiepiſcopus ſubdit, quæque ea confirmant, quæ ſuperius diximus de ſcientia in Parocho neceſſaria: *Quamobrem aliquod ſtudium in iis Libris legendis ponet Parochus, quorum doctrinis methodus traditur ad eos, qui moriuntur, juvandos*. Puto equidem, optimam eſſe lectionem Vitarum Sanctorum, in quibus paſſim argumenta occurrunt, quibus uſi ſunt Sancti ad ſuadendam infirmis Confeſſionem, & ad liberandos eoſdem a ſcrupulis, a deſperatione, & a diaboli tentationibus, quibus erant vexati. Varia id genus exempla inveniet potiſſimum lector in S. Philippi Nerii Vita.

§. XIII.

Sacras Imagines Chriſti Domini Crucifixi, B. Mariæ Virginis, & Sancti, quem æger præcipue veneratur, ob oculos ejus apponi curabit. Vaſculum item adſit Aquæ benedictæ, qua frequenter adſpergatur.

COMMENTARIUS.

I. Confirmat hunc noſtrum §. S. Carolus in citatis toties Inſtructionibus ſuis, ubi cohortationes, & monita facienda ad ægrotum enarrat, nonnihil etiam adjungens, quod §. ipſum magis, magiſque illuſtrat, atque declarat: *Sacras*, inquit, *Imagines Chriſti Domini Crucifixi, Beatæ Mariæ Virginis, & Sancti præſertim apponi curabit, quem æger præcipue veneratur, quemve Patronum cæleſtem ſibi delegit*. Tum vero ſtatim opportune ſubdit: *Si vero neminem potiſſimum delegerit, ut deligat, ejuſque ſacram Imaginem Domi, in cubiculoque præſertim habeat, Parochus ſtudebit*. Et ſtatim: *Vaſculum Aquæ benedictæ, quando collocatum non ſit, collocari jubebit prope lectum*. Quod ſacras Imagines ſpectat, ac præſertim illam Chriſti Domini patientis ob oculos morientis ponendas, præter Rituales Codices, qui hunc ritum præſcribunt, afferri poſſent innumera pene Sanctorum exempla, qui ægrotantes, morienteſque, varias id genus Imagines, ad pietatem excitandam, præparandas ſibi curarunt. Celebre eſt hac in re S. Caroli exemplum, qui, ut ſcribit in ejus Vita Carolus a Baſilica Petri Lib. VI. Cap. VIII. ultima ſua ægritudine, *Altare in cubiculo collocari, ſepulturæ Domini Imaginem apponi, ejuſque ſimilem ſuper conopæi fulcra ſtatui juſſit, ut quotieſcumque oculos tolleret, eam poſſet contemplari; aliam non diſſimilem, Domini precantis, ſanguineumque ſudorem cum morti appropinquaret, effundentis, ejuſdem fulcris appendi mandavit, quam detecto videret obtutu, ut priora illa ſigna continuari facile, quiſque cognoſceret; quamquam ejuſmodi Imagines, quotieſcumque ægrotaret, ad ſolatium ſuum requirebat*.

II. Celeberrimum plane omnium eſt eandem in rem exemplum S. Camilli de Lellis, qui ut ſcribit in illius Vita Sanctius Cicatellus, quam latine reddidit Petrus Halloix Lib. II. Cap. XVII. poſtremis infirmitatis ſuæ diebus, *petiit a Confeſſario, ſibi picturam quamdam hac figura procurari; nempe Chriſti in Cruce morientis cum duobus Angelis, uno ad dextram, alio ad ſiniſtram, tenentibus manu Calicem aureum, qui Sanguinem e vulneribus Jeſu exciperent; ſupra Crucem volebat eſſe Deum Patrem cum Spiritu Sancto in Columbæ forma, & cum aliis duobus Angelis ad ſingula latera, qui Sanguinis Calicem Patri Æterno offerrent in remiſſionem peccatorum ipſius Camilli. Ad pedem Crucis dextrorſum cupiebat depingi Beatiſſimam Virginem pro ipſo deprecantem, ſiniſtrorſum autem S. Michaelem Archangelum tanquam animarum in extremo tranſitu defenſorem. Petebat etiam ſubter Crucem hæc inſcribi verba*: Parce famulo tuo, quem pretioſo Sanguine redemiſti. *Addebat inſuper, depingendum Sanguinem bene rubrum, quo illum clare, ac diſtincte contemplari poſſet, necnon in bona copia, ut ex magna hac abundantia Sanguinis tanto plus ſpei hauriret ſuæ ſalutis*. Similia exempla occurrunt paſſim in Vitis Sanctorum, ſicut & alia multa, quibus docemur, adſpergi conſueviſſe morientes frequenter, juxta præſcriptum noſtri hujus §. ac Ritualium complurium, Aqua benedicta. Atque huc facit, quod de ipſo S. Camillo idem Cicatellus, citato loco, Cap. XVIII. ſic ſcribit: *Quin & Confeſſario eas commendationes*, animæ ſcilicet, *tum legenti, & interdum Aqua benedicta lectum aſpergenti, cum is ſemel ejus faciem vix leviter attigiſſet, dixit ipſe*: Plus Aquæ, plus Aquæ benedictæ. *Unde Pater ipſo aſpergillo Crucem illi in fronte efformavit, qua contentus*, Sic, *inquit*, bene habet.

§. XIV.

Proponet etiam ægrotanti, prout ejus conditio feret, aliquas breves orationes, & pias mentis ad Deum excitationes; præſertim Verſiculos e Pſalmorum Libro, vel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, Symbolum Fidei, vel Paſſionis Domini noſtri meditationem, & Sanctorum martyria, & exempla, ac cæleſtis gloriæ beatitudinem. Hæc tamen opportune, & diſcrete ſuggerantur, ne ægroto moleſtia, ſed levamen afferatur.

COMMENTARIUS.

I. Monet idipſum quod in hoc §. edicitur, citato ſuperius loco S. Carolus, ſed paulo brevius, ſic inquiens: *Proponet etiam ægrotanti, prout illius conditio tulerit, aliquas breves orationes, quas jaculatorias dicimus, præſertim e Pſalmorum Libro ſumptas,*

quæ

quæ facile in promptu ſint. Notanda plane verba illa, quæ etiam initio noſtri §. leguntur, *prout ejus conditio tulerit*, neque enim proponendæ ſunt rudibus, feminiſque latinæ linguæ ignaris orationes, piæque mentis ad Deum excitationes e Pſalmis deſumptæ, ſed potius Oratio Dominica, Salutatio Angelica, Symbolum Fidei, vel Paſſionis Domini noſtri meditatio, & Sanctorum martyria, & exempla, ac cæleſtis gloriæ beatitudo; ut ait hic noſter §. qui recte mox etiam ſubdit hæc opportune, & diſcrete ſuggerenda, *ne ægroto moleſtia, ſed levamen afferatur*.

§. XV.

Conſoletur infirmum, dicens, ſe pro eo in Miſſæ Sacrificio, & aliis precibus oraturum, curaturumque, ut alii itidem pro eo faciant, idque re ipſa præſtabit.

COMMENTARIUS.

I. ITa quoque loco citato, ſed paulo fuſius, luculentiuſque, S. Carolus ſtatuit his verbis: *Pollicebitur quoque*, Parochus ſcilicet, Sacerdoſve alius infirmo aſſiſtens, *ſe pro eo in Miſſæ Sacrificio, alioque tempore pie oraturum, curaturumque, ut parochiales itidem pro eo faciant. Id vero ipſe omnino præſtabit, collectam pro eo dicens, aut ſaltem orans, idque frequenter pro ægri neceſſitate*. Tum vero mox: *Ideo denunciabit etiam populo ſingulis diebus Dominicis orationem pro ægrotis parochiæ ſuæ*. Porro extat in Miſſali Romano non modo Collecta, ſed integra Miſſa pro infirmis; quæ quidem antiqua eſt, legiturque in priſcis Miſſalibus, ac præſertim in Pontificali Eccleſiæ Saliſbusgenſis annorum circiter DCC. apud Martene Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. VII. Articulo IV. Ordine XII. Extat præterea in vetuſtiſſimo Libro Sacramentorum Monaſterii Moiſacenſis annorum circiter CM. apud eundem Martene citato loco, Ordine IX. *Miſſa pro infirmo*, diverſa tamen ab ea Miſſalis Romani, & laudati Pontificalis Saliſburgenſis, ab illiuſque Collecta addiſcimus celebrari ipſam conſueviſſe in domo infirmi, dum ita inquit: *Omnipotens, ſempiterne Deus, qui ſubvenis in periculis, & neceſſitatibus laborantibus, Majeſtatem tuam ſuppliciter exoramus, ut mittere digneris Sanctum Angelum tuum, qui famulum tuum ill. in hac domo conſiſtentem, in anguſtiis, & neceſſitatibus laborantem conſolationibus tuis attollat, & de præſenti conſequatur auxilium, & æterna remedia comprehendat. Per*. Similia his etiam in aliis Ritualibus legi.

§. XVI.

Si morbus gravior, vel cum periculo fuerit, ægroto ſuadeat, ut dum integra mente eſt, rem ſuam omnem recte conſtituat, & teſtamentum faciat; ſiquid habet alienum, reſtituat, & ad remedium animæ ſuæ pro facultatibus, quod in Domino ei placuerit, diſponat; ſed hæc ſuggerendo, omnis avaritiæ nota caveatur.

COMMENTARIUS.

I. JAm variæ Synodi mandant, ac præſertim Andomarenſis anni MDLXXXIII. Titulo XXIV. ut *Paſtores moneant Parochianos ſuos, ut tempeſtive teſtamentum condant ſalutare, atque ita diſponant tempori, domui, rebuſque ſuis, ut in morte diſpoſitum eſſe deſiderent, ne opus ſit, animum tum anxie his occupari, cum ea relinquenda ſunt*. Longe ante hanc Synodum Beneventana Provincialis Synodus celebrata anno MCCCLXXIV. ſub Hugone II. Guidardio, Titulo XIII. Cap. II. *Sacerdotibus Parochialibus* præcepit, *ut Parochianos ſuos moneant, & inducant, quod in confectione ſuorum teſtamentorum, præſentiam ipſorum Sacerdotum, a quibus recipiunt Eccleſiaſtica Sacramenta, advocent, & requirant, ut per ipſos inducantur ad emendas, & reſtitutiones, & ad legandum ad pias cauſas, & alia, prout ſaluti animarum viderint expedire*. Similia leguntur in aliis pleriſque Synodis poſt Sæculum XII. habitis, quas me legiſſe memini in Collectionibus Conciliorum; ſed illud præſertim in iiſdem cautum reperitur, quod in ipſa Beneventana Synodo etiam ſtatuitur, ut nimirum, *nullus teſtamentum condere præſumat, quin prius proprium Parochum habeat in præſentia ſua, cum hoc non modicum reſpiciat ad ſalutem animarum*.

II. Porro licet teſtator liberos habeat, cognatoſque, ex communi, certaque Theologorum ſententia, præponere illis debet reſtitutionem bonorum male partorum: *Si enim res aliena, propter quam peccatum eſt, cum reddi poſſit, non redditur, non agitur pœnitentia, ſed fingitur; ſi autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, niſi reſtituetur ablatum*, inquit Sanctus Auguſtinus Epiſtola LIII. alias LIV. eſtque una ex regulis Juris Canonici. Cum itaque ſalutis ſuæ curam ante omnia gerere debeat Chriſtianus homo, prius reſtituere debet res alienas, quam filiis, & cognatis providere, quamvis acta reſtitutione relinquendi ſint inopes, deſtituti, & ad mendicitatem redigendi. Tam enim bona aliena tranſmittere non poteſt ad heredes, quam furari non licet, ut illis benefaciat, vel illorum inopiam ſublevet. Quamobrem uſurarius manifeſtus non poteſt teſtari, niſi prius præſtita ſit cautio pignoratitia, vel fidejuſſoria de reſtituendis uſuris, vel ipſo facto reſtitutæ ſint, ut habetur in Capite, *Quamquam*, *De uſuris*, in Sexto.

III. Ubi nihil teſtator habeat alienum, quod re-

reſtituere teneatur, monet hic noſter §. ut *ad remedium animæ, quod in Domino ei placuerit, diſponat*; nullo tamen facto præjudicio liberis, cognatiſque, præſertim ſi inopes ſint; pietas enim exigit, ut illis ad vivendum, & ad ſtatum ſuum ſuſtentandum neceſſaria relinquat, priuſquam de piis cauſis cogitet. Id plane confirmat S. Auguſtinus Sermone CCCL. alias XL. *De diverſis*, Cap. IV. *Quicumque vult*, inquit, *exhæredato filio, hæredem facere Eccleſiam, quærat alterum, non Auguſtinum, immo Deo propitio neminem inveniet. Quam laudabile factum Sancti, & Venerandi Epiſcopi Aurelii Carthaginenſis, quomodo implevit omnibus, qui ſciunt, os laudibus Deo? Quidam, cum filios non haberet, neque ſperaret, res ſuas omnes, retento ſibi uſufructu, donavit Eccleſiæ. Nati ſunt illi filii, & reddidit Epiſcopus nec opinanti, quæ illi donaverat. In poteſtate habebat Epiſcopus, non reddere, ſed jure Fori, non jure Poli*. Addubitari nequit, quin lubens admitteret Auguſtinus hæreditates, ſi quæ Eccleſiæ addicerentur, ſed illas tamen conſtanter recuſabat, quæ ad filios, parentes, affineſque, jure ſpectabant: *Domum, vel agrum, ſeu villam nunquam emere voluit. Verum ſi forte Eccleſiæ a quoquam ſponte tale aliquid vel donaretur, vel titulo legati dimitteretur, non reſpuebat, ſed ſuſcipi jubebat. Nam & aliquas eum hæreditates recuſaſſe novimus, non quia pauperibus inutiles eſſe poſſent, ſed quoniam juſtum, & æquum eſſe videbat, ut a mortuorum vel filiis, vel parentibus, vel affinibus magis poſſederentur, quibus ab eis deficientes dimittere noluerunt*.

IV. Hæc Poſſidius in Vita Auguſtini, Capite XXIV. Recuſata eſt ergo, ut perſpicis, ab Auguſtino hæreditas integra, ne filii, & proximi fruſtrarentur omnino. Alias enim cum fundo quopiam eum donaſſet dives quidam civis Carthaginenſis, cui proles erat, eum admittit Auguſtinus velut monumentum ejus ſtudii, quo ſaluti æternæ ſuæ conſultum cupiebat: *Oblationem libenter accepit, congratulans, quod æternæ ſuæ memor eſſet ſalutis*. Sed cum poſt aliquot annos per filium infidus donator ſyngrapham repeteret donationis, ejuſque loco centum nummos obtuliſſet, hominem acerbiſſime objurgavit, admonuitque, ut ſerio eam eluere maculam ſtuderet: *Ingemuit Sanctus, hominem vel finxiſſe donationem, vel de bono opere pœnituiſſe; tabulas reddidit, pecunias reſpuit, atque reſcriptis eundem, ſicut oportuit, & arguit, & corripuit, admonens, ut de ſua ſimulatione, vel iniquitate cum pœnitentiæ humilitate Deo ſatisfaceret, ne cum tam gravi delicto de ſæculo exiret*. Ea occaſione obſequutus eſt Sanctus Pater ei Canonicæ Regulæ, quæ ſub eo promulgata fuit in Concilio Carthaginenſi IV. Can. XVIII. & XIX. *Ut Epiſcopus tuitionem teſtamentorum non ſuſcipiat. Ut Epiſcopus pro rebus tranſitoriis non litiget provocatus*. Verum ſi doctiſſimus, & a cupiditatum fœce alieniſſimus Pater ab totis, & integris abhorrebat hæreditatibus, quod, & invidioſiſſimæ ſint, & litium ſpinis obſitæ, legata certe pia lubentius admittebat: *Frequenter vero dicebat, ſecurius, ac tutius Eccleſiam legata a defunctis dimiſſa debere ſuſcipere, quam hæreditates forte ſollicitas, & damnoſas; ipſaque legata magis offerenda eſſe, quam exigenda*.

V. Obſervat hæc, & alia ſcitu digna eruditiſſimus Thomaſſinus, Parte III. *Diſciplinæ*, Lib. I. Cap. XVII. ubi etiam ſcite notat, maluiſſe pium Paſtorem filios parentibus conciliare, quam ipſos ſibi committere, admittendis eorum hæreditatibus. Quamquam vero hinc maledicentiæ jacula in eum torquerentur, quaſi res, & commoda proderet Eccleſiæ, ac labi ſineret; noluit tamen ille, Eccleſiam diteſcere filiorum ſuorum diſpendiis, ac pacis, charitatiſque conciliatricem, litibus, & diſcordiis ſaginari: *Quid facturus ſum eis, qui dicunt: Ecce quare nemo donat Eccleſiæ Hipponenſi aliquid, ecce quare non eam faciunt qui moriuntur hæredem, quia Epiſcopus Auguſtinus de bonitate ſua (laudando enim mordent, labiis mulcent, dentem figunt) donat totum, ſuſcipit nihil. Plane ſuſcipio, profiteor me ſuſcipere oblationes ſanctas. Siquis autem iraſcitur filio ſuo, & moriens exhæredat eum; ſi viveret, non eum placarem? non ei filium ſuum reconciliare deberem? Quomodo ergo cum filio ſuo volo, ut habeat pacem, cujus appeto hæreditatem*. Vide Sermonem Auguſtini XLIX. *De diverſis*, Capite III. quem memorato loco citat Thomaſſinus, qui variis Capitibus auctoritate Patrum, Conciliorum, ac Legum etiam Principum teſtamenta in favorem Eccleſiæ exarata recenſet.

VI. Sed duo tamen potiſſimum cavenda. Primum, quod mox alias dictum eſt, ne mortuorum hæreditatibus propinqui fraudentur. Alterum, quod in noſtro §. præſcribitur, ne qui ſuggerunt teſtamentum infirmis, ullam avaritiæ notam oſtendant: *Omnis avaritiæ nota caveatur*. Notum enim eruditis omnibus eſt, quod Clerici, Monachique blanditiis inſidioſis allicerent Fideles ad res ſuas teſtamento ſibi donandas, occaſionem Valentiniano Auguſto dederunt, ut Legem, quæ extat in Codice Theodoſiano, Lib. XVI. Titulo III. promulgaret, qua vetabantur Clerici, & quicumque continentiam profitebantur, quidquam accipere ex ſucceſſionibus Viduarum, vel Sanctimonialium quarumcumque feminarum, etiam per fideicommiſſa. Vide quæ ſcripſimus nos de hac Lege in Notis ad Epiſtolam S. Hieronymi, *De Vita Clericorum, & Sacerdotum*, pag. 36. & ſeqq. Meminit plane ejus Legis S. Ambroſius Epiſtola XVIII. ad Valentinianum juniorem, ſic dicens: *Nobis privatæ ſucceſſionis emolumenta recentibus Legibus denegantur, & nemo conqueritur*. De Lege ſcilicet non conquerebantur, ſed conquerebantur tamen, quod meruiſſent hanc Legem; quia ſcilicet quidem Sacri homines variis artibus ſenes anuſque infirmos abſque liberis morientes decipiebant, ut hæreditates, & donationes venarentur. En laudati Hieronymi in ipſa Epiſtola verba: *Audio præterea in ſenes, & anus abſque liberis quorundam turpe ſervitium. Ipſi apponunt matulam, obſident lectum, purulentiam ſtomachi, & phlegmata pulmonis, manu propria ſuſcipiunt. Pavent ad introitum medici, trementibuſque labiis, an commodius habeant, ſciſcitantur, & ſi paululum ſenex vegetior fuerit, periclitantur, ſimulataque lætitia, mens intrinſecus avara torquetur. Timent enim, ne perdant miniſterium, & vivacem ſenem Mathuſalæ annis comparant*. Sed de hoc, aliiſque id genus abuſibus, jam alias fuſius diximus, præſertim vero in Notis ad ipſam ejuſdem Sancti Doctoris Epiſtolam, *De Vita Clericorum &c.* inſcriptam.

§. XVII.

Hortetur denique, ut, ſi convaluerit, ante omnia ad Eccleſiam veniat, ubi Deo gratias agat de reſtituta valetudine, & Sacram Communionem pie ſuſcipiat, ac deinceps meliorem vitæ diſciplinam teneat.

COMMENTARIUS.

I. VEterem hunc Eceleſiæ ritum renovavit inter alios S. Carolus in ſuia de viſitatione, & cura infirmorum Inſtructionibus, Capite inſcripto, *Cohortationes, & monita ad ægrotum*, ubi ſic inter alia inquit: *Monebit*, Parochus ſcilicet, *ut, cum convaluerit, primo ad Eccleſiam veniat, ubi ſuper eum Orationes dicantur; quod in multis Eccleſiis pii, frequentiſque eſt inſtituti*. Dignum plane, & juſtum eſt, ut ſalutis Auctori, poſt recuperatam ſanitatem, gratiæ, & quidem plurimæ reddantur, non tantum verbis, ſed opere, quod præſtari poterit per infirmum ſanitati reſtitutum, ſi ad Eccleſiam accedens, ibidem confiteatur, communicetque, ac deinceps meliorem vitæ diſciplinam teneat, ut recte admonet hic noſter §.

§. XVIII.

Sequentes preces omnes, vel ex parte, prout tempus, & ægrotorum conditio feret, arbitrio Sacerdotis dici, vel omitti poſſunt.

§. XIX.

Sacerdos igitur cubiculum infirmi ingreſſus, primum dicat, *Pax huic domui*. ℟. *Et omnibus habitantibus in ea*. Mox infirmum, & lectum ejus, & cubiculum aſpergat Aqua benedicta, dicens Antiphonam, *Aſperges me Domine &c.* Deinde erga infirmum officium ſuum præſtet, ut ſupra dictum eſt. Quo præſtito, vel antequam diſcedat, dicere poterit ſupra infirmum aliquem Pſalmum ex quatuor prioribus pœnitentialibus, vel Pſalmum xc. *Qui habitat in adjutorio &c.* cum *Gloria Patri* in fine. Poſtea dicat, *Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter &c.* ℣. *Et ne nos inducas in tentationem*. ℟. *Sed libera nos a malo*. ℣. *Salvum fac ſervum tuum*. ℟. *Deus meus ſperantem in te*. ℣. *Mitte ei, Domine, auxilium de Sancto*. ℟. *Et de Sion tuere eum*. ℣. *Nihil proficiat inimicus in eo*. ℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei*. ℣. *Eſto ei, Domine, turris fortitudinis*. ℟. *A facie inimici*. ℣. *Dominus opem ferat illi*. ℟. *Super lectum doloris ejus*. ℣. *Domine exaudi orationem meam*. ℟. *Et clamor meus ad te veniat*. ℣. *Dominus vobiſcum*. ℟. *cum ſpiritu tuo*.

Oremus.

Deus, cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere, ſuſcipe deprecationem noſtram, ut nos, & hunc famulum tuum, quos delictorum catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis clementer abſolvat.

Deus infirmitatis humanæ ſingulare præſidium, auxilii tui ſuper infirmum famulum tuum oſtende virtutem, ut ope miſericordiæ tuæ adjutus, Eccleſiæ tuæ ſanctæ incolumis repræſentari mereatur.

Concede hunc famulum tuum, quæſumus, Domine Deus, perpetua mentis, & corporis ſanitate gaudere, & glorioſa Beatæ Mariæ Virginis interceſſione, a præſenti liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen*.

Benedictio Dei Omnipotentis, Patris ✠, *& Filii, & Spiritus Sancti deſcendat ſuper te, & maneat ſemper*. ℟. *Amen*. Deinde aſpergat eum aqua benedicta.

COMMENTARIUS.

I. JAm non deſunt antiqui Codices Rituales, in quibus deſcriptæ hactenus preces, orationeſque occurrunt, atque ante, & poſt ipſas aſperſio Aquæ benedictæ ſuper infirmum, & ad illius cubiculum, quas longum eſſet, ac pene ſupervacaneum hic recenſere; tum præſertim quod de iis jam ſupra non ſemel diximus. Sane, ut alia omittam, huc facit, quod ſtatuit antiquum primum Namnatenſe Concilium, Can. v. *Cum Sacerdos*, inquit, *audierit aliquem infirmari in ſua plebe, quamcitius ad eum pergat, & ingreſſus cubiculum, Aquam benedictam ſuper eum, & per omne cubiculum aſpergat cum Antiphona*, Aſperges me, Domine, *& Verſu*, Exurgat Deus. *Deinde dicat Orationem*. Diverſa quidem eſt hæc oratio ab iis in §. noſtro deſcriptis, quæ tamen una cum precibus ipſis in multis Ritualibus, ut dictum eſt, reperiuntur, ſicut & benedictionis formula in fine orationum præſcripta.

§. XX.

§. XX.

Qui ſequuntur Pſalmi, & Evangelia, cum precibus, pro temporis etiam opportunitate, & ægrotantium pio deſiderio, Sacerdotis arbitrio dici poterunt. Pſalmus VI. *Domine, ne in furore tuo arguas me &c.* in fine, *Gloria Patri. Sicut erat &c.* ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo.* ℣. *Sequentia Sancti Evangelii ſecundum Matthæum.* ℟. *Gloria tibi Domine.* Dum Sacerdos dicit, *Sequentia Sancti &c.* faciat ſignum Crucis de more ſuper ſe in fronte, ore, & in pectore, ſimiliter ſuper infirmum, ſi fuerit maſculus, & is ob infirmitatem non poteſt ſe ſignare. Si autem fuerit femina, dum Sacerdos ſe ſignat, illa per ſemetipſam in locis prædictis ſe ſignet, ſi poteſt; ſi vero non poteſt, alia mulier eam ſignet, & hoc idem in ſequentibus Evangeliis ſervetur. Matthæi VIII. *In illo tempore: Cum introiſſet Jeſus Capharnaum &c.* uſque ad illa verba: *Et ſanatus eſt puer in illa hora.*

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, ſalus æterna credentium, exaudi nos pro infirmo famulo tuo N. *pro quo miſericordiæ imploramus auxilium, ut reddita ſibi ſanitate, gratiarum tibi in Eccleſia tua referat actiones. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* ℟. *Amen.*

Pſalmus XV. *Conſerva me Domine &c. Gloria Patri &c.* ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo.* ℣. *Sequentia Sancti Evangelii ſecundum Marcum.* ℟. *Gloria tibi Domine.* Marci XVI. *In illo tempore: Recumbentibus undecim Diſcipulis &c.* uſque ad illa verba: *Super ægros manus imponent, & bene habebunt.*

Oremus.

Virtutum cæleſtium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem, & omnem infirmitatem præcepti tui poteſtate depellis, adeſto propitius huic famulo tuo N. *ut fugatis infirmitatibus, & viribus receptis, Nomen ſanctum tuum, inſtaurata protinus ſanitate, benedicat. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* ℟. *Amen.*

Pſalmus XIX. *Exaudiat te Dominus in die tribulationis &c. Gloria Patri &c.* ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo.* ℣. *Sequentia Sancti Evangelii ſecundum Lucam.* ℟. *Gloria tibi Domine.* Lucæ IV. *In illo tempore: Surgens Jeſus de Synagoga introivit in domum Simonis &c.* uſque ad illa verba: *At ille ſingulis manus imponens, curabat omnes.*

Oremus.

Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem humanæ conditionis, infuſa virtutis tuæ dignatione, confirmas, ut ſalutaribus remediis pietatis tuæ corpora noſtra, & mentes vegetentur, ſuper hunc famulum tuum propitius intende, ut omni neceſſitate corporeæ infirmitatis excluſa, gratia in eo priſtinæ ſanitatis perfecte reparetur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

Pſalmus LXXXV. *Inclina Domine aurem tuam, & exaudi me &c. Gloria Patri &c.* ℣ *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo.* ℣. *Sequentia Sancti Evangelii ſecundum Joannem.* ℟. *Gloria tibi Domine.* Joannis V. *In illo tempore: Erat dies feſtus judæorum, & aſcendit Jeſus Hieroſolymam &c.* uſque ad illa verba: *Ecce ſanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.*

Oremus.

Reſpice, Domine, famulum tuum in infirmitate ſui corporis laborantem, & animam refove, quam creaſti, ut caſtigationibus emendatus, continuo ſe ſentiat tua medicina ſalvatum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

Pſalmus XC. *Qui habitat in adjutorio Altiſſimi &c. Gloria Patri &c.*

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, infirmitatem famuli tui propitius reſpice, atque ad protegendum eum dexteram tuæ majeſtatis extende. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. VArios Pſalmos, Evangelia, atque Orationes, non quidem eo ordine, quo in hoc noſtro §. deſcribuntur, ſed ſparſim, recitari jam olim conſueviſſe a Sacerdotibus ſuper infirmos, docent nos paſſim antiqui Codices Sacramentorum, longo agmine ab Edmundo Martene allati Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Capite VII. Articulo IV. per totum. Neque vero addubito, quin alii quoque priſci Rituales Libri eundem Pſalmorum, Evangeliorum, atque Orationum ordinem in hoc noſtro §. notatum præſcripſerint, cum ipſa præſertim Evangelia, & Orationes in Romano Sacerdotali legantur, quod ex antiquis Ritualibus Albertus Caſtellanus Venetus Ordinis Prædicatorum in ſacris ritibus apprime verſatus concinnavit, at-

atque perfecit. Quidquid autem de ea re ſit, pertinent Evangelia ipſa ad curationem infirmi, continentque miracula, quibus Chriſtus Dominus varios infirmos ſanitati reſtituit. Evangelium Lucæ primo loco in noſtro §. poſitum, in quo recenſetur ſanatio pueri Centurionis, legitur quidem in vetuſtiſſimo Libro Sacramentorum Monaſterii Moiſacenſis annorum circiter CM, ubi deſcribit Miſſam pro infirmo, quæ in ejuſdem infirmi cubiculo dicebatur, ut ſupra notavimus in Commentario ad §. XV.

II. Quod autem ait noſter §. ut dum Sacerdos in ſingulis Evangeliis dicit, *Sequentia Sancti Evangelii &c.* faciat ſignum Crucis de more ſuper ſe in fronte, ore, in pectore, antiquiſſimus profecto ritus eſt, quem late explicuimus, Lib. II. *De Codice Sancti Evangelii, atque ſervatis in ejus lectione, & uſu vario, ritibus*, Capite XVI. ubi attulimus varias hujus ritus expoſitiones, & inter alias illam Hugonis Cardinalis ſic ajentis: *Legens Evangelium, ſignum facit in pectore, quaſi dicat: corde credo ad juſtitiam; in ore, quaſi dicat: quod credo, confiteor ad ſalutem; & in fronte, quaſi dicat: non erubeſco Evangelium*. Sed nec dubitandum, quin etiam antiquus ille ſit ritus, quem idem hic noſter §. & Sacerdotale Romanum, Parte I. Cap. III. *De oratione facienda in viſitatione infirmorum*, præſcribunt, ut Sacerdos non ſolum ſe ſignet, dum dicit verba illa, *Sequentia Sancti Evangelii &c.* verum etiam infirmum, *ſi fuerit maſculus, & is ob infirmitatem non poteſt ſe ſignare; ſi autem fuerit femina, illa per ſemetipſam in locis prædictis ſe ſignet, ſi poteſt; ſi vero non poteſt, alia mulier eam ſignet*, honeſtatis ſcilicet gratia; dedeceret enim quammaxime, ut Sacerdos, vel alius vir frontem, os, & nudum pectus mulieris tangeret.

III. Cæterum conſueviſſe non modo olim legi Evangelium infirmis, verum etiam capiti eorum imponi, teſtis eſt S. Auguſtinus Tractatu VII. in Joannem, qui quidem tantam Sacro Evangelii Codici virtutem tribuit, ut non animi tantum, ſed & corporis morbos ab eo depelli poſſe aſſerat, ſi cum fide adhibeatur: *Cum caput*, inquit, *tibi dolet, laudamus, ſi Evangelium ad caput tibi appoſueris*. Sed de hac re vide quæ ſcripſimus nos in memorato Opere, *De Codice Sancti Evangelii &c.* Lib. III. Cap. XXXI. & quæ dicemus mox infra in Commentario ad §. ſequentem. Vigere autem apud Græcos hunc ritum, ut ſanctum Evangelium ponat ſuper Caput infirmi ExtremamUnctionem ſumentis Sacerdotum præcipuus, Sacerdotibus aliis manus ipſi infirmo imponentibus, docet nos Græcorum Euchologium in Officio Sancti Olei decantato a ſeptem Sacerdotibus in Eccleſia, aut Domo, apud doctiſſimum Edmundum Martene, citato loco, Ordine XXX. & apud Jacobum Goar, qui illud etiam Notis egregiis illuſtravit.

§. XXI.

Completa Oratione ultima, Sacerdos imponat dexteram manum ſuper cuput infirmi, & dicat: *Super ægros manus imponent, & bene habebunt. Jeſus Mariæ Filius, mundi ſalus, & Dominus, meritis, & interceſſione Sanctorum Apoſtolorum ſuorum Petri & Pauli, & omnium Sanctorum, ſit tibi clemens, & propitius. Amen.* Poſtea dicat ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo.* ℣. *Initium Sancti Evangelii ſecundum Joannem.* ℟. *Gloria tibi Domine.* Joannis I. *In principio erat Verbum &c.* uſque ad illa verba: *plenum gratiæ, & veritatis.* ℟. *Deo gratias.*

COMMENTARIUS.

I. Ritus, quem & hic noſter §. ac varii antiqui, recentioreſque Libri Rituales præſcribunt, ut nempe *Sacerdos imponat dexteram manum ſuper caput infirmi*, Chriſtum Dominum habet Auctorem, qui in Evangelio Marci, Capite ultimo, ſuis Diſcipulis dixit, *Super ægros manus imponent, & bene habebunt*. Quæ quidem verba ex Ritualium præſcripto, & communi Eccleſiæ praxi, Sacerdos pronunciat, dum manum ſuper infirmi caput imponit. Sane, ut alia exempla omittam, teſte Gallicio in Vita B. Alexandri Saulii e Clericis Regularibus S. Pauli primum Alerienſis, tum Papienſis Epiſcopi, Cap. XVI. pag. 134. *mos erat Epiſcopo ægrotos viſenti elatam dexteram in eos protendere, & conformata Crucis figura, beneprecari, Salvatoris quippe illo promiſſo fretus*, Super ægros manus imponent, & bene habebunt, *ſoſpites fore illos ſperabat, & ex jacentibus complures melioris valetudinis ſigna ſtatim concepere*. Hujuſmodi exempla occurrunt paſſim in Vitis Sanctorum, ſed placuit illud Saulii referre, tum quod ab eo diſcimus, ſola manuum elatione in ægrotantes, recte pronunciari verba illa, *Super ægros manus imponent &c.* tum etiam quod ipſe unus fuerit ex Viris inſignibus, qui præſentia ſua, & prædicatione noſtrum omnium primum S. Hieronymi Charitatis Oratorium decorarunt, eamque ob cauſam merito a noſtris in eodem loco, qui nunc Chorus eſt, collocata fuit ejus Imago depicta in tela cum hac inſcriptione: B. ALEXANDRO SAULIO EX PRÆPOSITO GEN. CONGR. S. PAULI BARNABITARUM ALERIEN. PRIMUM, TUM PAPIEN. ANTISTITI, QUOD HOC S. HIERONYMI CHARITATIS ORATORIUM FREQUENS ADIERIT, LOCUMQ. MAXIMÆ DEVOTIONIS APPELLAVERIT, IBIQ. INSTANTE S. PHILIPPO NERIO PLURIES ANNO MDLXXII. ATQ. MDLXXV. SACROS SERMONES AD POPULUM HABUERIT. PP. ORATORII HUJUS REI MONUMENTUM APPOSUERE.

II. Sed hoc obiter dicto, adnotandum plane eſt illud, formulam ipſam verborum, *Super ægros manus imponent &c.* in §. noſtro præſcriptam dicendam a Sacerdote ante Evangelium S. Joannis, de quo mox infra dicemus, diverſam legi in Sacerdotali Romano, quod, ut dictum ſuperius fuit,

fuit, Albertus Caſtellanus Venetus ordinavit, publicique juris fecit Venetiis anno MDLXVII. Sic enim ille Parte I. Tractatu v. Capite inſcripto, *De oratione facienda in viſitatione infirmorum*, inquit: *Completa ultima Oratione, Sacerdos utramque manum ponat ſuper caput infirmi, & dicat Orationem de Beato Vincentio, videlicet*; Super ægros manus imponent, & bene habebunt. Jeſus Mariæ Filius, Mundi ſalus, & Dominus, meritis Beati Vincenti Confeſſoris ſui, ſit tibi clemens, & propitius. Amen. *Poſtea dicat initium Sancti Evangelii ſecundum Joannem.* Dominicani Ordinis alumnus S. Vincentium Ferrerium ejuſdem Ordinis Orationi inſeruit, quam etiam *febricitantibus valere certum eſſe*, ait in Nota marginali ad eum locum. Quod tamen mirum videri non debet, cum ipſe S. Vincentius, ut in ejus Vita legitur, ea verborum formula ſuper infirmos recitata, permultos ex illis priſtinæ ſanitati reſtituerit. Ajo nihilominus, Sacerdotes, qui Rituali Romano utuntur, eam debere pronunciare formulam, quæ in noſtro §. legitur.

III. Quod tandem præter alia Evangelia, quæ in præcedenti §. præſcripta ſunt, legi ſolitum fuerit vel olim ſuper infirmos Initium Evangelii ſecundum Joannem, de quo in præſenti noſtro §. fit mentio, & Ritualia antiqua nos docent, ac etiam priſci Patres, atque Scriptores, inter quos S. Cæſarius Lib. v. Cap. XLIV. ſic habet: *Ipſam, ſicut mihi retulit beatæ memoriæ Domina Elisabeth ejuſdem Cœnobii Abbatiſſa, ſorores in lecto ſuo ponentes, & principium Evangelii Sancti Joannis ſuper eam legentes, mane regyratam*, ideſt innixam ſuper cubitum, *invenerunt*. Infirmis etiam ſuperimponi conſueviſſe Evangelium ipſum, ad ſanitatem recuperandam, tradit Joannes Sarisberienſis, Lib. II. *De nugis Curialium*, Cap. v. *Cuthbertus*, inquit, *ſignifer quidam gentis noſtræ in Lege Domini Evangelium Joannis ſuperimponebat infirmis, & curabantur*. Rationem ejus rei affert S. Thomas in Secunda Secundæ, Quæſtione LXXXVI. Articulo IV. quum ait: *Verbum Dei non eſt minoris efficaciæ, quam Reliquiæ Sanctorum, ſed Reliquiis utimur ad ſalutem, ergo pari modo, imo majori, ad eandem uti licet verbo Dei ſcripto, ſive Evangelio*. Hinc merito laudat S. Auguſtinus, cujus locum in fine ſuperioris Commentarii attulimus, Chriſtianorum ritum, qui ad pellendum capitis dolorem, ad caput Evangelium Joannis apponebant.

§. XXII.

Poſtea benedicens infirmum, ſubjungat, dicens: *Benedictio Dei Omnipotentis, Patris* ✠, *& Filii, & Spiritus Sancti deſcendat ſuper te, & maneat ſemper*. ℟. *Amen*. Deinde aſpergat eum Aqua benedicta.

§. XXIII.

Si fuerint plures infirmi in eodem cubiculo, vel loco, Preces, & Orationes prædictæ dicantur ſuper eos in numero plurali. Quæ omnia etiam poterunt arbitrio Sacerdotis breviora fieri.

COMMENTARIUS.

I. Recitato initio Evangelii S. Joannis ſuper infirmum, de quo diximus in præcedenti Commentario, mandat nunc noſter §. XXII. ut Parochus, Sacerdoſve, benedicat infirmum ſub præſcripta formula, *Benedictio Dei Omnipotentis &c.* quæ quidem legitur in variis Ritualibus, ac præſertim in Sacerdotali Romano, Parte I. Tractatu v. Cap. III. ſed longe tamen prolixior, in hunc modum: *Dominus Jeſus Chriſtus apud te ſit, ut te defendat; intra te ſit, ut te conſervet; ante te ſit, ut te deducat; poſt te ſit, ut te cuſtodiat; ſuper te ſit, ut te bene* ✠ *dicat. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto in unitate perfecta vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen. Benedictio Dei Omnipotentis, Patris* ✠, *& Filii* ✠, *& Spiritus* ✠ *Sancti deſcendat ſuper te, & maneat ſemper*. ℟. *Amen*. Porro lectorem monitum velim, recitatam prolixioris benedictionis formulam a Caſtellano Sacerdotalis Romani ordinatore allatam, jam non fuiſſe ab ipſo compoſitam, ſed totidem pene verbis reperiri una cum aliis multis ſuper infirmum recitandis, in priſcis Ritualibus, ac præſertim in veteri Libro Sacramentorum Eccleſiæ S. Gatiani Turonenſis annorum CM. apud Martene Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. VII. Art. IV.

CAPUT V.

Modus juvandi morientes.

§. I.

Ingraveſcente morbo, Parochus infirmum frequentius viſitabit, & ad ſalutem diligenter juvare non deſinet; monebitque, inſtante periculo, ſe confeſtim vocari, ut in tempore præſto ſit morienti, ſumptoque Sanctiſſimo Viatico, & Sacra Unctione adhibita, ſi periculum immineat, ſtatim commendationis animæ officium præſtabit, de quo infra. Sed ſi tempus ſuppetat, ſequentia pietatis officia præſtare poterit, ſi ita expedire judicaverit, pro conditione perſonæ.

COMMENTARIUS.

I. Actum fuit hucuſque de præparatione infirmi ad mortem, agitur nunc de ipſo infirmo moriente, & de officiis, quæ ei præſtare Parochus debet, qui iccirco, ut ut ait hic noſter §. & Sacræ Synodi diſtricte præcipiunt, *ingraveſcente morbo, infirmum frequentius*

Digitized by Google

tius viſitabit, & ad ſalutem diligenter juvare non deſinet; monebitque, inſtante periculo, ſe confeſtim vocari, ut in tempore præſto ſit morienti, ſumptoque Sanctiſſimo Viatico, & Sacra Unctione adhibita, ſi periculum immineat, ſtatim commendationis animæ officium præſtabit. Ita plane ait hic noſter §. ſed fateri cogimur, hanc præſcriptam frequentiorem faciendam a Parocho infirmorum morientium viſitationem, vix in Civitatibus, Oppidiſve præſtari, in villis vero, lociſque ab Eccleſia Parochiali diſtantibus, nunquam. Sed puto equidem, totis viribus conari debere Parochum, ut ſolicite & ipſos infirmos etiam a Parochiali Eccleſia diſtantes viſitet, etiam poſt adminiſtrata eiſdem Sacramenta, Pœnitentiæ, Sacri Viatici, atque Extremæ Unctionis, ut nimirum piis cohortationibus, atque Eccleſiæ precibus morientes adjuvent in extremo illo vitæ certamine. Spectant autem ad hunc noſtrum §. quæ inter alia mandat S. Carolus in ſuis Inſtructionibus de viſitatione, & cura infirmorum, ubi narrans monita facienda a Parocho, ſi morbus gravior fuerit, ſic inquit: *Ingraveſcente morbo, Parochus infirmum crebrius inviſet, & juvare ad ſalutem conabitur quamdiligentiſſime.* Tum vero ſtatim ſubdit: *Si mortis tempus inſtare viderit, aget ad præſcriptum, commendationiſque animæ officium præſtabit. Monebit etiam, inſtante periculo, ſe confeſtim vocari, ut in tempore præſto ſit morienti.*

II. Hæc plane ſunt, quæ iiſdem fere verbis in hoc noſtro ſtatuuntur §. quæque etiam, ſi fieri poteſt, præſtanda a Parocho ſunt infirmis morientibus etiam longe diſtantibus; accendique debet ad ea exhibenda charitatis officia exemplis Parochorum illuſtrium, aliorumque piorum Sacerdotum, qui longi itineris incommodum proximorum ſaluti præferentes, ad eos morientes juvandos convolabant. Celebre, ut alia mittam, eſt in hac re exemplum S. Camilli de Lellis, de quo, ita ſcribit in ejus Vita Cicatellus Lib. III. Cap. II. *Media nocte, & pluvia maxima, vocatis Noſtris ad morientem adjuvandum (is erat janitor S. Pauli Romæ) tum recordatus Camillus verborum Sapientis*, Non te pigeat viſitare infirmum; *& arbitratus, hoc charitatis officium nimis invidendum eſſe, neque alii committendum, confeſtim e lecto exilit, & illuc ſe confert, neque curæ habet, quod a S. Mariæ Magdalenæ uſque ad portam S. Pauli, prælongo viæ intervallo eundum ſit, ſed vadit continenti licet pluvia madidus, & via lutulenta; permanſit autem apud moribundum una cum ſocio ſuo, uti venerat, ſemper madore plenus. Conſueverat dicere, cum Religioſos ſuos ad hæc ſancta opera charitatis incenderet*: Patres, & Fratres mei, memores eſtote, vos eſſe a Deo vocatos, ut advocati, & defenſores ſitis patrimonii, & hæreditatis Chriſti, quæ ſunt animæ iſtorum pauperculorum, quos pretioſo Sanguine ſuo redemit.

III. Spectat quammaxime & hoc Camilli monitum Parochos; ſed audiamus, quid de eodem Camillo memoratus Cicatellus mox ſubdit: *Accidit illi non raro, ut eunti, aut redeunti noctu ab aliquo moribundo, lumen per viam, vel aquæ pluviæ delapſu, vel venti impetu extingueretur, unde neceſſe habebat in ea obſcuritate incedere per medios profluentes rivulos, & ſemel ſic revertenti plane madido, repertus eſt campanulæ funis ad portam ruptus, itaut debuerit pro foribus pluviæ expoſitus multam temporis expectare. Quibus in eventis dicere ſocio ſolitus erat, quod & S. Franciſcus olim Fratri Leoni*: Frater jam vere fuerimus germani infirmorum Miniſtri, ſi ita madefacti, & luto inquinati, ut nunc ſumus, coacti fuerimus hic foris pernoctare; ac certe ſi in vicem apertionis oſtii, janitor foras prodiens, ira, & ſtomacho plenus, quod ſuum illi ſomnum interruperimus, quadruplici nos fuſtuario exceperit; tum ego ſane dixero, mi frater, nos vere eſſe germanos infirmorum Miniſtros, ſi ita male tractati patientiam retinuerimus, nihil prorſus commoti, & ne verbulo quidem queribundi. Qua gratia dignetur nos Dominus per ſuam miſericordiam afficere, & hæc intelligendi facultate condonare.

§. II.

Ac primo, ſi ægrotus Indulgentiam legitima auctoritate conceſſam conſequi poſſit, eam illi reducat ad mentem; proponatque, quid ad eam conſequendam agi debeat, præſertim ut contrito corde Sanctiſſimum Nomen JESU ſemel, vel ſæpius invocet.

COMMENTARIUS.

I. Probata ſemper in Eccleſia fuit Indulgentiæ cauſa articulus mortis. Hinc enim omnibus etiam idololatris eam dari juſſit Romanæ per S. Fabiani Papæ mortem vacantis Eccleſiæ ex vicinis, & advenis Epiſcopis adunata Synodus, cujus Decretum deſcripſit Lupus Tomo VI. Operum editionis Venetæ, in Diſſertatione, *De peccatorum, & ſatisfactionum Indulgentiis*, Cap. VI. ubi etiam ait, confirmatum fuiſſe ipſum laudatæ Synodi Decretum a S. Cornelio, qui in Fabiani locum ſuffectus fuit anno CCLIV. Probatæ huic diſciplinæ inhærens S. Cyprianus, ea Indulgentia nullum moribundum privari adeo voluit, ut exul ita ſcripſerit in Epiſtola ſua XIII. ad Presbyteros, & Diaconos data: *Quoniam video, facultatem veniendi ad vos nondum eſſe, & jam æſtatem cœpiſſe, quod tempus infirmitatibus aſſiduis, & gravibus infeſtatur, occurrendum puto Fratribus noſtris, ut qui libellos a Martyribus acceperunt, & prærogativa eorum apud Deum adjuvari poſſunt, ſi incommodo aliquo, & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præſentia noſtra, apud Presbyterum quemcumque præſentem, vel ſi Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque exomologeſin facere delicti ſui poſſint, ut manu eis in pœnitentiam impoſita, veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres literis ad nos factis deſideraverunt.*

II. Hactenus Sanctus Cyprianus, in cujus recitato teſtimonio multa adnotari poſſunt, ac primo quidem inſigne adverſus hæreticos pro poteſtate concedendi Indulgentias argumentum deſumi ex praxi lapſos reconciliandi ad Martyrum

rum preces, ac libellos, quod late inter alius oſtendit Juenin, *De Sacramentis*, Diſſertatione XII. *De Indulgentiis*, Quæſtione I. Cap. II. Secundo, Indulgentiam conſueviſſe vel a primis Eccleſiæ Sæculis morientibus concedi. Tertio, prodeſſe eam non poſſe, niſi remiſſis peccatis; hinc enim pœnitenti ad ejus effectum neceſſaria eſt exomologeſis, manus impoſitio in pœnitentiam, donatio pacis, ideſt Sacramentalis Confeſſio, ſatisfactionis impoſitio, & abſolutio. Quarto, ne Indulgentiæ effectu privarentur moribundi, permiſiſſe Cyprianum, ac juſſiſſe, Indulgentiam ipſam impendi etiam a Diaconis. Quinto, quod ait Cyprianus de Diaconis, intelligi debere vel de precibus, quas Eccleſia pro morientibus fundere ſolebat, vel de abſolutione ab excommunicatione minori, qua innodati erant pœnitentes, utpote prohibiti a participatione Sacramentorum, & excluſi a tremendo Miſſæ Sacrificio, vel, ut probarent Diaconi per exomologeſin ipſis factam pœnitentium humilitatem, & contritionem. Sexto, moribundis, licet plenam haberent Indulgentiam, a Cypriano paſſim imponi manum pœnitentialem, ſeu Sacramentalem pœnitentiam; quo nempe & ipſi ſic fierent ſatisfactioni vicini, atque ita ad Indulgentiæ fructum aptarentur.

III. Veterem itaque Eccleſiæ diſciplinam ſequuti ſunt Summi Romani Pontifices, qui plenarias Indulgentias morientibus conceſſere. Teſte Thoma Valſinghamenſi in Neuſtriæ Hypodigmate anno MCCCXLIV *ſæviente in Anglia tanta peſte hominum, Dominus Clemens Papa*, ejus nempe nominis Sextus, *conceſſit plenam remiſſionem omnibus vere confeſſis, & contritis, morientibus in hac Epidemia per totum Regnum*. Idipſum ſcribit de Gregorio XI. in Anglorum Annalibus, anno MCCCLXXVIII. *Papa Gregorius*, inquit, *bonus vir, & juſtus, ob amorem Domini Cardinalis, & Epiſcopi Præneſtini, quondam Cantuarienſis Archiepiſcopi, dum peſtilentia invaluiſſet in hac Terra, per Bullas ſuas, omnibus tunc morientibus, vere contritis, & confeſſis, plenam remiſſionem de theſauris Eccleſiæ indulſit*. Recte egit uterque Pontifex, imitatuſque eſt S. Cyprianum; nam & mortalitas, cujus cauſa ipſe omnibus lapſis voluit in exitu vitæ etiam per Diaconos ſubveniri, fuit horrenda illa peſtis, cujus occaſione ſcripſit aureum Librum, *De mortalitate*, omnibus de vita periclitantibus prælegendum. Hinc omnibus morientibus recte datur plena Indulgentia, ad quam concedendam liberaliores fuerunt Summi ſequioris ætatis Pontifices, quippe qui ad quamvis mortem Indulgentiæ beneficium aliquando extenderunt, præſertim vero Boniſacius IX. ut idem Thomas Walſinghamenſis teſtatur ad annum MCCCXC. ſic inquiens: *Adami Cardinalis Anglici petitione declaratum eſt per Papam Boniſacium Nonum, quod Bullæ de Indulgentiis plenariis conceſſæ quibuslibet in extremis, tantum valent eas obtinentibus in Confeſſione, quæ mortem immediate præcedit, qui licet multoties propter diverſa pericula confiteantur, & convaluerint, uſque ad extremum articulum, nullum ſortiantur effectum*. Fuit recta declaratio, ſequutuſque eſt Boniſacius antiquos Canones, qui datas in extremis Indulgentias ſanxerunt deinceps fore ad reincidentiam, uti notavit Lupus loco citato, Capite VIII. ubi etiam ſcite obſervat, Leonem Papam X. recte damnaſſe hunc inter alios Lutheri articulum: *Indulgentiæ mortuis, ſeu morituris, & infirmis nec neceſſariæ ſunt, nec utiles*. Nullas enim, quam morituris eſſe utiliores, omnis olim cum S. Cypriano judicavit Eccleſia.

IV. Neque vero tantum utiles, ſed omnino fructuoſas, efficaceſque morientibus eſſe Indulgentias, unanimi conſenſu docent Theologi, quod nempe immiſſa per Divinam providentiam mors patienter acceptatur, & ad ipſam fidelis peccator ſe pie diſponit. Mortis tormentum eſt inter omnia terribilia terribiliſſimum, ideoque pia ipſius acceptatio omnino reddit hominem fidelem ſatisfactioni proximum, ac eſſe etiam poteſt plena pro peccatis graviſſimis ſatisfactio, ut idem Lupus docet, inſignibuſque exemplis probat. Sed his omiſſis, liberaliſſimus omnium in concedenda plenaria morituris Indulgentia fuit certe Gregorius Papa XIII. qui, teſte Synodo Provinciali VI. Mediolanenſi, Capite, *De viſitatione infirmorum*, inſcripto, *ut ſalutarem aliquam ægrotis medicinam afferret certis Apoſtolicis ſuis Literis*, datis XXX. Decembris MDLXXX. *Epiſcopis hujus Provinciæ auctoritatem dedit Indulgentiæ ægris concedendæ, quos vel ipſi, vel eorum nomine alii viſitaverint*. Mandat mox vero eadem Synodus, ipſas Pontificias Literas, ut omnibus notæ ſint, proindeque ægroti ſalutare medicamentum contriti, & confeſſi capiant ex viſitatione Epiſcopali, a Parocho, prout uſu venerit, ſtudioſe, accurateque eſſe evulgandas. Simili facultate donati ſunt a variis Summis Pontificibus plerique alii non modo Epiſcopi, ſed & Religioſi Ordines, qui auctoritate Apoſtolica Pontificiam benedictionem cum plenariis Indulgentiis impertiri morituris ſolent.

V. Præter haſce Indulgentias, recentioribus Sæculis multas alias Summi Romani Pontifices globulis piacularibus, numiſmatiſque Sanctorum Imaginibus inſignitis concedere conſueverunt, ut iiſdem ad ſuam ipſorum ſpiritualem utilitatem in articulo mortis uterentur. Hinc S. Camillus de Lellis, jamjam moriturus, teſte Cicatello in ejus Vita Lib. II. Cap. XVIII. *alligata habebat utrique brachio ſacra numiſmata Pontificis benedictione ditata, quæ ſæpenumero, ad promerendam in mortis articulo plenam Indulgentiam, exoſculabatur*. Recte autem & illud mandat hic noſter §. reducendum ægroto a Parocho in mentem, *præſertim ut contrito corde Sanctiſſimum Nomen Jeſu ſemel, vel ſæpius invocet*. Quod quidem optime ſtatutum eſt, ob eam potiſſimum rationem, quam docuit S. Petrus, Capite III. Actorum Apoſtolorum: *Nec enim aliud*, inquit, *Nomen eſt ſub Cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri*. Atque huc facit, quod ait S. Bernardus in Sermone XV. ſuper Cantica circa medium; *Triſtatur aliquis noſtrum? veniat in cor ejus Jeſus, & inde ſaliat in os; & ecce ad exortum Nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit ſerenum. Labitur quis in crimen? currit inſuper ad laqueum mortis deſperando? Nonne ſi invocaverit Nomen vitæ, confeſtim reſpirabit ad vitam*. Sed nec prætereunda eſt alia ratio, ob quam ſæpe a moriente Sanctiſſimum Nomen Jeſu invocandum eſt, ut nempe Indulgentias, quas & Sixtus Papa V. anno MDLXXXVII. ac noviſſime Benedictus XIII. anno MDCCXXVIII. Nomen ipſum pie religioſeque invocantibus conceſſere.

VI. Ad-

VI. Admonendum vero hic illud ſupereſt, quod inter alios docet doctiſſimus Lupus in citata Diſſertatione, Cap. VI. plenarias nempe Indulgentias, de quibus loquimur, apud tremendum Divinæ Majeſtatis Tribunal non ſemper habuiſſe plenum effectum, ac infallibilem. Etenim data ad S. Cyprianum Epiſtola, quæ inter ejuſdem Epiſtolas eſt trigeſima prima, ſuum, quod pœnitentibus lapſis caute, & ſolicite jubebat in exitu ſebveniri, Synodale Decretum laudat quidem Romanus Clerus, & de data tunc abſolutione ita in fine ſubjungit: *Deo ipſo ſciente, quid de talibus faciat, & qualiter judicii ſui examinet pondera, nobis tamen anxie curantibus, ut nec pronam noſtram improbi homines laudent facilitatem, nec vere pœnitentes accuſent noſtram quaſi duram crudelitatem*. Agit de data in extremis pace Sacramentalis abſolutionis, & reſtantium ſatisfactionum Indulgentia; palamque profitetur, ejus fructum, & applicationem pendere a gratioſo, & incerto Divinæ miſerationis arbitrio. Proinde id longe potiori jure profitendum eſt de datis ante mortis articulum Indulgentiis. Hinc etiam de Nino, Clementiano, & Floro, qui per nimiam tormentorum crudelitatem dejecti fuerant, & toto triennio egerant ſeriam pœnitentiam, idem Cyprianus ita ſcripſit in Epiſtola ſua LIII. ad Fortunatum ipſum, & alios Collegas: *Et quidem, quod ad mei animi ſententiam pertinet, puto, bis Indulgentiam Domini non defuturam, quos conſtat ſtetiſſe in acie &c.* Sperat, illis dandam per Eccleſiæ Claves Indulgentiam, a Dei Clementia fore comprobandam.

VII. Sed ut magis magiſque noſtra hæc opinio comprobetur, omiſſis aliis Patrum teſtimoniis, ita plane ſcribit in Sermone, *De lapſis*, laudatus Cyprianus: *Poteſt Dominus Deus Indulgentiam dare, ſententiam ſuam poteſt ille deflectere. Pœnitenti, operanti, roganti poteſt clementer ignoſcere, poteſt in acceptum referre quidquid pro talibus petierint Martyres, & fecerint Sacerdotes*. Affirmat, Divinam clementiam id poſſe facere, non debere. Sic enim proſequitur idem S. Antiſtes: *Vel ſiquis plus cum ſuis ſatisfactionibus moverit, ſi ejus iram, ſi indignationis offenſam juſta deprecatione placaverit, dat ille arma rurſum, quibus victus armetur, reparat, & corroborat vires, quibus Fides inſtaurata vegetetur. Repetet certamen ſuum miles, iterabit aciem, provocabit hoſtem, & quidem factus ad prælium fortior per dolorem. Qui ſic Deo ſatisfecerit, qui pœnitentia facti ſui, qui pudore delicti, plus & virtutis, & Fidei, de ipſo lapſus ſui dolore conceperit, exauditus, & adjutus a Domino, quam contriſtaverat nuper, lætam faciet Eccleſiam, nec jam ſolam Dei veniam merebitur, ſed coronam*. Mavult itaque Cyprianus, lapſos per plenam ſatisfactionem, quam per Indulgentiales Martyrum Libellos reparari; & hanc reparationis viam affirmat, apud Divinum Tribunal eſſe multo ſecuriorem, ut ſcite citato loco Lupus notavit. Operæ autem duxi hanc doctrinam hoc loco referre, quod multi noſtri ævi Chriſtiani nimium Indulgentiis confidentes nullam prorſus de perpetratis peccatis amplecti pœnitentiam volunt.

§. III.

Deinde hortetur infirmum, & excitet, ut dum mente viget, eliciat actus Fidei, Spei, & Charitatis, aliarumque virtutum, nempe.

Ut firmiter credat omnes articulos Fidei, & quidquid Sancta Romana Eccleſia Catholica & Apoſtolica credit, & docet.

Ut ſperet, Chriſtum Dominum noſtrum pro ſua immenſa clementia ſibi fore propitium, & merito ejus ſanctiſſimæ Paſſionis, & per interceſſionem Beatæ Mariæ, & omnium Sanctorum, ſe vitam æternam conſecuturum.

Ut toto corde diligat, & maxime diligere cupiat Dominum Deum ea dilectione, qua illum diligunt Beati, Sanctique omnes.

Ut ob amorem Dei doleat ex corde de omni offenſa, qualitercumque contra Dominum Deum, & proximum commiſſa.

Ut ex corde ob amorem Dei parcat omnibus, qui ſibi quoquo modo fuerint moleſti, aut inimici.

Ut ab iis veniam poſtulet, quos aliquando dictis, aut factis offendit.

Ut quem patitur dolorem, & morbi moleſtiam, propter Deum in pœnitentiam peccatorum ſuorum patienter toleret.

Ut ſi Dominus ſibi ſalutem corporis præſtare dignabitur, proponat de cætero pro viribus ſuis a peccatis cavere, & ejus mandata ſervare.

COMMENTARIUS.

I. QUod in hoc §. præſcribitur, ut nempe Parochus hortetur infirmum, excitetque, dum mente ſana viget, ad eliciendum actus Fidei, Spei, & Charitatis, aliarumque virtutum, jam longe latius expreſſum fuit, & quidem ex antiquis Ritualibus, in Romano Sacerdotali Venetiis edito anno MDLXVII. Parte I. Tractatu V. Cap. IV. quod inſcriptum eſt, *De petitionibus faciendis infirmo morienti valde utilibus*. Et quidem Fidei profeſſionem fieri debuiſſe ab infirmo ante Extremam Unctionem, per Sacerdotis interrogationem, conſtat ex ms. Codice Victorino annorum circiter DC. apud Martene Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. IV. Ordine XIX. *Exquirat Sacerdos, ſi jam credat in Sanctam Trinitatem: Credis in Fa-*

Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum? ℟. *Credo. Credis, quod iſtæ tres Perſonæ unus eſt Deus?* ℟. *Credo. Credis, quod in eadem carne reſurrecturus es?* ℟. *Credo.* Juxta præſcriptum ms. Codicis Floriacenſis ejuſdem ætatis, & apud eundem Martene, Ordine XXI. cantabatur primum ab omnibus, *Credo in unum Deum*, eoque abſoluto, interrogabat Sacerdos infirmum, *Credis hoc quod diximus*, eoque reſpondente, *Credo*, porrigebatur illi Crux, & Evangelium, ut eam oſcularetur. Juxta vetus Rituale Eccleſiæ Catalaunenſis annorum circiter CCC. quod & recenſet memoratus Martene, Ordine XXVII. Symbolo dicto, Sacerdos, ſi infirmus aliquem rationis ſenſum habebat, ita eum alloquebatur: *Credis ea, quæ ſunt Fidei Chriſtianæ, contenta in Symbolo, puta articulos Fidei, & ea, quæ ſunt determinata ab Eccleſia, eſſe vera?* Cui ille voce ſi poterat, vel ſigno reſpondebat: *Credo*. Porro ex ms. Rituali Monaſterii B. Mariæ de Pontelevio annorum circiter DC. Ordine XXII. præmittebatur iſta Fidei profeſſio Sacro Viatico, dum ita inquit: *Appropinquante Sacerdote cum Eucbariſtia, interroget credulitatem Fidei Catbolicæ, dicendo ita*: Ecce myſterium Redemtionis noſtræ & tuæ. Recognoſcis hoc? *Quo reſpondente*: Recognoſco Salvatorem meum. *Interroget iterum*: Credis in Deum Patrem Omnipotentem? Credis & in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum, natum, & paſſum? Credis in Spiritum Sanctum, Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctum Baptiſmum, & Sanctorum Communionem, Remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, & vitam æternam? ℟. Credn.

II. Omiſſis aliis Ritualibus Libris, qui ad eum ritum comprobandum afferri poſſent, quod ipſum Fidei actum ſpectat, teneri hominem Chriſtianum, illum elicere, cum in mortis periculo verſatur, ſaniores, doctioreſque Theolngi docent, probantque ex eo, quod tunc maxime eniti debet, nt ad Deum accedat, eique conjungatur, ut Chriſtianam juſtitiam conſequatur, vel in ea perſeveret; ut tentationes diaboli, quæ tunc imminent graviores, ſuperet: *Induite vos*, inquit Apoſtolus in Epiſtola ad Epheſios, Cap. VI. *armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias diaboli .... ſumentes in omnibus ſcutum Fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere*; ut mundum vincat antequam exeat de mundo: *Hæc eſt autem victoria, quæ vincit mundum, Fides noſtra*; ut in ſua Epiſtola I. ait S. Joannes, Cap. V. ut ſe contra terrores mortis Fide ſe muniat, & ſpe reſurrectionis, & futurorum bonorum contra damnationis æternæ horrendas imagines animum perturbantes, & ad deſperationem inducentes. Fide, inquam, in Paſſionem Chriſti Redemptoris, & Sanguinis ejus pro omnibus hominibus, ac pro ſe ipſo, quamvis omnium peccatorum nequiſſimo, effuſionem, quæ ſpem de illius miſericordia, de qua inſerius dicemus, parit. Hinc Eccleſia homines in mortis agone poſitos ad actus Fidei eliciendos excitare ſolet, ut ex antiquis Ritnalibus, & hoc noſtro §. addiſcimus. Certe Fidei defectu plerique Chriſtiani mundum diligunt, & mortem nimium timent, ut olim teſtatus eſt S. Cyprianus in aureo Libro, *De mortalitate*, ubi ſic inquit: *Cum Chriſtum videre, gaudere ſit, nec poſſit eſſe gaudium noſtrum, niſi cum viderimus Chriſtum, quæ cæcitas animi, quæve dementia eſt, amare preſſurat, & pœnas, & lacrymas mundi, & non feſtinare potius ad gaudium, quod nunquam poſſit auferri? Hoc autem fit, quia Fides deeſt, quia nemo credit, vera eſſe, quæ promittit Deus, qui verax eſt, cujus ſermo credentibus æternus, & firmus eſt. Si tibi vir gravis, & laudabilis aliquid polliceretur, baberes utique pollicenti fidem, nec te falli, aut decipi ab eo crederes, quem ſtare in ſermonibus, atque actibus ſuis ſcires. Nunc Deus tecum loquitur, & tu mente incredula perfidus fluctuas? Deus de hoc mundo credenti tibi immortalitatem, atque æternitatem pollicetur, & tu dubitas? Hoc eſt Deum omnino non noſſe; hoc eſt Chriſtum credentium Dominum, & Magiſtrum peccato incredulitatis offendere; hoc eſt in Eccleſia conſtitutum Fidem in domo Fidei non habere.*

III. Ex his, & aliis, quæ omittimus, Scripturæ, Patrum, atque Theologorum inſignium teſtimoniis compertum eſt, haſce Propoſitiones quorundam Caſuiſtarum ab Innocentio Papa XI. inter alia perverſæ Moralis capita fuiſſe merito proſcriptas, primam nempe num. 16. *Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundum ſe.* Alteram ſequenti num. 17. *Satis eſt actum Fidei ſemel in vita elicere.* At vero quod præceptum eliciendi actum Fidei, non pro aliquibus vicibus ſolum, ſed pro plurimis a Deo ſancitum ſit, ex eo probant Theologi ſanioris Moralis, & inter alios Antoine in ſua Theologia Morali, Tractatu, *De virtutibus Theologicis*, Quæſtione IV. quod actibus Fidei Deus maxime colatur, & vita juſti per illos aletur, & conſervetur juxta illud Apoſtoli in Epiſtola ad Galatas Cap. III. *Juſtus ex Fide vivit.* Non ſemel igitur, ſed ſæpius elicere quis actus ipſos tenetur, ſicut cibum corpori ſuſtentando non ſemel tantum, ſed ſæpius ſumere debet, ne deficiat; opuſque eſt, vel ex præſcripto noſtri hujus §. ut *firmiter credat omnes articulos Fidei, & quidem explicite*, ſaltem quoad ſubſtantiam, ut docet S. Thomas in Secunda Secundæ, Quæſtione II. Articulo V. *Quantum*, inquit, *ad prima credibilia, quæ ſunt articuli Fidei, tenetur homo explicite credere, ſicut & tenetur habere Fidem &c.* Itemque opus eſt, ut & firmiter credat, ut ait idem noſter §. *quidquid Sancta Romana Eccleſia, Catbolica, & Apoſtolica credit, & docet.* Ipſa enim eſt cæterarum Eccleſiarum mater, & caput, ut & Sancti Patres, & Synodi, ac Theologi unanimi docent conſenſu.

IV. Hortari præterea infirmum Parochus debet, *ut ſperet, Chriſtum Dominum noſtrum pro ſua immenſa clementia ſibi fore propitium &c.* Quamvis enim, ut ex Divinis Scripturis Sancti Patres, ac Theologi tradunt, actum ſpei ſæpius in vita elicere Chriſtianus teneatur, potiſſimum vero elicere illum in mortis periculo debet; quia nimirum cum tunc præſertim diabolus peccatorum noſtrorum multitudinem, ac gravitatem nobis repræſentans, in deſperationem inducere nos tentet, ideo tunc præcipue in Divinam miſericordiam ſpem noſtram conjicere debemus, ſicut anchoram animæ tutam, ac firmam, ut loquitur Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos, Capite VI. Hinc ex præſcripto antiqui Ritualis Catalaunenſis, ſic inter alia interrogat Sacerdos infirmum: *Credis, quod propter te mortuus eſt Dominus noſter Jeſus, & quod ſalvari non potes, niſi per meritum Paſſionis ejus, & non tuis meritis?* Cui ille re-

Digitized by Google

reſpondet: *Credo*. Nitendam vero ſpem noſtram *illo in Deum amore, qui mercedem amori noſtro propoſuit æternam beatitudinem*, recte docet Tridentini Concilii Catechiſmus, Parte IV. in tertia petitione Dominicæ Orationis, num. XXVI. Quod vero ait noſter §. ſperare etiam recte infirmum *per interceſſionem B. Mariæ, & omnium Sanctorum, ſe vitam æternam conſequuturum*, doctrinæ Patrum nititur, ac præſertim S. Bernardi, qui in Sermone, *De Nativitate B. Mariæ*, ita ſcribit: *Siquid ſpei, ſiquid ſalutis, ſiquid gratiæ in nobis eſt, ab ea noverimus redundare*.

V. Tertio loco hortari Parochus debet infirmum, *ut toto corde diligat, & maxime diligere cupiat Dominum Deum ea dilectione, qua illum diligunt Beati, Sanctique omnes*. Nihil tam frequenter præcipitur, nihil tam luculenter exprimitur in utroque Teſtamento, quam obligatio diligendi Deum. Hanc obligationem producendi ſæpius actus amoris Dei Sancti quidem Patres, ac Theologi fuſe explicant, ipſaque Apoſtolica Sedes ſatis oſtendit, dum non modo in Decreto Alexandri Papæ VII. adverſus laxas Caſuiſtarum opiniones edito die XXIV. Septembris anni MDCLXVI. hanc numero X. propoſitionem damnavit: *Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum Fidei, ſpei, & charitatis ex vi Præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium*; verum etiam in Decreto Innocentii XI. promulgato die II. Martii MDCLXXIX. Propoſitiones ſequentes proſcripſit, nempe quintam: *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus*; itemque ſextam: *Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigoroſe quinquenniis per ſe obligare præceptum charitatis erga Deum*; ac tandem ſeptimam: *Tunc ſolum obligat, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, qua juſtificari poſſimus*. Sed hujuſmodi opinionum portentis Caſuiſtarum Libri ſcatent, quos merito confutavit pius, ac doctus Daniel Concina Dominicanus in ſua Theologia Chriſtiana.

VI. Excitandus eſt quarto loco infirmus, *ut ob amorem Dei doleat ex corde de omni offenſa qualitercumque contra Dominum Deum, & proximum commiſſa*. Atque huc facit quod inter alia præſcribit Vetus Rituale Eccleſiæ Catalaunenſis, ubi Sacerdos ſic infirmum interrogat: *Cognoſcis, te in hoc mundo Deum tuum multipliciter offendiſſe, & doles, quod Deum tuum offendiſti, & contra ejus præcepta feciſti?* Cui ille: *Doleo*. Similia legere eſt in aliis Ritualibus, ad eumque concipiendum dolorem de peccatis teneri unumquemque Fidelem, qui in Deum, & proximum peccavit, Theologi ſanioris Moralis paſſim docent, inter quos illud etiam ſcite aſſerit probatque eruditus Gaſpar Jueninus in Opere, *De Sacramentis*, Diſſertatione VI. Quæſtione IV. Cap. II. Articulo VI. §. I. Concluſione I. contritionis præceptum per ſe urgere impium in articulo mortis, ita ut peccet lethaliter, ſi in ultima vitæ periodo non conteratur.

VII. Quinto loco monere Sacerdos infirmum debet, *ut ex corde ob amorem Dei parcat omnibus, qui ſibi quoquo modo fuerint moleſti; aut inimici*. Atque hæc eſt antiquiſſima diſciplina in variis Ritualibus expreſſa, ex quorum præſcripto præmittenda erat ſacræ Unctioni Extremæ remiſſio injuriarum. Certe pervetuſtum Pontificale Anglicanum Monaſterii Gemmeticenſis annorum circiter mille, ſic habet: *Si cunctis voluerit dimittere, ſanctam ei humiliter tradat Unctionem; quod ſi noluerit, ſacrato eum Chriſmate omnino non tangat, quia in Evangelio legitur: Si non dimiſeritis hominibus peccata eorum, nec Pater veſter cæleſtis dimittet vobis peccata veſtra*. Juxta vetus Rituale Catalaunenſis Eccleſiæ Sacerdos ita infirmum interrogat: *Indulges his, qui tibi aliquod nocumentum contulerint, ob amorem Jeſu Chriſti, a quo veniam, & miſericordiam ſperas; ac etiam petis fideliter indulgeri, & remitti tibi ab his, quos offendiſti, & per te ablata, vel injuſte acquiſita reſtitui?* Cui ille: *Volo*. Ut non modo illatas ſibi injurias infirmus remittat, atque ex corde ob amorem Dei parcat omnibus, qui ſibi quoquo modo fuerint moleſti, aut inimici; verum etiam, *ut ab iis veniam poſtulet, quos aliquando dictis, aut factis offendit*, idem hic §. noſter ſexto loco præſcribit. Atque hunc ritum ſervant hodieque ipſi Romani Pontifices Maximi, quippe qui morientes, uti jam diximus in Commentariis ad Cæremoniale S. Romanæ Eccleſiæ, Tom. I. ſuo loco, a Cardinalibus non modo, ſed & a ſuis familiaribus veniam petere ſolent, ſi quos forte verbis, factiſve læſiſſent.

VIII. Monere ſeptimo loco Sacerdos debet infirmum, *ut quem patitur dolorem, & morbi moleſtiam, propter Deum in pœnitentiam peccatorum ſuorum patienter toleret*. Extant plane in hanc rem innumera Patrum teſtimonia, ac Sanctorum exempla, quibus inhærens S. Carolus in Inſtructionibus, *De viſitatione, & cura infirmorum*, ubi monita recenſet infirmo danda a Parocho, aliove Sacerdote, qui ægrotanti aſſiſtit, ſi morbus gravior fuerit, ſic inter alia inquit: *Si impatientem ægrotum viderit, ei proponet Paſſionem Chriſti Domini, tormenta Sanctorum Martyrum, exempla aliorum Sanctorum, Job, Tobiæ, Joſeph, & aliorum. Merita præterea oſtendet patientiæ, quæ multa ſunt, & maxima; cauſas item oſtendet afflictionum, quas Deus Pater amantiſſimus, & Medicus ſapientiſſimus tanquam medicamenta Fidelibus adhibet*. Sed optimum eſt, ut dolorem, quem patitur, morbique moleſtiam, is potiſſimum ad eum patienter tolerandum *propter Deum* in pœnitentiam peccatorum excitetur, qui plurima perpetravit, & pro quibus expiandis nullam condignam, dum bene valebat, pœnitentiam fecit. Hinc, ut alia exempla omittam, noſter Bonſignorius Cacciaguerra, licet poſt ſuam converſionem pro eluendis vitæ male ante actæ peccatis ſeveram aſſiduamque pœnitentiam ſubierit, ubi variis morbis conflictabatur, in eorum pœnitentiam, quibus Deum offenderat, eos patientiſſime non modo tolerabat, ſed in ipſis etiam gaudebat ſummopere, exultabatque, ut ex variis ejuſdem Epiſtolis addiſcimus.

IX. Concludit tandem noſter §. admonendumque ait infirmum, *ut, ſi Dominus ſibi ſalutem corporis præſtare dignabitur, proponat de cætero pro viribus ſuis a peccatis cavere, & ejus mandata ſervare*. Idem mandat S. Carolus in ſuis Inſtructionibus, ubi ſic ait: *Aget cum eo*, nempe Parochus, Sacerdoſve cum infirmo, *ut, ſi Dei gratia, munereque, ab eo morbo convaleſcet, vitam omnino emendet, aut ſanctiorem vivendi diſciplinam ſuſcipiat*. Juxta præſcriptum Romani Sacerdotalis, in quo longe plura huc uſque recenſitis notantur monita, petitioneſque faciendæ infirmo, ita quoque interrogat Sacerdos: *Proponis*

de

Digitized by Google

de cætero, ſi placuerit, Deo ſcilicet, *te de hac ægritudine ſanatum, deinceps toto tempore vitæ tuæ cavere a peccatis mortalibus, & vitam tuam mutare, & potius quodcumque damnum temporale, & corporalem mortem ſuſtinere, quam de cætero Deum per peccatum mortale offendere?* Cui illo reſpondente, *Propono*, Sacerdos iterum admonet infirmum, ſic inquiens: *Roga Deum, ut te in hoc ſancto propoſito conſervet.* Reſpondetque infirmus: *Rogo*. Sane conſtat ex actis Sanctorum apud Surium, & Bollandianos, permultos ex iis occaſione infirmitatum ad Deum ſe convertiſſe, ac meruiſſe, ut Sanctorum Faſtis adſcriberentur; ſed negari non poteſt, complures inter Chriſtianos noſtræ præſertim hujus tempeſtatis inveniri, qui erepti a faucibus mortis, peccatis ante morbum patratis, alia plura, & graviora quotidie adjungunt.

§. IV.

Hortetur præterea, ut eo modo, quo poteſt, ſaltem ex corde ita per intervalla precetur:
Miſerere mei, Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam.
In te Domine ſperavi, non confundar in æternum.
In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum; redemiſti me, Domine Deus veritatis.
Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me feſtina.
Eſto mihi Domine in Deum protectorem.
Deus propitius eſto mihi peccatori.
Dulciſſime Domine Jeſu Chriſte per virtutem ſanctiſſimæ Paſſionis tuæ recipe me in numerum electorum tuorum.
Domine Jeſu Chriſte ſuſcipe ſpiritum meum.
Maria Mater gratiæ, Mater miſericordiæ, tu nos ab hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe.
Sancte Angele Dei mihi cuſtos aſſiſte.
Omnes Sancti Angeli, & omnes Sancti intercedite pro me, & mihi ſuccurrite.
Hæc, & his ſimilia poterit prudens Sacerdos vulgari, vel Latino ſermone, pro perſonæ captu, morienti ſuggerere.

COMMENTARIUS.

I. ORationes jaculatoriæ in hoc §. præſcriptæ, ut nempe eo modo, quo poteſt, ſaltem ex corde per intervalla precetur infirmus, auxiliumque a Deo petat, & Sanctorum interceſſionem, patrociniumque, præſertim Deiparæ, in extremo illo certamine, ex Pſalmis, Evangeliſque, atque ex Eccleſiaſticis Libris deſumptæ ſunt, uſitatæque fuerunt a Sanctis, dum in articulo mortis verſabantur, ut in eorum Vitis videre eſt, præſertim vero in Vita S. Richardi Epiſcopi Ciceſtrenſis, qui obiit circa annum MCCLV. Ut enim de illo Auctor ejus Vitæ ſcribit apud Surium die III. Aprilis, *illam Pſalmiſtæ vocem*, In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum, *crebro iterabat*; *ad Beatiſſimam quoque Chriſti Matrem ſemperque Virginem Mariam ſubinde corde ſimul, & voce, ſe convertens, ajebat*, Maria Mater Gratiæ, mater miſericordiæ, tu nos ab hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe; *mandavitque ſuis Capellanis, ut ea verba ad ejus aures pronunciare non ceſſarent. Atque ita inter ſuſpiria piæ devotionis, & verba ſacræ orationis, adſtantibus Religioſis, Presbyteris, & Clericis, laicis quoque fidelibus, B. Richardus animam, deinceps illa beatiſſima Civium ſupernorum victuram ſocietate reddidit Creatori anno ætatis ſuæ plus minus quinquageſimo ſexto, Pontificatus vero nono, tertio Nonas Aprilis, circa noctis medium, quo tempore Sponſus ille cæleſtis ad nuptias venturus dicitur.* Recte autem hic noſter §. in fine admonet, recitatas non modo orationes, ſed & his ſimiles, poſſe prudentem Sacerdotem *vulgari, ſeu Latino ſermone, pro perſonæ captu, morienti ſuggerere*. Cum enim orationes iſtæ potiſſimum inſerviant ad ſuſcitandos pios in anima affectus, debet iccirco Sacerdos cum infirmis latinæ linguæ ignaris uti orationibus vulgaribus, quæ ab iis capi, atque intelligi queant, memoratis nempe in hoc noſtro §. ſed in vulgarem ſermonem converſis, ſive etiam illis, quas ſancti Viri uſurpabant, quales inter alias ſunt multæ, quibus uſus eſt S. Philippus Nerius, leguntur que apud Baccium in fine Vitæ ejuſdem S. Philippi.

CAPUT VI.

Modus pro opportunitate temporis ſervandus, ut infra in Rubricis notatur, àd impertiendam Benedictionem in articulo mortis conſtitutis ab his, qui facultatem habent a Sede Apoſtolica delegatam.

I. DEeſt hoc quidem Caput in cæteris omnibus Romanis Ritualibus impreſſis, ante hoc noſtrum Sanctiſſimi Domini noſtri BENEDICTI Papæ XIV. juſſu editum, auctumque Romæ MDCCLII. quod nos perpetuis Commentariis illuſtramus. At primo quidem ut de prima Benedictionis Apoſtolicæ origine dicamus, Martinus Polonus in Chronico ſcribit, Sanctum Cletum Papam fuiſſe primum, qui in Literis, verbis illis uſus eſt, *Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem*, quod etiam legitur ad diem XXVI. Aprilis, quo idem S. colitur, in Breviario

rio Romano juſſu S. Pii Papæ V. edito. Sed præterquamquod nullæ S. Cleti Literæ extant, ſcriptum id a Martino Polono abſque ullius veteris Scriptoris teſtimonio, certam fidem habere non poteſt. Putat ſane Pagius in ejuſdem S. Cleti Papæ Vita, formulam ipſam antiquiorem non eſſe Sæculo VIII. quo in finem vergente, Joannes V. & Sergius I. ea uſi ſunt, uti conſtat ex eorum Reſcriptis a Mabillonio in Opere, *De Re diplomatica*, productis. Papebrochius vero in Conatu Chronico-hiſtorico ad Catalogum Romanorum Pontificum, ante Leonem IX. vel ſaltem ante Gregorium VII. formulam iſtam ſtabili uſu receptam non fuiſſe aſſerit. Cæterum eſt ejus opinionis Lupus Tomo VI. Operum editionis Venetæ in ſeptimum S. Gregorii VII. Pontificis Romanum Concilium, Capite inſcripto, *Sacerdotalis Benedictionis antiquitas, forma, fructus exponuntur*, Quæſtione V. morem, quo Romanus Pontifex abſentibus mittit Apoſtolicam Benedictionem, *eſſe antiquiſſimam, immo Apoſtolicum Inſtitutum*.

II. Quicquid autem ſit de hac quæſtione, quod Benedictionem Pontificalem ſpectat moribundis impertiendam, antiqua profecto eſt ipſa in Eccleſia, & quidem Sæculo IX. uſitata, uti addiſcimus ab Annaliſta Aſtrologo apud eundem Lupum in citato Capite, pag. 242. col. 2. ubi de Ludovico Pio Imperatore moribundo ad annum DCCCXLII. ita ſcribit: *Ludovicus, inſtante migrationis articulo, Drogonem Metenſem Epiſcopum accerſit, benedici petivit, & quæ ſolent agi in egreſſu animæ, fieri poſtulavit.* Humani generis hoſtem videbat ſibi adſtantem, & adverſum extremas ejus tentationes ſupplicabat Epiſcopali Benedictione armari. Quod moribundi Fideles paſſim videant tentatorem, ideoque tunc quammaxime indigeant pio iſto clypeo, docent nos exempla plurima, quæ paſſim occurrunt in Sanctorum tum veterum, tum recentium Vitis, firmatque in Dialogorum Libris S. Gregorius. Sed nec noſtrum eſt inſtitutum de Epiſcopali Benedictione morientibus dari ſolita, verum de peculiari illa plenaria Indulgentia ditata, quam eiſdem morituris, vel Summi ipſi Romani Pontifices, vel illi, qui facultatem habent a Sede Apoſtolica delegatam elargiri ſolent. Porro, ni fallor, veſtigium hujuſmodi Benedictionis videre eſt in S. Clara Virgine, de qua ſic legimus in Breviario Romano die XII. Auguſti: *Ipſa denique Virgo, cum in extremis ageret a candido Beatarum Virginum Cœtu ... viſitata, ac Sacra Euchariſtia ſumpta, & peccatorum Indulgentia ab Innocentio IV. ditata, pridie Idus Auguſti animam Deo reddidit.* An iſta Indulgentia ad piacularem Papalem Benedictionem pertineat, de qua in præſenti agimus, non auſim definire.

III. Illud profecto certum eſt, Sæculo XVI. multum invaluiſſe eum ritum, ut varia exempla nos docent, præſertim illud S. Ignatii Lojolæ Societatis Jeſu Inſtitutoris, qui obiit anno MDLVI. de quo ita ſcribit Petrus Ribadeneira ejuſdem Societatis Sacerdos in illius Vita Lib. IV. Capite XVI. *Ignatius, cum nihil ineſſe periculi ſuſpicarentur Medici, 3. Kalen. Auguſti, hora a meridie tertia, Joanni Polanco, quo in omni genere Litterarum, vel negotiorum, novem annos fuerat uſus, ad ſe vocato, ſolus ſoli, inſtare ex hac vita uit ſuæ migrationis diem. Ei mandat, uti Pontificem Maximum conveniat* (erat is Paulus IV.) *Benedictionem ab ipſo, & peccatorum Indulgentiam petat, qua confirmatior ex hac vita, lætiorque diſcedat. Se, ſi, ut ſperat, Domini miſericordia, in Montem Sanctum ejus venerit, non commiſſurum, ut eam curam Deum pro Pontifice deprecandi intermittat, quam in carne poſitus, & de ſe ipſo ſollicitus, diligenter, ſancteque coluerit. Benedictionem ſuam libentiſſime impertitus eſt Pontifex, cum magna amoris, ac doloris ſignificatione.* Subdit mox, qui ad Papam pridie fuerat deſtinatus, & Benedictionem obtinuerat, quod nihil metueret de proximo Ignatii obitu, re in ſequentem diem dilata, tempori non occurriſſe: *Sed quod neque morbus gravis videbatur, neque ullum acciti Medici nunciabant vitæ periculum, ipſe autem Pater de ſua conſuetudine nihil immutaverat, & familiariter de negotio quodam conficiendo ea ipſa nocte cum noſtris egerat, quamquam Ignatii verba ipſos habebant ſollicitos, ut conſultius tamen aliquid facerent, poſterum diem Patres expectare conſtituunt, qui, ubi illuxit, ſuaviſſime illum animam agentem offendunt, accurrunt, juſculum porrigunt; negat, ſumendi tempus eſſe, & manibus junctis, oculis in Cælum defixis, Jeſu corde, Jeſu ore implorans, placido vultu ſanctiſſime migravit ad Dominum pridie Kalendas Auguſti* 1556. *hora poſt ſolis ortum prima.* Omiſſis aliis exemplis, conſueviſſe Summos Pontifices Sæculo ipſo XVI. eam Benedictionem Epiſcopis concedere, docet S. Carolus in Concilio Provinciali VI. quod nos deſcripſimus ſupra, Cap. V. in Commentario ad §. II.

IV. Sed ſupervacaneum eſt, ad probandum hunc ritum, alia exempla, ac teſtimonia exquirere, cum ſatis ſit, Apoſtolicas hoc loco Literas BENEDICTI Papæ XIV. ſeu ejus Conſtitutionem XXXIV. referre, quæ incipit, *Pia Mater Catholica Eccleſia*, data die V. Aprilis anno Chriſti MDCCXLVII. Pontificatus ſui VII. legiturque Tomo II. ejus Bullarii. In ea ſiquidem Conſtitutione ampliatur Epiſcopis facultas impertiendi Benedictionem cum Indulgentia plenaria Fidelibus in mortis articulo conſtitutis, etiam per alios tam in Civitatibus, quam in Diœceſibus ab ipſis ſubdelegatos. Atque ex hac Conſtitutione deſumtus eſt novus Ritus peculiari præſenti Capite in novo Romano Rituali Romæ impreſſo typis Generoſi Salomoni anno MDCCLII. præſcriptus. Ceterum jam longe ante haſce BENEDICTI XIV. Apoſtolicas Litteras, nonnulli Regulares hanc facultatem a Romanis Pontificibus Maximis obtinuerant, ut in articulo mortis Ordinis ſui alumnos a culpa, atque a pœna poſſent abſolvere, uti, aliis omiſſis, videre eſt in Breviario Benedictino Congregationis Caſſinenſis, ad cujus finem legitur *Forma abſolutionis a pœna, & a culpa in articulo mortis dandæ Monachis, & Monialibus Ordinis S. Benedicti utentibus habitu nigro auctoritate Privilegiorum &c. deprompta ex Compendio, & Summario Privilegiorum Monaſtici Ordinis, quod aſſervatur in Archivio Sacri Monaſterii Cavenſis SS. Trinitatis.*

§. I.

Benedictio in articulo mortis cum ſoleat impertiri poſt Sacramentum Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & Extremæ Unctionis illis infirmis, qui vel illam petierint, dum vel ſana men-

mente, & integris ſenſibus erant, ſeu veriſimiliter petiiſſent, vel dederint ſigna contritionis, impertienda iiſdem eſt, etiamſi poſtea linguæ, cæterorumque ſenſuum uſu ſint deſtituti, aut in delirium, vel amentiam inciderint; excommunicatis vero, impœnitentibus, & qui in manifeſto peccato mortali moriuntur, eſt omnino deneganda.

COMMENTARIUS.

I. HUc plane ſpectant, quæ Capite I. hujus Tituli, *De Sacramento Extremæ Unctionis*, ſtatutum ſuperius fuit in §. VI. & §. VIII. quorum primus ſic inquit: *Infirmis autem, qui dum ſana mente, & integris ſenſibus eſſent, illud petierint, ſeu veriſimiliter petiiſſent, ſeu dederint ſigna contritionis, etiamſi deinde loquelam amiſerint, vel amentes effecti ſint, vel delirent, aut non ſentiant, nihilominus præbeatur*. Alter vero ita habet: *Impœnitentibus, & qui in manifeſto peccato moriuntur, & excommunicatis, & nondum baptizatis penitus denegetur*. Qui ergo capaces ſunt Sacramentorum Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & Extremæ Unctionis, capaces itidem cenſeri debent Apoſtolicæ Benedictionis in articulo mortis excipiendæ, excluſis ab ea omnino iis, quibus prædicta Sacramenta negantur.

§. II.

Habens prædictam facultatem, ingrediendo cubiculum, ubi jacet infirmus, dicat: *Pax huic domui &c.* ac deinde ægrotum, cubiculum, & circumſtantes aſpergat Aqua benedicta, dicendo Antiphonam, *Aſperges &c.*

COMMENTARIUS.

I. VIx antiquum Rituale invenitur, in quo non hic præſcriptus ſit ritus, ut accedens nempe Sacerdos ad infirmum, ubi in ejus cubiculum intravit, dicat primum, *Pax huic domui*, ac deinde ægrotum, cubiculum, & circumſtantes aſpergat Aqua benedicta, cum Antiphona, *Aſperges me &c.* Id quidem jam ſupra nos variis locis oſtendimus, allatis veterum Ritualium, atque Conciliorum teſtimoniis, præſertim vero Namnetenſis Concilii, cujus Canon IV. qui inſcriptus eſt, *De viſitandis infirmis a Presbytero*, ſic habet: *Cum Sacerdos audierit, aliquem infirmari in ſua plebe, quam citius ad eum pergat, & ingreſſus cubiculum, Aquam benedictam ſuper eum, & per omne cubiculum aſpergat cum Antiphona*, Aſperges me Domine, *& Verſu*, Exurgat Deus; *deinde dicat orationem &c.* Neque vero mirum videri debet, quod Ritualia paſſim, Synodique permultæ in præſcribendo eo ritu conveniant, quia præſcriptus primitus fuit a Chriſto Domino in Evangelio Lucæ, Cap. X. ubi mittens Diſcipulos ſuos in omnem Civitatem, & locum, quo erat ipſe venturus, ita inter alia eoſdem admonuit: *In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui*. Ceterum licet hic noſter §. nihil dicat de habitu, quo indutus eſſe debet Sacerdos, cum Benedictionem Pontificiam in articulo mortis ægrotanti eſt largiturus, non addubito, quin, ubi ſuppetat tempus, indutus eſſe debeat Superpelliceo, & Stola violacea, quali in adminiſtrando Sacramento Pœnitentiæ utimur, cui quidem rite recteque Benedictio ipſa, de qua nos loquimur, adjungitur, ut ex ſequenti §. addiſcere licet.

§. III.

Quod ſi ægrotus voluerit confiteri, audiat illum, & abſolvat; ſi Confeſſionem non petat, excitet illum ad eliciendum actum contritionis; de hujus Benedictionis efficacia, ac virtute, ſi tempus ferat, breviter admoneat, tum inſtruat, atque hortetur, ut morbi incommoda, ac dolores in anteactæ vitæ expiationem libenter perferat, Deoque ſe ſe paratum offerat ad ultro acceptandum quidquid ei placuerit, & mortem ipſam patienter obeundam in ſatisfactionem pœnarum, quas peccando promeruit.

COMMENTARIUS.

I. MAndat hic primum noſter §. ut, *ſi ægrotus*, excepturus ſcilicet Papalem Benedictionem cum plenaria in Articulo mortis Indulgentia, *voluerit confiteri, audiat illum*, Sacerdos ſcilicet in Confeſſionibus audiendis approbatus, & juriſdictionem in eum habens ordinariam, vel delegatam, *& abſolvat*. Confeſſionem Sacramentalem neceſſariam eſſe eorum reſpectu, qui jacent in peccato mortali, recte docent Theologi inſignes; neque enim ordinarie abſque hujuſmodi Confeſſione peccator gratiæ ſtatum conſequitur, ſine quo Indulgentiarum fructus percipi non poteſt. Sed neque eſt dubium, quin etiam juſtorum reſpectu requiratur Confeſſio Sacramentalis, cum a Summo Pontifice injungitur tanquam pars operis, ſub cujus conditione Indulgentia conceditur. Conſtat vero & illud, eam Confeſſionem non eſſe juſtis neceſſariam, cum præſcribitur tanquam mera diſpoſitio, ſeu medium ad ſtatum gratiæ conſequendum.

Quan-

Quando autem requiratur, aut tanquam pars injuncti operis, aut tanquam ad juſtificationem diſpoſitio, dubium eſt quidem inter Theologos, uti advertit Jueninus, *De Sacramentis*, Diſſertatione XII. Quæſtione VI. Capite I. Concluſione II. Cenſet Sylvius, requiri tamquam partem operis injuncti, quando iis tantum Indulgentia conceditur, qui Confeſſionem præmiſerint; cum vero contritis, & confeſſis, ut paſſim fit, conceditur, docet idem Auctor, probabilius eſſe, quod per modum meræ diſpoſitionis requiratur. Cæterum movetur & a nonnullis quæſtio, an impiorum reſpectu Confeſſio generalis neceſſaria ſit, dubiumque nititur ea Bullarum Papalium formula, qua dicitur, concedi Indulgentiam omnium peccatorum, de quibus pœnitens fuerit contritus. Verum eo etiam in caſu, in ejuſdem Sylvii, ac aliorum Theologorum ſententia, generalis Confeſſio non requiritur; nec enim ea formula aſſeritur, quod pœnitens de novo debeat eſſe contritus de omnibus peccatis præteritis, & quod ea rurſus confiteri teneatur.

II. Sed omiſſis hiſce, aliiſque id genus quæſtionibus, notandum quod ait noſter §. *Si Confeſſionem*, inquit, *non petat, excitet illum ad eliciendum actum contritionis*. Exigi enim ſtatum gratiæ in eo, qui cupit fructum ex Indulgentiis capere, communiter docent Theologi in IV. Sententiarum, Diſtinctione XX. Et ratio eſt apertiſſima, quam inter alios tradit Bellarminus, Lib. I. *De Indulgentiis*, Cap. XIII. quoniam Indulgentia, cum remittat reatum pœnæ temporalis relictum poſt remiſſionem culpæ, ſine dubio requirit, ut culpa ſit jam remiſſa, ac per hoc translatus ſit homo per infuſionem gratiæ, & charitatis de ſtatu peccati in ſtatum Filiorum Dei. Præterea nulla ratio patitur, ut pœna ei remittatur, qui adhuc hæret in culpa, vel debitum illi condonetur nomine Dei, qui adhuc eſt averſus a Deo & hoſtis, ac inimicus. Denique nomen ipſum Indulgentiæ, ut itidem Theologi obſervant, ſonat paternam facilitatem in filios, quæ non debet eſſe communis cum ſervis, maxime fugitivis, quales ſunt omnes, qui, Deo deſerto, diabolum ſequuntur, ac peccatis, quæ ſummopere odit Deus, inhærent. Atque his adde, Diplomata ipſa Papalia, quibus Indulgentiæ conceduntur, mentionem paſſim facere contritionis, tanquam conditionis, quæ abſolute neceſſaria ſit, ut quis earum fructum conſequatur. Quamobrem recte in hoc noſtro §. ſtatutum eſt, ut ſi ægrotus *Confeſſionem non petat, excitet illum*, Parochus, Sacerdoſve, *ad eliciendum actum contritionis*.

III. Pergit noſter §. aitque, ut Sacerdos ipſe Benedictionem Papalem cum plenaria Indulgentia in articulo mortis daturus ægroto, eumdem *de hujus Benedictionis efficacia, ac virtute, ſi tempus ferat, breviter admoneat, tum inſtruat, atque hortetur, ut morbi incommoda, ac dolores in anteactæ vitæ expiationem libenter perferat, Deoque ſe ſe paratum offerat ad ultro acceptandum quidquid ei placuerit, & mortem ipſam patienter obeundam in ſatisfactionem pœnarum, quas peccando promeruit*. Atque hæc eſt cauſa juſta, ob quam abſque ullo opere injuncto recte datur Benedictio cum plenaria Indulgentia ægrotanti in articulo mortis conſtituto, uti inter alios docent laudatus Bellarminus citato Libro I. *De indulgentiis* Cap. XII. num. 4. circa medium, & Eſtius in Libri IV. Sententiarum Diſtinctionem vigeſimam §. IX. ubi etiam S. Cypriani locum deſcribit ex ejus Epiſtola XIII. ad Clerum data, in qua credere quidem ſe ait, ut, *qui Libellum a Martyribus acceperunt, & auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis ſuis poſſunt, ſi premi infirmitate aliqua, & periculo cœperint, exomologeſi facta, & manu eis a vobis in pœnitentiam impoſita, tum a Martyribus ſibi promiſſa ad Dominum remittuntur*. Eadem fere verba legere eſt in Epiſtola ſequenti XIV. ad Presbyteros, & Diaconos Romæ conſiſtentes. Vocantur autem a Cypriano in his locis Martyres, qui in carceribus incluſi, & jam aliquid paſſi fuerant ob confeſſionem Fidei, & conſummationem Martyrii expectabant. Ad petitionem vero Martyrum dabantur & olim Indulgentiæ ſine aliquo opere injuncto, quia judicabat Eccleſia, ſatis magnam cauſam eſſe petitionem Martyrum, ut videlicet homines ad Martyrium accenderentur, cum viderent, tanti fieri Martyrum preces.

IV. Sed hæc antiquam Eccleſiæ diſciplinam ſpectant; ad hodiernam enim quod attinet, jam dixi ſuperius, probaturque ex præſenti noſtro §. cauſam eſſe omnino juſtam concedendæ Pontificiæ Benedictionis cum Indulgentia plenaria morituro, quem non addubito eam conſequuturum, præſertim qui morbi incommoda, ac dolores in anteactæ vitæ expiationem libenter pertulerit, Deoque ſe ſe paratum obtulerit ad ultro acceptandum quidquid ei placuerit, & mortem ipſam patienter obeundam in ſatisfactionem pœnarum, quas peccando promeruit; uti noſtrum hoc Rituale Romanum ſolidæ, probatæque antiquorum Patrum, atque inſignium Theologorum doctrinæ inhærens, & in præſenti §. & aliis locis admonet.

§. IV.

Tum piis ipſum verbis conſoletur, in ſpem erigens fore, ut ex Divinæ munificentiæ largitate eam pœnarum remiſſionem, & vitam ſit conſecuturus æternam.

COMMENTARIUS.

I. Quod ex Divinæ munificentiæ largitate, ſive ex gratia Dei ſperanda ſit vita æterna, manifeſte teſtatur Apoſtolorum Princeps Cap. XV. Actuum Apoſtolorum, ubi ſic inquit: *Per gratiam Domini Jeſu Chriſti credimus ſalvari.* Et S. Paulus in Epiſtola ad Romanos, Cap. VI. *Gratia Dei vita æterna.* Et alibi paſſim gratuitam ſalutem Apoſtolicæ Litteræ inculcant. Atque adeo totum beneficium Incarnationis Chriſti, ejuſque Paſſionis certum eſt Divinæ erga nos charitatis, & gratuitæ libertatis, qua ad ſalutem, & vitam æternam provehere nos voluit, argumentum. Huic itaque doctrinæ, quam Theologi ex Divinæ Scripturæ Libris, ex Conciliis, ex Patribus propugnant, inhærens noſter §. recte ait, in ſpem erigendum morientem,

fore,

fore, *ut ex Divinæ munificentiæ largitate eam pœnarum remiſſionem, & vitam ſit conſecuturus æternam*. Cæterum quod eadem ſimul ex meritis expectanda ſit, docent in primis omnia Scripturæ loca, quæ teſtantur, Deum redditurum unicuique ſecundum opera ſua; docent & ea, quæ Regnum Cœlorum mercedem vocant juſtitiæ, ac bonitatis operum; itemque illa quæcunque remunerationem, ſeu retributionem æternæ vitæ agnoſcunt; hæc enim vitam æternam ſignificant eſſe præmium, & ut Apoſtolus vocat, & ſanctorum laborum hujus vitæ; quæ omnia ſine meriti ratione non conſiſtunt, ut quæ reſpectu meriti relationem inducant.

II. Jam vero ut intelligamus, quomodo illa duo non repugnent, ut ſpes ſcilicet conſequendæ æternæ vitæ ex Gratia ſimul & meritis eſſe dicatur, ſciendum eſt, quod docent Theologi, omnem nempe meriti noſtri originem eſſe ex Gratia Dei per Chriſtum. Qui enim merita noſtra bona in Adam perdidimus, eadem in Chriſto, & per Chriſtum reparata fateri debemus, dicente Apoſtolo in Epiſtola ad Epheſios Cap. II. *Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in iis ambulemus*. Hinc enim facile eſt tollere apparentem repugnantiam inter gratiam, & merita. Non enim merita noſtra, ex quibus, & pro quibus æternam vitam ſperare jubemur, ſtatuuntur tanquam noſtra, ideſt propriis viribus comparata, ſed tanquam ex Dei Gratia per Chriſtum nobis collata. Quare, dum omne meritum noſtrum Gratiæ Dei adſcribimus, id, quod ex meritis expectamus, conſequenter etiam ex Dei Gratia, quæ fons eſt omnis meriti, nos expectare fatemur; unde vita æterna ſimul & Gratia eſt, & merces, Gratia peccatori, & Adæ filio, quales omnes huic ſæculo naſcimur; merces bene operanti, quales in Chriſto renati per ejus Gratiam efficimur. Atque huc faciunt varia Sancti Auguſtini loca, quæ deſcripſit inter alios Eſtius in Libri III. Sententiarum Diſtinctionem XXVI. §. V. Porro autem quod in hoc noſtro §. nulla fiat meritorum mentio, ſed ſolius Divinæ munificentiæ, a qua expectanda ſit vita æterna, hinc ideo factum puto, ut intelligamus, quod alias pluribus locis expreſſe docet idem Auguſtinus præſertim in Libro, *De Gratia, & libero arbitrio*, Cap. VIII. *& ipſa bona opera noſtra, quibus æterna redditur vita, ad Dei Gratiam pertinere*.

§. V.

Poſtea dicat: ℣. *Adjutorium noſtrum in Nomine Domini*. ℟. *Qui fecit Cælum, & terram*. Antiphona: *Ne reminiſcaris, Domine, delicta famuli tui* (vel *ancillæ tuæ*) *neque vindictam ſumas de peccatis ejus*. *Kyrie eleiſon*, *Chriſte eleiſon*, *Kyrie eleiſon*. *Pater noſter &c.* ℣. *Et ne nos inducas in tentationem*. ℟. *Sed libera nos a malo*. ℣. *Salvum fac ſervum tuum*, (vel *ancillam tuam*) & ſic deinceps. ℟. *Deus meus ſperantem in te*. ℣. *Domine exaudi orationem meam*. ℟. *Et clamor meus ad te veniat*. ℣. *Dominus vobiſcum*. ℟. *Et cum ſpiritu tuo*. *Oremus*.

Clementiſſime Deus, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui neminem vis perire in te credentem, atque ſperantem, ſecundum multitudinem miſerationum tuarum, reſpice propitius famulum tuum N. quem tibi vera Fides, & ſpes Chriſtiana commendant. Viſita eum in ſalutari tuo, & per Unigeniti tui Paſſionem, & Mortem, omnium ei delictorum ſuorum remiſſionem, & veniam clementer indulge, ut ejus anima in hora exitus ſui, te Judicem propitiatum inveniat, & in Sanguine ejuſdem Filii tui, ab omni macula abluta, tranſire ad vitam mereatur perpetuam. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum.

§. VI.

Tum dicto ab uno ex Clericis adſtantibus, *Confiteor &c.* Sacerdos dicat, *Miſereatur &c.* Deinde: *Dominus noſter Jeſus Chriſtus Filius Dei vivi, qui B. Petro Apoſtolo ſuo dedit poteſtatem ligandi, atque ſolvendi, per ſuam piiſſimam miſericordiam recipiat Confeſſionem tuam, & reſtituat tibi Stolam primam, quam in Baptiſmate recepiſti; & ego facultate mihi ab Apoſtolica Sede tributa, Indulgentiam plenariam, & remiſſionem omnium peccatorum tibi concedo. In Nomine Patris &c.*

Per ſacroſancta humanæ reparationis myſteria, remittat tibi Omnipotens Deus omnes præſentis, & futuræ vitæ pœnas, Paradiſi portas aperiat, & ad gaudia ſempiterna perducat. Amen. Benedicat te Omnipotens Deus, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Amen.

COMMENTARIUS.

I. Quum nulla præſcripta haberetur generalis formula impertiendæ Pontificiæ Benedictionis in articulo mortis, ordinavit hanc quidem in duobus hiſce Paragraphis expreſſam BENEDICTUS Papa XIV. uti videre eſt in ejus Conſtitutione, data die V. Aprilis anni MDCCXLVII. quæ incipit, *Pia Mater Catholica Eccleſia*, & de qua nos mentionem initio Capitis hujus fecimus. Præmittuntur nonnullæ preces, quæ ex antiquo Eccleſiæ ritu, uti ex priſcis Ritualibus conſtat, a Sacerdote viſitante infirmos adhiberi ſolent. Sequitur Oratio, qua infirmus Deo commendatur, ut per Unigeniti ſui Paſſionem, & Mortem, omnium delictorum remiſ-

miſſionem, & veniam ei clementer indulgeat, ut ejus anima in hora exitus ſui Judicem ipſum propitiatum inveniat, & in Sanguine ejuſdem Filii ſui ab omni macula abluta, tranſire ad vitam mereatur perpetuam. Niti potiſſimum Indulgentias virtute meritorum Paſſionis Chriſti, definiit jam Clemens Papa VI. in ſua extravagante Conſtitutioue, quæ incipit, *Unigenitus*, ubi diſerte ait, Chriſtum ſuperabundanti Paſſione ſua infinitum Theſaurum Eccleſiæ Militanti reliquiſſe. Quem quidem Theſaurum, ut idem Pontifex ſubdit, non in Sudario repoſitum, non in agro abſcouditum, ſed per Beatum Petrum Cæli Clavigerum, ejuſque Succeſſores, Chriſti in Terris Vicarios commiſit Fidelihus diſpenſandum. Et infra: *Ad cujus quidem Theſauri cumulum B. Dei Genitricis, & omnium Electorum a primo Juſto uſque ad ultimum merita adminiculum præſtare noſcuntur.*

II. Ex quibus, & aliis ejuſdem Pontificis verbis plane intelligitur, quod & notavit Eſtius in IV. Senteutiarum, Diſtinctione XX. §. IV. hunc meritorum, & paſſionum Theſaurum præcipue fundari, & conſiſtere in infinita, & inexhauſta magnitudine meritorum, & Paſſionum Chriſti. Hac enim ratione propriiſſime infinitus, & inconſumptibilis hic Theſaurus vocatur. Deinde in communioue Sanctorum, quam in Symbolo confitemur, qua fit, ut in Eccleſia Dei, & aliorum merita, & paſſiones aliis tanquam ejuſdem Corporis membris applicari, & prodeſſe poſſint; ut ſic juxta Apoſtolum in Epiſtola II. ad Corinthios, Capite VII. aliorum abundantia aliorum inopiæ ſit ſupplementum. Hortatur enim eo loco Apoſtolus Corinthios, terrenis opibus abundantes ad conferendam liberaliter eleemoſyuam in Sanctos quoſdam, ſecundum ſæculum quidem inopes, ſed apud Deum divites; viciſſim promittens futurum, ut horum ſpiritualis abundantia ſuppleat illorum inopiam, ut quibus ad propitiandum Deum propria minus ſufficiunt, ad id alienorum operum communioue juveutur.

III. Perperam vero recitata ſuperius Clementis Papæ VI. verba ſuggillant hæretici, quod in ſua extravaganti dixerit, omnium Sanctorum merita præſtare adminiculum Theſauro meritorum Chriſti; quaſi videlicet Sanguis Chriſti, vel per ſe non ſufficeret, vel aliquando defecturus eſſet, ac vim ſuam amiſſurus, niſi juvaretur admixtione ſanguinis Martyrum. At vero falli, ac fallere hæreticos, certum eſt. Non enim dicit Pontifex, ut idem Eſtius obſervat citato loco, §. V. in fine, merita Sanctorum præſtare adminiculum ad cumulum Theſauri meritorum Chriſti, quia videlicet cumulus ille quadam acceſſione meritorum efficitur major extenſive quoad numerum meritorum, licet non quoad virtutem, quam ex meritis Chriſti habet infinitam. Deiude nnn magis abſurdum eſt, dicere quod Theſauro meritorum præſtaut adminiculum merita Sanctorum, quam quod ait S. Paulus in Epiſtola I. ad Coriuthios, Cap. III. *Dei adjutores ſumus*. Intelligitur enim adjutorium, & adminiculum hujuſmodi præſtari propter cooperatiouem quamdam, non propter infirmitatis, aut inſufficientiæ ſupplementum. Nam quod idem Pontifex nihil derogatum velit infinitæ virtuti Sanguinis, & meritorum Chriſti, ex eadem extravagante liquet apertiſſime. Dicit ibi enim, quod vel modica Sanguinis Chriſti gutta ſuffeciſſet pro redemptione generis humani, vocatque Theſaurum hunc meritorum Chriſti infinitum, & inconſumptibilem, etiamſi merita aliorum Sanctorum nulla accedant. Sed hoc Divinæ bouitatis, ac dignationis fuit, ut etiam redemptis ſuis merendi, & redimendi quamdam tribueret participationem.

IV. Sed longum eſſet, & a noſtro inſtituto alienum, velle hoc loco confutare hæreticos, qui adverſus Iudulgentias impie pariter, & indocte ſcripſere. Videri inter alios Bellarminus poteſt, in ſuis, *De Indulgentiis*, Libris. His itaque omiſſis, quod Indulgentiarum dogma, atque conceſſio nitatur præſertim illo Chriſti Domini Oraculo apud Matthæum Cap. XVI. ſic ad Petrum loquentis: *Tibi dabo claves Regni Cælorum: Et quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis; & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis*; merito formula ipſa conceſſionis Indulgentiæ ex laudata Conſtitutione Benedicti XIV. in noſtro §. VI. expreſſa, his verbis compoſita fuit: *Dominus noſter Jeſus Chriſtus Filius Dei vivi, qui Beato Petro Apoſtolo ſuo dedit poteſtatem ligandi, atque ſolvendi, per ſuam piiſſimam miſericordiam recipiat Confeſſionem tuam, & reſtituat tibi Stolam primam, quam in Baptiſmate recepiſti; & ego facultate mihi ab Apoſtolica Sede tributa, Indulgentiam plenariam, & remiſſionem omnium peccatorum concedo*. Recte ait: *facultate mibi ab Apoſtolica Sede tributa &c.* Solus enim Romanus Pontifex Maximus pro ſuæ in Eccleſiam plenitudine poteſtatis plenariam Indulgentiam coucedit, ut Theologi communiter docent.

V. Siquis autem hic quærat, an Papa, vel Epiſcopus ſibi ipſis conſerre Indulgentias poſſint, cum uemo poſſit in ſe ipſum juriſdictionem exercere, neque ligando, neque abſolvendo, ideoque nec ſe ipſum excommunicare quis valeat, nec ſacramentaliter ſe ipſum abſolvere; reſpondet Cardinalis Cajetanus in Tractatu XV. *De Indulgentiis*, Cap. V. conceditque, Prælatum, qui aliis Indulgentiam elargitur, eam ſibi non acquirere, quod ſcilicet dum alios abſolvit, ſeipſum non abſolvat. Quia tamen, inquit, non eſt deterioris conditionis, quam alii, per aliam viam conſequi poteſt Indulgentiæ beneficium; committendo nimirum ſuo Confeſſario, ut ſic ipſum abſolvat, ſicut ipſe abſolvit alios. Tenent & hanc Cajetani ſententiam inter alios Eſtius recitato loco, & Jueninus, *De Sacramentis*, Diſſertatione XIII. quæ eſt, *De Indulgentiis*, Quæſtione III. Capite II. Quæſito II. ubi etiam recte obſervant, Cajetaui ſententiam, præter rationem non contemnendam, praxi etiam niti, nam moriturus Summus Romanus Pontifex, non ipſe ſibi cnnſert plenariam Indnlgentiam, ſed data commiſſione eam ab alio accipit.

VI. His ita explicatis, notandum nunc illud potiſſimum eſt, in largienda Papali Benedictione cum Indulgentia plenaria in articulo mortis, adhibendam omnino eſſe formulam in laudata toties Benedicti XIV. Papæ Conſtitutione, ejuſque juſſu in novo hoc Romano Rituali præſcriptam; nec enim hahere locum amplius debent variæ illæ formulæ, quas varii Antiſtites, qui eam facultatem ab Apoſtolica Sede obtiuuerant impertiendæ Papalis Benedictionis in articulo mortis, concinnaverant, qualis eſt illa, quam, teſte Barruſaldo in Commentariis ad Rituale Romanum, Tit. XXX. §. II. num. 16. Cardinalis de Verme

Fer-

Ferrariæ Epiſcopus præſcripſerat hiſce verbis: *Auctoritate Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ ab Eminentiſſ. & Reverendiſſ. D. Cardinali N. mihi demandata, impertior tibi ✠ Benedictionem Pontificiam cum omnibus Indulgentiis ſolitis, & conſuetis. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen*. Alias id genus Benedictionis formulas ſupervacaneum eſt receoſere.

§. VII.

Si vero infirmus ſit adeo morti proximus, ut neque Confeſſionis generalis faciendæ, neque præmiſſarum precum recitandarum tempus ſuppetat, ſtatim Sacerdos Benedictionem ei impertiatur.

COMMENTARIUS.

I. Certa eſt regula illa, quam & Summi Pontifices, & Sacræ Syoodi, ac Rituales Codices tradiderunt, ut vel in Sacramentis conficiendis, adminiſtrandiſque, ſalva manente eorum formæ ſubſtantia, reliquæ preces formæ ipſi vel antiquo Eccleſiæ inſtituto adjunctæ, recte in caſu neceſſitatis omitti poſſint, ac debeant. Juxta hanc regulam opportune monet hic noſter §. ut, *ſi infirmus ſit adeo morti proximus, ut neque Confeſſionis generalis faciendæ, neque præmiſſarum precum recitandarum tempus ſuppetat, ſtatim Sacerdos Benedictionem ei impertiatur*; dicendo ſcilicet ſola illa verba ſupra in fine §. VI. præſcripta: *Benedicat te Omnipotens Deus, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Amen*.

§. VIII.

Deinde ſequentes preces, quanta poterit majori devotione, dicat, admoneatque domeſticos, & circumſtantes, ut ſimul orent pro moriente.

COMMENTARIUS.

I. Ante Rituale hoc oovum juſſu Benedicti Papæ XIV. editum, auctumque pertinuit hic quidem §. ad Caput V. quod inſcriptum eſt, *Modus juvandi morientes*, legebaturque in fine §. IV. ubi variæ preces, quas jaculatorias appellant, recenſentur, dicendæ ab infirmo eo modo, quo poteſt, ſaltem ex corde, & per ioterva lla. Porro cum io ſequeoti Capite VII. enarretur Ordo commendationis aoimæ, recte admonet hic noſter §. Parochum, Sacerdotemve morienti aſſiſteotem, ut *ſequentes preces quanta poterit majori devotione dicat, admoneatque domeſticos, & circumſtantes, ut ſimul orent pro moriente*. Monendos a Parocho domeſticos, ut pro ioſirmo orent, mandat quidem S. Carolus in Inſtructionibus, *De Sacramento Extremæ Unctionis*, Capite inſcripto, *Quæ Parochus aget poſt miniſtrationem*. Verum ſequenti Capite, ubi alia officia erga ioſirmum prope moriturnm recenſet, ita opportune ſubjicit: *Procul ſecedere jubebit conjugem, liberos, domeſticos, præſertim gementes, ac lugentes, eoſque item, quos in vita charos ille habuit*.

CAPUT VII.

Ordo commendationis animæ.

I. Magoi momenti, unde pendet æternitas, eſt exitus animarum de ſuis corporibus, & ideo unicumque Sacerdoti, oedum Parocho, datur facultas commendandi animas Deo in hora mortis, & in earundem animarum traoſitu, ut ſcite obſervat Gavantus io Breviarium Romaoum Sectiooe IX. Cap. V. Ut autem quilibet Sacerdos ad manum habere queat, quid morituro dicat, oeceſſitate præſertim urgeote, & Rituali, quod Parochorum eſt, deficiente, providentiſſime ad Romani Breviarii calcem additus eſt Ordo commendationis animæ, ſed longe brevior Ordine, qui & in antiquis Ritualibus, & in ooſtro hoc Romano præſcriptus eſt, ut cuique utrumque conferenti, ac legenti liquet.

§. I.

Parochus ad decedentis animæ commendationem accedens, Clericum ſaltem unum, ſi poteſt, ſecum habeat, qui deferat vaſculum Aquæ benedictæ, Superpelliceum, & Stolam violaceam, quibus ipſe Sacerdos ante infirmi cubiculum indutus, locum ingrediens dicat: *Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea*. Deinde aſpergat ægrotum, lectum, & circumſtantes Aqua benedicta, dicens: *Aſperges me, Domine, hyſſopo, & mundabor &c.*

COMMENTARIUS.

I. Quamvis commeodatioois animæ officium io hoc noſtro §. Parocho aſſignetur, quod nempe animarum cura ſuorum parochianorum ad ipſum præſertim pertineat, nihilominus cuique Sacerdoti datam eſſe hanc facultatem commendandi aoimas Deo in hora mortis, & in earum ex hac vita diſceſſu, jam ſupra adnotavimus io ipſam præſentis Capitis VII. Rubricam. Quod autem hunc §. ſpectat, mandat hic quidem, ut *Parochus ad decedentis ani-*

animæ commendationem accedens, Clericum unum, ſi poteſt, ſecum habeat, qui deſerat vaſculum Aquæ benedictæ, Superpelliceum, & Stolam violaceam &c. Quamvis enim commendatio animæ non ſit Sacramentum, decet tamen, ut eo habitu indutus ſit, quo Dei Miniſter in Sacramentalibus, quale eſt ipſa animæ commendatio, utatur; uti ad hunc §. notavit Barruſaldus num. 9. ubi etiam citans Gavantum, & antiquum Scriptorem Alcuinum, ait, hanc eſſe propriam Sacerdotis pro commendatione animæ veſtem, Superpelliceum, ac Stolam. Sed hic ritus vix hodie ſervatur, aſſiſtit enim Parochus, Sacerdoſve morienti, quotidiano Clericali habitu indutus, & abſque ullo prorſus Clerico, qui ei in animæ commendatione inſervit. Quod factum puto, ne terreatur moribundus rituum Eccleſiaſticorum ignarus, ſi videat ſibi aſſiſtentem Sacerdotem indutum Superpelliceo, ac Stola violacea. Sed hoc Parochorum ſocordiæ adſcribendum eſt, qui nunquam in Catechiſmis, quos ad ſuum populum habent, ullum de hujuſcemodi ritibus ſermonem inſtituunt, quorum notitia ſummæ eſſet Fidelibus utilitati. Quod eam formulam ſpectat a Sacerdote in ingreſſu ad morientis cubiculum, *Pax huic domui*, & adſperſionem Aquæ benedictæ faciendam ad ægrotum, lectumque ejus, ac circumſtantes, cum illis verbis, *Aſperges me &c.* jam alias dixi.

§. II.

Poſtea Salvatoris noſtri Crucifixi Imaginem ægroto oſculandam præbeat, verbis efficacibus eum ad ſpem æternæ ſalutis erigens, ipſamque Imaginem coram eo ponat, ut illam aſpiciens, ſalutis ſuæ ſpem ſumat.

COMMENTARIUS.

I. SÆpe & de hoc ritu dictum ſuperius fuit, quem hic præſcribit noſter §. ut nempe Sacerdos *Salvatoris noſtri Crucifixi Imaginem ægroto oſculandam præbeat, verbis efficacibus eum ad ſpem æternæ ſalutis erigens, ipſamque Imaginem coram eo ponat, ut illam aſpiciens, ſalutis ſuæ ſpem ſumat*. Chriſtianæ ſpei veram rationem, ac principalem cauſam, eſſe Chriſti Crucem, Sancti Patres paſſim docent, & inter alios non uno in loco S. Leo Magnus, Pontifex Maximus, præſertim vero in ſuo Sermone v. *De Paſſione Domini*.

§. III.

Deinde accenſa candela, genibus flexis, cum omnibus circumſtantibus breves Litanias devote recitet in hunc modum.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Sancta Maria, ora pro eo.
Omnes SS. Angeli, & Archangeli, orate pro eo.
Sancte Abel, ora.
Omnis chorus juſtorum, ora.
Sancte Abraham, ora.
Sancte Joannes Baptiſta, ora.
Sancte Joſeph, ora.
Omnes Sancti Patriarchæ, & Prophetæ, orate.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrea, ora.
Sancte Joannes, ora.
Omnes Sancti Apoſtoli, & Evangeliſtæ, orate.
Omnes Sancti Diſcipuli Domini, orate.
Omnes Sancti Innocentes, orate.
Sancte Stephane, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Omnes Sancti Martyres, orate.
Sancte Silveſter, ora.
Sancte Gregori, ora.
Sancte Auguſtine, ora.
Omnes Sancti Pontifices, & Confeſſores, orate.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Franciſce, ora.
Omnes Sancti Monachi, & Eremitæ, orate.
Sancta Maria Magdalena, ora.
Sancta Lucia, ora.
Omnes Sanctæ Virgines, & Viduæ, orate.
Omnes Sancti, & Sanctæ Dei, Intercedite pro ea.
Propitius eſto, Parce ei Domine.
Propitius eſto, Libera eum Domine.
Propitius eſto, libera.
Ab ira tua. libera.
A periculo mortis, libera.
A mala morte, libera.
A pœnis inferni, libera.
Ab omni malo, libera.
A poteſtate diaboli, libera.
Per Nativitatem tuam, Libera eum Domine.
Per Crucem, & Paſſionem tuam, libera.
Per Mortem, & Sepulturam tuam, libera.
Per glorioſam Reſurrectionem tuam, libera.
Per admirabilem Aſcenſionem tuam, libera.
Per gratiam Spiritus Sancti Paracliti, libera.
In die judicii, libera.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut ei parcas, te rogamus.
Kyrie eleiſon.
Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.

COMMENTARIUS.

I. CEream candelam in commendatione animæ accendi, & a moriente, ſi poteſt, teneri, dum Sacerdos cum circumſtantibus, flexis genibus, breviores Litanias recitat in hoc §. noſtro præſcriptas, præſcriptum in variis Ritualibus legi, ac ſervatum vidi multis

tis in locis. Tradit Barrufaldus in ſuo ad hunc §. Commentario, num. 11. ſi non adſit hæc candela in domo infirmi morientis, omnem curam eſſe adhibendam a Sacerdote, ut de ea provideatur, nec magni diſpendii eſſe inquit, *ſi ipſe Parochus eam ſecum deferret, quando deeſſe præviderit*. Eſt quidem antiquiſſimus Eccleſiæ ritus, quem omittere nullatenus decet, ejuſque mentio fit in Teſtamento S. Ephrem Syri, qui obiit anno Chriſti CCCLXXVIII. Cap. III. num. II. ubi ritum ipſum jam olim uſitatum, accendendi ſibi morienti, præ humilitate adhiberi vetuit, uti notat Gerardus Voſſius apud Bollandianos die 1. Februarii ad ejus Vitam.

II. Omiſſis aliis exemplis, quibus Voſſius ipſe, & alii eruditi Scriptores oſtendunt ex variis Patribus, cereorum uſum non modo in funeribus defunctorum, verum etiam in exitu morientium adhiberi antiquitus conſueviſſe, celebre eſt illud, quod legitur de S. Ferdinando Rege Caſtellæ, & Legionis, in ejuſdem Chronico, num. 148. apud eoſdem Bollandianos, die xxx. Maji. Ex eo enim addiſcimus, non modo cereum, verum etiam eum benedictum teneri conſueviſſe manibus morientis, dum Litaniæ pro eo recitarentur: *Cumque jam adveniſſet hora, qua Rex Sanctus animam eſſet redditurus Creatori ſuo, conſpexit Sanctorum ſe expectantium ſocietatem; multumque eo viſu recreatus, dedit gratias Deo, petiitque cereum benedictum, in manibus ritu Chriſtiano tenendum. Prius tamen quam eum apprehenderet, elevatis in Cælum oculis dixit*: Domine, dediſti mihi Regnum, quod non habebam, & majorem honorem, atque potentiam, quam merebar; dediſti mihi quantum fuit voluntatis tuæ, & pro his omnibus gratias tibi reddo, & reſigno in manus tuas Regnum, quantis potui incrementis auctum, animam quoque meam tibi offero. *Tum veniam ab omnibus circumſtantibus petiit, ignoſci poſtulans, ſiquam alicui dediſſet querendi de ſe cauſam, & illi viciſſim lacrymantes orabant, ut ſibi culpas ſuas condonaret. Mox candelam accipit, & eam ambabus manibus in ſublime efferens,* Domine, *inquit*, Jeſu Chriſte Redemptor mi, nudus egreſſus ſum de ventre matris meæ, & nudus revertar in terram. Suſcipe, Domine, animam meam, & per merita ſanctiſſimæ Paſſionis tuæ, placeat eam collocare inter ſervos tuos. *Deinde manus cum candela demiſit, & tamquam fidelis Chriſtianus Deum Patrem adoravit, juſſitque, ut Clerus totus recitaret Litanias, elataque voce*, Te Deum laudamus, *decantaret. Denique inclinato capite, & oculis clauſis, animam Deo reddidit*; die ſcilicet xxx. Maji anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſecundo, ut in citato Chronico apud Bollandianos legitur.

III. Præter ſuperius notata, ex recitato hactenus loco addiſcimus quoque & hunc alium ritum, canendi ſcilicet morienti Hymnum, *Te Deum laudamus*. Quod quidem optime factum eſt cum iis, qui in Domino moriuntur, ob egregias rationes a S. Cypriano in aureo Libro, *De mortalitate*, explicatas, ubi ſic inter alia inquit: *Quantum proſit exire de ſæculo, Chriſtus ipſe ſalutis, atque utilitatis noſter Magiſter oſtendit, qui, cum Diſcipuli ejus contriſtarentur, quod ſe jam diceret receſſurum, locutus eſt ad eos, dicens,* Joannis XIV.) Si me dilexiſſetis, gauderetis utique, quonium vado ad Patrem; *docens ſcilicet, & oſtendens, cum chari, quos diligimus, de ſæculo exeunt, gaudendum potius, quam dolendum. Cujus rei memor Beatus Apoſtolus Paulus in Epiſtola ſua*, ad Philippenſes ſcilicet, Capite 1. *ponit, & dicit*: Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum; *lucrum maximum computans jam ſæculi laqueis non teneri, jam nullis peccatis, & vitiis carnis obnoxium fieri, exemptum preſſuris angentibus, & venenatis diaboli faucibus liberatum, ad lætitiam ſalutis æternæ, Chriſto vocante, proficiſci*. Similia his, ac longe plura cæteri Eccleſiæ Patres docent; & quod mirum, vel ipſi Gentiles hoc in uſu aliquando habuerunt, ut puerum in lucem editum cognati, affineſque plangerent, ob pericula vitæque incommoda, quibus factus erat obnoxius; exultarent vero in funere, quod defuncto jam omnibus incommodis, atque infortuniis, quæ vita fert, ex hac luce, & imminentibus malis, atque omni ſævitia fortunæ tandem excedere datum eſſet. Quod quidem pluribus tradit noſter Alexander ab Alexandro, & cum eo Tiraquellus, Lib. II. *Dierum generalium*, Capite xxv.

IV. At vero his obiter dictis, quod ritum ſpectat accendendi cereum morienti, adhiberi a multis ſolet cereus benedictus in die Purificationis Deiparæ, qui etiam ad hunc finem teneri ſolet a Chriſtianis permultis prope lectum appenſus, ut notat Barrufaldus citato loco num. 12. & ſeq. ubi etiam ſcite obſervat, quod ubi cereus ipſe benedictus deeſſet, benedici ad morientis uſum poſſet cereus alius peculiari illa benedictione candelarum, quæ ex præſcripto noſtri hujus Ritualis Romani, Tit. VIII. Cap. III. extra diem Purificationis Beatæ Mariæ Virginis fit. Porro uti etiam ſolent morientes ipſi candelis a Fratribus Dominicanis benedictis particulari orationis formula, quæ dicitur: *Benedictio Candelarum Societatis Sanctiſſimi Roſarii*, quæ in eorum Ritualibus, ac Breviariis legitur, & eſt hujuſmodi ℣. *Adjutorium noſtrum in Nomine Domini*. ℟. *Qui fecit Cælum, & terram*. ℣. *Dominus vobiſcum*. ℟. *Et cum Spiritu tuo. Oremus, Domine Jeſu Chriſte, lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum, effunde per intereeſſionem Virginis Mariæ Matris tuæ, & per quindecim ejus Roſarii myſteria Bene✠dictionem tuam ſuper hos cereos, & candelas, & ſanctifica eas lumine tuæ gratiæ, & concede propitius, ut ſicut hæc luminaria igne viſibili accenſa nocturnas depellunt tenebras, ita corda noſtra inviſibili igne, ac Spiritus ✠ Sancti ſplendore illuſtrata, omni vitiorum cæcitate careant, ut puro mentis oculo cernere poſſimus, quæ tibi ſunt placita, & noſtræ ſaluti utilia, quatenus poſt hujus ſæculi caliginoſa diſcrimina, ad lucem indeficientem pervenire mereamur. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen*. Mandat mox, ut Aqua benedicta aſpergantur.

V. Reſtat nunc, ut de Litaniis dicamus, brevibus ſcilicet, dicendis ex præſcripto noſtri §. pro moriente a Sacerdote cum omnibus circumſtantibus, genibus flexis. Eſſe hunc antiquum æque, ac communem ritum, teſtantur Libri omnes Rituales, & innumera pene exempla, quæ afferri poſſent. Certe ex Hariulpho in Chronico Centulenſi Lib. IV. Cap. XXXV. apud Dacherium Tomo IV. Spicilegii, de S. Gervini Abbatis obitu legitur, quod, *cum Fratres, Litania finita, & ini-*

& initiata commendatione fideli, illo usque venissent, ut dicerent, Suſcipiat te Chriſtus, *ille ad hæc verba ſpiritum efflavit*. Teſte Chryſoſtomo Henriquez in Vita S. Alberici Abbatis Ciſtercienſis num. 19. apud Bollandum die XXVI. Januarii, ipſe Abbas moriturus *Litanias perlegit; cumque ad illud perveniſſet*, Sancta Maria ora pro nobis, *facies ejus cœpit quaſi Divina, adinſtar ſolis, luce perfuſa inter micantes effundere radios, & mox velut in ſomnum leniter ſolutus animam efflavit*. Itaque morituri ipſi per ſe ipſos, vel una eum adſtantibus Litanias recitabant, canebantve, ut patet ex Sancto Stephano Abbate Obazinenſi, teſte Anonymo ejus Vitæ Auctore, Lib. III. n. 4. apud Baluzium Lib. IV. Miſcellaneorum: *Pulſata tabula*, inquit, *omnes undique convenerunt, & Litanias cum magno fletu agere coram eo cœperunt, quas ipſe quidem frequentius repeti faciebat, & cum eis moriens, prout poterat, decantabat*. His adde, quod legitur in Vita S. Gunegundis Imperatricis, num. 14. apud Bollandianos die III. Martii: *Sonabant Pſalmi, & totam domum, ubi ſanctum corpuſculam in medio ſuper illo ſua nobili cilicio compoſitum jacebat, in ſublime reſonans Litania pro exeunte anima quatiebat*. Recitari juſſiſſe ſibi morienti S. Ferdinandum Regem Caſtellæ, & Legionis, a toto Clero Litaniam, jam diximus ſupra ex antiquo Chronico. Juxta Lanfranci Statuta, Cap. XIV. ac Ritualium variorum præſcriptum, Litania ipſa protrahi, abbreviarive debet, *prout morientis exitus viſus fuerit admonere*.

VI. Illud vero in recitatis in noſtro §. Litaniis obſervandum eſt, breves illas eſſe, & non parum diverſas ab aliis Litaniis; in illis enim invocantur etiam aliqui Sancti Veteris Teſtamenti, expreſſo eorum nomine, nempe S. Abel, & Sanctus Abraham. Ex quo magis magiſque confirmatur, quod notavit Meratus in Notis ad Gavantum, Sectione IX. Cap. V. quod eſt, *De Ordine commendationis animæ*, hujuſmodi Sanctos perinde, ac alios Novi Teſtamenti, ab univerſali Eccleſia coli, & venerari, & non ſolum nominatim aliquos illorum in Litaniis commendationis animæ invocari, verum etiam plurimos ex illis in Martyrologio Romano recenſeri. Nonnullas item Eccleſias ſub eorum nomine ædificatas refert quidem Baronius ex probatis Auctoribus in ſuis ad Romanum Martyrologium Notis, nempe Jeremiæ a Conſtantino Magno ſuper ipſammet foveam, in quam hic Propheta detruſus fuit; Michææ ad ejus ſepulchrum, Eliæ a Baſilio Imperatore, Samueli a Juſtiniano, Machabæis Martyribus Antiochiæ, Viennæ Allobrogum, & Coloniæ Agrippinæ; Venetiis denique, ut alia loca omittam, Moyſi, Samueli, Jeremiæ, Job, & aliis. Porro brevibus Litaniis in §. noſtro deſcriptis recentiſſime inſertum fuit etiam nomen S. Joſephi poſt illud S. Joannis Baptiſtæ, juſſu BENEDICTI Papæ XIII. in Decreto Urbis, & Orbis dato Romæ die XIX. Decembris MDCCXXVI. uti videre eſt apud laudatum Meratum in Indice Decretorum num. 268. Invocatur autem in Litaniis S. Joſeph immediate poſt S. Joannem Baptiſtam, variaſque rationes ejus ritus legere eſt apud Proſperum Lambertinum, nunc BENEDICTUM Papam XIV. in ſuo eruditiſſimo Diſcurſu, ſuper hac re edito anno MDCCXXIII. cum Fidei Promotoris munus commendatiſſime obiret.

VII. Juxta varios Rituales Codices, variæ etiam ſunt Litaniæ cum variis Sanctis, finitiſque Sanctorum nominibus, variæ preces ſubjiciebantur, uti videre eſt in antiquis mſs. Conſuetudinibus Monaſterii Cluniacenſis apud Martene Lib. V. *De antiquis Monachorum Ritibus*, Cap. IX. n. 9. *Finitis vero Sanctorum nominibus, ſubinſertur*, inquiunt, *Propitius eſto, libera eum Domine. De gladio maligno, libera eum Domine. A morte perpetua, libera eum Domine. A pondere peccatorum, libera eum Domine. A tetra caligine, libera. Per Crucem tuam, libera eum Domine. Per interceſſionem omnium Sanctorum, libera. Peccatores, Te rogamus audi nos. Ut iracundiæ suæ flagella ab eo amoveas, Te rogamus. Ut ſpiritum ejus a loco anguſtiæ liberes, Te rogamus. Ut eum fiducia diem judicii expectet, Te rogamus. Ut eum in numero tibi placentium cenſeri facias, Te rogamus. Ut eum a numero malorum diſcerni facias, Te rogamus. Ut eum in regeneratione vivorum æternis gaudiis foveri jubeas, Te rogamus. Ut eum prima vitæ æternæ gaudia adipiſci facias, Te rogamus. Ut eum a mortifero vaſtatore defendere digneris, Te rogamus. Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce ei Domine. Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miſerere ei. Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona ei requiem. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon*. Atque hæc ſatis ſint de Litaniis morienti recitari ſolitis, & quidem antiquo, & vario ritu, juxta varias probatas tamen Eccleſiarum conſuetudines.

§. IV.

Deinde cum in agone ſui exitus anima anxiatur, dicantur ſequentes Orationes.

Oratio.

Proficiſcere anima Chriſtiana de hoc Mundo in Nomine Dei Patris Omnipotentis, qui te creavit; in Nomine Jeſu Chriſti Filii Dei vivi, qui pro te paſſus eſt; in Nomine Spiritus Sancti, qui in te effuſus eſt; in Nomine Angelorum, & Archangelorum; in Nomine Thronorum, & Dominationum; in Nomine Principatuum, & Poteſtatum; in Nomine Cherubim, & Seraphim; in Nomine Patriarcharum, & Prophetarum; in Nomine Sanctorum Apoſtolorum, & Evangeliſtarum; in Nomine Sanctorum Martyrum, & Confeſſorum; in Nomine Sanctorum Monachorum, & Eremitarum; in Nomine Sanctarum Virginum, & omnium Sanctorum, & Sanctarum Dei. Hodie ſit in pace locus tuus, & habitatio tua in ſancta Sion. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℞. Amen.

Oratio.

Deus miſericors, Deus clemens, Deus, qui ſecundum multitudinem miſerationum tuarum peccata pœnitentium deles, & præteritorum criminum culpas venia remiſſionis evacuas;

cuas: reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum N. & remiſſionem omnium peccatorum ſuorum tota cordis confeſſione poſcentem deprecatus exaudi. Renova in eo, piiſſime Pater, quidquid terrena fragilitate corruptum, vel quidquid diabolica fraude violatum eſt; & unitati Corporis Eccleſiæ membrum redemptionis annecte. Miſerere Domine gemituum, miſerere lacrymarum ejus; & non habentem fiduciam, niſi in tua miſericordia, ad tuæ ſacramentum reconciliationis admitte. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

Commendo te Omnipotenti Deo, chariſſime Frater, & ei, cujus es creatura, committo; ut cum humanitatis debitum, morte interveniente, perſolveris, ad Auctorem tuum, qui te de limo terræ formaverat, revertaris. Egredienti itaque animæ tuæ de corpore ſplendidus Angelorum cœtus occurrat; judex Apoſtolorum tibi ſenatus adveniat; Candidatorum tibi Martyrum triumphator exercitus obviet; liliata rutilantium te Confeſſorum turma circumdet; jubilantium te Virginum chorus excipiat, & beatæ quietis in ſinu Patriarcharum te complexus aſtringat; mitis, atque feſtivus Chriſti Jeſu tibi aſpectus appareat, qui te inter aſſiſtentes ſibi jugiter intereſſe decernat. Ignores omne, quod horret in tenebris, quod ſtridet in flammis, quod cruciat in tormentis. Cedat tibi teterrimus ſatanas cum ſatellitibus ſuis; in adventu tuo, te comitantibus Angelis, contremiſcat, atque in æternæ noctis chaos immane diffugiat. Exurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus. Sicut fluit cera a facie ignis, ſic pereant peccatores a facie Dei. Et juſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei. *Confundantur igitur, & erubeſcant omnes tartareæ legiones, & miniſtri ſatanæ iter tuum impedire non audeant. Liberet te a cruciatu Chriſtus, qui pro te mori dignatus eſt. Conſtituat te Chriſtus Filius Dei vivi inter Paradiſi ſui ſemper amœna virentia, & inter oves ſuas te verus ille Paſtor agnoſcat. Ille ab omnibus peccatis tuis te abſolvat, atque ad dexteram ſuam in Electorum ſuorum ſorte conſtituat. Redemptorem tuum facie ad faciem videas, & præſens ſemper aſſiſtens manifeſtiſſimam beatis oculis aſpicias veritatem. Conſtitutus igitur inter agmina Beatorum, contemplationis Divinæ dulcedine potiaris in ſæcula ſæculorum.* ℟. *Amen.*

Oratio.

Suſcipe, Domine, ſervum tuum in locum ſperandæ ſibi ſalvationis a miſericordia tua. ℟. *Amen.*

Libera, Domine, animam ſervi tui ex omnibus periculis inferni, & de laqueis pœnarum, & ex omnibus tribulationibus. ℟. *Amen.*

Libera, Domine, animam ſervi tui, ſicut liberaſti Enoch, & Eliam de communi morte mundi. ℟. *Amen.*

Libera, Domine, animam ſervi tui, ſicut liberaſti Noe de diluvio. ℟. *Amen.*

Libera, Domine, animam ſervi tui, ſicut liberaſti Abraham de Ur Chaldeorum. ℟. *Amen.*

Libera, Domine, animam ſervi tui, ſicut liberaſti Job de paſſionibus ſuis. ℟. *Amen.*

Libera, Domine, animam ſervi tui, ſicut liberaſti Iſaac de hoſtia, & de manu patris ſui Abrahæ. ℟. *Amen.*

Libera, Domine, animam ſervi tui, ſicut liberaſti Lot de Sodomis, & de flamma ignis. ℟. *Amen.*

Libera, Domine, animam ſervi tui, ſicut liberaſti Moyſen de manu Pharaonis Regis Ægyptiorum. ℟. *Amen.*

Libera, Domine, animam ſervi tui, ſicut liberaſti Danielem de lacu Leonum. ℟. *Amen.*

Libera, Domine, animam ſervi tui, ſicut liberaſti tres pueros de camino ignis ardentis, & de manu Regis iniqui. ℟. *Amen.*

Libera, Domine, animam ſervi tui, ſicut liberaſti Suſannam de falſo crimine. ℟. *Amen.*

Libera, Domine, animam ſervi tui, ſicut liberaſti David de manu Regis Saul, & de manu Goliæ. ℟. *Amen.*

Libera, Domine, animam ſervi tui, ſicut liberaſti Petrum & Paulum de carceribus. ℟. *Amen.*

Et ſicut Beatiſſimam Theclam Virginem, & Martyrem tuam de tribus atrociſſimis tormentis liberaſti, ſic liberare digneris animam hujus ſervi tui, & tecum facias in bonis congaudere cæleſtibus. ℟. *Amen.* Oratio.

Commendamus tibi, Domine, animam famuli tui N. precamurque te, Domine Jeſu Chriſte Salvator Mundi, ut propter quam ad terram miſericorditer deſcendiſti, Patriarcharum tuorum ſinibus inſinuare non renuas. Agnoſce, Domine, creaturam tuam non a Diis alienis creatam, ſed a te ſolo Deo vivo, & vero, quia non eſt alius præter te, & non eſt ſecundum opera tua. Lætifica, Domine, animam ejus in conſpectu tuo, & ne memineris iniquitatum ejus antiquarum, & ebrietatum, quas ſuſcitavit furor, ſive fervor mali deſiderii. Licet enim peccaverit, tamen Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum non negavit, ſed credidit, & zelum Dei in ſe habuit, & Deum, qui fecit omnia, fideliter adoravit.

Ora-

Oratio.

Delicta juventutis, & ignorantias ejus, quæſumus, ne memineris, Domine; ſed ſecundum magnam miſericordiam tuam memor eſto illius in gloria claritatis tuæ. Aperiantur ei Cæli, collætentur ei Angeli. In Regnum tuum, Domine, ſervum tuum ſuſcipe. Suſcipiat eum Sanctus Michael Archangelus Dei, qui Militiæ cæleſtis meruit principatum. Veniant illi obviam Sancti Angeli Dei, & perducant eum in Civitatem cæleſtem Jeruſalem. Suſcipiat eum Beatus Petrus Apoſtolus, cui a Deo Claves Regni cæleſtis traditæ ſunt. Adjuvet eum Sanctus Paulus Apoſtolus, qui dignus fuit eſſe vas electionis. Intercedat pro eo Sanctus Joannes electus Dei Apoſtolus, cui revelata ſunt ſecreta cæleſtia. Orent pro eo omnes Sancti Apoſtoli, quibus a Domino data eſt poteſtas ligandi, atque ſolvendi. Intercedant pro eo omnes Sancti, & Electi Dei, qui pro Chriſti Nomine tormenta in hoc ſæculo ſuſtinuerunt; ut vinculis carnis exutus, pervenire mereatur ad gloriam Regni cæleſtis; præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

COMMENTARIUS.

I. Recitatis Litaniis, de quibus late diximus in Commentario ſuperiori, mandat hic noſter §. ut *deinde cum in agone ſui exitus anima anxiatur, dicantur ſequentes Orationes &c.* Agon græca vox eſt, quæ conflictus actum, locum, & aliquando ejus ſpectatorem ſignificat, ut ait Macrus in ſuo Hierolexico, verbo, *Agon*, probatque ex eo, quod ſcribit Apoſtolus in Epiſtola I. ad Corinthios, Capite IX. *Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet*. At vero in Ritualibus, *agon*, *agoniave*, ultimus conflictus dicitur ſeparationis animæ a corpore, quem quidem, eam etiam ob cauſam, agonem vocari, docet Concilium Provinciale X. Beneventanum anni MDLVII. Tit. X. Capite unico, *quia tunc pugna validiſſima, tunc certamen inſtat graviſſimum*; quia ſcilicet callidiſſimus ſerpens, nullo unquam tempore oppugnat Chriſtifideles gravius, quam cum ex hac vita migrandum eſt, ut idem Concilium citato loco notavit, Patrum teſtimoniis, exemplisque Sanctorum edoctum, qui in extremo agone horrifico diaboli aſpectu, ac tentationibus vexati fuere. Celebre eſt, ut alia hoc loco omittam exempla, quod de S. Martino Turonenſi Epiſcopo, in ejus Vita Lib. II. narrat Severus Sulpitius, & ex eo Breviarium Romanum die XI. Novembris in tertia ſecundi Nocturni lectione: *Inſtante jam morte, viſo humani generis hoſte, quid, inquit, adſtas cruenta beſtia, nihil in me funeſte reperies*.

II. Sed explicemus nunc Orationes, quas hic noſter §. dicendas præſcribit, *cum in agone ſui exitus anima anxiatur*. Prima Oratio eſt: *Proficiſcere anima Chriſtiana &c.* quæ in variis Ritualibus legitur a Martene allatis, Lib. V. *De antiquis Monachorum ritibus*, Cap. IX. & Lib. III. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. XV. præſertim vero in mſs. Codice Romaricenſi annorum circiter DCC. Eſt quidem prima denunciatio, quæ fit animæ, ut corpus deſerat, & ab eo ſeparetur, atque ad ſuam æternitatem ſe conferat. Vere eſt terribilis denunciatio, ad quam morientes, vel ſanctimonia inſignes contremuiſſe leguntur, inter quos S. Hilarion, cum octogeſimum annum agens, multis ædificatis Monaſteriis, & clarus miraculis in morbum incidiſſet, ejuſque vi cum extremo pene ſpiritu conflictaretur, ita dicebat: *Egredere, quid times? egredere anima mea, quid dubitas? ſeptuaginta prope annis ſerviſti Chriſto, & mortem times?* Sed hujuſmodi exemplis miſſis, continet ea Oratio, *Proficiſcere &c.* compendium Litaniarum, quæ habentur ſupra in §. III. omniumque ordinum Hierarchicorum, quorum in ipſis Litaniis facta eſt per nomina enumeratio, a Sanctiſſima Trinitate initium ſumens, & ad Sanctos, Sanctaſque deſcendens. Mirum illud videri debet, quod, ubi in ipſa Oratione, *Proficiſcere &c.* omnium Sanctorum Ordines recenſentur, nulla fiat Deiparæ Virginis mentio. Si vetera quædam Ritualia ſpectemus, ac præſertim Sacerdotale Romanum anno MDLXVII. Venetiis impreſſum, Parte I. Tractatu V. Cap. VII. pag. 110. & ſeq. ante memoratas Litanias, quinque Orationes dicendæ præſcribuntur *in agone mortis ad Beatam Virginem Mariam*; quæ tamen in hoc noſtro Rituali Romano a Paulo Papa V. edito locum non habuerunt.

III. Porro, quod Oratio ipſa, *Proficiſcere &c.* dicenda ſit, quum in agone ſui exitus anima anxiatur, omnes quidem Rituales Codices mandant; ſed præcipit nihilominus in ſuis Statutis Lanfrancus, Cap. XIV. apud Martene citato loco, Cap. X. num. 9. ut *egreſſa jam de corpore anima, tribus vicibus cum parvis intervallis pulſentur ſigna. Cantor incipiat* ℟. Subvenite Sancti Dei; *quo cum verſu, & regreſſu expleto, ſubjungat Sacerdos*: Proficiſcere anima Chriſtiana; *quo dicto, incipiant commendationem animæ; dictaque prima collecta*: Tibi Domine commendamus: *Sacerdote, & Conventu proſequente cætera, portatur corpus ad lavandum &c.* Ubi perſpicue vides juxta Lanfranci Statuta, Orationem ipſam, *Proficiſcere*, ſicut & illam, *Commendamus tibi, Domine, animam famuli tui &c.* in hoc eodem noſtro §. præſcriptam, dici debuiſſe, *egreſſa jam de corpore anima*. Quod quidem mirum videri non debet, cum etiam Orationes, quæ aliquando ſuper morientes dicebantur, dici hodieque ſoleant in jam mortuorum Officio, qualis eſt inter alias illa, quæ in Miſſis Defunctorum ad Offertorium dicitur: *Domine Jeſu Chriſte Rex gloriæ &c.* de qua vide Bellarminum, Lib. II. *De Purgatorio*, Cap. V. Quidquid autem de ea re ſit, ſecunda Oratio, *Deus miſericors, Deus clemens &c.* ſicuti & tertia, *Commendo te Omnipotenti Deo &c.* legitur quidem in variis Ritualibus a Martene productis Lib. III. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. XV. & Lib. V. *De antiquis Monachorum ritibus*, Cap. IX. Sed notandum hic tamen

men cenſeo, tertiam ipſam Orationem, *Commendo te &c.* totam eſſe deſumptam ex S. Petro Damiani in Libri VIII. Epiſtola XV. ad quemdam ægrotum, cujus jam jam morituri animam Deo commendat, ut tranſacto hujus vitæ curſu, cæleſtis victoriæ palmam mereatur accipere. Claruit autem Damianus Sæculo XI.

IV. Sequitur deinde alia Oratio in varios articulos diſtincta cum clauſula, *Amen*, ad finem ſingulorum; deſumpti ſunt omnes, ſi ultimum excipias, ex Divina Scriptura, præſertim vero Veteris Teſtamenti, & leguntur in variis Ritualibus. Quod in ultimo articulo habetur, in quo oratur Dominus, ut ſicut Beatiſſimam Theclam Virginem, & Martyrem de tribus atrociſſimis tormentis liberavit, ſic liberare dignetur animam mox morientis,explicatur a Baronio in Notis ad Martyrologium Romanum, die XXIII. Septembris, ubi citatis SS. Patribus, ait, tria illa atrociſſima tormenta, fuiſſe ignem, theatrum, & beſtias. Sane obſervat Gavantus in Commentariis ad Romani Breviarii Rubricas, Sectione IX. Cap.V. non explicari a Baronio citato loco quodnam in Theatro paſſa ſit Thecla tormentum diſtinctum a beſtiarum faucibus, ſed in Annalibus quidem ad annum XLVII. narrari, eam tauris alligatam fuiſſe, ut diſcerperetur. Cæterum nominari Theclam in agone mortis a S. Cypriano in Oratione, *Pro Martyribus*, & in ea, quam in die Paſſionis ſuæ dixit, poſt Baronium notavit etiam Gavantus locis citatis. Sed utraque Oratio, uti eruditi Scriptores notant, falſo S. Cypriano Carthaginenſi Epiſcopo, ac Martyri adſcribitur, eſtque potius Cypriani Antiocheni.

V. Quidquid ſit, Oratio ipſa, *Suſcipe Domine ſervum tuum &c.* antiqua eſt, paucíſque immutatis, aliiſque adjunctis verſibus, legitur in ſacrarum precum Libello Floriacenſis Monaſterii annorum circiter CML. apud Martene in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina in Divinis celebrandis Officiis*, pag. 628. editionis Lugdunenſis anni MDCCVI. cui Titulus: *Oratio pro defunctis*, ubi ſic habet: *Libera Domine animam ſervi tui N. de periculis infernorum, & de periculis tenebrarum, & de perſecutionibus multis, & de flammarum gehennæ ignibus. Libera, Domine, animam ſervi tui N. ſicut liberaſti Noe per diluvium ſæculorum. Libera, Domine, animam ſervi tui N. ſicut liberaſti Abraham de Ur Caldæorum. Libera, Domine, animam ſervi tui N. ſicut liberaſti Loth de Civitate Sodomorum. Libera Domine, animam ſervi tui N. ſicut liberaſti populum Iſrael de manu Ægyptiorum. Libera, Domine animam ſervi tui N. ſicut liberaſti Moyſen de manu Pharaonis, qui antecedebat populum Iſrael in Deſerto. Libera, Domine, animam ſervi tui N. ſicut liberaſti David de manu Goliæ gigantis. Libera, Domine, animam ſervi tui N. ſicut liberaſti Eliam, & Henoch de hoc mundo. Libera, Domine, animam ſervi tui N. ſicut liberaſti Suſannam de manu Principum. Libera, Domine, animam ſervi tui N. ſicut liberaſti Daniel de lacu leonum. Libera, Domine, animam ſervi tui N. ſicut liberaſti Jonam de ventre cœti. Sic animam fratris noſtri N. ab omnibus periculis pœnarum liberare digneris, & bonis æternis cum Electis tuis eam perfrui jubeas. Per. In memoria æterna erit.* Et reliqua: *Requiem æternam. Partem primæ reſurrectionis obtineat, vitamque mereatur æternam. Amen.*

§. V.

Si vero diutius laborat anima, poterit legi ſuper eum hoc Evangelium S. Joannis. *Joan.* 17. *Sublevatis oculis in Cælum, Jeſus dixit: Pater venit hora, clarifica Filium tuum &c.* uſque ad verba. *Et notum feci eis Nomen tuum, & notum faciam, ut dilectio, qua dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis.*

Paſſio Domini noſtri Jeſu Chriſti ſecundum Joannem. Cap. 18.

In illo tempore: Egreſſus eſt Jeſus cum Diſcipulis ſuis trans torrentem Cedron &c. uſque ad ea verba: *Ibi ergo propter Paraſceven Judæorum, quia juxta erat monumentum, poſuerunt Jeſum.*

COMMENTARIUS.

I. NUmquam fere non uſurpatum fuit, ut ſuper morientes Sacra Evangelia, ac illa potiſſimum, quæ Chriſti Paſſionem continent, recitarentur. Id plane præſcribunt paſſim Rituales Codices a Martene producti Lib. V. *De antiquis Monachorum ritibus*, Cap. IX. teſtanturque exempla Sanctorum, ac illud præſertim S. Frodoberti Abbatis Cellenſis, de quo ejus Vitæ Auctor, num. 22. ſic habet: *Univerſos denuo jubet adeſſe Diſcipulos, dumque ante eum cantus Paſſionis legeretur Dominicæ, ſub oculis omnium ſancta anima carnis exuta velamine, felici deceſſu Cæleſtia penetravit.* Teſte S. Bonaventura in Vita S. Franciſci de Aſſiſio Ordinis Minorum Inſtitutoris, *Deo vir chariſſimus Evangeliorum ſibi Codicem apportari, & Evangelium ſecundum Joannem, quod incipit ab eo loco*, Ante diem feſtum Paſchæ, *ſibi legi popoſcit.* Quod vero S. Vincentius Ferrerius moriturus, *petiit ſibi legi Paſſionem Chriſti, quemadmodum a ſingulis eſt Evangeliſtis conſcripta*, docet nos ejus Vitæ Auctor apud Surium die V. Aprilis Quod etiam civis meus S. Franciſcus de Paula, die ipſo, quo obiit, Paraſceves ſcilicet anni MDVII. legi ſibi fecerit Chriſti Paſſionem ſecundum Joannem, tradunt paſſim Scriptores illius Vitæ. Atque ut alia exempla omittam, S. Pius V. Pontifex Maximus, teſte Gabutio in Vita illius Lib. V. Cap. XII. *ſibi ſæpius Evangelicam Dominicæ Paſſionis legi juſſit hiſtoriam, & ubi Sanctiſſimum Jeſu Nomen audiret, ob reverentiam, pileolo manum intendebat; quem ſi per corporis imbecillitatem attingere non poſſet, manu pium mentis ſenſum indicabat.* Porro Paſſionis Dominicæ hiſtoriæ per S. Joannem conſcriptæ, mandat noſter §. ſi diutius ſcilicet laborat anima, præmitti partem Evangelii ejuſdem S. Joannis ex Capite XVII. deſumptam, ubi facta legitur a Chriſto Oratio ante agonem ſuum

ad

ad Patrem, in qua præter alia notatu digna, adeſt illa excellæ, & infinitæ miſericordiæ expreſſio: *Pater, quos dediſti mihi, volo, ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum*; a qua moriens magnæ conſolationis argumentum pro ſua æterna ſalute poteſt deſumere.

§. VI.

Oratio ad Dominum Jeſum Chriſtum de ſingulis articulis Paſſionis ejus, dicenda a moriente, vel ab alio pro eo. ℣ *Adoramus te, Chriſte, & benedicimus tibi*. ℟. *Quia per ſanctam Crucem tuam redemiſti mundum. Deus, qui pro redemptione mundi voluiſti naſci, circumcidi, a Judæis reprobari, a Juda traditore oſculo tradi, vinculis alligari, ſicut agnus innocens ad victimam duci, atque conſpectibus Annæ, Caiphæ, Pilati, & Herodis indecenter offerri; a falſis teſtibus accuſari, flagellis, & opprobriis vexari, ſputis conſpui, ſpinis coronari, colaphis cædi, arundine percuti, facie velari, veſtibus exui, Cruci clavis affigi, in Cruce levari, inter latrones deputari, felle & aceto potari, & lancea vulnerari. Tu, Domine, per has ſanctiſſimas pœnas tuas, quas ego indignus recolo, & per ſanctam Crucem, & mortem tuam libera me* (vel ſi alius dicit pro eo, *libera famulum tuum N.*) *a pœnis inferni, & perducere digneris quo perduxiſti latronem tecum crucifixum. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis, & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.*

§. VII.

Dici prætera poſſunt ſequentes Pſalmi. Pſalmus CXVII. *Confitemini Domino, quoniam bonus*. Pſalmus CXVIII. *Beati immaculati in via. Retribue ſervo tuo.*

COMMENTARIUS.

I. Supponit jam noſter §. VI. morientem in eo ſtatu mentis, & ſenſuum verſari, ut loqui poſſit, utpote quia variæ infirmitates dantur, quæ mentem, ac linguam ad ultimum fere vitæ momentum liberam infirmis relinquunt. Dato igitur hoc caſu, moriens per ſe, ita a Sacerdote monitus, poteſt hanc recitare Orationem, ſi illam memoriter ſciat, vel legere, ſi oculi illius minime caligaverint, vel junctim cum Sacerdote proferre. Compendium eſt Dominicæ Paſſionis, ad excitandam cordis compunctionem in moriente, & fiduciam in Chriſtum Dominum, qui pro redemptione humani generis atrociſſimam Paſſionem ſubiit. Ne vero durante agone morientis, Orationes, ac Preces deſint, ſubdit mox noſter §. VII. tres Pſalmos, quod immenſam Dei miſericordiam recenſeant, animamque quammaxime excitent ad deſiderium bonorum cæleſtium.

§. VIII.

Tres piæ, & utiles morientibus Orationes cum tribus, *Pater noſter*, & tribus, *Ave Maria*, in agone mortis recitandæ. Primo dicitur, *Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter, Ave Maria*. Oratio.

Domine Jeſu Chriſte, per tuam ſanctiſſimam agoniam, & orationem, qua oraſti pro nobis in Monte Oliveti, quando factus eſt ſudor tuus, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram: obſecro te, ut multitudinem ſudaris tui ſanguinei, quem pro timoris anguſtia copioſiſſime pro nobis effudiſti, offerre, & oſtendere digneris Deo Patri Omnipotenti contra multitudinem omnium peccatorum hujus famuli tui N. & libera eum in hac hora mortis ſuæ ab omnibus pœnis, & anguſtiis, quas pro peccatis ſuis ſe timet meruiſſe. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis, & regnas Deus in ſæcula ſæculorum. ℟. *Amen*.

Secundo dicitur, *Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon, Pater noſter, Ave Maria*. Oratio.

Domine Jeſu Chriſte, qui pro nobis mori dignatus es in Cruce, obſecro te, ut omnes amaritudines paſſionum, & pœnarum tuarum, quas pro nobis miſeris peccatoribus ſuſtinuiſti in Cruce, maxime in illa hora, quando ſanctiſſima Anima tua egreſſa eſt de ſanctiſſimo Corpore tuo, offerre, & oſtendere digneris Deo Patri Omnipotenti pro anima hujus famuli tui N. & libera eum in hac hora mortis ab omnibus pœnis, & paſſionibus, quas pro peccatis ſuis ſe timet meruiſſe. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis, & regnas Deus in ſæcula ſæculorum. ℟. *Amen*.

Tertio dicitur, *Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon, Pater noſter, Ave Maria*. Oratio.

Domine Jeſu Chriſte, qui per os Prophetæ dixiſti, In charitate perpetua dilexi te, ideo at-

attraxi te, miſerans; *obſecro te, ut eandem charitatem tuam, quæ te de Cælis in terram ad tolerandas omnium paſſionum tuarum amaritudinee attraxit, offrre, & oſtendere digneris Deo Patri Omnipotenti pro anima hujus famuli tui N. & libera eam ab omnibus paſſionibus, & pœnis, quas pro peccatis ſuis timet ſe meruiſſe. Et ſalva animam ejus in hac hora exitus ſui. Aperi ei januam vitæ, & fac eum gaudere cum Sanctis tuis in gloria æterna. Et tu piiſſime Domine Jeſu Chriſte, qui redemiſti nos pretioſiſſimo Sanguine tuo, miſerere animæ hujus famuli tui, & eum introducere digneris ad ſemper virentia, & amœna loca Paradiſi, ut vivat tibi amore indiviſibili, qui a te, & ab Electis tuis nunquam ſeparori poteſt. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis, & regnas in ſæcula ſæculoeum. ℟. Amen.*

COMMENTARIUS.

I. QUiſnam fuerit trium harum piarum Orationum Auctor, & quam ob cauſam fuerint ipſæ Romano huic Rituali inſertæ, addiſcere licet ex Romano Sacerdotali Venetiis impreſſo anno MDLXVII. Parte 1. Tractatu v. Cap. vi. pag. 109. a tergo, & ſeqq. *Erat* inquit, *quidam Papa, qui, dum ad extrema veniſſet, interrogabat Capellanum ſuum virum idoneum, & devotum, quem plurimum diligebat, quibus ſuffragiis poſt mortem eum vellet juvare. Qui reſpondit, quod omnibus modis, quibus poſſet, & quæcumque juberet pro ſalute animæ ſuæ facere vellet. Et Papa ait: Non peto aliud a te ſubſidium, niſi, dum videris me in agonia poſitum, Dominicam Orationem pro me tribus vicibus dicus. Qui ſibi libentiſſime promiſit hoc. Ad quem Papa: Cum primum* Pater noſter *dixeris, dic in memoria agoniæ Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut infra patebit. Cum ſecundum* Pater noſter *dixeris, dic in memoria omnium paſſionum Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut infra. Cum dixeris tertium* Pater noſter, *dic in honore ineffabilis charitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut infra. His dictis, promiſit Capellanus, hæc omnia ſe libenter facturum, quomodo & fecit cum diligentia, & devotione, quibus potuit. Poſt mortem reverſus eſt Papa ſplendidus ad eum, & coruſcans, grates immenſas ſibi retulit, dicendo, ab omni pœna ſe fore liberatum. Nam poſt primum* Pater noſter, *Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſudorem ſuum ſanguineum pro me oſtendens, omnem meam propulſavit anguſtiam. Poſt ſecundum* Pater noſter, *per amaritudinem omnium paſſionum ſuarum, omnia peccata mea, ut nubem, delevit. Poſt tertium* Pater noſter, *per charitatem ſuam Cælos reſeravit, & me cum gaudio introduxit.* Ita Sacerdotale Romanum citato loco, ubi etiam mox ſubdit, quod *ipſi ſunt tres* Pater noſter, *& tres* Ave Maria *cum tribus Orationibus, qui debent dici pro animabus morientium omnium; & multum eis prodeſt, ſi dicantur devote.*

II. Eadem hæc narratio legitur etiam in Libro inſcripto: *Sacra baptizandi inſtitutio juxta Sanctæ Romanæ Eccleſiæ &c. Augustæ Taurinorum* 1589. cujus meminit Barrufaldus in ſuo ad hunc noſtrum §. Commentario. Porro variant nonnihil orationes in noſtro §. deſcriptæ ab illis, quæ in memorato Romano Sacerdotali leguntur, ubi ad locum illum deſumptum ex Capite xxxi. Jeremiæ, *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miſerans*, qui in tertia oratione legitur additum eſt, *tui*, ideſt, *miſerans tui*. Ceterum quidquid ſit de ipſa hiſtoria in Sacerdotali citata, cum orationes, quæ in ea recenſentur, pietatem redoleant, non mirum videri debet, ſi orationes iſtæ piæ noſtro Rituali fuerint inſertæ. Huc plane ſpectat, quod in variis Synodis ſtatutum legi, ut nempe in moribundi agone pulſetur Campana, ut populus pro illo oret. Ita plane habetur in Appendice ad Concilium Provinciale xv. quod Vincentius Maria Cardinalis Urſinus, qui fuit poſtea Benedictus Papa XIII. celebravit anno MDCXCVIII. Cap. viii. num. 3. Atque hæc eſt praxis, quam variis in locis ſervatam vidi; tum potiſſimum, quod noſtrum hoc Rituale Romanum ſequenti Cap. viii. §. II. expreſſe mandat, ut ubi viget pia conſuetudo, pulſetur Campana Parochialis Eccleſiæ aliquibus ictibus, ad ſignificandum Fidelibus in Urbe, vel loco, aut extra in ſuburbanis exiſtentibus inſtantem mortem expirantis ægroti, ut pro eo Deum rogare poſſint. Sed de hac re vide quæ iterum infra dicemus in Commentario ad citatum §. II. Capitis viii. ſequentis.

CAPUT VIII.

In Expiratione.

I. EXpiratio dicitur a verbo expiro, quod ſpiritum emittere, ſeu efflare, ideſt, mori ſignificat. Antequam ea explicemus, quæ in expiratione ægrotantis peragenda in hoc capite præſcribuntur, lubet nonnulla Sanctorum exempla, qui ſupremum in Eccleſia ſpiritum ad Aras exhalare voluerunt, hoc loco referre, ex eis, quæ collegit Martene, recenſuitque in Lib. v. *De antiquis Monachorum ritibus*, Cap. ix. num. 32. Ergo primus occurrit S. Benedictus, qui, ut ſcribit S. Gregorius Papa, Lib. II. Dialogorum, Cap. xxxvii. *cum languor per ſingulos dies ingraveſceret, ſexta die portari ſe in Oratorium a diſcipulis fecit, ibique exitum ſuum Dominici corporis, & Sanguinis perceptione munivit, atque inter diſcipulorum manus imbecillia membra ſuſtentans, erectis manibus ſtetit, & ultimum ſpiritum inter verba orationis efflavit.* Sanctum Benedictum imitatus eſt ejus diſcipulus Sanctus Maurus, qui, ut ſcribit Fauſtus in ejus Vita, num. 70. *ante Altare B. Martini ſuper cilicium ſtratus ſui decubans, cum exitum ſuum vivificorum muniſſet perceptione Sacramentorum, adſtantibus, qui relicti erant, diſcipulis, feliciter migravit ad Dominum.*

II. Omiſſis aliis Sanctorum exemplis, quæ paſ-

paſſim leguntur apud Surium, & Bollandianos in eorum Vitis, celebre eſt illud, ac notatu dignum quod de Venerabili Abbate Gervino Monaſterii Centulenſis refert Hariulphus in ſuo Chronico Lib. iv. Cap. xxxv. quod legere eſt Tomo iv. Spicilegii Dacheriani: *Oravit, ut quacumque hora exitus ei adveniſſet, ſtatim intra S. Richarii Baſilicam eum ferrent ſpiritum Deo inibi redditurum ... Poſt finitos Matutinos, Fratres ſollicite eum viſerunt, inveneruntque eum extremum flatum trahentem. Innuebant ergo alterutrum, quod moreretur; quod ipſe adhuc ſentiens, manu propria innuit eis, ut ferretur in Eccleſiam; at Fratres eum accipientes ſuſtulerunt, & ſtrato cilicio ante Altare S. Joannis Baptiſtæ, quod vicinum erat Altare, poſuerunt. Dein oppoſito obtutibus ejus Crucifixi Domini ſigno, & ſuper pectus ejus poſito Reliquiarum, uti ipſe diſpoſuerat, ſacello, Congregatio tota inchoavit Litaniæ ſupplicationes, Sanctos Dei, ut ei ſuccurrerent, invocantes, a quibus ut dicebatur,* Sancta Maria ora pro eo; *ipſe qui jam fuerat in morte compoſitus, tetendit manus, orans & ipſe:* Sancta Maria ora pro me; *at ubi ventum eſt, ut diceretur:* Sancte Richari ora pro me; *abſque omnium ſpe mirabiliter ſe ſurrigens, manuſque altius protendens, lacrymando clamavit:* Sancte Richari ora pro me. *Poſt hoc quietior factus, cum Fratres, Litania finita, & initiata commendatione fideli, illo uſque veniſſent, at dicerent,* Suſcipiat te Chriſtus, *ille ad hæc verba ſpiritum efflavit.*

III. Libuit prolixum hoc teſtimonium Hariulphi deſcribere, quod multi in eo continentur ritus jam a nobis ſuperius explicati, ac ille præſertim de cilicio, in quo morientes collocabantur, ut in eo ſupremum ſpiritum exhalarent. Conſtat hic plane ritus ex priſcis Ritualibus, probatuſque eſt innumeris pene Sanctorum exemplis qui in cinere, & cilicio ex hac vita migrarunt. Conſueviſſe cinerem ipſum, ac cilicium prius benedici, Ritualia quoque antiqua nos docent, præſertim vero antiquum Pontificale Eccleſiæ Cameracenſis annorum circiter DC. apud Martene Lib. i. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. vii. Articulo iv. Ordine xvi. Porro ſi veterem diſciplinam ſpectemus, communis fere invaluit uſus, ut morituri ad terram in cinere, & cilicio deponerentur. Ita S. Martinus apud Severum Sulpicium in ejus Vita Lib. II. *non decet*, inquit, *filii Chriſtianum, niſi in cilicio, & cinere mori*. Ita S. Paduinus Abbas Cenomanenſis, ut ſcribit ejus Vitæ Auctor apud eundem Martene Lib. v. *De antiquis Monachorum ritibus*, Cap. ix. num. 31. ubi varia ejus praxis exempla affert, *inſtante ſuperno carnis incommodo, cum omnia peregiſſet, quæ in tali vocatione Chriſtiana Religio poſtulat, feſſos artus, & naturam profitentes cinere, & cilicio commendavit; dehinc erectis in Cælum oculis, anima felix, & conſtipata virtutum, de exilio evaſit ad Patriam*. Ita S. Rodingus ſuper humum cilicio tantum ſubſtrato jacens obiit circa annum DCLXXX. Notatu dignum præ ceteris eſt exemplum S. Popponis Abbatis Stabulenſis, qui ut legitur in ejus Vita apud Bollandum die xxv. Januarii, morti proximus, *expletis pro ſe omnibus, cilicium, quod ſibi ſterni fecit, nudis pedibus adiit, terramque tam corpore, quam pectore prono deoſculans, ſe ſupinum collocavit*.

IV. Tria vero ſunt, quæ in hunc ritum, quem explicuimus, obſervemus. Primum eſt, non modo Monachos, ſed cæteros quoque Chriſtianos conſueviſſe aliquando in cinere, & cilicio ſupremum ſpiritum exhalare. Id plane liquet ex citato ſuperius S. Martini Epiſcopi teſtimonio, cui concinit, quod de Gilberto S. Joannis Angeriacenſi Monacho ſcribit Petrus Venerabilis, hiſce verbis: *Cumque, ſicut mos Chriſtianorum eſt, & maxime Monachorum, in ſubſtrato cilicio, & cinere a Fratribus compoſitus jaceret &c.* Et de Matthæo Albanenſi Epiſcopo: *Fratres autem rogaverat, ne ſe caſu aliquo, niſi in cinere, & cilicio, Chriſtianorum more, mori permitterent.* Et de ſua ipſius matre: *Jam eo appropinquante, viſum eſt ſororibus, ut eum a lecto levatam in cinere, & cilicio componerent*. Atque hunc ritum inſtauravit S. Carolus, cum eoque moriente ſervatus fuit teſte Carolo a Baſilica Petri in ejus Vita Lib. vi. Cap. viii. *Cilicium illi cum ſacro cinere impoſuimus ex inſtituto veteri, quod ille in Libro Rituum Eccleſiæ ſuæ renovari juſſerat; ac merito quidem vel ad ejus aſperitatem vitæ ſignificandam id erat adhibendum.*

V. Alterum eſt, non qualemcumque cinerem, ſed factum ex ſarmentorum cremiis, & benedictum Feria iv. in capite jejunii morientibus infirmis conſueviſſe ſubſterni, ut conſtat ex Libro Conſuetudinum Sancti Benigni Divionenſis apud Martene in citato Opere Lib. iii. Cap. ix. n. 10. in quo hæc leguntur: *Cineres vero, qui, ut prædictum eſt hac die Fratrum capitibus imponuntur, ex induſtria fiunt de cremiis ſarmentorum, qui etiam ſtudioſe mundantur, & cribrantur, & benedicti conſervantur ab infirmario, ut morientibus Fratribus cum cilicio ſubſternantur*. His conſentiunt Floriacenſes Conſuetudines. At vero adhibitum etiam fuiſſe aliquando cinerem extra Feriam iv. in Capite jejunii benedictum, ex variis Ritualibus addiſcere licet, ac præſertim ex memorato Cameracenſi Pontificali in ordine ad viſitandum infirmum, ubi primum ſtatuit, ut *faciant Sacerdotes aquam benedictam cum cinere vitis mixtam extra domum*. Sequuntur mox duæ benedictiones, prima cineris, altera cilicii, ac deinde poſt varias preces, orationeſque, mandat, ut *Sacerdos faciat Crucem ex cinere cum aqua ſupra pectus ejus, & imponat cilicium deſuper*.

VI. Tertium denique illud eſt, deponi conſueviſſe morituros in certo quodam aſſignato Infirmitorii loco, ut diſcimus ex Petro Venerabili, cujus verba Lib. i. Miraculorum, Cap. xix. hæc ſunt: *Habetur in domo*, infirmorum ſcilicet, *media locus unius corporis capax ad hoc aptatus, ut Fratres ibidem in cinere, & cilicio compoſiti, extremum Deo inde ſpiritum reddant*. Hinc forte capiendus eſt locus ex Venerabili Beda in Vita S. Cedmoni Monachi Streneshalæ in Anglia, n. 5. apud Bollandum die xi. Februarii: *Erat autem in proximo caſa, in qua infirmiores, & qui prope morituri eſſe videbantur, induci ſolebant*:

§. I.

Cum vero tempus expirandi inſtiterit, tunc maxime ab omnibus circumſtantibus, flexis genibus, vehementer orationi inſtandum eſt. Ipſe vero moriens, ſi poteſt, dicat; vel ſi non

ſi non poteſt, aſſiſtens, ſive Sacerdos pro eo clara voce pronunciet, *IESU*, *IESU*, *IESU*. Quod, & ea, quæ ſequuntur, ad illius aures, ſi videbitur, etiam ſæpius repetat: *In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum. Domine Ieſu Chriſte ſuſcipe ſpiritum meum. Sancta Maria ora pro me. Maria mater gratiæ, mater miſericordiæ, tu me ab hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe.*

COMMENTARIUS.

I. SUmma ſemper fuit Fidelium pietas erga morti proximos, ut eos in exitu vitæ ſuis Orationibus, Precibuſque ab Eccleſia probatis adjuvarent. Hoc munus potiſſimum Parocho incumbere, innumeræ pene Synodi teſtatæ ſunt, inter quas Provincialis IV. Mediolanenſis a S. Carolo celebrata, Capite inſcripto, *Quæ pertinent ad Extremam Unctionem, & reliqua erga morientes officia*, ſic habet: *Cum prope moribundus eſt, in illius animæ commendatione, quammaxima poteſt, intima animi pietate, ſtatas religioſas, ſanctaſque preces recitet, curetque, toto eo tempore, ut domeſtici ſimul omnes, qui adſunt, pro eo Deum precentur.* Tum vero mox: *Ubi hoc officium pie, accurateque præſtiterit, ſi æger adhuc vivit, aut animam agit, ne eidem præſens adeſſe, omniaque ſalutaria officia præſtare, omittat. Si vero adeſſe aliquando non poteſt, vel quia aliis graviter ægrotantibus Sacramenta miniſtrare neceſſe habet, vel quia neceſſariis Parochialis curæ occupationibus aliis impeditur, tunc ea pietatis officia illi a Sacerdote, ſiquis alius eo loco eſt, ſollicite præſtari curet.*

II. Hæc Decreta, ut omnino ſervarentur, ſtatuit etiam idem Concilium citato loco, ut ſingulis menſibus in Diœceſi unuſquiſque Vicarius Foraneus, & in Urbe Præfectus regionarius, aut alius, cui id muneris Epiſcopus dederit, a ſuæ regionis Parochis de illis perquirat, qui obierint; iiſque animam agentibus an ipſi præſentes adfuerint; an curæ, & pietatis officia omnia eiſdem moribundis præſtiterint: tum ubi opportune in mortuorum agnatos, affineſve inciderit, Parochialium Sacerdotum debitum officium ab illis diligentius recognoſcat. Quod ſi eos negligentiores eſſe animadverterit, ubi primum illos, ut par eſt, reprehenderit, tum eorum negligentiam, culpamve ad Epiſcopum deferat. Similia his ſtatuit idem S. Carolus in Diœceſana Synodo IV. Mediolanenſi, Decreto XV. Porro, ut alias Synodos omittam, mandat & illud quidem Provinciale Beneventanum Concilium XV. ſub Fr. Vincentio Maria Cardinale Urſino, qui fuit poſtea Benedictus Papa XIII. in Appendice Capitis VIII. num. 5. ut Epiſcopi errorem eliminent Parochorum ignorantium, ſiqui ſorte putent ſe ad commendationem animæ non teneri, eoſque hujus obligationis moneant, & contumaces puniant.

III. Parochorum negligentiæ occurrit tandem S. Camillus de Lellis, inſtituta Religione Clericorum Regularium miniſtrantium infirmis, cujus quanta fuerit in Mundo neceſſitas, oſtendere conatur Santius Cicatellus in ejuſdem S. Camilli Vita, Lib. II. Cap. I. nonnullos e multis defectus commemorans, *quos Camillus ipſe in Noſocomiis, & in aliis privatis ædibus circa moribundos ſe vidiſſe, & obſerviſſe, referebat*. Sed his omiſſis, pius etiam invaluit uſus, ut pro morientibus, non modo eorum domeſtici, aliique in eorum cubiculis præſentes genibus flexis pro eiſdem orent, verum etiam extranei, qui ad venerandum Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum pro morti proximis in aliquibus Eccleſiis expoſitum, ac pellucido velo coopertum pie ſe conferunt.

IV. Ad morientem tandem quod attinet, monet hic noſter §. ut *ipſe moriens, ſi poteſt, dicat, vel ſi non poteſt, aſſiſtens, ſive Sacerdos, pro eo clara voce pronunciet*: Jeſu, Jeſu, Jeſu, *quod, & ea quæ ſequuntur ad illius aures, ſi videbitur, ſæpius repetet*. Quanta ſit virtus invocationis Sanctiſſimi Nominis Jeſu, Apoſtolorum Princeps ſatis nos docet, Cap. III. Actuum Apoſtolorum, ubi de eo Nomine loquens, ſic inquit: *Non eſt in alio aliquo ſalus; nec enim aliud Nomen eſt ſub Cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri*. Hinc merito noſter hic §. doctrinæ Patrum inhærens, & Sanctorum exempla ſequutus, monet ut ipſe moriens, ſi poteſt, dicat; vel ſi non poteſt, aſſiſtens, ſive Sacerdos pro eo clara voce pronunciet, *Jeſu, Jeſu Jeſu*. Permultos Sanctos Jeſum identidem appellantes ex hac vita migraſſe, Surius quidem, atque Bollandiani in eorum Vitis paſſim teſtantur. Teſte Ribadeneira in Vita S. Ignatii Loiolæ Societatis Jeſu Fundatoris, Lib. IV. Cap. XVI. Sanctus iſte, *manibus junctis, oculis in Cælum defixit, Jeſum corde, Jeſum ore implorans, placido vultu ſanctiſſime migravit ad Dominum pridie Kalendas Auguſti MDLVI. hora poſt ſolis ortum prima*.

V. Rurſus mandat hic noſter §. ut morienti aſſiſtens, *ad illius aures, ſi videbitur, etiam ſæpius repetat: In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum &c.* Quæ quidem verba pronunciavit Chriſtus Dominus in Cruce moriens, ut teſtatur S. Lucas in Evangelio., Cap. XXII. ubi ſic ait: *Et clamans voce magna Jeſus ait: Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum*. Chriſti exemplum ſequutos pios plurimos, ſanctoſque Viros, verbis illis prolatis, ſpiritum emiſiſſe, ex eorum Vitis addiſcimus apud earum collectores Surium Bollandianoſque. Quod ut & aliquibus exemplis firmemus, de Sancto Adelelmo Abbate Brugenſi in Hiſpania ita plane ſcribit Joannes Marietta in ejuſdem Vita apud memoratos Bollandianos die XXX. Januarii: *Ad Oratorium*, inquit, *ſe S. Joannis Evangeliſtæ deportari juſſit, in cujus ingreſſu illa Pſalmiſtæ verba pronunciavit*, Deus in nomine tuo ſalvum me fac, & in virtute tua judica me; *Crucemque religioſe veneratus*, In manus tuas, *inquit*, Domine commendo ſpiritum meum, *& animam reddidit Salvatori ſuo*. Ita quoque S. Stephanus Grandimontenſis, ut legitur apud eoſdem Bollandianos die VIII. Februarii, num. 8. *quinta die dolore invaſus in Oratorium portatus, finita Miſſa, poſt Sacram Unctionem, & receptionem Corporis, & Sanguinis Domini, Fratribus flentibus, Pſalmoſque cantantibus, octuageſimo ætatis ſuæ anno, in Ordine Diaconatus* VI. *Feria*, VI. *Idus Februarii dicens*, In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum, *feliciter migravit ad Dominum*. Porro voluiſſe olim nonnullos

nullos morti proximos, præſertim Monachos, Religioſoſque, ſupremum in Eccleſia ſpiritum exhalare, jam ſupra initio Capitis notavimus. Porro autem, quod in hoc noſtro §. edicitur, ut moriens, ſi poteſt, vel ſi non poteſt, ad ejus aures aſſiſtens dicat, ac, ſi videbitur, etiam ſæpius repetat, *Domine Ieſu Chriſte ſuſcipe ſpiritum meum*, optime quidem præſcriptum eſt; ſuntque verba, quæ S. Stephanus Protomartyr moriens, uſurpavit, uti ex Actibus Apoſtolorum conſtat, Cap. VI. *Et lapidabant Stephanum invocantem, & dicentem*: Domine Jeſu accipe ſpiritum meum.

VI. Ex præſcripto demum noſtri §. recte moriens & hanc precem, ſi poteſt, ad Deiparam diriget: *Maria Mater gratiæ, mater miſericordiæ, tu me ab hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe*. Una cum eo verſiculo, *In manus tuas &c.* conſueviſſe a morientibus dici & hunc alium, *Maria Mater gratiæ &c.* habemus celebre exemplum S. Richardi Ciceſtrenſis Epiſcopi, qui, ut ait Auctor ejus Vitæ apud Surium die III. Aprilis, *illam Pſalmiſtæ vocem*, In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, *crebro iterabat; ad Beatiſſimam quoque Chriſti Matrem ſemperque Virginem Mariam ſubinde corde ſimul & voce ſe convertens, ajebat*: Maria Mater gratiæ, Mater Miſericordiæ, tu nos ab hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe; *mandavitque ſuis Capellanis, ut ea verba ad ejus aures pronunciare non ceſſarent*. Atque ita inter ſuſpiria piæ devotionis, & verba ſacræ Orationis ... *animam reddidit Creatori*. Quantæ virtutis, efficaciæque ſit patrocinium Virginis, ejuſque auxilii in neceſſitate, in anguſtiis, ac mortis præſertim articulo, imploratio, innumeris Patrum teſtimoniis, & exemplis probari poſſet. Atque huc facit, quod S. Anſelmus in ſuo Libro, *De laudibus Virginis*, ſcriptum reliquit, ſic inquiens: *Sicut impoſſibile eſt, quod illi, a quibus Virgo Maria oculos ſuæ miſericordiæ avertit, ſalventur; ita neceſſarium eſt, ut hi, ad quos converterit oculos ſuos, pro eis advocans, juſtificentur, & glorificentur*. Atque hæc ſunt, quæ ex præſcripto noſtri §. a moriente ipſo, ſi poteſt, vel ſi non poteſt, ab eo qui ejus animam commendat, ſunt dicenda. Quibus tamen non ita alligati ſunt, ut non poſſint aliis Scripturæ locis uti, ſeu Eccleſiæ precibus, qualis eſt illa, quæ in antiquis Ritualibus legitur, *Parce Domine, parce famulo tuo, quem redemiſti Chriſte Sanguine tuo, ut non in æternum iraſcaris eis*; itemque iſta deſumpta ex illo Hymni, *Te Deum laudamus*, verſiculo: *Te ergo quæſumus tuo famulo ſubveni, quem pretioſo Sanguine redemiſti*.

§. II.

Tunc, ubi viget pia conſuetudo, pulſetur Campana Parochialis Eccleſiæ aliquibus ictibus, ad ſignificandum Fidelibus in Urbe, vel loco, aut extra in ſuburbanis exiſtentibus inſtantem mortem expirantis ægroti, ut pro eo Deum rogare poſſint.

COMMENTARIUS.

I. PRæter piam conſuetudinem, quæ alicubi viget, quamque retinendam ſtatuit hic noſter §. ut nempe *pulſetur Campana Parochialis Eccleſiæ aliquibus ictibus, ad ſignificandum fidelibus in Urbe, vel loco, aut extra in ſuburbanis exiſtentibus inſtantem mortem expirantis ægroti, ut pro eo Deum rogare poſſint*; id ipſum quoque ſtatuerunt variæ Synodi non modo Diœceſanæ, ſed & Provinciales, inter quas Beneventana Provincialis XV. ſub Fr. Vincentio Maria Cardinale Urſino, qui fuit poſtea Benedictus Papa XIII. celebrata anno MDCXCVIII. in Appendice Cap. VIII. num. 3. curandum Parocho ait, pulſari Campanam in moribundi agone, ut populus pro illo oret, ut multis in locis pie religioſeque a Confraternitate Agonizantium nuncupata fieri aſſolet non ſine ſumma Chriſtifidelium ædificatione.

§. III.

Egreſſa anima de corpore, ſtatim dicatur hoc ℟. *Subvenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini, ſuſcipientes animam ejus, offerentes eam in conſpectu Altiſſimi*. ℣. *Suſcipiat te Chriſtus, qui vocavit te, & in ſinum Abrahæ Angeli deducant te*. ℟. *Suſcipientes animam ejus, offerentes eam in conſpectu Altiſſimi*. ℣. *Requiem æternam dona ei, Domine, & lux perpetua luceat ei*. *Offerentes eam in conſpectu Altiſſimi*. *Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon*. *Pater noſter*. ℣. *Et ne nos inducas in tentationem*. ℟. *Sed libera nos a malo*. ℣. *Requiem æternam dona ei Domine*. ℟. *Et lux perpetua luceat ei*. ℣. *A porta inferi*. ℟. *Erue Domine animam ejus*. ℣. *Requieſcat in pace*. ℟. *Amen*. ℣. *Domine exaudi orationem meam*. ℟. *Et clamor meus ad te veniat*. ℣. *Dominus vobiſcum*. ℟. *Et cum ſpiritu tuo*.

Oremus.

Tibi Domine commendamus animam famuli tui N. ut defunctus ſæculo tibi vivat, & quæ per fragilitatem humanæ converſationis peccata commiſit, tu venia miſericordiſſimæ pietatis abſterge. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen*.

COMMENTARIUS.

I. PRæſcribuntur in hoc §. preces, poſtquam anima fuit de corpore egreſſa, dicendæ ab eo ſcilicet, qui defuncti animam commendavit, una cum iis, qui in defuncti cubiculo reperiuntur. Sane oportet, ut Parochus, Sacerdoſve certus ſit, eum vere obiiſſe; ſæpe enim in ago-

agone conſtitutus mortuus creditus ſuit, qui adhuc vivebat, vixitque deinde multis annis. Teſte Barruſaldo in ſua ad hunc §. Nota, num. 13. *Multis modis fieri ſolet experientia, an vere quis adhuc vivat; ſed quoniam in manu Sacerdotis tunc debet eſſe candela (non enim tenenda eſt ab infirmo in illo inſtanti, quia manus languentes illam non valent valide perſtringere) cum qua accenſa cœpit opus commendationis animæ, & cum qua ſignare, & benedicere morientem laudabile eſt, illam admovere debet caute ad os morientis cum flamma accenſa, & attente obſervare, an flamma moveatur, vel ab aſpiratione ulla ex ore morientis proveniente agitetur*. At vero multa in dies occurrunt exempla, quibus docemur, nec ea facta experientia ſequutam mortem cognoſci. Quidquid ſit, cognita morte, ex præſcripto quidem noſtri §. ſive potius ex antiquiſſimo ritu, dicit Sacerdos Reſponſorium: *Subvenite Sancti Dei &c.* quod legitur in multis priſcis Ritualibus, potiſſimum vero in Antiphonario S. Gregorii Papæ, ut notat Gavantus in Rubricas Breviarii, Sectione IX. Cap. V. num. 6. obſervatque Barruſaldus loco citato, num. 18. Reſponſorium iſtud bis pro quocumque deſuncto recitari, primo poſt expirationem in deſuncti cubiculo privatim, ac deinde publice in Eccleſia poſt cadaveris ad eam ingreſſum, ut nos infra latius ſuo loco dicemus.

II. Explicatis hactenus, quæ peragi debent circa defunctum ſtatim ac expiravit juxta præſcriptum in præſenti Capite expreſſum, lubet nunc ritus quoſdam deſcribere, quibus corpora olim ſtatim poſt obitum curabantur, quoſque alias jam late explicuimus Tomo III. Romani Pontificalis, Tit. XXVII. in Commentario ad §. 1. Simul itaque ac efflaverat aliquis animam, clauſis ejus oculis, & ore obturato, corpus ipſius lavabant, pretioſis unguentis ungebant, congruis veſtimentis induebant, ac tandem Hymnorum, & Pſalmorum decantatione, ſolemni cum cereis accenſis Proceſſione ad Eccleſiam portabant. Laudat apud Euſebium Lib. VII. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Cap. XVII. quorumdam pietatem Dionyſius Alexandrinus, qui mortuorum Chriſtianorum *corpora manibus erectis, ſupiniſque excipere, gremio ſuo reponere, occludere oculos, ora obturare, geſtare humeris cadavera, decenter ornare, illis adhæreſcere, amice complecti, lavare accurate, & linteo funebri involvere, non gravati ſunt*. Ubi nota inter alios ritum claudendi oculos mortuo, quem in Chriſto Domino religioſe ſervatum, non obſcure indicat S. Epiphanius in Homilia, *De ſepultura Domini*, Joſephum ab Arimathæa ita alloquens: *Numquid digitis tuis oculos Jeſu, ut mortuorum de more ſolent, claudis?* De hoc ritu late agit eruditus Auctor Romæ ſubterraneæ Lib. 1. Cap. XXI. qui & genuinam hujus rationem ibidem num. 13. indicat, ad propulſandum ſcilicet horrorem illum, qui ex apertis, patentibuſque mortuorum oculis, quibus omnis cum vita, ac lumine decor extinctus eſt, extemplo animis adſtantium reſunditur.

III. Sicut ritus claudendi oculos, ita & lavandi corpus deſuncti, a Chriſto Domino repeti poteſt, cujus ſacrum Corpus ab eodem Joſepho ab Arimathæa ablutum fuiſſe, nonnulli Sancti Patres docent, inter quos S. Chryſoſtomus Theodoretus, & Epiphanius, qui in laudata Homilia ſic Joſephum ipſum alloquitur: *Anne aqua Dei illius Corpus abluis, qui omnes a peccatis abluit, & expiavit, omnibuſque puritatem tribuit?* Extat celebre ejus ritus exemplum in Actis Apoſtolorum, Cap. IX. ubi Tabithæ religioſæ feminæ mors ita deſcibitur: *Factum eſt autem in diebus illis, ut infirmata moreretur, quam, cum laviſſent, poſuerunt illam in cœnaculo*. Apud Scriptores tum Latinos, tum Græcos, nihil frequentius occurrit, quam cæremonia lavandi corpus deſuncti, uti fuſe oſtendimus in præcitato Commentario ad Romanum Pontificale, num. III. & ſeq. ubi etiam num. V. & ſeq. pluribus etiam teſtimoniis ritum probavimus, quo majores noſtri Fideles exemplo etiam Chriſti Domini excitati variis unguentis, & aromatibus deſunctorum corpora condire, ac ſepelire conſueverunt. Quinimmo quod etiam Græci mortuorum corpora oleo, aut Chriſmate, tertio in modum crucis aſpergerent, peculiaremque tunc quoque orationem recitarent, ex Græcorum Euchologio a Jacobo Goar Notis doctiſſimis illuſtrato, ibidem num. VIII. ac ſequenti aſſeruimus.

IV. Ad veſtes quod attinet, quibus contegi conſueverunt corpora deſunctorum, duplex quidem, uti notat Gretſerus in Libro 1. *De funere Chriſtianorum*, ea olim veſtitio ſuit. Interdum enim ſolo linteo, ſeu ſindone corpora ipſa obvolvebantur, interdum vero viventium inſtar induebantur, ornabanturque. Prior modus in Chriſti ſepultura obſervatus ſuit, nam memoratus Joſephus ab Arimathæa, Nicodemus, & alii, uti legitur in Evangelio Joannis, Cap. XI. *acceperunt Corpus Jeſu, & ligaverunt illud linteis cum aromatibus, ſicut Judæis mos eſt ſepelire*. Ex quo more alibi, nempe in deſcriptione ſuneris Lazari nobis patefacto, diſcimus quoque, faciem Domini ſudario ſuiſſe contectam, & manus, pedeſque ligatos inſtitis. Nam de Lazaro, qui utique ex præſcripto Judaicæ conſuetudinis ſepultus ſuerat, ita idem Evangeliſta Cap. XI. habet: *Et ſtatim prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus manus, & pedes inſtitis; & facies illius ſudario erat ligata*. Quamvis autem, S. Marcus, Cap. XIV. de Joſepho dicat: *Joſeph autem mercatus ſindonem, & deponens eum involvit ſindone, & poſuit eum in monumento*; idipſumque affirment S. Matthæus Cap. XXVII. & S. Lucas, Cap. XXIII. attamen S. Joannes in Evangelio ſuo, Cap. XVIII. non ſingulariter ſindonem, ſed plurali numero lintea, & linteamina dixit; quinimo Capite XX. ſudarii mentionem ſecit. Cæterum ſine veſtimentis, ſed ſolo linteo ſepultos alios, ex Eccleſiaſtica Hiſtoria addiſcimus; teſte ſiquidem Euſebio Lib. VII. Cap. XVII. Chriſtiani, ſæviente peſte, eo morbo deſunctos, præter alia humanitatis officia, *linteo funebri involvere non gravati ſunt*. Sic cadaver Abibi Martyris linteo obvolutum eſt, ut refert Baronius ad annum CCCXVI. Teſte S. Athanaſio in Vita S. Antonii, *mos Ægyptiis eſt, nobilium, & præcipue Beatorum Martyrum corpora linteamine obvolvere*. Tradit etiam S. Hieronymus, ubi agit de muliere ſepties icta, quod, ea deſuncta, *Clerici, quibus id officii erat, cadaver cruentum linteo obvolvunt*. Atque hic eſt mos, qui hodieque Paulæ, quæ eſt Patria mea in citeriori Calabria, communiter obſervatur, ut defuncti etiam veſtiti linteo obvoluti ſepeliantur.

V. Sed hoc obiter dicto, veſtitionis poſterioris ratio, qua mortui viventium inſtar induuntur, multa quidem occurrunt exempla. Splendi-

dida, ac pretioſa fuiſſe olim illa indumenta, tum apud Græcos, tum apud Latinos, teſtes habemus S. Chryſoſtomum, & S. Hieronymum, quorum alter in Vita S. Pauli Eremitæ ſic inquit: *Parcite quæſo, vobis, parcite ſaltem divitiis, quas amatis. Cur & mortuos veſtros auratis obvolvitis veſtibus? Cur ambitio inter luctus, lacrymaſque non ceſſat? An cadavera divitum, niſi in ſerico, putreſcere neſciunt?* Chryſoſtomus vero in Homilia LXXXIV. ita quidem in eum ſui ævi abuſum invehitur: *Tu cum audieris, nudum Dominum reſurrexiſſe, ceſſa, quæſo, ab inſana funeris impenſa. Quid ſibi hoc ſuperfluum vult, & inutile diſpendium, quod ipſis plurimum affert detrimenti, mortuis vero nullam utilitatem, ſed damnum potius? ſumptuoſa namque ſepultura nonnunquam cauſa eſt, ut fures cadaver effodiant, & nudum, & inſepultum projiciant.* Quod divitum cadaveribus timebat Chryſoſtomus, id quidem Hadriano Papæ I. contigit, uti conſtat ex ejus Vita deſcripta a clariſſimo Mabillonio in Tomo I. Muſei Italici, Parte II. pag. 41. Sepultorum ornamenti meminit quoque S. Gregorius Nyſſenus in Epiſtola ad Melitenſem Epiſcopum, ubi de violatoribus ſepulchrorum agit; extantque icci rco innumeræ fere Leges Civiles, & ſacri Canones adverſus ſepulchrorum violatores.

VI. Quamquam vero plurima extent exempla, quæ docent, quemlibet defunctum veſtibus ſuo ſtatui conſentaneis amiciri conſueviſſe, præſertim vero ſacros homines, ſi tamen iſtos excipias, ut plurimum Fideles laici defuncti, etiamſi nobiles ſint, ſaccis induti piæ Confraternitatis, cui adſcripti ſunt, ad Eccleſiam deferuntur, atque humantur. Sed nec omittendum etiam, olim, ſicut & hodie, laicos nonnullos teſtamento ordinaſſe, ut defuncti alicujus Religionis habitu inducrentur. Teſte Hæfteno, Diſquiſitionum Monaſticarum Lib. V. Tractatu VII. Diſquiſitione II. pag. 515. Clemens IV. conceſſit morientibus cum habitu Fratrum Minorum, & iis, qui cum eo elegerint ſepeliri, remiſſionem tertiæ partis omnium ſuorum delictorum. Quam quidem gratiam ampliatam ait a Nicolao III. & Urbano V. ac confirmatam quoque a Leone X. quem etiam conceſſiſſe, ut morientes in dicto habitu conſequantur Indulgentiam plenariam, refert Emmanuel Rodericus, Quæſtionum Regularium Tomo II. Quæſtione LXXVII. Articulo X. aliique Scriptores recentiores.

§. IV.

Interim detur Campana ſignum tranſitus defuncti pro loci conſuetudine, ut audientes, pro ejus anima Deum precentur. Deinde corpus de more honeſte compoſitum loco decenti cum lumine collocetur; ac parva Crux ſuper pectus inter manus defuncti ponatur; aut, ubi Crux deſit, manus in modum Crucis componantur; interdumque aſpergatur aqua benedicta; & interim, donec efferatur, qui adſunt, ſive Sacerdotes, ſive alii, orabunt pro defuncto.

COMMENTARIUS.

I. Sponte ſua ſonuiſſe Campanas in Sanctorum multorum obitu, ex eorum Vitis addiſcere licet a Bollandianis deſcriptis. Sed ſono illo excitabantur ſæpe Fideles ad ſe ſancto homini vita functo, cum Chriſto in Cælis regnanti commendandos. Quod autem hic mandat noſter §. ut *detur Campana ſignum tranſitus defuncti*, hanc ſtatim ſubjicit: *Ut audientes pro ejus anima Deum precentur*. Atque hæc eſt cauſa, ob quam pia multis in locis conſuetudo eam praxim introduxit, quam & variæ Synodi, ac Rituales Codices confirmarunt. Sed audiamus præ cæteris S. Carolum, qui in Provinciali III. Mediolanenſi Concilio, ubi de Parochis agit, ita ad rem ſtatuit: *Cum nullum pietatis officium Parochus in eorum, qui Fidei, curæque ſuæ commiſſi ſunt, ſalute adjuvanda prætermittere ullo unquam tempore debeat; tum hoc etiam, audita parochialis cujuſpiam incolæ morte, præſtet, ut ſtatim Pſalmum*, De profundis, *ſancte dicat, & omni animi pietate, menteque ſupplici orationem ad hoc officii genus pertinentem habeat, ut dives in miſericordia ſua Deus illius animæ miſereatur, cujus etiam ipſe in die iræ rationem eſt redditurus*. Tum vero mox ſubdit: *Ut vero a Fidelibus pro mortuo oratio fiat, idem ſignum det Campanæ ſono, quo ſignificetur*, Ave Maria. Quum vero & ex noſtro §. & citato Concilio Provinciali Mediolanenſi III. & ex aliis multis, quæ allegari poſſent, *detur Campana ſignum tranſitus defuncti, ut audientes pro ejus anima Deum precentur*, jam non debet in morte puerorum, ſeu infantium pulſari Campana ad populum admonendum, ut pro illis oret, non enim ii opus habent noſtris orationibus, quas icci rco nullas pro iiſdem fundere conſuevit Eccleſia.

II. Variis nominibus ſignum iſtud Campanæ ſtatim in morte Fidelium datum appellari ſolet, nempe *Tranſitus*, *Ave Maria mortuorum*, aliiſque nominibus cuique regioni propriis, ubique ſemper ob eum finem, ut preces pro defuncto effundantur. Teſte Barrufaldo ad hunc §. num. 22. *in taxis funerum per varias Synodos aſſignatur emolumentum, ſeu eleemoſyna danda Eccleſiæ, ſeu illius Campanario, pro hoc ſigno Tranſitus; quæ eleemoſyna ab aliquibus rigoroſe exigitur, quamvis nullum datum ſit ſignum cum Campana*. Sed recte mox idem Barrufaldus ſubdit ſequenti num. 23. *injuſte hoc exigi a talibus Miniſtris, quia de opere non præſtito, ſeu de labore non inſumpto, nulla merces ſperari debet*. Addam & ego illud, minime licere, etiam cum pulſatur Campana pro alicujus obitu, paucos ejus ictus vendere, & exactionem funeris Chriſtiano populo ſummopere odioſam incipere ab expiratione, in qua pulſata fuit tantiſper Campana, ad excitandos Fideles, ut pro defuncto Deum precentur.

III. Explicato Eccleſiæ ritu circa ſignum Campana dandum in tranſitu defuncti venio ad alia explicanda in hoc eodem §. noſtro præſcripta: *Deinde corpus*, inquit, *de more honeſte compo-*

poſitum loeo deeenti eum lumiue collocetur. Huc plane ſpectaut quæ uos late diximus Tomo III. Romani Pontificalis, Tit. XXVII. in Commentario ad §. I. pag. 248. & ſeqq. de obſequiis, quæ Majores noſtri dcſunctis ſtatim puſt eorum obitum exibere conſueverunt. Ne itaque actum agamus, ad ea Commentaria lectorem remittimus, ubi plura ſcitu digna inveuiet.

DE EXEQUIIS

TITULUS VI.

I. Poſt mortem ſequuntur Exequiæ, quæ vel apud primos Chriſtifideles peculiari æque, atque religiuſo ritu ſemper celebratæ fuerunt, uti primum contigit in ſunere ſanctiſſimi Protomartyris Stephani, ut docet Cardinalis Baronius ad anuum Chriſti XXXIV. aliique eruditi Scriptores, ubi expouunt illud Capitis VI. Actuum Apoſtolorum: *Et feeeruut plauctum magnum ſuper eum*. Porro egregium de ſunere Chriſtiano, ut alios mittam, Tractatum edidit doctiſſimus Jacobus Gretſerus inclytæ Societatis Jeſu Presbyter, ſed forte latius uberiuſque de ritibus in ipſo ſunere Chriſtiano ſervatis diſſeruimus nos in uoſtris ad hunc Titulum Commentariis juxta ordinem in Rituali Romano præſcriptum.

CAPUT I.

§. I.

Sacras cæremonias, ac ritus, quibus ex antiquiſſima traditione, & Summorum Pontificum inſtitutis, Sancta Mater Eccleſia Catholica in filiorum ſuorum Exequiis uti ſolet, tanquam vera Religionis myſteria, Chriſtianæque pietatis ſigna, & Fidelium mortuorum ſaluberrima ſuffragia, Parochi ſummo ſtudio ſervare debent, atque uſu retinere.

COMMENTARIUS.

I. Quamquam Exequias, funeriſque ſolemnia, ac ſervatos in iis ritus quidam hæretici apud Bohemos improbarint, teſte Ænea Sylvio, qui ſuit poſtea Pius II. Pontifex Maximus, iu Libro, *De origine Bohemorum*, Cap. XXXV. ab ipſo nihilominus Eccleſiæ exordio Majores noſtri certis, & ſtatis ritibus curpora Chriſtianorum, ut animarum domicilia, & templa Spiritus Sancti ſepeliri docueruut, eorumque ſepulturam congruis honoribus oruarunt. Sane advertit S. Hierouymus, uon tantum ſub Veteri, ſed & ſub Novo Teſtamento honorem ſepulturæ laudari, ſic inquiens iu Epiſtola ad Paulam de obitu Bleſillæ: *De Movſe vero, & Aaron, quod eis ex veteri more ſit planctus exhibitur, non miraudam eſt, eum & in Actis Apoſtolorum, jam Evangelio coruſeante, Stephano ſecerint Hieroſolymæ Fratres planctum magnum; & utique planctus magnus non in plangentium exanimatione, ut tu putas, ſed in pompa funeris, & Exequiarum frequentia intelligendus ſit.*

II. Pervetuſtum Eccleſiæ ritum laudant inter alios Origenes, & S. Auguſtinus, quorum primus Lib. VIII. contra Celſum ſic ait: *Rationabilem animam bonorare didieimus, & bujus organa ſepulchro bonorifice demandare*. Alter vero Lib. I. *De Civitate Dei*, Cap. XIII. poſtquam dixit, non eſſe coutemnenda, & abjicienda curpora deſunctorum, maxime juſtorum, atque Fidelium, quod iis tamquam orgauis, & vaſis, ad omnia bona opcra, Sanctus uſus eſt Spiritus, ita paulo poſt ſubjicit: *Unde & antiquorum juſtorum funera officioſa pietate eurata ſunt, & Exequiæ eelebratæ, & ſepultura proviſa, ipſique dum viverent, de ſepeliendis, vel etiam tranſferendis ſuis Corporibus, filiis mandaverunt, & Tobias ſepeliendo mortuos, Deum promeruiſſe, teſte Angelo, commendatur: Ipſe quoque Dominus die tertio reſurrecturus, religioſæ mulieris bonum opus prædieat, prædieandumque commendat, quod unguentum pretioſum ſuper membra ejus effuderit, atque hoe ad eum ſepeliendum feeerit. Et laudabiliter eommemorantur in Evangelio, qui Corpus ejus de Cruee aeceptum, diligenter, atque honorifiee tegendum, ſepeliendumque curarunt.* Plura de hoc pietatis officio martuis impendendo habet S. Doctor in Libro, *De eura pro mortuis*; itemque Sermone XXXII. *De verbis Apoſtoli*, qui in noviſſima editione Patruum Benedictinorum S. Mauri eſt CLXXII. Sed de ſacris cæremoniis, quas ab ipſis Apoſtolis per manus Succeſſorum acceptas Eccleſia Catholica laudabiliter hactenus in curandis deſunctorum corporibus obſervare conſuevit, vide Baronium ad auuum Chriſti XXXIV. ubi ſunus S. Stephani ampliſſimum recenſet, & alibi, itemque Spondauum in Tractatu, *De Saeris Cœmeteriis*, & quæ ſcripſimus nos Tomo III. Commentariorum ad Partem III. Pontificalis Romani, Titulo XXVII.

III. Recte itaque cautum eſt ex huc nuſtro §. ut ſacras cæremonias, ac ritus, quibus ex antiquiſſima traditione, & Summorum Pontificum inſtitutis Sancta Mater Eccleſia Catholica in filiorum ſuorum Exequiis uti ſulet, tamquam vera Religionis myſteria, Chriſtianæque pietatis ſigna, & Fidelium mortuorum ſaluberrima ſuffragia Parochi ſummo ſtudio ſervare debeant, atque uſu retinere. Quinam ſint ii ritus, cæremoniæque, in ſequentibus Paragraphis præſcripti ſuut. Scio equidem, varios ritus, cæremoniaſque in variis regiunibus in Exequiis deſunctorum obſervari, ſed tenendus eſt tamen a Parochis aliiſque iuferioribus uſus ſuarum Eccleſiarum præſertim in ipſarum Ritualibus, Mauualibuſve, ſeu Paſtoralibus præſcriptus, ut nutat Vaneſpen Parte II. Juris Eccleſiaſtici, Tit. XXXVIII. Cap. I.

num. XLVIII.ubi etiam ſcite ſubdit, Epiſcopo incumbere, ut ea omnia prohibeat, atque e medio tollat, quæ vel avaritia, vel irreverentia, vel ſuperſtitio, veræ pietatis falſa imitatrix inducere potuiſſet, ſoliciteque attendere, ne quæ ſimilia irrepant.

§. II.

His itaque præſtandis, qua par eſt modeſtia, ac devotione, ita ſe habebunt, ut ad defunctorum ſalutem, ſimulque ad vivorum pietatem, quemadmodum vere ſunt, non ad quæſtum, ejuſmodi ritus ſancti inſtituti eſſe videantur.

COMMENTARIUS.

I. Modeſtia æque, ac devotio, in quocumque Eccleſiæ ritu adhibenda, ut ſæpe ex Conciliis, ac Ritualibus, & præſertim hoc noſtro Romano cautum eſt. Adhibendam autem & ipſam modeſtiam, devotionemque in Exequiis defunctorum, recte admonet hic noſter §. qui etiam hanc rationem ſubdit: *Ut ad defunctorum ſalutem, ſimulque ad vivorum pietatem, quemadmodum vere ſunt, non ad quæſtum ejuſmodi ritus ſancti inſtituti eſſe videantur*. At vero fateri cogimur, omni ævo, in omnibuſque fere Exequiis ſacros homines ita ſuam prodiiſſe avaritiam, ut & Sacræ Synodi, ac Summi Pontifices variis temporibus adverſus turpem ipſorum ſacrorum hominum cupiditatem invecti fuerint, Judiceſque Eccleſiaſtici Decreta emanarint. Videri plane de ea re poſſunt quæ ſcripſit Lupus religioſiſſimus, doctiſſimuſque in Tomo IV. Operum Editionis Venetæ in ſecunda Proœmiali Diſſertatione, *De Simoniæ crimine, & variis ad ipſum ſpectantibus*, Capite XII. quod inſcriptum eſt, *Exponuntur exactio, & oblatio pro Exequiis, & ſepultura*, ubi varia recenſet Concilia, & Summorum Romanorum Pontificum Conſtitutiones adverſus hujuſmodi abuſum, *ut Parentum noſtrorum caſtitas fiat cunctis manifeſta*. Sed de his dicemus etiam nos infra, ubi de refellendo hoc abuſu, ob quem ſacri homines male paſſim ubique fere locorum audiunt, ſe ſe nobis opportuna dabit occaſio.

§. III.

Nullum corpus ſepeliatur, præſertim ſi mors repentina fuerit, niſi poſt debitum temporis intervallum, ut nullus omnino de morte relinquatur dubitandi locus.

COMMENTARIUS.

I. Quum non omnes plane homines eodem mortis genere obeant, hinc recte ſtatuit hic noſter §. *ut nullum corpus ſepeliatur, præſertim ſi mors repentina fuerit*, naturalis ſcilicet, *niſi poſt debitum temporis intervallum, ut nullus omnino de morte relinquatur dubitandi locus*. S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolanenſi VI. Capite inſcripto, *Quæ ad funera pertinent*, poſtquam dixit, delatum ad ipſum fuiſſe, nonnullas ex eo offenſiones oriri, quod corpora mortuorum, eorumque præſertim, qui repentina morte deceſſerunt, in ſepulturam nimis præpropere, atque adeo celerius, quam par eſt, tradantur; ad opportune hiſce offenſionibus occurrendum, ſtatim Decretum ſubjicit, quo ſtatuit, *ne impoſterum corpus aliquod ſepeliatur, niſi duodecim ſaltem horis, poſtquam ſpiritum exhalavit*. Tum vero poſt: *Verum ſi quem de improviſo mors, aut morbi alicujus repentina vis occupavit, is ne in ſepulchrum inferatur ante vigeſimam quartam hujuſmodi repentini eventus horam, niſi ſecus Epiſcopo, eive videbitur, cui ipſe id curæ dederit*. Sed communis hodie praxis merito invaluit, ut etiam qui non repentine moriuntur, ſepeliantur, abſoluta hora vigeſima quarta. Immo Concilium Provinciale Toloſanum anni MDXC. Parte II. Cap. X. Num. X. expreſſe mandat, *ut domi per diem integrum mortuorum cadavera aſſerventur, nec niſi poſt horas viginti quatuor funus inſtruatur*. Atque hæc eſt praxis, quæ ubique invaluit, quæ tamen non ſolet, nec debet attendi, ubi cadaver videtur manifeſte corrumpi; oportuitque ob eam cauſam non ſemel, & ante Exequias, ac etiam dum ipſæ celebrarentur, in ſepulturam immitti.

II. Porro non immerito queritur Cicatellus in Vita S.Camilli de Lellis Lib. II. Capite I. quod in Noſocomiis pauperes moribundi, ſed nondum mortui a mercenariis inſervientibus præcipiti feſtinatione e lectis abrepti, atque eo modo ſemivivi inter corpora mortua deportati, vivi adhuc ſepelirentur. Varia eam in rem affert exempla, quæ cenſui hoc loco referre: *Neque ego, inquit, hic rem novam, aut a me confictam narro; ſcit æterna Veritas, quod non mentior. Nam ipſemet Camillus in uno Xenodochio Urbis Romæ, cujus nomini, & honori parco, cum ſemel ingreſſus eſſet in locum mortuis deputatum, invenit inter mortuorum corpora hominem vivum, qui adhuc cum morte conflictabatur, & tres ipſos dies ſuperfuit, qui delatus interim eo loci fuerat tanquam mortuus. Quem Camillus adhuc vivum eſſe conjecit ex ſanguine emanante ab una plaga, quam in fronte acceperat, dum in terram pro mortuo præcipitaretur.* Pergit Auctor, aliudque exemplum refert, quod eſt hujuſmodi: *In eodem Xenodochio poſt lectas, ut aſſolet, animæ commendationes apud quemdam moribundum natione Gallum, quem apoplexia proſtraverat, arbitratus Presbyter Xenodochii, illum eſſe extinctum, Aqua luſtrali de more aſperſit, & recitatis precationibus ſolitis, illi oculos linteo operuit, & abiit. Aliquot horas ita relictus eſt, donec duo e miniſtris acceſſerunt cum ſandapila, & funali, ut eum eſ-*

efferrent. Sed dum, amoto linteo, faciem detegunt, ecce hominem vivum, videntemque deprehendunt, immo & loquentem. Verum idem infirmus cernens coram ſe ſandopilam, adeo eſt aſpectu inſolenti exterrefactus, ut ex timore in amentiam inciderit, & in ea cum alios quinque dies exegiſſet, neque unquam cibum capere, neque potum haurire voluiſſet, demum extinctus eſt.

III. Sed neque omittendum aliud ejuſdem rei exemplum, quod memoratus Cicatellus narratis hucuſque accenſet: *In alio ſimiliter Romæ Xenodochio non admodum diſſimile exemplum occurrit. Nam cum infirmo cuidam lethalis obveniſſet infirmitas, fuit ab iiſdem famulis inter mortuos numeratus, & tanquam talis ad regionem mortuorum feretro delatus, ubi cum horas quatuor circiter in terram proſtratus jacuiſſet, tandem ad ſe rediit, conſpicatuſque, inter octo ſe jacere cadavera, fere factus eſt ex vivo mortuus, tantus illum inceſſit timor. Verum, reſumpta ſenſim animo, erexit ſe in pedes, & nudus, uti erat, in Xenodochium ad vivos reverſus eſt; quos viciſſim longe maximus invaſit ſtupor; videntes nimirum ſtare coram ſe vivum, quem paulo ante delatum ſcirent ad cubiculum defunctorum tanquam mortuum, brevi poſt in Campo Sancto humandum.* Addi & his poſſent recentia noſtri ævi exempla, quibus permoti Epiſcopi complures in ſuis Synodis, ac in Ritualibus ſuis ſtatuerunt, ut mortuorum corpora ſepulturæ minime tradantur, *niſi viginti ſaltem horarum effluxerit ſpatium, ſi morbus cauſa mortis extiterit; ſi vero repentina morte quis exceſſerit, non ſepeliatur, niſi elapſis horis triginta, maxime ſi de morte dubium aliquod ſuperſit; quibus in caſibus, nec ſinant Parochi, corpora a veſpillionibus linteo involvi, aut in arca, aut feretro eo die, quo violentam quis mortem obierit.* Ita plane ſtatuit Ignatius ab Eccleſia Epiſcopus Caſalenſis & Comes in ſua Caſalenſi Synodo habita die v. vi. & vii. Septembris anni MDCCLVI. Capite xxviii. *De ſepulturis.*

§. IV.

Quod antiquiſſimi eſt inſtituti, illud quantum fieri poterit, retineatur, ut Miſſa præſente corpore defuncti pro eo celebretur, antequam ſepulturæ tradatur.

COMMENTARIUS.

I. UT Miſſa, cum mortui corpus ſepelitur, quando ſcilicet commode fieri poteſt, pro eo pie celebretur, quia nimirum id & Canonum jure, & ſacrorum rituum Libris cautum eſt, diſerte edicit Sanctus Carolus in Concilio Provinciali vi. Mediolanenſi, Capite, *Quæ ad funera pertinent.* Et quidem, quod Miſſa præſente cadavere, antequam ipſum ſepulturæ demandaretur, ex antiquo Eccleſiæ inſtituto celebrari conſueverit, teſtatur Euſebius Lib. iv. *De Vita Conſtantini*, Cap. 71. ubi ait, Imperatorem ipſum cum Liturgia ſepultum fuiſſe. Luculentiſſimum veteris hujus diſciplinæ teſtem habemus etiam S. Auguſtinum, qui Lib. ix. *Confeſſionum*, Cap. xii. de S. Monicæ matris ſuæ funere Deum alloquens, ita inquit: *Cum ecce corpus elatum eſt, imus, & redimus ſine lacrymis. Nam neque in eis precibus, quas tibi fudimus, cum offerretur pro ea Sacrificium pretii noſtri, jam juxta ſepulchrum poſito cadavere, priuſquam deponeretur, ſicut illic fieri ſolet, nec in eis precibus ego flevi.* Ubi nota, morem jam Auguſtini tempore in Italia, ubi obiit S. Monica, invaluiſſe offerendi Sacrificium pro defunctis, præſente cadavere. Id quod etiam probari poteſt exemplo S. Ambroſii Mediolanenſis Epiſcopi, de cujus funere ita ſcribit Paulinus in ejus Vita: *Luceſcente die Dominico, cum Corpus illius, peractis Sacramentis Divinis, de Eccleſia levaretur portandum ad Baſilicam Ambroſianam &c.*

II. Eundem in Africa ſervatum ritum fuiſſe, docet Poſſidius in Vita S. Auguſtini Cap. xxxi. ubi mortem, & Sepulturam ejus deſcribit: *Membris omnibus ſui Corporis incolumis, integro aſpectu, atque auditu, &, ut ſcriptum eſt, nobis adſtantibus, & videntibus, & cum eo pariter orantibus, obdormivit cum patribus ſuis, enutritus in bona ſenectute, & nobis coram pro ejus commendanda corporis depoſitione, Sacrificium Deo oblatum eſt.* Petrus Mediolanenſis Archiepiſcopus, cui forte temporis decurſu Oldradi fuit nomen, vel cognomen appoſitum, in Epiſtola ad Carolum Magnum, quam ſuis Annalibus inſeruit Baronius ad annum dccxxv. teſtatur, a Poſſidio ipſo oblatum fuiſſe pro Auguſtino Sacrificium; quod veriſimile autumat Joannes Salinas Canonicus Regularis Lateranenſis in Notis ad recitatum Poſſidii locum, quod *& præſens tunc eſſet funeri, & religioſe ita illi parentavit, cum quo per annos xl. familiariter, & abſque amara ulla diſſenſione, Dei dono dulciter vixit.*

III. Longum eſſet Conciliorum, tum veterum, tum recentium Canones, & Ritualium loca deſcribere, quibus præſcribitur, ut Sacrificium præſente cadavere offeratur, tametſi defunctus pauper ſit. Quam ob rem ſatis mirari nequeo, cur Romæ olim Cardinalium Exequiæ, atque Abſolutiones non mane poſt Miſſam ſolemnem, ſed veſperi celebrarentur. Sed hunc abuſum merito correxit ſanctæ memoriæ Benedictus XIII. quippe qui toto ſui Pontificatus tempore ſua Pontificia præſentia ac majeſtate mane ſolemni cum Miſſa Exequias defunctorum Cardinalium celebrare ſolitus fuit, eamque ob cauſam, dum in Eccleſia S. Auguſtini pro defuncto Cardinali Marco Antonio Anſidei officium ageret, in morbum incidit, pauciſque poſt diebus in Domino obiit. Erat Benedictus veteris diſciplinæ peritiſſimus, ſervator, tenax, & cuſtos, ſciebatque Romani Ritualis præſcriptum, quod ritum celebrandi Miſſam præſente cadavere & hodie obſervari deſiderat, eumque antiquiſſimum eſſe aſſerit. Sed gratiæ agendæ feliciter regnanti Pontifici BENEDICTO XIV. qui ritum ipſum poſt obitum laudati Pontificis abolitum renovavit, Conſtitutionemque de ea re edidit, de qua nos jam alias diximus, in Commentariis ſcilicet noſtris ad Cæremoniale Sanctæ Romanæ Eccleſiæ.

§. V.

Siquis die feſto ſit ſepeliendus, Miſſa propria pro defunctis celebrari poterit, dum tamen Conventualis Miſſa, & Officia Divina non impediantur, magnaque diei celebritas non obſtet.

COMMENTARIUS.

I. Poſſe in diebus feſtis, præſente corpore, celebrari Miſſam ſolemnem de *Requiem*, ſtatuit etiam Sacra Rituum Congregatio die 23. Maji anni 1603. apud Gavantum in Manuali Epiſcoporum, verbo, *Miſſa*, num. 27. Sed procedit id quidem, ut ait hic noſter §. *dum tamen Conventualis Miſſa, & Officia Divina non impediantur, magnaque diei celebritas non obſtet.* Miſſa Conventualis eſt illa, quam Rectores Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum quotidie celebrare facere tenentur ſolemniter cum cantu poſt Tertiam, juxta temporis conformitatem, & Divini Officii recitationem. Notat hæc Meratus in Commentariis, & Obſervationibus præliminaribus ad Rubricas Miſſalis Parte I. num. 41. pag. 68. editionis Romanæ, ubi etiam ex Rotario docet, Miſſam ipſam Conventualem in variis Ordinibus Regularium varium nomen ſortiri; quia ſcilicet alii eam vocant Miſſam Canonicam, alii Miſſam Tertiæ, alii majorem, alii publicam, alii communem. De obligatione celebrandi hanc Miſſam Conventualem, & de aliis ad eam ſpectantibus agit Gavantus in Rubricas Miſſalis Parte III. Tit. XII. num. 5. itemque laudatus Meratus in ſuis novis Obſervationibus, & Additionibus ad ipſum Gavantum, loco citato.

II. Sed his omiſſis, mandat S. Carolus in Concilio Provinciali VI. Capite, *Quæ ad funera pertinent*, quod, *ſiquando die dominico, feſtove mortuum efferri, in ſepulturamque tradi contigerit, pro eo Miſſam Conventualem ad præſcriptum Romani Ritualis celebrari licebit.* Sed nec omittendum, quod edicit in ſuis ad funera ducenda Inſtructionibus: *Miſſa Defunctorum corpore præſente omni die celebrari poteſt, præterquam in Paraſceve, & Paſchate; quibus diebus non licet corpus ſepulturæ tradere, nec Miſſam pro eo cantare.* Præter Paſchatis Feſtum, excipiunt etiam alia Feſta Duplicia primæ Claſſis, in quibus nec etiam præſente cadavere celebrari poteſt Miſſa ſolemnis Defunctorum ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis edito die V. Julii anni MDCXCVIII. in Collen. & relato apud citatum Auctorem in Obſervationibus ad Gavantum, Parte I. Tit. V. pag. 145. editionis Romanæ, & in Indice Decretorum num. 525. quod ita habet: *In Duplicibus primæ Claſſis etiam præſente corpore non poteſt cantari Miſſa Defunctorum, & multo minus dicenda eſt una Miſſa privata, deficientibus Clericis in Choro.*

III. Porro ſpectant hæc recentiorem Eccleſiæ diſciplinam; nam alias juxta antiquum Monachorum ritum Miſſa Defunctorum præſente cadavere, non modo Dominicis, feſtiſque diebus, ſed in celebrioribus Solemnitatibus, quales ſunt Natalis, Paſchatis, & Pentecoſtes, prædicta Miſſa celebrari ſolita fuit. Teſte Martene Lib. II. *De antiquis Monachorum ritibus*, Cap. VI. num. 42. Liber Uſuum Ciſtercienſium de ea re ſic inquit: *Miſſæ quoque pro defunctis non ſolent cantari Dominicis diebus, & Solemnitatibus, quibus ſermo fieri debet in Capitulo, niſi præſens defunctus fuerit. Miſſa vero quotidiana, quæ ſolet dici pro Fratribus noſtris defunctis, tantùm intermittenda eſt die Paraſceve, & ſequenti Sabbato, & die Paſchæ, & Natalis Domini. Hebdomadarius Miſſæ illius quotidianæ cantet de Feſto ad Altare, ubi Miſſa eadem cantari ſolet, & dicat Collectam:* Inclina, *in ſecundo loco. Si tricenarium fuerit, ſubjungat*: Deus cui proprium. *Quod ſi his tribus diebus*, Natalis ſcilicet, Paſchatis, & Pentecoſtes *præſens defunctus ſupervenerit, ſupradictus Hebdomadarius dimittat Miſſam de Feſto, & agat Miſſam pro eo &c.* Præterea quod Cluniacenſis Monaſterii, & Sancti Benigni Divionenſis Monachi in ipſo Paſchatis Feſto, præſente cadavere, Miſſam pro defunctis canerent docent mſs. Conſuetudines Monachorum prædictorum apud laudatum Martene in citato Opere, Lib. V. Cap. X. num. 16. *Quod ſi in ipſa nocte Reſurrectionis Dominicæ, vel ipſius diei crepuſculo obierit, quo ſcilicet oportcat, eum ipſo die ſepeliri, matutinalis Miſſa pro eo cantabitur. Nam tanta eſt authoritas præſentiæ ipſius defuncti, ut etiam in tanta Solemnitate hujuſmodi Miſſa non poſſit ſine negligentia intermitti.* Addunt Sancti Benigni memoratæ Conſuetudines: *Sed notandum eſt, quia excepta hac, nulli omnino ipſa die licet pro ea Miſſam cantare; reſtaurabitur autem ei, cum opportunum tempus adfuerit.* Similia legere eſt in aliis antiquis Monachorum uſibus, quos non opus eſt hoc loco recenſere.

IV. Quicquid autem ſit de antiquis ritibus in variis Monaſteriis uſitatis, celebrandi ſcilicet Miſſam ſolemnem pro defunctis etiam in celebrioribus Feſtis, ſervandum eſt hodie Sacræ Rituum Congregationis Decretum a nobis jam ſuperius recitatum, & tenenda eſt omnino regula in §. noſtro præſcripta, quo cautum eſt, ut *ſiquis die feſto ſit ſepeliendus, Miſſa propria pro defunctis*, una ſcilicet tantum, *præſente corpore, celebrari poſſit, dum tamen Conventualis Miſſa, & Officia Divina*, ubi nempe celebrari ſolent, *non impediantur, magnaque diei celebritas non obſtet*, qualis eſt celebritas Paſchæ, aliorumque Feſtorum Duplicium primæ Claſſis, juxta memoratum Sacræ Congregationis Rituum Decretum. Cui etiam innixus idem Meratus in Additionibus ad Gavantum Parte I. Tit. V. num. 2. cenſet, non poſſe celebrari Miſſam ipſam ſolemnem pro defunctis præſente cadavere in prima Dominica Adventus, Feria IV. Cinerum, Dominica prima Quadrageſimæ, Dominica Palmarum cum tota Hebdomada majori, Dominica Reſurrectionis, & Dominica Pentecoſtes cum duobus diebus ſequentibus, die Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Aſcenſionis, & Feſto Corporis Chriſti, & in aliis Feſtis primæ Claſſis. Multa mox quoque notat Meratus in confirmationem ſuæ opinionis, quæ generatim admitti non poſſunt.

V. Cum inſuper mihi in præſenti non vacet omnes quæſtiones, quæ ex ſingulis Paragraphis Romani Ritualis oriuntur, diſcutere, haud tamen omit-

omittam ea, quæ ſunt majoris momenti, & neceſſaria ſcitu. Ergo licet noſter §. ſolius diei feſti meminerit, in quo una dumtaxat ſolemnis Miſſa pro defunctis permittitur, præſente cadavere, ſciendum tamen, hanc etiam regulam ſervandam in Duplicibus, & etiam in iis diebus, in quibus non poteſt de Duplici celebrari, nimirum infra octavas Epiphaniæ, Paſchatis, Pentecoſtes, Feria IV. Cinerum, in Hebdomada Majori, in Vigiliis Nativitatis Domini, & Pentecoſtes, tametſi præſens ſit corpus defuncti, ut ex variis Decretis Sacræ Rituum Congregationis addiſcimus, quæ recenſet Meratus in Additionibus ad Gavantum loco citato, & in ſuo Indice Decretorum, ac præſertim num. 505. *Miſſæ privatæ de Requiem, corpore præſente, & inſepulto, dici non poſſunt diebus, quibus ſit de Officio Duplici, vel aliis a Rubrica vetitis, & quamcumque conſuetudinem tanquam abuſum abolendam juxta diſpoſitionem Rubricæ* v. *Miſſalis Romani de Miſſa Defunctorum Num.* 2. *in fine, & Decreta Sacræ Congregationis, & ſignanter Generale*, v. *Auguſti* MDCLXII. *ſervanda eſſe, mandavit S. R. C. die* x. *Januarii* MDCXCIII. *in una Galliarum.* Vide apud laudatum Auctorem in citato Indice num. 16. 69. & alios notatos.

VI. Veneror Sacræ Rituum Congregationis Decreta, ſed optandum eſſet, ut ſi non in omnibus Feſtis minus ſolemnibus, ſaltem in Duplicibus non feſtis, & infra Octavas etiam privilegiatas poſſent dici Miſſæ etiam privatæ Defunctorum præſente cadavere. Quid enim præjudicat Sanctis Duplicis ritus, ſi in una Eccleſia, ubi eſt præſens cadaver, & ubi omnia luctum ſpirant, vel Miſſæ privatæ *de Requiem* dicerentur? Cæterum etſi juxta Romani Miſſalis Rubricas, *Miſſæ privatæ pro Defunctis quocumque die dici poſſunt, præterquam in Feſtis Duplicibus, & Dominicis diebus*, recte tamen exiſtimat Guyetus in ſua Hertologia Lib. IV. Cap. XXIII. Quæſtione XXVI. valere hic quoque perinde atque in aliis Miſſis votivis monitum illud, *Id vero paſſim non fiat, niſi rationabili de cauſa*, qualis eſt præter diem obitus, ſeu depoſitionis, aut tertium, ſeptimum, trigeſimum, & anniverſarium, fundatio, ſeu ſtipendium a Fidelibus ad id oblatum, aut teſtamento relictum. Optandum plane eſſet, ut ubi non ſit præſens cadaver, celebrentur Miſſæ cum Officio diei concordantes, neque enim ritui conforme videtur, videre quotidie in Eccleſiis paſſim Sacerdotes celebrantes veſtibus atris indutos, & audire ubique Defunctorum Miſſas, quæ a multis irreligioſis Sacerdotibus, ut ſe ſe ab Altari citius expediant, niſi Duplici Feſto, aut Dominica ſeu privilegiata alia die impediantur, quotidie celebrantur.

§. VI.

Caveant omnino Parochi, aliique Sacerdotes, ne Sepulturæ, vel Exequiarum, ſeu Anniverſarii mortuorum Officii cauſa quicquam paciſcantur, aut tanquam pretium exigant. Sed iis eleemoſynis contenti ſint, quæ aut probata conſuetudine dari ſolent, aut Ordinarius conſtituerit. Neque permittant, ut pallia, aut alia Altaris ornamenta ad ornatum Feretri, vel Tumbæ adhibeantur.

COMMENTARIUS.

I. Conſtitutum ſæpe a Conciliis, & a Summis Pontificibus fuit, nequid a Clero paciſceretur, vel exigeretur prætexta Exequiarum, aut Sepulturæ. Quæ fuerit hujus Simoniæ origo, ſcite exponit Thomaſſinus Parte III. *Diſciplinæ*, Lib. I. Cap. LXVII. Num. XIV. *Cum enim vigore Canonum vetarentur in Eccleſiis terræ mandari, vel utcumque condi, niſi Martyrum cineres, Sanctorum pignora, inde & Epiſcopi, atque Abbates, necnon & ſiqui ex Presbyteris, & laicis ſingulari innocentia morum claruiſſent; cæterorum Fidelium exarſit æmulatio, ut vel pretio ſaltem virtutum præmia aſſequerentur*. Varia ad probandam veterem diſciplinam, abuſumque adducit idem Auctor in citata Parte III. Lib. I. Cap. LXV. de eademque re jam nos etiam in variis noſtris Operibus ubi ſe ſe dedit occaſio, abunde diſſeruimus.

II. Porro antiquum abuſum exigendi aliquid pro Exequiis Sepulturiſque explodere inter alios Sanctiſſimos Pontifices conatus eſt S. Gregorius Magnus, impatientiſſime ferens, Clericos minus a terrenis cupiditatibus expeditos eſſe, quam Sichimitas, qui locum Sepulturæ Abrahamo gratificari voluere. En ejus verba Lib. VII. Epiſtola IV. ad Epiſcopum Maſſilienſem: *Secundum noſtrum inſtitutum noveritis, nos illicitam antiquam conſuetudinem a noſtra Eccleſia omnino vetuiſſe, nec cuiquam aſſenſum præbere, ut loca humani corporis pretio poſſint adipiſci. Nam ſi Gentiles, ut arbitramur, Viri Sichimitæ Abrahæ pro Sarra mortua, atque in loco proprio humanda, ſepulturam gratis obtulerunt, & vix magna ejus importunitate coacti ſunt, ut pretium de loco ſepulturæ perciperent, nos qui Epiſcopi dicimur, de humandis Fidelium corporibus penſa quid facere debemus*.

III. Rurſus reſcito, centum ſolidos a Januario Calaritano Archiepiſcopo exigi ad tumulandam filiam matronæ illuſtris, & querelis laceſſitus hujus ipſius matronæ, ad Januarium ipſum reſcripſit, nova hac injuria cumulari non debuiſſe damnum, doloremque filiæ morte inflictum; ex alterius luctu, & calamitate lucrum captandum non eſſe, nec pretio addicendum locum putredinis; ſummoviſſe ſe iſtiuſmodi corruptelam ab Eccleſia Romana, ineunte ſtatim Pontificatu ſuo; eam ſe Prælatis indixiſſe legem, ut ſaltem Sichimitas imitarentur, quos tametſi Paganos puduerat ex cadavere lucri aliquid extundere; liberas ſpontaneas oblationes admitti poſſe, at nihil exigi, nihil petere fas eſſe, ne eo convitio verberentur Clerici, reliquorum mortalium tam gratam illis eſſe mortem, quam compendioſam. Audiendus ipſe Gregorius, qui citato Lib. VII. Epiſtola LV. ſic habet: *Queſta nobis eſt Nereida clariſſima femina, quod ab ea centum ſolidos pro filiæ ſuæ ſepultura Fraternitas veſtra non erubeſcat exigere, atque ei ſuper doloris gemitum, majorem diſpen-*

dii ſtudeat inferre moleſtiam. Quod ſi ita ſe veritas babet, quia grave nimis eſt, & procul nimis eſt a Sacerdotis officia pretium de terra conceſſa putredini quærere, & de aliena velle facere lucra compendium, ab bac ſe patratione Fraternitas veſtra contincat, & moleſta ei de cetero non exiſtat. Tom paulo poſt: *Hoc autem vitium & nos poſtquam Deo auctore ad Epiſcopatus honorem acceſſimus, de Eccleſia noſtra omnino vetuimus, & per pravam denuo conſuetudinem nequaquam uſurpari permiſimus; memores quia dum Abraham a filiis Emor, boc eſt, Ephron filio Seor Sepulcbri terram pretio ad bumandum corpus conjugis poſtularet, præmiam accipere renuit, ne commodum videretur de cadavere conſequutus. Si ergo tantæ conſiderationis paganus vir fuit, quanto magis nos, qui Sacerdotes dicimur, boc facere non debemus? Vnde ne boc avaritiæ vitium vel in alienis denuo tentari præſumatur, admonea. Sed ſiquando aliqaem in Eccleſia veſtra ſepeliri conceditis, ſiquidem parentes ipſius, proximi, vel bæredes pro luminaribus ſpoate quid offerre voluerint, accipere non vetamus. Peti vero, aut aliquid exigi, omnino probibemus; ne, quod valde irreligioſum eſt, aut venalis fortaſſe, qaod abſit, dicatur Eccleſia, aut vos de bumanis videamini mortibus gratulari, ſi ex earam cadaveribus ſtudeatis quærere quolibet modo compendium.*

IV. His profecto Gregorii verbis, *ſi quando aliquem in Eccleſia veſtra ſepeliri conceditis*; aperte inouitur origo hojus perverſitatis. Cum enim, uti ſuperius notatum eſt, necdum uſus invaluiſſet, ut in Eccleſiis ſepeliretur quiſquam, qui ejus privilegii cupidiores fuere, ut participes fierent precum, & hoſtiarum à proximis ibi ſuis offerendarum, oblata ingenti pecunia id emercari cœpere. Gratuita fuit, ut puto, ea prima largitio, quæ mox tamen in tributum, & exactionem deſcivit. Scitiſſime obſervat Thomaſſinus, Parte III. *Diſciplinæ*, Lib. I. Cap. LXV. num. II. iis præſidiis firmari hanc conjecturam a S. Gregorio io Dialogis, ut jam ambigendi locus ſuperſit nollus. Et quidem, poſtquam hic dixit Libro IV. Dialogorum, Cap. L. LII. LIII. iis, qui ex mortali vita migrant nullo implicati crimine, conducibile eſſe in Eccleſia ſepeliri, quod eorom proximi ipſo tumulorum conſpectu admoniti, & excitati pro illis flagrantius & frequentius orent; mox ex adverſo conteſtatur, ſiqui flagitia hic ſua non expiarint, eos graviori obnoxios fore damnationi, qui ſepulchro etiam ſuo Eccleſiam contaminaverint. Qund approbat ille exemplo Valeriani Patricii, cui conceſſerat, immo pretio addixerat Brixianus Epiſcopus locum ſepulturæ in Eccleſia: *Cui ejuſdem Civitatis Epiſcopus, accepto pretio, locam in Eccleſia præbait, in quo ſepeliri debuiſſet.* Crebris autem poſtea Cæli oſtentis, miniſque perfectum tandem eſt, ut ſceleſtiſſimi hominis cadaver de Eccleſia ejiceretur.

V. Quicquid ſit de antiqoa Eccleſiæ diſciplina, qua univerſim prohibitum fuit, quemquam in Eccleſiis humari, certum illud eſt, ſepelire mortuos, religioſæ pietatis ſemper fuiſſe; ideoque nec ſimoniacæ pactionis quidquam intervenire unquam paſſi ſunt Sancti Patres, quamquam & ſpontaneæ non recoſarentur proximorom, vel amicorum oblationes, & hinc laudabiles inoleſcerent conſuetudines, quæ nnn facile deinceps aboleri ſinerentur. Tria hæc ſunt, qoæ & in hoc Commentario illuſtrare aggredimur ex dictis jam ante a doctiſſimo Thomaſſino in citato loco, Cap. LXVIII. Primum, a Clericis, Parochiſque adminiſtratas eſſe Sepulturas ſine pactione, aut exactiooe quavis. II. nec repudiata tamen fuiſſe ſpontaneæ pietatis dona. III. edita fuiſſe Decreta, & Synodica Statuta, ne laudabiles exoleſcerent conſuetudioes. Trium horom duo priora perſpicue exprimit Concilium Ravennatenſe anoo CMXCVII. Cao. III. ſub Gerberto Archiepiſcopo, qoi fuit poſtea Romanus Pontifex Maximus Sylveſter II. *Siquis Sacri Ordinis de Sepultura mortuorum aliquid acceperit, niſi forte quæ ſponte ab amicis, vel propinquis mortuorum Eccleſiæ fuerint collata, hac maledictione teneantur obnoxii.* Concilium Bituricenſe anno MXXXI. Can. XII. perſtringit ſimul, deteſtaturque exactiones quaſcumque pro Baptiſmo, pro Pœoitentia, pro Sepulturis: *Nullus pretium pro Baptiſmo, neque pro Pœnitentia danda, neque pro Sepultura accipiat, niſi quod Fideles ſponte dare, vel offerre voluerint.*

VI. Plura ſunt tum Synodorum, tum Epiſcoporum Decreta hæc Sepultorarum mercimonia execrantium, & apud Gratianom Cauſa XIII. Quæſtione II. Can. XIII. refetur Decretom Concilii Triburienſis, & Can. XV. aliud ſub nomine Concilii Namnatenſis, & Can. XII. ſententia Sancti Hierooymi hiſce conformis. Cæterum duo ſunt, quæ obſervari æquum ſit in citata Gratiani teſtimonia. Primum eſt, has ſive ſpontaneas oblationes, ſive extorſiones ſimoniacas, eo utplurimum ſpectaſſe, ut honoratior, & Altari propior ſepulturæ locus impetraretur. Ideo laudato Concilio Namnatenſi placuit, *probibendum eſſe etiam, ſecundum Majorum inſtituta, ut in Eccleſia nullatenus ſepeliantur, ſed in Atrio, aut in Porticu, aut in Exedris Eccleſiæ. Intra Eccleſiam vero, & prope Altare, ubi Corpus, & Sanguis Domini conficitur, nullatenus ſepeliantur.* Alterum eſt, omnes omnino exactiones proſcribi, ad hooratiores etiam has Sepulturas, nulla adhuc mentione laudabilium conſuetudioum.

VII. Ceterum ſicut Clericis ſevere ſemper prohibitum fuit, ne ſuper Sepolturis, aut Exequiis, aliiſve ſimilibus rebus paciſcantur. vel hac occaſione extorſiones faciant, ita quoque laicis demum incolcatum fuit, ne pias, & laudabiles, ac receptas offerendi aliquid conſuetudines facile infringant. Extat de hac re Decretum Concilii IV. Generalis Lateranenſis Canone LXVI. expreſſum his verbis: *Ad Apoſtolicam Audientiam frequenti relatione pervenit, quod qaidam Clerici pro Exequiis mortuorum, & Benedictionibus nubentium, & ſimilibus pecuniam exigunt, & extorqaent, & ſi forte eoram cupiditati non fuerit ſatisfactum, impedimenta fictitia fraudulenter opponunt. E contra vera quidam laici laudabilem conſuetudinem erga Sanctam Eccleſiam pia devotione Fidelium introductam ex fermenta bæreticæ pravitatis nituntur infringere ſub prætextu Canonicæ pietatis.* His querelis occurrens Concilium ita mox ſtatuit: *Quapropter ſuper bis pravas exactiones fieri probibemus, & pias conſuetudines præcipimus obſervari; ſtatuentes, ut libere conferantur Eccleſiaſtica Sacramenta, & per Epiſcopum loci veritate cognita compeſcantur, qui malitioſe nituntur laudabilem conſuetudinem immatare.* Ex hoc itaque Canone, quem nos fuſe explicuimus Tomo noſtro III. Conciliorum io Commentariis ad Canooes Concilii Generalis La-

Lateranenſis iv., concluſum fuit, exactiones quidem in Exequiis mortuorum vetitas eſſe, ſed laudabiles tamen conſuetudines offerendi aliquid in iis, a laicis eſſe obſervandas, immo etiam per Epiſcopum ad earum obſervantiam urgeri poſſe; quod non ſolum praxis, ſed & Synodi poſteriores probarunt.

VIII. Fateor equidem, retinendas laudabiles conſuetudines, ſed fateri nihilominus cogor, harum conſuetudinum prætextu, vexatos non ſemel vel pauperum defunctorum hæredes a Parochis, ad funeris impenſas, quas inopia illorum ferre non poterat; atque hæ ſunt importunæ exactiones, quæ occaſionem dedere ſæcularibus Magiſtratibus, Principibuſque, ut de re funeraria Leges ferrent, Neapoli, Florentiæ, Mediolani, aliiſque in locis. Teſte Altaſerra, Lib. vi. *De Juriſdictione Eccleſiaſtica*, Cap. xiii. in Gallia tranſiit funeraria actio omnino ad Forum Civile, ex quo Conſtitutione Regia anni MDXXXIX. Judici Eccleſiaſtico adempta eſt cognitio de actionibus perſonalibus laicorum niſi in mere ſpiritualibus. Dolet de eo abuſu laudatus Auctor loco citato, eumque variis argumentis egregie exagitat; ſed optandum plane, ut, qui Eccleſiis præſunt, modum funerum impenſis imponant; neque enim ferri aliquibus locis poteſt, ut magna vis cereorum in defunctorum Exequiis deferatur, multoque minus, ut poſtquam ſepulchri gentilitii locus fuit ab Eccleſia coemptus, toties Eccleſiæ tumulanti nova pend.i pecunia debeat, quoties aliquem ex ea gente, ad quam illud ſepulchrum pertinet, humari in ipſo oporteat. Cæterum non abnuo, licite id fieri, ubi judicio Epiſcopi laudabilis ea conſuetudo cenſeatur, non vero nova Parochi alicujus extorſio.

IX. Quod tandem ait hic noſter §. cavendum Parochis, *ne permittant, ut pallia, aut alia Altaris ornamenta ad ornatum feretri, vel tumbæ adhibeantur*, in variis etiam Synodis ſtatutum compluries fuit, ac præſertim a S. Carolo in Synodo Provinciali Mediolanenſi i. Decreto xv. *Quæ pallia*, inquit, *aliaque ſacra indumenta Altarium uſui, & ornatui addicta ſunt, ea ad Sedis Epiſcopi, alteriuſve hominis Eccleſiaſtici, vel laici quavis dignitate præditi apparatum, aut ad funeris, Exequiarumve pompam, aut aliarum rerum, quæ profanæ ſint, uſum, ſive ornamentum, ne adhibeantur*. Idem ſtatuit in Synodo iii. Diœceſana, Decreto li. conſtituta etiam pœna in Parochum, qui pallium ipſum Altaris ad uſum funeris commodaverit: *Parochus, qui Altaris pallium cuipiam etiam quavis dignitate prædito ad funus ducendum, ſeu ad faciendas Exequias commodaverit, ſuis ſumptibus aliud illi ſimile comparet, quod pro funeribus commodaverat, idque illius Eccleſiæ ſit, unde alterum acceperat*. Subditque mox etiam ſic S. Antiſtes: *Pallium vero, quod funeri, aut Exequiis faciendis commodatum erit, ad Altaris uſum ne amplius adhibeatur, niſi Archiepiſcopi conceſſu*. Sed hujuſmodi Decreta, quæ & in aliis aliorum Epiſcoporum Synodis ſancita ſunt, jam paſſim negliguntur, cum ſæpe viderim contra noſtri hujus §. præſcriptum adhiberi in funeribus, Exequiiſque candelabra ipſa, quæ ſunt Altarium ornamenta, eiſque inſerviunt. Quod quidem *ſemper eſt contra ritum, nec tolerari debet*, ut Barruſaldus ait.

§. VII.

Cum tamen antiquiſſimi ritus Eccleſiaſtici ſit cereos accenſos in Exequiis, & funeribus deferre, caveant item, ne hujuſmodi ritus omittatur, aut nequid avare, aut indigne in eo committatur.

COMMENTARIUS.

I. USus cereorum in funeribus defunctorum antiquiſſimus eſt tum apud Gentiles, tum apud Chriſtianos. Quin & Gentilibus moris fuiſſe, non tantum faces in efferendis mortuorum corporibus præferre, ſed ad mortuorum ſepulchra certis temporibus lucernas accendere, conſtat ex Lege, *Mævia*, ff. *De manumiſſis teſtamento*, in qua refertur, quod Mævia famulis ſuis libertatem teſtamento dederit cum hoc onere, *ut monumento alterius menſibus lucernam accendant, & ſolemnia mortis peragant*. Ad hunc locum reflectens Auctor Romæ Subterraneæ, Lib. i. Cap. xviii. num. II. *En*, inquit, *luminaria accendendi mos, & mortuos hujuſmodi ritu colendi ex ipſis ſuperſtitionis gentilitiæ monumentis adnotatus*. Non deſunt qui autumant, a conſuetudine efferendi olim noctu corpora defunctorum (de qua pluribus diſſerit Gotofredus ad Legem v. Codicis Theodoſ. *De ſepulchris violatis*) originem habuiſſe morem faces, ſeu funalia incendendi, & mortuorum corporibus præferendi. Verum negari nequit, quin & diurnis funeribus Gentiles non modo, ſed & Judæi, ac primi etiam Chriſtiani lampades, lucernas, cereoſque adhibuerint, non tantum ad effugandas noctis tenebras, ſed & ad lætitiam inſinuandam, & pium Religionis cultum amplificandum. Teſtatur id quidem S. Hieronymus adverſus Vigilantium ſcribens, multiſque adſtruit Baronius ad annum LVIII. ubi etiam ſic inquit: *Cumque hæc ipſa æque Judæi factitarent, atque Gentiles, cur non potius a Judæis ea, ſicut & pleraque alia, quam a Gentilibus Eccleſiam eſſe mutuatam, dixerimus? Et ſi velimus accepta ab illis eſſe, quid abſurdum, ſi eadem in veri Dei cultum converſa fuerint, ut alia multa?*

II. Teſte S. Hieronymo in Epitaphio Paulæ Matronæ Romanæ, tranſlata fuit illa *Epiſcoporum manibus, & cervicem feretro ſubjicientibus, alii Pontifices lampadas cereoſque præferebant*. Teſte Euſebio Lib. iv. *De vita Conſtantini*, Cap. lxvi. ita illius funus celebratum eſt: *Milites ſublatum e lecto corpus in area aurea depoſuerunt, eamque purpurea obtectam veſte Conſtantinopolim deportarant, atque in præcipuo Imperialis Palatii cubiculo ſublime collocaverunt. Dehinc aurea ſuper candelabra luminibus undique accenſis, admirabile ſpectaculum intuentibus præbebatur*. Sed ut & alia exempla omittam, Patrumque veterum teſtimonia de cereorum uſu

in

in ſuneribus deſunctorum, loquens de Conſtantii ſunere S. Gregorius Nazianzenus, eum elatum eſſe ſcribit *luminibus accenſis*. Additque hæc verba notatu digna: *Quibus Chriſtiani tranſitum honorare pium cenſemus*. Prælatos ſuiſſe deſunctis cereos in ſignum triumphi ob peracti viriliter agonis curſum, inſinuat S. Joannes Chriſoſtomus Homilia IV. in Pauli Epiſtolam ad Hebræus: *Dic mihi*, inquit, *quid ſibi volunt iſtæ ſulgentes lampades? An non defunctos tamquam athletas deducimus?* Hinc vel poſt annum Chriſti milleſimum uſitata fuit in Officio Deſunctorum vox illa lætitiæ, *Alleluja*, non modo apud Græcos, uti in Euchologio videre eſt, ſed & apud Latinos, uti habetur in Remenſi ms. Codice a Menardo allato in Notis ad Librum Sacramentarii Sancti Gregorii Papæ, pag. 260. & in aliis multis. Ea quidem voce in Officio Deſunctorum adhibita ſignificare voluerunt Majores noſtri lætitiam, quæ toti Eccleſiæ ex morte Juſtorum obvenit. Unde S. Hieronymus Fabiolæ Matronæ Romanæ ſunus deſcribens, in ejus Ephitaphio ita inquit: *Jam fama volitans tanti prænuncia luctus totius Urbis populum ad Exequias congregabat. Sonabant Pſalmi, & aurata tecta Templorum in ſublime quatiebat ALLELUJA*. Ob allatam rationem in Deſunctorum Exequiis canebatur Pſalmus CXIII. *In exitu Iſrael de Ægypto*.

III. Quemadmodum denique hic noſter §. cavendum ait Parochis, *ne hujuſmodi ritus omittatur*, deferendi ſcilicet cereos acceoſos in Exequiis, & ſuneribus Deſunctorum, recte tamen mox mandans ſubdit, *nequid avare, aut indigne in eo*, ritu ſcilicet, *committatur*. Sicut reprehendendi ſunt Parochi, qui majorem vim cereorum prætendunt, quam facultates deſuncti ferunt, ita & eorum hæredes, ubi ea ſuppetat, ad eam præſtandam, & ad alios ſuneris ſumptus cogi merito poſſunt, juxta variorum Conciliorum Decreta, ac præſertim Provincialis I. Mediolanenſis Concilii, Capite inſcripto, *De Funeribus & Exequiis*, ubi S. Carolus ita plane inquit: *Si mortuorum hæredes ita ſe impie geſſerint, ut religioſum Exequiarum inſtitutum negligentes, Cruci, Clericis, & ſuneri debita lumina adhibere nolint, ab Epiſcopo ea cogantur comparare, quæ neceſſaria videbuntur*. His ſimilia legere eſt in aliis Synodis Provincialibus, Diœceſaniſque.

§. VIII.

Pauperes vero, quibus mortuis nihil, aut ita parum ſupereſt, ut propriis impenſis humari non poſſint, gratis omnino ſepeliantur, ac debita lumina ſuis impenſis, ſi opus fuerit, adhibeant Sacerdotes, ad quos deſuncti cura pertinet, vel aliqua pia Confraternitas, ſi fuerit, juxta loci conſuetudinem.

COMMENTARIUS.

I. Paſſim jam illud Epiſcopi in ſuis Ritualibus, ac Synodis ſtatuerunt, præſertim vero S. Carolus in ſua Provinciali Mediolanenſi I. Synodo, Cap. *De Funeribus, & Exequiis*, & in ſuis ad ſunera ducenda Inſtructionibus, ut *miſerabiles perſonæ, quibus mortuis, aut nihil ſupereſt, aut ita parum, ut ſua impenſa humari non poſſint, a Parocho ſumptibus Eccleſiæ ſepeliantur*. Dici nequit, quam in noſtra Italia Parochi quidam inhumaniter ſe geſſerint erga deſunctos pauperes, & adeo quidem, ut coacti non ſemel fuerint Epiſcopi tantam ſacrorum hominum impietatem caſtigare, & egenorum ſepulturæ providere. Audienda Beneventana Provincialis VI. Synodus, habita anno MCCCLXXIV. Tit. XIV. Cap. IX. ubi ita inquit: *Quia vero dudum multorum clamoroſa habuit inſinuatio, quod nonnulli pauperes, & egeni decedentes in Civitate, Diœceſi, & Provincia Beneventana, propter eorum inopiam pluribus diebus carebant Eccleſiaſtica ſepultura; ideo per Concilium Provinciale ſalubriter, & humaniter ordinatum eſt, quatenus ſub excommunicationis pœna, & unius unciæ, omnes. & ſinguli Rectores Eccleſiarum locorum prædictorum Parochialem Eccleſiam ſuneralem habentes, quamprimum ad eorum notitiam pervenerit de morte prædictorum decedentium, ſublato moræ præpedio, ſtatim ad eorum expenſas, ut convenit, ſepeliri faciant corpora defunctorum in Cœmeteriis Eccleſiarum ipſarum &c.*

II. Teneri Parochos pauperes ſuæ curæ commiſſos, vita ſunctos gratis ſepelire, ac debita etiam lumina in eorum ſunere ſuis impenſis adhibere, præter præſcriptum hujus noſtri Ritualis mandant paſſim Sacræ Synodi Provinciales æque ac Diœceſanæ. Quod autem ait hic idem noſter §. de pia Confraternitate, cujus eſt inſtitutum pauperes ipſos rite ad ſepulturam deſerre, revocat unam ex cauſis, ob quas inſtituta ſuit Romæ a Julio S. R. E. Cardinali Medice, qui ſuit poſtea Clemens Papa VII. atque ab aliis piis Viris Romanæ Curiæ Officialibus Archiconfraternitas Charitatis, nempe, *quod cadavera pauperum defunctorum quotidie per bajulos in plateis, ac locis publicis ejuſdem Urbis paſſim ad colligendum pro eorum vectura, & ſepultura eleemoſynas ponebantur, & ſine Cruce, & ſine lumine, ac cum magno dedecore, & Chriſtifidelium horrore, ad ſepulturam vehebantur*. Teſtatur id quidem Leo Papa X. in ſua Bulla data V. Kal. Februarii anno MDXIX. incipiente, *Illius, qui charitas eſt*, qua Archiconfraternitatem ipſam Charitatis approbavit, cujus inſtitutum ſepeliendi pauperos defunctos etiam ſubmerſos, qui vel intra, vel extra Urbem aliquando reperiuntur, & pro illorum animabus pia ſuffragia celebrandi, pie, religioſeque exercet hodie Societas Mortis nuncupata, quam inter, & Parochos, ob ipſam pauperum ſepulturam, litigia ſæpe excitantur. Gaudet & hoc privilegio ipſa Mortis Societas, ut defunctos in Agri Romani locis ab Urbe diſſitis Romam deſerant, & in Eccleſiis, in quibus ei magis lubeat, ſepeliant; ſed optandum eſſet, ut ad vitanda ſcandala, hujuſmodi privilegio cum moderatione utantur, ipſoſque mortuos, quos deferunt, in Eccleſiis viciinioribus, minuſque inſignibus ſepulturæ tradant.

§. IX.

§. IX.

Ubi viget antiqua conſuetudo ſepeliendi mortuos in Cœmeteriis, retineatur, & ubi fieri poteſt, reſtituatur; at vero cui locus ſepulturæ dabitur in Eccleſia, humi tantum detur. Cadavera autem prope Altare non ſepeliantur.

COMMENTARIUS.

I. QUum ſatis ſuperque de Cœmeteriis, antiquiſque Sepulturæ locis dixerim Tomo II. Romani Pontificalis, in Commentario ad Titulum VI. qui inſcriptus eſt, *De Cœmeterii benedictione*, paucis hic me expediam, illudque primum monebo, morem fuiſſe antiquum, ut Chriſtiani homines non in Eccleſiis, ſed in Cœmeteriis prope Eccleſias vita functi ſepelirentur. Ea plane loca humandis corporibus deſtinata, varia quidem olim nomina ſortita ſunt, quæ late exponuntur ab Auctore Romæ Subterraneæ, qui & antiquorum ſepulchrorum, & cryptarum arenariarum formas explicat exhibetque. Uſitatius autem, & olim, & hodie dicuntur *Cœmeteria* a Græco verbo κοιμάω, quod *dormire* ſignificat, quia ſcilicet Chriſtiani homines ob ſpem glorioſæ reſurrectionis, in ipſis Cœmeteriis non tam mortui jacere, quam dormire dicuntur, uti addiſcimus ex Evangelio Joannis, Cap. XI. ubi Chriſtus Lazarum, qui erat mortuus, *dormire dixit*; & ex Apoſtolo in Epiſtola ad Theſſolonicenſes, Cap. IV. ajente: *Nolumus, vos ignorare de dormientibus, ut non contriſtemini, ſicut & cæteri, qui ſpem non habent*. Ubi S. Hieronymus notat, *eos dormientes appellari, quia certum eſt, eos reſurrecturos*. Eandem rationem urgent, & alii Patres, quos citat Stephanus Durantus Lib. I. *De ritibus Catholicæ Eccleſiæ*, Cap. XXIII.

II. Neque vero in Cœmeteriis utcumque Chriſtiani humandi ſunt, ſed in iis, & quidem ex pervetuſto ritu, de quo dixi in citato Commentario ad prædictum Titulum VI. Romani Pontificalis, quæ fuerint prius ab Epiſcopo benedicta. Ex ipſorum autem Cœmeteriorum benedictionis formula, quæ hodieque in Pontificali extat, ſat conſtat, Cœmeteria unice benedici ad humationem corporum humanorum. Siquidem in ipſo benedictionis initio precatur Pontifex benedicens, *ut purgetur, benedicatur, ſanctificetur, & conſecretur hoc Cœmeterium, ut humana corpora hic poſt vitæ curſum quieſcentia, in magno judicii die ſimul cum felicibus animabus mereantur adipiſci vitæ perennis gaudia*. Et in alia oratione Deum ſupplicat, ut *famulorum, famularumque ſuarum corporibus in hoc Cœmeterium intrantibus quietis ſedem, & ab omni incurſione malorum ſpirituum tutelam benignus largitor tribuat*. Atque hæc, & ſimilia in ritu benedictionis Cœmiterii occurrentia evincunt plane, quod recte notavit Vanespen Parte II. Juris Eccleſiaſtici univerſi Tit. XXXVIII. Cap. II. num. XXV. in fine, *Cœmeteria proprie ad uſum ſepulturæ ex intentione Eccleſiæ deſtinari, & benedici; non ita vero ipſa Templa, in quorum etiam conſecratione corporum in eis ſepeliendorum mentio non fit, nec orationes, aut benedictiones ad ſepulturam corporum diriguntur*.

III. Pergit Auctur, aitque ſequenti num. XXVI. quod ſicuti antiquitus Chriſtiani non in ipſis Martyrum Sepulchris, ſed ad Limina Sepulchrorum SS. Martyrum ſepeliebantur, immo ut ibidem ſepeliri poſſent, privilegii loco habebant, ut nos alias late diximus, ita quoque non in Eccleſiis, in quibus SS. Martyrum requieſcunt, ſed in Cœmeteriis ſepeliri corpora mortuorum, viſum pleriſque Conciliis ſuit, præſertim vero Bracarenſi I. anni DLXIII. Can. XVIII. *Placuit*, ait, *ut corpora defunctorum nullo modo intra Baſilicam Sanctorum ſepeliantur, ſed, ſi neceſſe eſt, deforis circa murum Baſilicæ uſque adeo non abhorret*. Fuiſſe hanc veterem Eccleſiæ diſciplinam, conſtat ex Canone XV. apud Gratianum, Cauſa XIII. Quæſtione II. his verbis: *Prohibendum eſt etiam ſecundum Majorum inſtituta, ut in Eccleſia nullatenus ſepeliantur, ſed in Atrio, aut in Porticu, aut in Exedris Eccleſiæ*. Refert quidem hoc Decretum Gratianus ſub nomine Synodi Varenſis, ſed, uti monent Correctores Romani ad ipſum Gratiani locum, non reperitur recitatus Canon in prædicta Synodo, ſed extat in Concilio Namnetenſi anni DCCCL. e quo etiam illum referunt Regino Lib. I. Cap. CCXXV. & Burchardus Lib. III. Cap. CCIX. Cæterum ex ipſo Canone illud deducitur, tria fuiſſe loca ſepulturæ deſtinata, nempe Atrium, Porticum, & Exedram. Atque in his tribus locis, prope quidem, ſed non intra Eccleſiam ſepeliri mortuorum corpora mandat Synodus memorata Sæculo IX. celebrata, ſicut & aliæ eodem ævo habitæ, & inter alias Arelatenſis VI. anni DCCCXIII. Can. XXI.

IV. Recte vero illud quoque obſervat laudatus Vanespen num. XXXI. & ſeq. quod cum ſub idem tempus cœperit non tantum Epiſcopis, ſacriſque hominibus, ſed & laicis quibuſdam honoris cauſa concedi Sepultura in ipſis Eccleſiis, ac illis præterea, qui per vitæ meritum talem vivendo locum ſibi vita functis acquiſierant, hæc exceptio latum campum aperuit laicis Sepulturam in Eccleſia ambiendi, & Sacerdotibus plenam illis eam annuendi libertatem; tum potiſſimum quod ex Sepulturis intra Eccleſiam frequenter emolumentum notabile in Sacerdotes redundaret, dum vel laici ut honoratiorem Sepulturæ locum acciperent, in faciendis oblationibus erant liberaliores; vel etiam ipſi Sacerdotes pro locis honorabilioribus pretium exigere non erubeſcerent, uti ex innumeris fere Conciliorum, ac Summorum Pontificum Decretis oſtendi poſſet, quibus fœda quorundam Sacerdotum avaritia pro Sepulturis, Exequiſque exactio refellitur; & quidem merito, nam ob ipſam laicorum ambitionem & ſacrarum hominum cupiditatem factum plane eſt, ut priſca Patrum diſciplina religioſe aliquando obſervata de non ſepeliendis mortuis in Eccleſiis, quaſi ad interitum deſcenderit, ipſæque Eccleſiæ factæ ſint alicubi divitum quorumcumque Cœmeteria, relictis dumtaxat in ſepulturam pauperum Cœmeteriis extra Eccleſiam conſtructis.

V. At vero Eccleſia eodem ſemper ſpiritu ducta, licet pro temporum, & circumſtantiarum conditione, nonnumquam de externa diſciplina ali

aliquid remiſerit, prout in hoc puncto multum remiſit, ſatis tamen oſtendit, & in Conciliis, & in Ritualibus permultis, ac præſertim in noſtro Romano omnium principe, ut ex præſenti §. liquet, ſe nequaquam a priſca diſciplina recedere; dum mandat primum, ut, *ubi viget antiqua conſuetudo ſepeliendi mortuos in Cœmeteriis, retineatur, & ubi fieri poteſt, reſtituatur*; tum vero, *ut cui locus ſepulturæ dabitur in Eccleſia, humi tantum detur*; ac tandem, *ut cadavera prope Altaria non ſepeliantur*. Atque his plane conſonant Synodi paſſim Provinciales, Diœceſanæque, ac præſertim S. Carolus veteris Eccleſiæ diſciplinæ inſtaurator, ubi in Concilio Mediolanenſi Provinciali I. Capite inſcripto, *De Sepulturis*, monet Epiſcopos, *ut morem multis locis intermiſſum, mortuos in Cœmeteriis ſepeliendi, reſtituendum curent, inde ſubmotis, ſiqui ea uſurparint*. Additque mox, *ut ſi cui locus ſepulturæ deinceps dabitur in Eccleſia, humi tantum detur, & ſepulchrum, in quo condetur opere fornicato cum reliquo Eccleſiæ pavimento æquatum ſit*. Quod vero demum noſter §. tertio loco præſcribit, explicatum etiam habemus ab eodem S. Carolo, qui in Concilio Provinciali Mediolanenſi IV. Parte I. Capite, quod inſcriptum eſt, *De ſepulcbris*, poſtquam edixit, *ne Sepulturæ locus quovis nomine cuiquam detur; neve Sepulchra fiant, conſtruanturve in ulla quavis Eccleſia, ſine Epiſcopi conceſſu ſcriptis exarato*, ita ſtatim ſubjicit: *In Choro autem, vel Capella majori nullo modo*. Et mox: *Nec vero in aliis Eccleſiæ locis prope Altaria, niſi tam longe Sepulchra diſtent, ut ſepulchrale os a ſcabello, ſeu bradella Altaris procul abſit ſpatio cubitorum trium. Quæ autem propius extructa jam ſunt, omnino amoveri, obſtruive decernimus*. Cæterum non ſufficit, ut os Sepulcri prædicto, vel longiori etiam ſpatio, a ſcabello Altaris diſtet, ſed omnino cavendum eſt, ne ad Altaria adeo extendantur Sepulchra, ut ſub ipſis defuncti ſepeliantur; cum ſub Altaribus juxta antiquam, probatamque omni ævo Eccleſiæ diſciplinam, non aliorum corpora, ſed dumtaxat Sanctorum, ac præſertim Martyrum humari queant, ut in Commentariis noſtris ad Romanum Pontificale abunde oſtendimus.

§. X.

Sepulchra Sacerdotum, & Clericorum cujuſcumque Ordinis, ubi fieri poteſt, a Sepulchris laicorum ſeparata ſint, ac decentiori loco ſita; atque ita ubi commodum fuerit, ut alia pro Sacerdotibus, alia pro inferioris Ordinis Eccleſiæ Miniſtris parata ſint.

COMMENTARIUS.

I. EXtat in Actis Eccleſiæ Mediolanenſis a S. Carolo concinnatis Lib. I. Inſtructionis Fabricæ Eccleſiaſticæ Caput XXVII. inſcriptum, *De Sepulcris, & Cœmeteriis*, ubi S. Antiſtes ſacris Canonibus inhærens, qui Epiſcopos, Presbyteros, alioſque Eccleſiaſticos homines intus in Eccleſia ſepeliri ſanxerunt, peculiarem locum unicuique gradui pro ſepultura aſſignavit, ſic dicens: *Epiſcopalis igitur Sepulturæ locus in Baſilica Cathedrali pro Chori foribus ingreſſuve eſſe poteſt; ubi ſi locus decens aliquando non datur, alius deligatur, qui religioſo, venerabilique Epiſcopali nomini, ac dignitati convenientior ſit; non in Choro tamen, neque in Capella majori, ſed extra illius fines in alia Eccleſiæ parte decentiori, atque inſigniori. Sit ea a cæteris etiam Canonicalibus Sepulcris loco, & inſigni præterea aliquo Epiſcopali diſtincta. Sepulcra item ſint Canonicalia duo a dextero latere ſepulturæ Epiſcopalis, eaque, ut ſupra, aliquo interjectio ſpatio ſeparata, in quibus, & Canonici, & Capitulari dignitate præditi ſepeliantur. Totidem præterea in ſiniſtro latere certo etiam intervallo disjuncta, in quibus cæteri Baſilicæ Cathedralis Sacerdotes, Clerici, aliique Eccleſiaſtici Miniſtri humentur*. Similia his præſcribit de Eccleſiis Collegiatis, ſtatimque ſubdit, *ut præterea in ſingulis Eccleſiis Parochialibus etiam duæ Sepulturæ ſint, loco, ut ſupra demonſtrato, una propria Parochorum, Rectorumve earum, altera Clericorum Parochialium*. Atque hic nota unum tantum pro Eccleſiaſticis hominibus aſſignari Sepulcrum, ſive ii Sacerdotes ſint, ſive alii Clerici inferiores. Unum etiam variæ Synodi præſcribunt, inter quas noviſſima Caſalenſis ab Ignatio ab Eccleſia Caſalenſi Epiſcopo & Comite edita anno MDCCLVI. Cap. XXVIII. inter alia mandat, *ut in Parochialibus Eccleſiis, quibus deeſt Sepulcrum peculiare Eccleſiaſticis deſtinatum, conſtruendum curent Parochi una cum Clero*. Sed mirum illud videri debet, quod cum generatim Clericis ſepeliendis Sepulchrum unum præſcribat, rationem affert, quæ ſolos Sacerdotes ſpectat: *Dedecet enim quodammodo Eccleſiaſticorum corpora, quæ ſacro delibata ſunt Chriſmate, turmatim, & promiſcue cum cæteris Chriſtifidelibus ſepeliri*. Cæterum tametſi ex hoc noſtro §. ſeparata Sacerdotum, ac cæterorum Clericorum Sepulcra ſtatuantur, *ubi fieri poteſt, atque ita ubi commodum fuerit*, attendi nihilominus debent peculiares & in hanc rem propriorum Epiſcoporum Sanctiones præſcriptæ in eorum Synodis, vel Ritualibus.

II. Jam vero non modo ſtatutum in variis Ritualibus, ac Synodis fuit, ut Eccleſiaſticorum Sepulcra diſtincta ab iis ſint, in quibus laici homines ſepeliuntur, verum etiam ut inter laicos ipſos mares & feminæ in Sepulchris diſtinctis humentur, uti in multis Eccleſiis videre eſt, in quibus etiam puerorum ſepulcrum diſtinctum cernitur. Quem morem ſequutus memoratus Epiſcopus Caſalenſis citato loco ſic inter alia ſtatuit: *In Eccleſia pariter, aut Cœmeterio ſit locus peculiaris, quo pueri ante ſeptennium a Baptiſmo morientes tumulo mandentur, niſi familia proprium habuerit Sepulcrum*. Quæ quidem exceptio non modo locum habet in cæteris laicis, maribus, feminiſque, verum etiam in Eccleſiaſticis, ſacriſque hominibus, qui quidem non in Sepulchris diſtinctis, verum in ſuorum majorum gentilitiis condi ſolent, niſi alio loco ſepulturam elegerint, attendi enim ſemper ea electio debet.

§. XI.

§. XI.

Sacerdos, aut cujuſvis Ordinis Clericus defunctus veſtibus ſuis quotidianis communibus uſque ad talarem veſtem incluſive, tum deſuper ſacro veſtitu Sacerdotali, vel Clericali, quem Ordinis ſui ratio depoſcit, indui debet; Sacerdos quidem ſuper talarem veſtem Amictu, Alba, Cingulo, Manipulo, Stola, & Caſula, ſeu Planeta violacea ſit indutus.

§. XII.

Diaconus vero induatur Amictu, Alba, Cingulo, Manipulo ſuper humerum ſiniſtrum, quæ ſub axilla dextra annectatur, & Dalmatica violacea.

§. XIII.

Subdiaconus autem Amictu, Alba, Cingulo, Manipulo, & Tunicella.

§. XIV.

Alii præterea inferiorum Ordinum Clerici Superpelliceo ſupra veſtem talarem ornari debent, ſinguli prædicti cum tonſura, ac biretis ſuis.

COMMENTARIUS.

I. UT Epiſcopi Pontificalibus, ita Presbyteri, aliique Clerici defuncti congruis ſuis Ordinibus conſuevere indui veſtibus, ac ſepeliri. Extat ea de re egregium Anonymi Turonenſis Scriptoris teſtimonium in ſuo mſ. Speculo Eccleſiæ apud Martene Lib. III. *De antiquis Eccleſiæ ritibus* Cap. XII. num. XI. ubi ita inquit: *Clerici ordinati cum illis indumentis, in quibus fuerunt ordinati, debent & ſepeliri, & Sacerdos cum illis, cum quibus aſſiſtit Altari*. Et paulo poſt: *Super pectus vero Sacerdotis debet poni Calix loco ſigilli, quicquid ſit de Oblata; quod ſi non habetur ſtanneus, ſaltem Samius, ideſt fictilis. Samus enim eſt Inſula, ubi primo facta ſunt vaſa figuli. Epiſcopus debet habere annulum, quia Sponſus eſt. Cæteri Sacerdotes non, quia Sponſi non ſunt, ſed amici Sponſi, vel Vicarii. Item capilli debent Clerico tonderi, corona fieri, barba radi*. Ita Anonymus ille, quem ait laudatus Martene ad finem XII. Sæculi floruiſſe. Guilielmus Durandus Epiſcopus Mimatenſis, qui vixit labente Sæculo XIII. in ſuo Divinorum Officiorum Rationali, Lib. VII. Cap. XXXV. num. 41. deſcribens ritum ſuo tempore uſitatum, hæc habet: *Clerici, ſi ſunt ordinati, illis inſtrumentis induti ſint, quæ requirunt Ordines, quos habent. Si vero non habent Ordines ſacros, more laicorum ſepeliuntur*. Statimque addit: *Verumtamen licet in aliis Ordinibus propter paupertatem hoc ſæpius omittatur, in Sacerdote tamen, & Epiſcopo, nullo modo prætermittendum eſt*.

II. At vero idem quod in præſcriptis Paragraphis Romanum Rituale ſtatuit, ſervandum edixit, & quidem non ſemel S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolanenſi VI. Cap. inſcripto, *Quæ ad funera pertinent*, ſic dicens: *Clericus mortuus veſtitu Clericali Eccleſiaſtico, quem Ordinis ſui ratio depoſcit, indutus efferatur. Diaconali, Eccleſiaſticaque veſte Diaconus, Sacerdotali Sacerdos, Clericus Superpelliceo, tonſuraque ornatus, itidemque alii pro Ordinis Eccleſiaſtici gradu*. Expreſſiora ſunt, quæ de eadem re præſcripſit in Inſtructionibus ad funera ducenda, ubi ſic inquit: *Sacerdos, aut Clericus defunctus veſtibus quotidianis communibus uſque ad veſtem talarem incluſive, tum veſtitu Clericali Eccleſiaſtico, quem Ordinis ſui ratio depoſcit, indui debet. Sacerdos quidem ſupra talarem veſtem Alba, Cingulo, Amictu, Manipulo, Stola, & Caſula, ſeu Planeta albi coloris induitur. Diaconus Alba, Cingulo, Amictu, Manipulo, Dalmatica, & Stola ſuper humerum ſiniſtrum, quæ ſub axilla dextera annectatur. Subdiaconus vero Alba, Cingulo, Amictu, Manipulo, & Tunicella. Alii vero inferiorum Ordinum Clerici Superpelliceo ſupra veſtem talarem, & inſuper tonſura ornari debent. Itidem alii ſacro veſtitu pro Ordinis, dignitatiſque Eccleſiaſtici gradu*. Duo ſunt, quæ in allata hucuſque S. Caroli Inſtructione, adnotes velim, primum ſcilicet, Ambroſiano ritu indui Amictum poſt Albam, cum alias ritu Romano primum Amictus, ac deinde Alba induatur. Alterum eſt, ritu itidem Ambroſiano Sacerdotem defunctum indui Planeta albi coloris, cum cæteroqui Romano ritu adhibenda ſit tunc Planeta violacei coloris, ut ait noſter §. XI.

III. Porro noſtro Rituali Romano variæ concinunt Synodi, tum Diœceſanæ, tum Provinciales, inter quas Beneventana Provincialis Synodus XIV. anni MDCXCIII. ſub Fr. Vincentio Maria Cardinali Urſino, qui poſtea fuit Benedictus Papa XIII. Tit. XXVIII. Cap. XVIII. ita edixit: *In ſepeliendis Eccleſiaſticorum cadaveribus Rituale Romanum adamuſſim ſervetur. Inferiorum Ordinum Clerici Superpelliceo ſupra veſtem ornari debent. Subdiaconi Amictu, Alba, Cingulo, Manipulo, & Tunicella violacea. Diaconi Amictu, Alba, Cingulo, Manipulo, Stola ſuper humerum ſiniſtrum, quæ ſub axilla dextera annectatur, & Dalmatica violacea. Sacerdos, Amictu, Alba, Cingulo, Manipulo, Stola, & Caſula, ſeu Planeta violacea; ſinguli prædicti cum tonſura, & birretis ſuis*. Pergit Synodus, recenſetque veſtes, quibus Epiſcopus, & Ar-

Archiepiſcopus indui debent: *Epiſcopus vero Caligis, & Sandaliis, Amictu, Alba, Cingulo, Stola, Manipulo, Cruce pectorali, Tunicella, Dalmatica, Chirothecis, Planeta coloris violacei, Annulo, & Mitra ſimplici; & ſi fuerit Archiepiſcopus Pallio cum ſpinulis, & ſuper pectus ejus Crux aliqua, quam manibus teneat*. Jam non modo omnes iſtos efferri, exponique memoratis indutos veſtibus, verum etiam cum eiſdem ſepeliri debere, ſtatim ſubjicit Synodus ipſa ſic dicens: *Qui omnes cum eiſdem ornamentis ſepeliri debent, alia omnia, & quæcumque indumenta ſuſpenſa eo ipſo erunt, ad tenorem Conſtitutionis Arvernenſis* (anni DXXXV. Can. VII.) *quæ incipit*: Ne opertorio; *in qua ratio ſuſpenſionis adducitur, quia nempe ſacro velamine uſibus ſuis reddito, dum honorantur corpora, Altaria polluuntur*. Vix hodie invenies, qui eum ipſis veſtibus ſepeliantur; mos enim eſt, ut pleræque Eccleſiæ Parochiales, Collegiatæque veſtes ſervent ſoli uſui Eccleſiaſticorum mortuorum deſtinatas, ut ſcilicet ipſis induti efferantur, exponanturque, eiſdem exuendi, ubi mandandi ſunt ſepulturæ, ut prædictis Eccleſiis reſtituantur.

IV. Conſueviſſe vel olim alligari Calicem ſanctum inter manus defuncti Sacerdotis, præter allatum ſuperius Anonymi Turonenſis teſtimonium, exemplum habemus apud Amalarium Fortunatum, qui ex Beda narrans funus S. Cuthberti, exponit, quomodo veſtiri oporteat Sacerdotem defunctum, aitque Lib. IV. Cap. XLI. *Cuthberti cadaver primo lotum, poſtmodum caput Sudario circumdatum, veſtimento Sacerdotali indutum, Oblatis ſuper pectus ſanctum poſitis, cerata ſindone demum involutum, ſepultumque fuiſſe*. Subdit vero Amalarius, non eſſe dubitandum, quin hujuſmodi ritus in curando funere a Romana Eccleſia in Anglicanam, ubi Cuthbertus obierat, profectus fuerit; ac proinde colligere poſſumus, hunc ritum collocandi Calicis, & Patenæ ſuper defuncti pectus (id enim Amalarius Oblata vocat) Romæ, atque alibi jam tum uſitatum. Quod confirmatur memorabili exemplo S. Birini primi Epiſcopi Doreceſtrienſis, qui ab Honorio Papa I. Angliam miſſus obiit circa annum Domini DCXL. *Ejus deinde corpus, cum ad digniorem locum transferendum eſſet, aperto ſepulchro, inventum eſt integrum cum duplici Stola, & Inſula rubra e panno ſerico, atque cum Cruce e metallo confecta pectori ejus impoſita; denique cum Calice ad umbilicum ejus poſito*. Præſcriptum hunc ritum alligandi Calicem cum Patena inter manus defuncti Sacerdotis reperio in variis Synodis, ac præſertim in Provinciali Beneventana XIII. ſub Maximiliano de Palumbaria Archiepiſcopo, anno MDXCIX. Tit. LIII. *Sacerdotes mortui*, inquit, *cum paramentis Sacerdotalibus efferantur, Calice, & Patena ſuper pectus poſitis, atque cum Alba ſepeliantur*. Idem edicit, eiſdemque verbis Beneventana Provincialis Synodus XIII. ſub Johanne Baptiſta Foppa anni MDCLVI. Tit. XXIV. num. 16. Quod tamen tandem correxit laudata ſuperius Synodus Beneventana Provincialis ſub Fr. Vincentio Maria Card. Urſino anni MDCXCIII. Tit. XXVIII. Cap. XVIII. in fine, ubi ſic habet: *Calix ergo in Sacerdotum defunctorum manibus, & alia ſacra juxta illos non apponantur, ſed præſcriptus ab Eccleſia ritus exequutioni demandetur*. Porro tametſi nulla fiat in hoc noſtro §. mentio alligandi defuncti Sacerdotis manibus Calicem, quinimmo id etiam fieri Sacræ Rituum Congregationis Decreto vetitum ſit, vidi nihilominus, & alibi, & Romæ mortuos non paucos Sacerdotes Calicem manibus tenentes, præſertim vero Societatis Jeſu Presbyteros. Quod tamen eſt contra noſtri hujus §. præſcriptum, & merito a Sarnellio Epiſcopo Vigilienſi improbatum Tomo I. Epiſtolarum Eccleſiaſticarum, Epiſtola XXXIII. in fine, atque ab aliis Scriptoribus recentioribus.

§. XV.

Nullum porro cadaver perpetuæ ſepulturæ traditum ex ulla cujuſvis Ordinis Eccleſia aſportari liceat, niſi de licentia Ordinarii.

COMMENTARIUS.

I. Ne cuiquam ex ulla cujuſvis Ordinis Eccleſia mortui cadaver perpetuæ ſepulturæ traditum aſportari liceat, niſi facultate ab Epiſcopo impetrata, eaque literis nominatim exarata, ſtatuit inter alias Provincialis IV. Mediolanenſis Synodus S. Caroli, Conſtitutionum Parte II. Cap. *De Funeribus, & Exequiis*. Eam facultatem gratis a Cancellario tradendam, edixit jam etiam S. Carolus in Provinciali V. Synodo Mediolanenſi, Cap. *De Cancellario, & Notariis*. Ceterum quod ſine Epiſcopi licentia cadavera perpetuæ ſepulturæ tradita, inde aſportari nequeant, probari poſſet vel ex ipſo Jure Civili, quo cautum fuit, oſſa, ſeu reliquias defunctorum non poſſe transferri ſine Decreto Pontificum, ſeu juſſu Principis, L. *Oſſa*, *ff. de Religioſis &c.* L. III. §. *Non perpetuæ*, *De Sepulchro violato*. Quo ſpectat veteris monumenti inſcriptio, quæ legitur apud Joſephum Scaligerum, Lib. I. *Auſoniar. lection.* Cap. XII. *Reliquiæ trajectæ ex permiſſu Collegii Pontificum piaculo facto*. Teſte Lampridio, Commodi cadaver jam ſepultum erui juſſit Cingius Severus Pontifex non ſine Collegio Pontificum: *Cingius Severus dixit: Injuſte ſepultus eſt; quia Pontifex dico; hoc Collegium Pontificum dicit*. Si hæc inter Gentiles, non deterior debuit eſſe Sacerdotii ratio inter Chriſtianos, qui verum Numen, verum, & proprium habent Sacerdotium, ut ſcite obſervat eruditiſſimus Altaſerra, Lib. VI. *De juriſdictione Eccleſiaſtica*, Cap. XIII. Tollendus autem ille eſſet abuſus exigendæ ſcilicet pecuniæ ubi transferendum eſſet Superiorum permiſſu cadaver, cujus mentionem facit tanquam vel noſtro hoc ævo graſſantis religioſiſſimus Lupus Tomo IV. Operum Editionis Venetæ in ſecunda Proœmiali Diſſertatione, *De Simoniæ crimine, & variis ad ipſum ſpectantibus*, Cap. XII. ubi ſic inter alia ſcribit: *At vero hodie apud nos Chriſtianos ſiquis peregre moriens ſepeliri velit in Patria,*

ejus

ejus cadaver loco moveri, aut transferri non ſinitur, niſi ſingulis, per quarum territoria tranſierit, Parochialibus Eccleſiis perſolverit ſua jura. Additque mox: *Ea de cauſa quandoque videmus cadavera arreſtari; cujus conſuetudinis juſtitiam non video uſque huc, & cupio edoceri*. Porro invaluit alicubi abuſus, ut pro cadaveris translatione de uno in alium locum vectigal, ſeu gabella ſolveretur, quod tamen ſolvi non debere declaravit Sacra Romana Immunitatis Congregatio in una Firmana die x. Junii MDCXIII. etiamſi fiat cadaveris translatio de una in aliam Civitatem, ſive de Villa ad Urbem, uti poſt Riccium in ſua Synopſi, verbo, *cadaver*, tradit ad hunc noſtrum §. Barruſaldus, num. 133.

II. Sed ut magis magiſque hunc noſtrum §. enucleemus, ex ipſius quidem præſcripto, *nullum cadaver perpetuæ ſepulturæ traditum ex ulla cujuſvis Ordinis Eccleſia aſportari licet, niſi de licentia Ordinarii*. Ex quo docemur, licite fieri translationem, ubi ſepulturæ traditum eſſet cadaver, non perpetuæ, ſed per modum depoſiti, ut fieri ſolet de cadaveribus illuſtrium perſonarum. Rurſus limitandum eſt quod ait noſter §. ubi expurganda eſſent ſepulcra, & aſportanda oſſa vel ad publicum Cœmeterium, vel ad illud Eccleſiæ propriæ; itemque ſi per errorem aliquod cadaver humatum eſſet in ſepulcro non proprio, ut in ſepulcrum ei conveniens inferretur, non enim his caſibus opus eſſet licentia Epiſcopi. Cæterum quod neceſſaria ſit ipſa Epiſcopi facultas pro exhumatione, ſeu translatione cadaveris, ut ſæcularis Judex corpus in eo delicti, ut ajunt, recognoſcat, docent plerique Auctores citati a Barruſaldo ibidem, ubi etiam num. 39. Decretum Sacræ Congregationis Immunitatis recenſet in Maceraten. die VIII. menſis Auguſti anni MDCXLV. quo edicitur, eam exhumandi facultatem tradi ab Epiſcopo debere, etiamſi Eccleſia eſſet Regularium; nec Regulares poſſe de Jure exhumare cadavera perpetuæ ſepulturæ traditæ in ſuis Eccleſiis abſque Epiſcopi licentia, ut nempe a Curia ſæculari recognoſcantur; quod quidem probat ex alio Decreto Sacræ Congregationis negotiis Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ die 11. Septembris MDCXLIII. & confirmari etiam poteſt ex §. noſtri præſcripto, cui Decreta iſta conſonant.

§. XVI.

Laici cadaver, quolibet generis, aut dignitatis titulo præditus ille fuerit, Clerici ne deferant, ſed laici.

COMMENTARIUS.

I. Nihil ad explicandum hunc præſentem §. afferri luculentius poteſt, quam id quod in ſua Provinciali Mediolanenſi VI. Synodo ſtatuit S. Carolus, Capite inſcripto, *Quæ ad funera pertinent*, ubi ſic inter alia inquit: *Mortuum quovis etiam generis gradus, dignitatiſve nomine illuſtrem laicum Eccleſiaſtici homines ne efferant, ne item inferioris Ordinis Clericum qui in ſuperiori Ordine conſtituti ſunt. At vero Subdiaconum Subdiaconi, Diaconum Diaconi, & ſic in ordine cæteri; niſi neceſſitas aliquando ſuadeat, digniores ab inferioris Ordinis hominibus efferri*. Tum paulo poſt: *Laicum autem laicalis ordinis homines; quod officium etiam qui laici piæ alicui Confratriæ adſcripti ſunt, præſtare poterunt*. Similia his Decreta legere eſt in aliis Synodis; dedeceret enim quammaxime, ut Viri Eccleſiaſtici defunctos laicos quantalibet dignitate præſtantes efferrent. Hinc cum anno MDXCIII. Romæ cadaver Dominici Mari nobilis Januenſis ſepeliendum eſſet in Eccleſia S. Mariæ in Aracæli *portatum fuit per ſervitores, & domeſticos ſuos, quia Fratres Aracæli noluerunt illum portare, aſſerentes, ſe non eſſe ſacchinos, & Cardinales dumtaxat portare*. Ut ait in ſuo mſs. Diario Burchardus apud Caſimirum in Memoriis hiſtoricis Eccleſiæ, & Cœnobii Aracælitani, pag. 395. ubi etiam funus ipſum deſcribit.

II. Jam vero non deſunt antiqua exempla, quibus docemur, vel ipſas feminas, pias tamen, ac ſanctimonia præſtantes delatas ad Eccleſiam humeris Pontificum, teſte S. Hieronymo in Epitaphio Paulæ his verbis: *Translataque Epiſcoporum manibus, & cervicem feretro ſubjicientibus, cum alii Pontifices lampades, cereoſque præferrent, alii choros pſallentium ducerent, in media Eccleſia ſpeluncæ Salvatoris eſt poſita*. Afferri & alia poſſent id genus exempla, ſed ſtandum noſtro hujus Romani Ritualis præſcripto, quod complures Epiſcoporum Synodi confirmant, inter quas Hiſpalenſis Provincialis Synodus celebrata anno MDXII. Cap. XXV. ita ſtatuit: *Item mandamus, ut Sacerdotes non gerant ſuper humeris ſuis corpus defuncti, qui non ſit Sacerdos, excepto tempore tantæ neceſſitatis, ut non reperiatur commode qui illud deferat ad ſepulchrum*.

§. XVII.

Corpora defunctorum in Eccleſia ponenda ſunt pedibus verſus Altare majus, vel ſi conduntur in Oratoriis, aut Cappellis, ponantur cum pedibus verſis ad illarum Altaria, quod etiam pro ſitu, & loco fiat in ſepulchro. Presbyteri vero habeant caput verſus Altare.

COMMENTARIUS.

I. Fateor equidem, in nullo antiquo Rituali, Concilioque, me inveniſſe ſtatutum, quod in hoc §. præſcribitur, ut nempe corpora defunctorum, laicorum ſcilicet, in Eccleſia ponenda ſint pedibus verſus Altare, Presbyteri vero caput verſus Altare habeant; non dubi-

to tamen, quin antiquus ſit hujuſmodi ritus, cujus inter alios meminit Papalium cæremoniarum Magiſter Burchardus in ſuo mſs. Diario apud Caſimirum in Memoriis hiſtoricis Eccleſiæ, & Cœnobii Aracœlitani, pag. 396. & ſeq. ubi deſcribens funus Nicolai Conradi de Comitibus electi Compſani Archiepiſcopi, qui obiit Romæ anno Chriſti MCDXCIV. die xx. Septembris, & ſepultus fuit in prædicto Cœnobio, ſic inter alia inquit: *Aſcendimus per viam planiorem, videlicet ante Capitolium, & intravimus per portam lateralem Aracæli. Guardianus locuvit ſe verſus portam, & Crux verſus Chorum voluit immutari, aſſerens, ſic apud eos eſſe conſuetum. Ego nihilominus fieri feci, quod feretrum poneretur more conſueto, videlicet pedes verſus portam, & caput verſus Altare majus.* Sed nec deſunt exempla, quæ nos edocent, Sæculo XVI. etiam laicos defunctos poſitos fuiſſe in Eccleſia pedibus verſus portam, caput vero verſus Altare. Teſtatur id quidem Martinellus Ceſenas apud laudatum Caſimirum, pag. 401. ubi agitur de funere Magnifici Domini Joannis Georgii de Ceſarinis, qui obiit anno MDXXXII. die 15. Martii, in eadem Aracœlitana Eccleſia celebrato: *In Eccleſia poſtquam venerunt, corpus in media Eccleſia, caput verſus Altare, pedes verſus portam &c.*

II. Sed omiſſis variis exemplis, quæ hinc inde afferri poſſent, ſtandum eſt hodie Rituali Romano, ubi in hoc §. mandat, ut corpora defunctorum in Eccleſia ponenda ſint pedibus verſus Altare majus, vel ſi conduntur in Oratoriis, aut Capellis, ponantur cum pedibus verſus ad illarum Altaria, quod etiam pro ſitu, & loco fiat in ſepulchro. Ratio eſt, quia, ſicut inter alios notat ad hunc §. Barruſaldus, pedes hominis ſunt, qui præcedunt, dum intrat Eccleſiam, ita pedes ſemper primi eſſe debent verſus Altare, ut nempe facies Altare aſpiciat. Quæ quidem regula fallit in Sacerdote, mandante eodem hoc noſtro §. ut *Presbyteri habeant caput verſus Altare.* Iſtorum ſane cadavera poſtquam intraverint Eccleſiam, caput vertunt ad Altare ex privilegio dignitatis Sacerdotalis, per quod fit etiam, ut dum ad Altare celebrant, faciem vertant verſus populum, & terga Altari, etiam ſi in tabernaculo ibi extante claudatur Euchariſtia; quos enim ſalutamus, ad eos faciem vertimus; quod quidem cum non faciunt alii Miniſtri Altaris, ideo ſolis Presbyteris vita functis conceſſum eſt poni in Eccleſia cum facie verſa ad Altare, non vero aliis Clericis etiamſi in Subdiaconatus, vel Diaconatus Ordine conſtituti ſint.

III. Quod fit in Eccleſia pro Exequiis, idem faciendum eſſe in ſepulchro, admonet hic idem §. noſter, ut nempe ea etiam diſtinctio in ſepulchro ſervetur, ſcilicet *pro ſitu, & loco.* Extant enim in aliquibus Eccleſiis ſepulchra inverſo ordine conſtructa, in quibus non ita facile condi poſſunt cadavera juxta ritum præſcriptum, ut idem Barruſaldus obſervat. Cæterum teſte Durando Libro VII. Divinorum Officiorum, Capite XXXV. num. 39. *debet quis ſepeliri, ut capite ad Occidentem poſito pedes dirigat ad Orientem, in quo quaſi ipſa poſitione orat, & innuit, quod promptus eſt, ut de occaſu feſtinet ad ortum &c.* Cadavera tandem ex antiquo ritu ſupina in ſepulchro locantur, quia ſcilicet a Deo homini caput erectum datum fuit, ut cœleſtia intueatur, contempleturque.

§. XVIII.

Ceterum nemo Chriſtianus in communione Fidelium defunctus, extra Eccleſiam, ac Cœmeterium rite benedictum ſepeliri debet. Sed ſi neceſſitas cogat, ex aliquo eventu aliquando ad tempus aliter fieri, curetur, ut, quatenus fieri poterit, corpus in locum ſacrum quamprimum transferatur, & interim ſemper Crux capiti illius apponi debet, ad ſignificandum, illum in Chriſto quieviſſe.

COMMENTARIUS.

I. Neminem Chriſtianum in communione Fidelium defunctum, extra Eccleſiam, ac Cœmeterium rite benedictum, ſepeliri debere, antiquiſſima eſt Eccleſiæ diſciplina, quam paſſim Patres, Synodi, ac Rituales Codices probant, ut conſtat ex iis, quæ jam nos ſuperius attulimus. Ratio eſt, tum quia Sepulturæ in locis ſacris inſtitutæ ſunt in honorem Fidelium, ut qui pie vixerunt in fide Chriſti, & Eccleſiæ, etiam in morte ab Eccleſia excipiantur; tum etiam quia grave damnum cenſetur defuncto inferri, privare illum commodis, & fructibus, qui percipiuntur ex Sepultura in loco ſacro, & benedicto, quos ex S. Auguſtino in Libro, *De cura pro mortuis*, recenſent paſſim Scriptores, & inter alios Paulus Maria Quarti, in Tractato, *De benedictionibus*, Titulo II. Sectione XI. Præludio III. Cum autem corpora Fidelium defunctorum, qui in communione Eccleſiæ obierunt, Lege Eccleſiaſtica, & ſub gravi præcepto ſepeliri debeant in loco ſacro, peccaret certe graviter, qui aliquem pie defunctum ſepeliret in loco profano, ſeclusa gravi, & urgente neceſſitate, ut ait hic noſter §. qui tamen expreſſe edicit, ut *ſi neceſſitas cogat, ex aliquo eventu aliquando aliter fieri, curetur, ut, quatenus fieri poterit, corpus in locum ſacrum quamprimum transferatur; & interim ſemper Crux capiti illius apponi debet, ad ſignificandum, illum in Chriſto quieviſſe.* Eſſe hunc antiquum morem, *ut in quocunque loco extra Cœmeterium Chriſtianus ſepeliatur, ſemper Crux capiti illius apponi debeat, ad notandum, illum Chriſtianum fuiſſe, & quia hoc ſignum diabolus valde veretur, & timet accedere ad locum Crucis ſignaculo inſignitum*, notavit jam Durandus Lib. VII. Rationalis Divinorum Officiorum, Cap. XXXV. numero 4. & ante illum Joannes Belethus in explicatione Divinorum Officiorum, Cap. CLIX. ubi etiam varios caſus recenſet circa mortuos in locis, quibus non poſſet præſentanea dari ſepultura: *Proinde ſiquis interficiatur in obſidione, vel aliquo tumultu, nec poſſet habere Cœmeterium, ſepeliant ipſum, ubi poſſunt. Si vero aliquis moriatur in mari, & terra fuerit vicina, navigent il-*

illuc, ipſumque ibi ſepeliant, Sed ſi procul a terra abſfuerint, videantque in medii mari Inſulam, vertant eo vela, & ſepeliatur in Inſula. Verum ſi terram penitus non videant, paretur ipſi domuncula quædam ex lignis, ſi poſſit haberi, & projiciatur in mare. Tum vero mox ſubiicit, ob rationes ſuperius ex Durando explicatas, *quandocumque ſepelitur Chriſtianus, vel quocumque etiam loco, Crucem capiti ejus apponi debere.* Cæterum aliquando mortuis Cruces, vel appenſas fuiſſe, vel manibus inſertas, ex Prato Sophronii refert Gretſerus Tomo I. *De Cruce*, Lib. II. Capite XV. in fine; factumque id eſſe ait Lib. II. *De Funere Chriſtiano*, Cap. XIII. ut teſtarentur beneficia per Lignum Sanctæ Crucis accepta, quæ S. Chryſoſtomus in Homilia XVI. in Geneſim pulchre oſtendit, conferens inter ſe lignum, ſeu arborem Scientiæ boni, ac mali, & Lignum Crucis: *Nam lignum illud*, inquit, *mortem introduxit, ſed iſtud immortalitatem dedit; illud e Paradiſo ejecit, iſtud in Cælos nos reduxit; illud propter unam transgreſſionem tanti ſupplicii reum Adamum effecit, iſtud nos plurimis peccatorum ſarcinis exoneravit, fiduciamque ad Dominum nobis conceſſit.* Sed id genus teſtimonia jam plura legere eſt apud alios Patres.

CAPUT II.

Quibus non licet dari Eccleſiaſticam Sepulturam.

§. I.

Ignorare non debet Parochus, qui ab Eccleſiaſtica Sepultura ipſo jure ſunt excludendi, ne quemquam ad illam contra Sacrorum Canonum Decreta unquam admittat.

COMMENTARIUS.

I. QUum Jure communi inſpecto Parochi ſint Sepulturarum, ac Funeralium Parochianorum ſuorum ordinarii Miniſtri, uti paſſim Canonici Juris Interpretes docent; hinc merito Rituale hoc noſtrum Romanum, ſicut & alia variarum Eccleſiarum Ritualia, atque Epiſcoporum Concilia, ubi de Sepulturis, ac Funeralibus agunt, ad ſolos fere Parochos tanquam Miniſtros ordinarios ſua Decreta dirigunt, eoſque monent, & inſtituunt, quid agere, & quid cavere in his debeant. Recte itaque ait hic noſter §. ignorandum minime eſſe Parocho, *qui ab Eccleſiaſtica Sepultura ipſo jure ſunt excludendi*; eamque mox rationem ſubjicit, *ne quemquam ad illam contra ſacrorum Canonum Decreta unquam admittant*. Quinam vero excludendi ſint ab ipſa Eccleſiaſtica Sepultura, ex ſequentibus Paragraphis, & ex noſtris ad ipſos Commentariis licet addiſcere, atque ex variis Auctoribus, qui eam rem latius tractarunt.

§. II.

Negatur igitur Eccleſiaſtica Sepultura Paganis, Judæis, & omnibus infidelibus, hæreticis, & eorum fautoribus, apoſtatis a Chriſtiana Fide, ſchiſmaticis, & publicis excommunicatis majori excommunicatione, Interdictis nominatim, & iis, qui ſunt in loco interdicto, eo durante.

COMMENTARIUS.

I. ILlud jam primo notandum eſt, nulli Eccleſiam inhumationem negare, niſi Eccleſiaſticam, ſolumque vetuiſſe, quorundam corpora in loco *religioſo*, & *ſacro*, aut *ritu Eccleſiaſtico* ſepeliri. Denegatur porro Eccleſiaſtica Sepultura, ut ait hic noſter §. *Paganis, Judæis, & omnibus infidelibus, hæreticis, & eorum fautoribus, apoſtatis a Chriſtiana Fide, ſchiſmaticis &c.* Hanc eſſe veterem Eccleſiæ diſciplinam ad noſtra uſque tempora ſervatam, conſtat ex variis Conciliorum Canonibus in Corpus Canonici Juris relatis, ex Canone XXV. & ſeq. *De conſecratione*, Diſtinctione I. *Eccleſiam*, inquit, *in qua Paganus ſepultus eſt, non liceat conſecrare, neque Miſſas in ea celebrare, ſed jactare foras, & mundare oportet*. Atque hic eſt laudatus Canon XXV. Sequentis vero Canonis verba hæc ſunt: *Eccleſiam, in qua mortuorum cadavera infidelium ſepeliuntur, ſanctificare non licet; ſed ſi apta videtur ad conſecrandum, inde evulſis corporibus, & raſis parietibus, vel tignis ejus loci, reædificetur; ſed ſi hæc conſecrata ante fuerit, Miſſas in ea celebrare licet, tamen ſi Fideles fuerunt, qui in ea ſepulti ſunt.* Similia legere eſt in variis Synodis, ac Ritualibus, quorum loca paſſim deſcribunt, qui res Theologicas, & Rituales tractarunt. Non omittendus tamen de ea re S. Caroli locus in ſuis ad funera ducenda Inſtructionibus, in quibus expreſſe inter alia mandavit, negandam Eccleſiaſticam Sepulturam *Paganis, Judæis, & hæreticis*; ſi nimirum, ut tales ſint publice convicti, & denunciati, aut publice profeſſionem hæreſeos, & ab Eccleſia receſſum profiteantur, ut notat Vaneſpen Par. II. Tit. XXXVIII. Cap. VI. num. XVII.

II. Quum vero generaliter ab Eccleſiaſtica Sepultura ſecluſi habiti jampridem fuerint, qui ab unitate Eccleſiæ ſegregati uſque ad mortem manſerunt, & in hac ſegregatione defuncti ſunt, ut ait Innocentius Papa III. in Cap. *Sacris* XII. *De Sepulturis*, hinc excommunicati, quibus communicare non poſſumus in vivis, a Sepultura Ec-

Eccleſiaſtica ſunt excludendi, quemadmodum reſpondit laudatus Pontifex. Quod quidem confirmatur ex Capite VI. *De privilegiis*, in prima Decretalium collectione, cujus fragmentum extat in Cap. V. Tit. eodem, ubi ſcribit Cantuarienſi Archiepiſcopo Alexander III. ſe intellexiſſe, quod *Hoſpitalarii nominatim excommunicatos contra prohibitionem Epiſcoporum Eccleſiaſticæ præſumunt tradere Sepulturæ*; *non cogitantes*, ait, *quoniam grave ſit eis in morte communicare, quos, dum viverent, Eccleſia a ſuo ſinu pro ſuis exceſſibus ſegregavit*. Deinde ſubdit, hujuſmodi præſumtionem, & temeritatem nullatenus eſſe tolerandam.

III. Rurſus Rituale Romanum in hoc §. inter excludendos ab Eccleſiaſtica Sepultura numerat *publicos excommunicatos* majori excommunicatione. Eoſdem paſſim omnia Ritualia, & complura Concilia a Sepultura Eccleſiaſtica excludendos eſſe notant. Additque Gloſſa in Cap. *Literas*, *De reſtitutione ſpoliatorum*, & S. Carolus in laudatis ſuis Inſtructionibus, ei pœnæ ſubjici excommunicatos majori excommunicatione etiam injuſte. Paſtorale Mechlinenſe, ut obſervat Vaneſpen loco citato, num. XV. inter repellendos a Sepultura Eccleſiaſtica etiam reponit excommunicatum, ſed addit *publice denunciatum*: *Nullus*, inquit, *excommunicatus, & publice denunciatus ſacra Sepultura eſt cohoneſtandus*. Et ſane, ut verbis utar ejuſdem Vaneſpen, quum juxta extravagantem Martini V. nullus publice excommunicatus, niſi ſit denunciatus, ſi publicos Clericorum percuſſores excipias, ſit in vivis vitandus, ut eſt communis Doctorum ſententia, non apparet, quare poſt mortem communicari cum hiſce nequeat. Cæterum quod ſepelientes excommunicatos excommunicatione majori, ſint ipſo facto excommunicati, habetur in Clementina I. *De Sepulturis*, quam citat Sacerdotale Romanum Venetiis impreſſum anno MDLXVII. Capite XXII. inſcripto, *Quibus perſonis denegatur Sepultura Eccleſiaſtica*, pag. 147. ubi etiam ait, excludendos eſſe ab ipſa Eccleſiaſtica Sepultura excommunicatos minori excommunicatione, *ſi notorie excommunicati ſint*.

IV. Variis omiſſis quæſtionibus, quæ inhumationem excommunicatorum ſpectant, eadem ratione, qua excommunicati excluduntur a Sepultura Eccleſiaſtica, excluſi etiam ſunt ex præſcripto noſtri Ritualis, & complurium Conciliorum, *Interdicti nominatim*, *& ii*, *qui ſunt in loco interdicto, eo durante*. His concinit quæ præſcribit in ſuis memoratis Inſtructionibus S. Carolus, ubi ita ait: *Interdictis nominatim, & contrafacienti propoſita eſt pœna excommunicationis, & durante tempore Interdicti, illis, qui ſunt de loco interdicto; atque iis, quibus eſt interdictus ingreſſus Eccleſiæ*.

§. III.

Seipſos occidentibus ob deſperationem, vel iracundiam, non tamen ſi ex inſania id accidat, niſi ante mortem dederint ſigna pœnitentiæ.

COMMENTARIUS.

I. INter alios, quibus Eccleſiaſtica neganda eſt Sepultura, ſunt profecto & ii, qui ſeipſos occidunt, & quidem *ob deſperationem, vel iracundiam, non tamen ſi ex inſania id accidat*, ait hic noſter §. Eſſe hanc pervetuſtam Eccleſiæ diſciplinam, ut qui ſibi voluntarie mortem conſciſcunt, ab Eccleſiaſtica Sepultura excludantur, probari poſſet ex innumeris plane Synodis, ac Ritualibus. Celebre eſt de hac re Concilii Bracharenſis anni DLXIII. Decretum, Canone XVI. *Item placuit, ut qui ſibi ipſis, aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut ſuſpendium, vel quolibet modo violentam inferunt mortem, nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum Pſalmis ad Sepulturam eorum cadavera deducantur; multi enim ſibi hoc per ignorantiam uſurpaverunt*. Intelligendum eſſe hunc Canonem, alioſque ſimiles de iis, qui, ut ait hic noſter §. occidunt ſe *ob deſperationem, vel iracundiam, non tamen ſi ex inſania*; ſive, ut notat Provincialis Beneventana Synodus VI. anni MCCCLXXIV. ſub Hugone II. Guidardio, Capite XIII. & Sacerdotale Eccleſiæ Romanæ, loco citato, *ex furore, vel caſu*; & ut plerique etiam docent, ſervandæ pudicitiæ cauſa; licet dubitatum aliquando fuerit, an puella quædam, quæ de ſtupro ſollicitata a nobili viro, raptorum imminentium vim fugiens, de ponte in amnem prolapſa, aquis ſubmerſa eſt, tradenda eſſet Eccleſiaſticæ Sepulturæ, quaſi manus ipſa ſibi conſciviſſet, conſultus de ea re Innocentius Papa III. in Cap. *Ex parte* XI. *De Sepulturis*, reſpondit, non denegandam ei Sepulturam Eccleſiaſticam, cum non ultro ſe præcipitem dederit, ſed coacta raptoribus perſequentibus, maxime ex honeſta cauſa, nempe ut pudori conſuleret; quod quidem eſt potius genus martyrii, quam ſuipſius homicidium.

II. Porro celebrantur quædam Virgines, quas Eccleſia colit ut Martyres, quæ morte propria pudicitiam redimerunt, ut Pelagia, quæ cum matre, & ſororibus præcipitem ſe dedit in flumen, ne ab irruente milite violaretur; quamque ob præclarum facinus S. Ambroſius, Lib. III. *De Virginibus*, miris extulit præconiis, & Sanctus Chryſoſtomus pro Concione laudavit duabus Orationibus, quæ extant apud Surium ad diem IX. Junii. Scribit quoque S. Athanaſius in ſua Apologia, nonnullas Virgines Alexandrinas, dum graſſarentur in eas Ariani, ſe ſe in puteos præcipites egiſſe. Extantque alia complura hujuſmodi exempla, quorum meminit S. Auguſtinus Lib. I. *De Civitate Dei*, Cap. XXVI. his verbis: *Quædam, inquiunt, ſanctæ feminæ tempore perſecutionis, ut inſectatores ſuæ pudicitiæ devitarent, in rapturum, atque necaturum ſe flumen projecerunt, eoque modo defunctæ ſunt, earumque martyria in Catholica Eccleſia veneratione celeberrima frequentantur. De his nihil temere audeo judicare*. Et hic eſt unicus caſus, quo virgini licet propria manu ſe conficere, ubi pudicitiæ imminet periculum; atque huc facit quod ſcri-

ſcribit S. Hieronymus in Jonam, Cap. I. relatus in Canone x. Cauſa xxIII. Quæſtione v. *Non eſt noſtrum mortem arripere, ſed illatam ab aliis libenter accipere. Unde & in perſecutionibus non licet mihi propria perire manu abſque eo, ubi caſtitas periclitatur, ſed percutienti colla ſubmittere.*

III. Notandum hic tamen velim, quod & ad annum Chriſti CCCIX. obſervat Baronins, exempla virginum hucuſque allata, quæ ſervandæ pudicitiæ gratia mortem ſibi intulerunt, admiranda illa quidem eſſe, ſed non facile imitanda. Nam alias, qui ſeipſos occidunt tædio, vel deſperatione vitæ, ſeu iracundia, quod graviſſimum perpetrent ſcelus, merito ab Eccleſiaſtica Sepultura excluduntur, *niſi ante mortem dederint ſigna pœnitentiæ*; ut ait hic noſter §. & ut quidam etiam Theologi docuerunt: *Nota tamen ſecundum quoſdam*, inquit Sacerdotale Sanctæ Eccleſiæ Romanæ loco ſuperius citato, *quod, ſi ille, qui occidit ſe ex deſperatione, aliquandiu poſt vulnus viveret, ita quod eum pœniteret, & confiteretur, & oſtenderet ſigna contritionis in morte, tali non eſt deneganda Eccleſiaſtica Sepultura, ex quo non decedit in peccato mortali.* Cæterum ejus ſum opinionis, tunc eum privandum Sepultura loci ſacri, ubi conſtat ſe ipſum occidiſſe, & quidem, ut toties dictum eſt, ob deſperationem, vel iracundiam, ne in manus ſcilicet Judicis, vel hoſtium incideret, vel tædio vitæ, quod infame aliquod ſcelus perpetravit, vel ob alias ſimiles cauſas; nam alias ſi conjecturæ adſint, quod ab alio fuerit occiſus, vel quod ex inſania ſe ipſum occiderit, privari Sepultura Eccleſiaſtica non debet. Hinc ſi repertus occiſus ſpectatæ probitatis fuerit, vel ob antecedentem melancholiæ morbum, furori, & amentiæ eum fuiſſe obnoxium, Viri prudentes teſtentur, excludi non debet ab ipſa Eccleſiaſtica Sepultura, quia in dubio non eſt præſumendum delictum, præſertim tam atrox, & a natura alienum. Tandem cum non raro accidat, ut quis caſu in puteum decidat, ideo in tali dubio defunctus excludi non debet a loco ſacro. Atque hæc eſt communis Scriptorum doctiorum opinio.

§. IV.

Morientibus in duello, etiamſi ante obitum dederint ſigna pœnitentiæ.

COMMENTARIUS.

I. EXtat in Concilio Œcumenico Lateranenſi III. Canon xx. adverſus torneamenta, quæ ſpecies ſunt duellorum, quæque a nobis explicata fuere noſtro Tomo III. Commentariorum in Concilia Œcumenica. Eo Canone jam non modo torneamenta vetantur, verum etiam vulneratus in eis, ſi moritur, ab Eccleſiaſtica Sepultura excluditur, licet ante mortem pœnituerit. Torneamentis paria ſunt ſingularia illa certamina, quæ, ut dixi, hodie duella vocantur, de quibus agit Generalis Synodus Tridentina Seſſione xxv. Cap. XIX. *De reformatione*; ſtatuitque inter alia, ut *qui pugnam commiſerint, & qui eorum patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum ſuorum proſcriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant, & ut homicidæ juxta ſacros Canones puniri debeant; & ſi in ipſo conflictu deceſſerint, perpetuo careant Eccleſiaſtica Sepultura.* Hanc pœnam Ritualia paſſim, & Synodorum Decreta renovant; ſed addit tamen in hoc §. Rituale Romanum, denegandam Eccleſiaſticam ſepulturam *morientibus in duello, etiamſi ante obitum dederint ſigna pœnitentiæ.* Quam clauſulam adjiciens Romanum Rituale reſpexiſſe videtur ad poſtrema verba laudati Canonis xx. Concilii III. Œcumenici Lateranenſis relati in Cap. I. *De torneamentis*, cujus verba ultima hæc ſunt: *Quod ſiquis eorum ibi mortuus fuerit, quamvis ei poſcenti pœnitentia non negetur, Eccleſiaſtica tamen careat Sepultura.*

II. Concilii Lateranenſis Decretum confirmarunt poſtea paſſim aliæ Synodi, in quibus etiam ea clauſula legitur. Synodus VI. Provincialis Beneventana anni MCCCLXXIV. Tit. XIV. Cap. XIII. ait negandam Eccleſiaſticam Sepulturam *& illis, qui in torneamentis moriuntur pugnantes, vel ſi ibi vulnus lethale acceperint.* Additque mox: *Nam quamvis poſtea ſupervixerint aliquandiu, licet Pœnitentia, & Eucbariſtia eis negari non debent, tamen negabitur Sepultura Eccleſiaſtica.* Sanctus Carolus in ſuis ad funera ducenda Inſtructionibus, nonnulla tradit, quæ & hunc noſtrum §. quammaxime illuſtrant: *Morientibus in torneamentis* (loquitur de iis, quibus neganda eſt Sepultura Eccleſiaſtica) *ſive extra torneamentum ob vulnus in ea receptum, etiamſi eos pœniteat, modo ſint de numero eorum, qui in eo dimicabant, vel in eo ſe exercentibus arma ſuppeditabant; nam adſtantes non comprehenduntur; extenditur tamen hæc pœna ad morientes in haſtiludiis quando hujuſmodi ludi itidem exercentur cum probabili periculo mortis.* Teſte Juenino in Opere, *De Sacramentis*, Diſſertatione VI. Quæſtione VII. Cap. IV. Articulo IV. §. I. Clerus Gallicanus, ideſt, Epiſcoporum Galliæ Conventus poſt decretam contra monomachos excommunicationis ſententiam, edixit quidem, ut quotquot mortem poſt duellum oppeterent, Eccleſiaſtica Sepultura privarentur, tametſi editis pœnitentiæ ſignis, Sacramentalem Abſolutionem conſequuti eſſent; ſed tamen quantum ad eos, qui aliquot dies ab inflicto læthali vulnere viverent, & per id temporis eximio probato dolore ad percipiendam Euchariſtiam rite diſpoſiti comperirentur, annuit ipſis Eccleſiaſticam Sepulturam, ſed ea lege, ut ad eorum Exequias nulla pompa funebris, nullus Campanarum clangor, aut alius quiſpiam ritus in Fidelium Funeribus uſurpari ſolitus adhibeatur,

III. Porro pluribus Romanorum Pontificum Conſtitutionibus, quibus duella ſevere interdicta ſunt, omiſſis, non eſt ſilentio prætereunda hoc loco noviſſima de ea re BENEDICTI XIV. Conſtitutio, quæ incipit, *Deteſtabilem*, data anno MDCCLII. per quam innovantur veteres omnes ejus Prædeceſſorum Conſtitutiones in deteſtabilem duellorum abuſum, atque inſuper damnantur quorumdam aſſertiones, qui, dum rem per ſe, &, ut inquiunt, in abſtracto diſcutiebant, amplam nimium viam ſternebant & ipſi mono-

ma-

machiæ perpetrandæ, & illius reis ad effugiendas pœnas in ipſos ſtatutas. Inter cætera vero in eadem decretum eſt, recenſitas ibidem pœnas, ipſo jure, atque ante omnem Judicis ſententiam, a tranſgreſſoribus incurrendas, eoſque Eccleſiaſtica Sepultura carere debere, ſi decedant ex vulnere in duello accepto, quamvis extra locum conflictus occubuerint, obtinuerintque a peccatis ſimul, & Cenſuris abſolutionem, eo plane modo, quo in citato Lateranenſi Concilio cautum fuit, ne in loco ſacro tumularentur ii, qui in torneamentis decedebant, licet, antequam extremum vitæ ſpiritum ederent, non incerta pœnitentiæ ſigna exhibentes, Abſolutionem retuliſſent, Decedentibus quippe in torneamentis Eccleſiaſticis Sepultura univerſim denegatur; iiſque tantummodo ab hac Sanctione eximuntur, qui cum ad ſtatutum torneamentis locum, haud quidem dimicaturi, ſed alio conſilio acceſſerint, ſubito inopinatoque caſu ibidem occumbunt; uti conſtat ex Decretali Epiſtola Alexandri Papæ III. relata in Capite, *Ad audientiam*, *De torneamentis*, quam etiam recenſet BENEDICTUS Papa XIV. Lib. XIII. *De Synodo Diœceſana*, Capite VII. Num. X. In ſumma morientibus in duello, etiamſi ante obitum dederint ſigna pœnitentiæ, & iccirco abſoluti ſint apud Deum, & Sacramentis donentur, privantur nihilominus Eccleſiaſtica Sepultura, ut alii terreantur, & ab eo deteſtabili ſcelere abſtineant, cum viderint illos a pia Matre Eccleſia rejici, & in loco, more Paganorum, profano ſepeliri.

§. V.

Manifeſtis, & publicis peccatoribus, qui ſine pœnitentia perierunt.

COMMENTARIUS.

I. Excludendos eſſe ab Eccleſiaſtica Sepultura manifeſtos, & publicos peccatores, qui ſine pœnitentia perierunt, recte edicit hic noſter §. nititurque variis Canonibus, quos recenſet Sacerdotale antiquum Eccleſiæ Romanæ, Cap. XXII. pag. 147. & ſeq. ſuntque Canon, *Quibus peccata*, Canon, *Cum gravia*, Canon, *Non æſtimamus*, & Canon, *Pro obeuntibus*, Cauſa XIII. Quæſtione II. Ex præſcripto S. Caroli in Inſtructionibus ad funera ducenda, denegatur Eccleſiaſtica Sepultura *cuilibet notorio peccatori morienti in peccato mortali abſque ullo ſigno contritionis*. Atque hanc regulam ſervatam non ſemel vidi in iis præſertim, qui in meretricum domibus, cum quibus carnale comercium habebant, ſubita morte perierunt. Manifeſtis & publicis peccatoribus addi poſſunt manifeſti raptores, & violatores Eccleſiarum, itemque manifeſti uſurarii, qui, niſi pœniteant, excludendi ſunt & ipſi ab Eccleſiaſtica Sepultura. Sed de his vide quid ſtatuerint Eugenius III. & Gregorius Papa X. ille in Capite II. *De raptoribus &c.* hic vero in Capite II. *De uſuris* in VI. Conſule etiam S. Carolum in laudatis toties Inſtructionibus ad funera ducenda, ac doctiores Canonici Juris Interpretes.

§. VI.

Iis, de quibus publice conſtat, quod ſemel in anno non ſuſceperunt Sacramenta Confeſſionis, & Communionis in Paſcha, & abſque ullo ſigno contritionis obierunt.

COMMENTARIUS.

I. Merito cautum eſt ex hoc noſtro §. ut Eccleſiaſtica Sepultura denegetur *iis, de quibus publice conſtat, quod ſemel in anno non ſuſceperunt Sacramenta Confeſſionis, & Communionis in Paſcha, & abſque ullo ſigno contritionis obierunt*. Id etiam aperte jam pridem ſtatutum fuerat in Concilio IV. Oecumenico Lateranenſi, Canone XXI. relato in Cap. *Omnis utriuſque ſexus*, XII. *De pœnitentiis, & remiſſionibus*, quem nos fuſe explicuimus noſtro Tomo III. Commentariorum in Concilia Oecumenica. In ipſo quippe Canone in non ſatisfacientem Præcepto Paſchalis Communionis ibi præſcripto decernitur, ut, *& vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtiana careat Sepultura*. Porro ſpectant hunc noſtrum §. quæ edixit S. Carolus in citatis Inſtructionibus ad funera ducenda, ubi illos recenſet, quibus negatur Eccleſiaſtica Sepultura: *Iis*, inquit, *de quibus certum eſt, & manifeſtum, quod ſemel in anno non receperunt Sacramentum pœnitentiæ, vel ſanctiſſimæ Eucbariſtiæ in Paſcha ſine licentia Confeſſarii, & abſque ullo ſigno contritionis obierunt. Si vero dubium eſt, vel occultum, quod non receperint ea Sacramenta, non debet eis denegari Eccleſiaſtica Sepultura. Ad probandum autem, quod hujuſmodi homines aliquod ſignum contritionis dederint, ſufficit unus teſtis, & hæredes tenentur pro eo ſatisfacere, ut opus eſt*. Cæterum adnotandum hic illud, qui Præceptum Paſchale non implevit, ſi decedat, antequam per Edictum declaretur incurſus in pœnam Interdicti, non eſſe eum Eccleſiaſtica Sepultura privandum, ſed ſepeliendum in loco ſacro, quia ſcilicet non ſubjacet pœnæ, donec quis declaretur in eam incurſus juxta Reſponſum Sacræ Congregationis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium negotiis Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ datum ad Vicarium Generalem Cajetanum die XIV. Junii MDXCV. niſi intermiſſio ſit notoria, vel adſit Statutum Synodale in contrarium, ut decidit eadem Sacra Congregatio in Baren. XV. Decembris MDXCVI. teſte Barruſaldo ad hunc noſtrum §. num. 54. Sed de hujuſmodi Quæſtionibus conſulendi ſunt plane Theologi, & Canonici Juris Interpretes ad laudatum Canonem Lateranenſem.

§. VII.

§. VII.

Infantibus mortuis abſque Baptiſmo.

COMMENTARIUS.

I. INſuper excludendos ab Eccleſiaſtica ſepultura infantes mortuos abſque Baptiſmo, omnia paſſim Ritualia edicunt. Quod intelligendum eſt de iis, qui *de ventre matris mortuæ ſunt extracti, ſecus ſi non ſunt extracti*, ut docet in laudatis toties Inſtructionibus ad ducenda funera S. Carolus. Atque hæc eſt communis ſententia, quam etiam lego ſtabilitam in variis Synodis, ac præſertim in Provinciali VI. Beneventana anni MCCCLXXIV. Tit. XIV. Cap. XVII. his verbis: *De muliere prægnante mortua, an cum partu ſepeliri debeat, ſic dicimus, quod, ſi pro certo conſtat partum mortuum, tunc ſepeliatur; ſi autem certum eſt, partum vivere, tunc mulier ſcindi debet, & ſi vivat partus, baptizetur, aliter extra Cœmeterium partus ſepeliatur, & mulier intra; & idem quando eſt dubium.* Ceterum teſte Vaneſpen Parte II. *Juris Eccleſiaſtici*, Tit. XXXVIII. Cap. VI. num. XXVII. volunt Ritualia, *ut locus aliquis juxta Cœmeterium iis ſepeliendis deputetur; quod & praxis obſervat.* Huic praxi inhærens Rituale Pariſienſe ad Romani formam expreſſum auctoritate Joannis Franciſci de Gondy Pariſienſis Archiepiſcopi editum anno MDCLIV. Tit. *De Exequiis parvulorum*, inter alia ſtatuit, *ut parvulorum corpora, qui ſine Baptiſmo ex hac vita deceſſerunt, etiamſi ex parentibus baptizatis ſint geniti, in loco ſacro non ſint humanda; ſed tamen, quantum fieri poteſt, in loco honeſto recondantur, propter humanæ conditionis, & formæ dignitatem; neque eorum ſepulturæ aut Sacerdos interſit, aut preces ullæ adhibeantur, cum iis prodeſſe nullo modo poſſint.* Inter recentiores Epiſcopos Ignatius ab Eccleſia Epiſcopus Caſalenſis, & Comes in ſua Caſalenſi Synodo anni MDCCLVI. Cap. XXVIII. quod eſt, *De ſepulturis*, ſtatuit plane, ut pueri, *qui deceſſerint e vita ante ſuſceptum Baptiſmi Sacramentum, condantur, vel prope Eccleſiam, vel juxta Cœmeterium, dummodo locus non ſit ſacer, nullaque funeris adhibita pompa; niſi fœtus e matris viſceribus nondum extractus fuerit, quippe tunc una cum matre, cujus pars eſt, ſepelietur.* Atque id etiam ſtatuunt aliæ Synodi permultæ.

§. VIII.

Ubi vero in prædictis caſibus dubium occurrerit, Ordinarius conſulatur.

COMMENTARIUS.

I. REcte admonet in hoc §. Rituale Romanum, ut, *ubi in prædictis caſibus dubium occurrerit, Ordinarius conſulatur*; ne ſcilicet in deneganda Eccleſiaſtica ſepultura temere Parochi, aliique inferiores Eccleſiarum Præſides procedant. Monitum hoc Romani Ritualis merito laudat Vaneſpen Parte II. *Juris Eccleſiaſtici*, Tit. XXXVIII. Cap. VI. numero XXIX. Cum enim raro ſine magna turbatione negetur Eccleſiaſtica ſepultura in externa communione Eccleſiæ defunctis, etiam ipſi Parochi haud faciles eſſe debent ad negandam ſuis Parochianis Eccleſiaſticam ſepulturam, inconſultis prius Superioribus ſuis.

II. Præter hactenus memoratos ab Eccleſiaſtica ſepultura excludendos, jam alii quoque in Corpore Juris Canonici notantur, quales exempli cauſa ſunt, qui Sacerdotem tutorem filiis ſuis inſtituerunt, uti videre eſt in Canone, *Neque*, Diſtinctione LXXXVIII. deſumpto ex Epiſtola Sancti Cypriani LXVI. data ad Clerum, & plebem Furnis conſiſtentem de Victore, qui Fauſtinum Presbyterum tutorem filiis ſuis nominavit; itemque Monachi, qui proprium in morte non reſignarunt; nam ex pervetuſta Eccleſiæ diſciplina jam alias a nobis fuſius explicata Clemens Papa III. in Capite, *Super quodam* IV. *De ſtatu Monachorum*, diſerte ſtatuit, hujuſmodi Monachum non debere in Cœmeterio ſepeliri, & ſi de facto ſepultus fuit, debere inde exhumari, *ſi ſine maximo ſcandalo fieri poteſt.*

III. Quid autem agendum, ſi corpus alicujus, cui denegatur Eccleſiaſtica ſepultura, ſepeliri contigerit per violentiam aliquorum, vel alio caſu in Cœmeterio Eccleſiaſtico, docet nos Innocentius Papa III. in Cap. *Sacris* XII. *De ſepulturis*, exhumandum corpus illud, & procul ab Eccleſiaſtica ſepultura jactandum, ſi ſcilicet ab aliorum corporibus diſcerni poſſit; nam alias cenſet, non expedire, ut *cum excommunicatorum oſſibus corpora extumulentur Fidelium.* Subditque mox celebrem hanc rationem: *Cum licet non obſit juſtis ſepultura nulla, vel vilis, impiis tamen celebris, vel pretioſa non proſit.* Similia leguntur in variis Synodis, & Ritualibus, ac præſertim in veteri Sacerdotali Romanæ Eccleſiæ, & in Sancti Caroli Inſtructionibus ad funera ducenda, ubi ſic inquit in hujus Capitis fine: *Siquis autem prædictorum in loco ſacro fuerit ſepultus, ſi diſcerni poteſt, exhumandus eſt, alias non; & Eccleſia, vel Cœmeterium eſt reconciliandum*; & quidem, ut ait in Cap. *Conſuluiſti* VII. *De conſecratione Eccleſiæ, vel Altaris*, Innocentius III. *aſperſione Aquæ ſolemniter benedictæ, ſicut in Dedicationibus Eccleſiarum fieri conſuevit.* Quæ verba exponit Beneventana Provincialis VI. Synodus anni CCCLXXIV. Tit. XIV. Cap. XIV. ubi ſic habet. *Et quouſque Cœmeterium, vel Eccleſia reconciliatur, vel reconciliata fuerit aſperſione Aquæ per Epiſcopum benedictæ ſolemniter, non ſepeliantur in eis corpora defunctorum.*

IV. Eſſe vero antiquum ritum, ut ii, quibus vetita eſt Eccleſiaſtica ſepultura, ſi in loco ſacro humati fuerint, & diſcerni poſſint, inde extrahi de-

debeant, exemplum refert Altaſerra Lib. VI. *De Jurisdictione Eccleſiaſtica*, Cap. XIII. ex Rogerio Hovedeno in Riehardo I. ad annum MCXCI. ubi refert, Hugonem Lineolnienſem Epiſcopum, eum peragrans Diœceſim, in quopiam Monaſterio obſervaſſet tumulum pallio ſerico velatum, lampadibus, & faeibus aceenſis illuſtrem, & audiſſet, eſſe tumulum Roſimundæ, quæ fuerat coneubina Henrici II. Regis Anglorum, dejiei juſſiſſe, & extra Eeeleſiam loeari: *Eodem anno Hugo Lincolnienſis Epiſcopus faciens viſitationes ſuas per domos Eccleſiarum religioſarum in ſua Diœceſi, venit ad Abbatiam Sanctimonialium de Godeſtone, quæ eſt inter Oxoniam, & Wodeſtoc; & cum intraſſet Eccleſiam, ut oraret, vidit tumbam in medio ante Altare ſericis pannis velatam, & lampadibus, & cereis circumdatam, & quæſivit, cujus eſſet tumba; & dictum eſt ei, illam eſſe tumbam Roſimundæ, quæ quondam extiterat amica Henrici Regis Angliæ filii Mathildis Imperatricis, & quod ipſe pro amore illius multa bona Eccleſiæ illi fecerat; & reſpondit Epiſcopus: Tollite eam hinc, & ſepelite eam extra Eccleſiam cum cæteris, ne Chriſtiana Religio vileſcat &c.* Sed forte non excluſit eam Epiſcopus ab Eeeleſiaſtica ſepultura in loeo ſacro, ſcilicet in Cœmeterio, ubi alia Fidelium corpora requieſcebant, ſed ab Eeeleſia, ubi veluti Sancta colebatur. Quicquid ſit, vel ex hoe facto probat laudatus Altaſerra citato loco, cognitionem de funeribus, monumentis, & mortuariis pertinere ad Epiſeopum, & ad Judieem Eeeleſiaſticum.

C A P U T III.

Exequiarum Ordo.

§. I.

Conſtituto tempore, quo corpus ad Eccleſiam deferendum eſt, convocetur Clerus, & alii, qui funeri intereſſe debent, & in Parochialem, vel in aliam Eccleſiam, juxta loci conſuetudinem, ordine conveniant, ac datis certis Campanæ ſignis, eo modo, & ritu, quo in eo loco fieri ſolet, Parochus indutus Superpelliceo, & Stola nigra, vel etiam Pluviali ejuſdem coloris, Clerico præferente Crucem, & alio Aquam benedictam, ad domum defuncti una cum aliis procedit; diſtribuuntur cerei, & accenduntur intorticia; mox ordinatur Proceſſio, præcedentibus Laicorum Confraternitatibus, ſi adſint; tum ſequitur Clerus Regularis, & Sæcularis per ordinem, binique procedunt, prælata Cruce, devote Pſalmos, ut infra, decantantes, Parocho præcedente feretrum cum luminibus; inde ſequuntur alii funus comitantes, & pro defuncto Deum rite deprecantes ſub ſilentio.

C O M M E N T A R I U S.

I. SEpeliendi ritus ſolemnes ab ipſo Eecleſiæ exordio in uſu fuiſſe, jam non uno in loco ſuperius ex Sanctis Patribus oſtendi. Inter alios ſepulturæ honores principem locum tenet Proceſſio, qua defunctus ad Eeeleſiam defertur. Eam antiquam eſſe in Eecleſia, ab antiquis Patribus addiſcere lieet, qui hujuſmodi Proceſſiones recenſent. Meminit hujus ritus S. Hieronymus, de funere Paulæ, aliarumque Matronarum differens, & ut alios omittam S. Gregorius Nazianzenus in laudem Baſilii, ſic inquiens: *Efferebatur Vir Sanctus Sanctorum manibus exaltatus; atque omnes operam dabant, partim ut fimbriam arriperent, partim ut umbram, partim ut feretrum, quo Sanctus portabatur, vel ſolum attrectarent (quod enim corpore illo ſanctius, ac purius?) partim ut propius ad eos, qui corpus ferebant, accederent, partim ut aſpectu ſolo fruerentur tanquam eo quoque utilitatis aliquid afferente. Plena erant fora, porticus, diſlega, & triſlega hominum illum deducentium, præeuntium, ſequentium, affectantium, ſeſeque invicem conculcantium, multa millia hominum omnis generis, & ætatis ante eum diem incognita &c.*

II. Multa funebrium Proceſſionum exempla recenſet Gretſerus Lib. I. *De ſacris Proceſſionibus*, Cap. XIII. Fuiſſe ipſas in ordinem, & certa agmina diſpoſitas, planum nobis facit Nyſſenus in Vita S. Maerinæ: *Confluentem populum*, inquit, *in genera diſtribuens, mulierumque multitudinem admiſcens Virginum Choro, Virorum autem turbam adſcribens Monachorum cœtui, unum quemdam ſtudii ex utriſque aptum, concinnumque tamquam in Pſalmos canentium congreſſu, ex communi omnium concentu apte conjunctum ordinem conſtituere.* Quis eſt iſte apte connexus ordo, niſi Proceſſio? ut verbis Gretſeri utar, Lib. II. *De Funere Chriſtiano* Cap. III. Vide & ordinatam in funere Paulæ Matronæ Romanæ Proceſſionem, quam deſcribit in ejus Epitaphio S. Hieronymus: *Tranſlataque*, inquit, *Epiſcoporum manibus, & cervicem feretro ſubjicientibus, cum alii Pontifices lampades, cereoſque præferrent, alii choros pſallentium ducerent, in media Eccleſia ſpeluncæ Salvatoris eſt poſita.*

III. At vero quamvis funus comitantium ordinata Proeeſſio eſſet, ſæpe tamen eveniebat, ut nihilominus innumera ſpectatorum turba omnes vias, per quas funus ducebatur, complerent, itaut ordo vix ſervari poſſet. Conſtat id quidem ex teſtimonio S. Gregorii Nazianzeni ſuperius relato, ubi agit de funere S. Baſilii, & ex iis, quæ narrat Nyſſenus, de laudatæ S. Maerinæ funere tractans: *Senſim procedebatur, cum & qui præibant, pedetentim incederent, & nos item gradatim ſequeremur. Etenim cum frequens populus feretrum circumſtaret, nec tam mirabili, & ſacro ſpectaculo poſſet expleri, non erat facile nobis iter facere.* Cæterum quod ipſa olim Proceſſio funebris perageretur eum cantu, & pſalmodia

fe-

Digitized by Google

ferentium Crucis Vexilla, & Sanctorum Reliquias, cum candelabris, & aromatibus, docet nos Auctor vitæ S. Huberti Epiſcopi Leodienſis, qui obiit anno DCCXXXI. apud Surium ad diem III. Novembris: *Plebis multitudo cum reverendo habitu obviam ſanctis proceſſere exequiis, ferentes Crucis Vexilla, Sanctorumque patrocinia*, ideſt Reliquias, *necnon candelabra lumine radiantia, ſed & aromata in tymiateriis redolentia, pſallenteſque quæ moris eſt talibus Officiis decantari carmina*. Una cum pſallentium turmis lumina adhibita, ac tymiamata, variaſque Cruces delatas in hujuſmodi funebri Proceſſione, docet nos S. Gregorius Turonenſis, qui claruit ſexto Sæculo, in Libro, *De Vitis Patrum*, Cap. XIV. ubi de S. Lupicino recluſo ſic habet: *Rapuit Matrona quædam Corpus, & ferre cœpit in feretro ad Vicum Transliacenſem, diſpoſitis in itinere pſallentium turmis, cum Crucibus, cereis, atque odore fragrantis tymiamatis*. Sacerdotes præſertim cereos geſtantes, & Hymnos, Pſalmoſque canentes hujuſmodi Proceſſioni, & Officio funeris adfuiſſe, pervetuſti Eccleſiæ Scriptores teſtantur, quorum loca plurima legere eſt apud eruditum Stephanum Duranti, Lib. I. *De ritibus Eccleſiæ Catholicæ*, Cap. XXIII.

IV. Ad recentiorem praxim quod attinet, jam non eſt una omnium locorum conſuetudo. Unaquæque enim Eccleſia in Exequiis præſertim celebrandis ſuas habet peculiares Conſtitutiones, & ritus. Dicam tamen non pauca, quibus magis magiſque hic noſter §. illuſtretur, afferamque varia Sacrarum Romanarum Congregationum Decreta, & nonnullas Synodorum Conſtitutiones, quæ defunctorum Exequias ſpectant. Ergo ait noſter §. *Conſtituto tempore, quo corpus ad Eccleſiam deferendum eſt, convocetur Clerus, & alii qui funeri intereſſe debent, & in Parochialem, vel in aliam Eccleſiam, juxta loci conſuetudinem, ordine conveniant*. Ut funeris ducendi certa hora conſtituatur, qua omnes quicumque evocati ſunt, conveniant, ut nulla interpoſita mora ad illud procedatur, ſtatuit quidem S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolanenſi IV. Conſtitutionum Parte II. Cap. *De Funeribus, & Exequiis*. Rurſus ad evitandam avaritiæ, aviditatiſque ſuſpicionem ſtatuit ibidem Sanctus Præſul, *ne Parochi, aliique Clerici, neque item Exequiarum Curatores, aliive quicumque in Funere operam ponunt, pignora capiant, quibus ſibi caveant de funerali eleemoſyna, aut de eorum operæ in funere præſtitæ mercede*. Idem repetit in ſuis ad funera ducenda Inſtructionibus. Eſt antiquus abuſus, quèm paſſim Patres, Canones, ipſæque Leges Civiles damnant etiam in laicis hominibus: uti videre eſt apud Lupum Tomo III. in ſecunda proœmiali Diſſertatione, *De ſimoniæ crimine, & variis ad ipſum ſpectantibus*, ubi inter alia recenſet Novellam Juſtiniani Imperatoris ad Joannem Orientalis Prætorii Præfectum, rem barbaram de cujuſdam creditoris in moribundum debitorem violentiis, ac de attentatis in ejuſdem defuncti cadaver injuriis referentis. Lege S. Ambroſium in Libro, *De Tobia* Cap. X. ubi hanc prædonum improbam, & ab omni humanitatis ſenſu alienam conſuetudinem notat non modo, ſed & irridet, deteſtaturque.

V. Sed fateri cogimur, notatos fuiſſe & Parochos ipſos de hujuſmodi barbarie, quippe qui, ut narrat Auctor Neapolitanus Opuſculi Italice inſcripti, *Ragioni a pro del Comune della fideliſſima Città di Napoli, e de' ſuoi Caſali intorno al ſepellire i morti*, non ſemel funus retardarunt ob non ſolutam prius ipſis pecuniam pro Exequiis debitam. Teſte Barboſa, *De officio, & poteſtate Parochi*, Parte III. Cap. XXVI. num. 55. *Cum Sacræ Congregationi innotuiſſet, per Epiſcopum Cotronien. ne cujuſdam Leonoræ Foreſtæ cadaver occaſione juris ſepulturæ humaretur, prohibitum fuiſſe. Sacra eadem Congregatio prædicto Epiſcopo per Literas injungi mandavit, ut ſtatim atque eaſdem receperit, prænominatum cadaver ſepulturæ tradi faciat, cum nulla ratio patiatur, Chriſtianæque pietati repugnans videatur, maxime vero ob pecuniarum intereſſe, cadaver inſepultum remanere*. Addit mox ejuſdem Sacræ Congregationis Decretum in Caſſanen. V. Maji MDCXVII. quo cenſuit, nec etiam ſub quovis prætextu compoſitionis quartæ funeralis, ſepulturam mortuorum retardari, aut impediri debere. Sed id genus Sacræ Congregationis Concilii Tridentini Interpretum Decreta afferri plurima poſſent, quibus avaritia non paucorum Parochorum exagitatur. Quorum etiam tanta fuit aliquando inſolentia, barbarieſque, ut occaſionem dederint Principibus laicis, eorumve Magiſtratibus de re funeraria, quæ ad juriſdictionem Eccleſiaſticam ſpectat, judicare, taxamque ſumptibus funerum præfigere.

VI. At hiſce omiſſis, de quibus fuſe in aliis noſtris Operibus, ubi ſe ſe dedit occaſio, diximus, mandat hic noſter §. ut conſtituto tempore, quo corpus ad Eccleſiam deferendum eſt, *convocetur Clerus, & alii, qui funeri intereſſe debent, & in Parochialem, vel in aliam Eccleſiam, juxta loci conſuetudinem, ordine conveniant*. Jam dixi non ſemel, attendendam præſertim in Exequiis defunctorum peragendis locorum conſuetudinem. S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolanenſi IV. citato Capite, diſerte mandat, ut *cum mortuus efferendus erit, cujuſvis Eccleſiæ Clerus, qui vocabitur, in unam proximam mortui ædibus Eccleſiam, congruo proceſſionis ordine conveniat*. Similia legere eſt in aliis Synodis; ſed nihilominus Sacra Rituum Congregatio non ſemel Decreta ſua edidit præſcripto hujus noſtri §. conformia; nam teſte Barboſa citato loco, num. 63. vocatos omnes ad funus debere convenire *ad Parochialem defuncti*, cenſuit laudata Congregatio in Bononien. IX. Decembris MDCXVII. atque in Tropejen. XVI. Februarii MDCXXXI. *vel ad aliam Eccleſiam juxta loci conſuetudinem; & nullo modo permittendum expectari per vias, vel ad domum defuncti, non obſtante contraria conſuetudine expectandi per vias, vel ad domum defuncti*, eadem Sacra Congregatio Rituum cenſuit in Theleſina XII. Februarii MDCXXXIII. Hinc quod Regulares ipſi vocati ad ſepeliendos mortuos in eorum propria Eccleſia, debeant accedere ad illas Eccleſias, ex quibus cadavera amoventur, & inde cum Clero Sæculari diſcedere, non autem expectare extra januam Eccleſiæ, & aliis ſe poſtea aſſociare, reſolutum fuit a Sacra Congregatione negotiis Epiſcoporum, & Regularium præpoſita in Viglevanen. XIII. Novembris MDC. Regulares enim vocati ad funus convenire debent in Parochiali, aut in alia Eccleſia juxta loci conſuetudinem, & nullo modo expectare per vias, aut ire ad domum defuncti, uti jam dictum eſt, & decidit etiam Sacra Rituum Congre-

gregatio in Limana xv. Decembris MDCXXXII. apud laudatum Barboſam, num. 64. & ſeq.

VII. Mandat præterea hic noſter §. ut, *datis certis Campanæ ſignis, eo modo, & ritu, quo in eo loco fieri ſolet, Parochus indutus Superpelliceo, & Stola nigra, vel etiam Pluviali ejuſdem coloris, Clerico præferente Crucem, & alio Aquam benedictam, ad domum defuncti una cum aliis procedat*. Tintinnabulis, vel Campanis, populum convocari ſolitum ad funerum deductionem, prodidit Beda Lib. IV. Cap. XXIII. apud Stephanum Duranti Lib. I. *De ritibus Eccleſiæ Catholicæ*, Cap. XXII. num. 12. ubi etiam notat, pulſari Campanas in Exequiis, & juſtis defunctorum, ut excitentur, & præmoneantur nedum neceſſarii, ſed & cæteri cives ad præſtanda officia defunctis, eorum opem implorantibus, ac ſi dicerent: *Miſeremini mei ſaltem vos amici mei*. Meminit & ejus ritus Gulielmus Durandus in ſuo Rationali Lib. I. Cap. IV. ubi ait, pulſari debere Campanas aliquo moriente, ut populus hoc audiens oret pro illo, *pro muliere quidem bis, pro viro vero ter. Si autem Clericus ſit, tot vicibus, quot Ordines habuit ipſe*. Addit tum etiam, pulſandas Campanas, quando defunctus ducitur ad Eccleſiam, & quando ab Eccleſia ad tumulum deportatur. Campanarum nomine in funere, ſeu funeris, vel Exequiarum cauſa, aliquid exigi, accipive, *niſi ſiquid eſt, quod Fabricæ, aut Sacriſtiæ, piæ conſuetudinis* Epiſcopus eſſe cenſuerit, vetat in ſuo Provinciali IV. Concilio Mediolanenſi S. Carolus Parte II. *Conſtitutionum*, Cap. *De Funeribus, & Exequiis*. Cæterum quod pro defunctis pauperibus non omittatur ritus pulſandi Campanam, & quidem eodem modo, quo pulſari ſolet pro eo, qui pulſationem ipſam ſolvit, cautum lego in Appendice ad Concilium Provinciale XV. Beneventanum ſub Vincentio Maria Cardinali Urſino, qui fuit poſtea Benedictus XIII. Pontifex Maximus.

VIII. Vocandum primo loco proprium Parochum ad deducendum defuncti funus, Synodi paſſim, & Rituales Codices jubent. Ex eiſdem etiam cautum eſt, ac præſertim ex Provinciali Synodo Beneventana XIII. anni MDCLVI. Tit. XXIV. num. 15. ut *nulli liceat Regularium juxta Lateranenſis ſtatuta Concilii* (quinti ſcilicet ſub Leone Papa X.) *pro funere Parochiam cum Cruce intrare, aut cadaver accipere, niſi Parocho præſente, & permittente*. Idem plane jam longe ante ſtatuerat Salernitana Synodus habita anno MDLXXIX. ſub Marco Antonio Marſilio Columna, Tit. XXXIII. Capite VI. Adhibendum a Parocho in ducendo funere Superpelliceum cum Stola, vel etiam Pluviali nigri coloris, expreſſum etiam habemus in variis Synodis, ac Ritualibus. Quemadmodum vero Parochus ſæcularis debet Stolam in propria Parochia, & in Regularium Parochia, dum defuncti corpus in eorum Eccleſia ſepelitur, ita & Parochus Regularis in eodem caſu, & eodem tempore poterit Stolam deferre non ſolum in propria Parochia, ſed etiam in Parochia defuncti ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis die ultima Septembris MDCXXVIII. apud Barboſam citato loco, num. 76. quia ſcilicet, ut idem Auctor mox ſubjicit ex alio ejuſdem Congregationis Decreto in Aſculana XXIX. Januarii MDCXXIX. Parochus Monachus ita poteſt cum Stola ingredi Parochiam ſæcularium, ſicut ſæcularis Parochus Monachorum Parochiam ingredi valet. Porro quod cæterorum comitantium funus habitum ſpectat, mandat S. Carolus in ſua Diœceſana III. Synodo, Decreto XLIX. ut *animarum Curator, cujus Parochiæ incola ad ſepulcrum eſt efferendus, neminem Clericum etiam Regularem (niſi is una cum Collegio ſuo ſit) Superpelliceum latas habens manicas, & veſtem ad talos uſque demiſſam non gerentem, funeri intereſſe patiatur*. Laudata Synodus Salernitana, Cap. II. ſtatuit, ut Clerici omnes tam Seculares, quam Regulares, non alia veſte, aut habitu funus comitentur, *quam ea, qua in Choro uti ſolent*.

IX. Eſſe quoque antiquum ritum, ut in funeris deductione Crux præferatur, manifeſte conſtat ex allatis ſuperius a nobis veterum monumentis. Ad praxim recentiorem quod attinet, mandat in ſuo Concilio Provinciali I. S. Carolus, Cap. *De Funeribus, & Exequiis*, ut *ſingularum Cathedralium, Collegiatarum, & Parochialium Eccleſiarum Clericis, qui in funus venerint, una tantum ſuæ Eccleſiæ Crux præferatur, neque aliæ in funere deferantur, niſi quas ſuus quamque Clerus ſubſequatur; quod ſi alii quoque Clerici invitati fuerint, ejus Rectoris, qui invitavit, Crucem proſequantur*. Jam non deſunt varia Sacræ Rituum Congregationis Decreta, ex quibus habetur, in funeralibus deferendam eſſe unicam tantum Crucem illius Eccleſiæ, ad quam corpus transfertur, poſtquam ſequi debent immediate perſonæ illius Eccleſiæ, & deinde cæteri ſecundum antianitatem. Ita plane cenſuit Sacra ipſa Rituum Congregatio in Narnien. XXX. Septembris MDCXIV. & in Andrien. XXII. Novembris MDCXXXI. ad III. Vide Barboſam loco citato, num. 78. ubi ad eam rem alia refert ejuſdem Sacræ Congregationis Decreta, nempe in Baren. Terræ Medugni II. Auguſti anni MDCXXXI. & in Meſſanen. XXI. Februarii anni MDCXXXIII. Sed hæc Decreta utplurimum ea afficiunt loca, pro quibus edita ſunt, nam alias in aliis locis aliter ſervari ſolet. Ceterum deferendum in funerali proceſſione ad domum defuncti vas Aquæ benedictæ, recte ſtatuit hic noſter §. aſpergendus enim cum ea defunctus eſt ex veteri ritu a Parocho, antequam efferatur, ut ex ſequenti §. conſtat.

X. Ubi ventum eſt ad domum defuncti, *diſtribuuntur cerei, & accenduntur intorticia*, ait noſter §. De cereorum uſu in deducendo funere jam ſatis ſuperque tum alias, tum initio hujus Commentarii diximus. Quibus tandem debeantur cerei, & intorticia in funere adhibita, ſtandum eſt locorum conſuetudini, & Eccleſiarum ſtatutis. Lubet tamen hic recenſere quid de hac re in ſuo Provinciali I. Concilio Mediolanenſi S. Carolus ſtatuerit: *Candelæ omnes, cerei, & quæ circum Crucem, & cadaver ad Eccleſiam adferuntur, & alia, quæ circa feretrum, & in Altaribus, ac reliquis in locis dum Divina Officia in funere celebrantur, hæredum impenſa accendantur, ita Deo oblata eſſe intelliguntur, ut ejus Eccleſiæ Sacriſtiæ, in qua mortui corpus humandum erit, continuo addicta ſint*. Romæ ex peculiari ſtatuto eorum medietas proprio Parocho, altera Eccleſiæ ſepelienti acquiritur. Porro pergit in laudato Concilio S. Carolus, excepitque cereos illos, candelaſve, quæ Clericis cujuſvis generis eleemoſynæ cauſa dari ſolent, & quæ Cathedralibus, & Parochialibus Eccleſiis

ex

ex ſacris Canonibus debentur, quibus nihil obſit, quo minus quartam ſuneralium, quæ ſolita eſſet perſolvi, ex Decreto Tridentini Concilii Seſſione xxv. Cap. xix. conſequi poſſint. Quid autem ſi mortuorum hæredes ita ſe impie geſſerint, ut religioſum Exequiarum inſtitutum negligentes, Cruci, Clericis, & funeri debita lumina adhiberi nolint? Reſpondet ibidem S. Carolus, ab Epiſcopo cogendos ea comparare, *quæ neceſſaria videbuntur*; neceſſaria inquit, non ſuperflua, & quæ ſcilicet pro facultatibus defuncti haberi poſſint. Lumina tandem ipſa, cerei, ſunalia, intortitiave, in funere ne reſtinguantur, niſi ſacro Officio etiam ſepulturæ rite abſoluto, atque expleto, decrevit jam Concilium Provinciale vi. Mediolanenſe ejuſdem Sanctiſſimi Præſulis Caroli, Cap. *Quæ ad funera pertinent*. Quod tamen non intelligitur, ſi ex cauſa tunc ſepeliri non poſſet, ut explicat in ſuis adducenda funera Inſtructionibus.

XI. Antequam ad alia deſcendam, quæ in hoc noſtro §. continentur, notanda ſunt iterum illa verba: *Diſtribuuntur cerei, & accenduntur intorticia*. Quibus non obſcure innuitur, ſola intorticia accendi, quæ feretrum circumdant, non vero cereos, candelaſve, qui ſingulis deducentibus funus diſtribui ſolent, & ab eiſdem extincti, & integri geſtari in ſuam ipſorum utilitatem ceſſuri. At vero tametſi hic ritus variis in locis invaluerit, diverſa tamen fuit vetus Eccleſiæ diſciplina, omnes enim olim, qui funebri proceſſioni intererant, cereos accenſos geſtabant, ut conſtat ex veterum Patrum teſtimoniis initio hujus Commentarii adductis; quibus addi poteſt, quod ſcribit S. Gregorius Nyſſenus de funere Macrinæ ſororis ſuæ: *Ex utraque parte*, inquit, *præcedebat non exiguus Diaconorum, Miniſtrorumque numerus, qui omnes ordine progredientes, accenſos cereos manibus geſtabant*. Ceterum quicquid ſit de ea conſuetudine geſtandi alicubi cereos extinctos, veteri certe diſciplinæ adhæſit S. Carolus, ubi in laudato toties ſuo iv. Provinciali Concilio Mediolanenſi ita ſtatuit: *Omnes tum qui Dignitates obtinent, tum Canonici etiam Metropolitanæ, & Cathedralis Eccleſiæ, tum alii præterea quicumque Clerici, quibus in funere candelæ, aut cerei, intortiave dantur, eas, eave accenſa in funere manibus ipſi deferunt*.

XII. Cereis accenſis, ex præſcripto noſtri §. *mox ordinatur Proceſſio, præcedentibus Laicorum Confraternitatibus, ſi adſint*. Laicorum Confraternitates ſolitas eſſe & ipſas funus præcedere, ex variis Synodis addiſcimus, ac præſertim ex laudata Mediolanenſi vi. Synodo, Capite citato, ubi inter alia cautum legitur, *ne laici, etiam Confratres, aut alii Societati addicti, ſed Eccleſiaſtici homines mortuo, cujus funus agitur, totum officium ſepulturæ præſtent; itaut quæ preces, quive ſepeliendi ritus ei ex Eccleſiæ inſtituto, conſuetudineve adhibentur, eorum omnium officium non ipſi laici, ſed Sacerdotes, & Clerici eo nomine vocati perfecte expleant, quoad illius corpus humatum, ſepultumve eſt*. Confraternitates ipſas laicorum non poſſe accedere ad funeralia mortuorum, niſi ſpecialiter, & expreſſe vocentur, deciſum jam fuit a Sacra Rituum Congregatione in Bononien. ix. Decembris MDCXVII. Et quando accedunt, in actu aſſociationis cadaverum nullo modo poſſe erigere Crucem, ſtatuit eadem Sacra Congregatio in Andrien. xxii. Novembris MDCXXXI. ad II. ut alia ejuſdem Congregationis Decreta omittam, quæ afferri poſſent.

XIII. Laicorum Confraternitates in deductione funeris, *ſequitur*, ait noſter §. *Clerus Regularis, & Sæcularis per ordinem, binique procedunt prælata Cruce*. Hæc Cleri Sæcularis, Regulariſque aſſociatio pendet omnino a voluntate defuncti, hæredumve. Quin etiam quod ipſi hæredes Sacerdotum numerum convocare poſſint, & quantitatem ceræ ſubminiſtrare pro deducendo funere, contrario quolibet prætextu per Parochum allato non obſtante, cenſuit Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium negotiis præpoſita in Caſſanen. v. Maji MDCXVII. Rurſus quod deſtinatos Clericos ab eis, & non alios convocare Parochus debeat, edixit Sacra Rituum Congregatio in Lauden. xx. Auguſti MDCI. Ceterum ſi dicti hæredes nullos deſtinaverint, tunc & eo caſu jus convocandi alios Sacerdotes pro obeundis funeribus Parocho competere, decidit Rota in Alexandrina Funeralium die 1. Julii anno MDCXXX. coram Merlino, cenſuitque etiam Sacra Rituum Congregatio in Ferrarien. vii. Septembris MDCXIII. Parochum poſſe ad libitum vocare ad funus Clericos, quos voluerit, nec cogi poſſe vocare viciniores, niſi aliter diſponant hæredes defuncti, quorum voluntas eſt ſervanda, inter alios docet laudatus Barboſa, *De officio, & poteſtate Parochi*, Parte iii. Cap. xxvi. num. 57. & tribus ſeqq. ubi memoratorum Sacræ Congregationis Decretorum meminit.

XIV. Quum vero in deductione funeris, primas teneat Parochus, hinc eſt, quod ad eum ſpectat declarare, per quam viam ſit deferendus defunctus, deciditque id etiam Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium negotiis præpoſita in Caſtellauaten. iii. Januarii MDXCIV. Sed notandum tamen, quod in Concilio iv. Provinciali Mediolanenſi, Parte II. Conſtitutionum, Capite, *De Funeribus, & Exequiis*, ſtatuit S. Carolus, ubi ita inquit: *Cadaver eum effertur, via procedatur, quæ a domo ad Eccleſiam recta, ne brevis ſit; ſi vero uſque adeo brevis, & compendioſa eſt, ut Ordines eorum, qui funus comitantur, intra illius fines contineri non queat, tunc via paulo longiori funus ducatur, idque juſſu conceſſuve Sacerdotis, qui funeri præeſt*. Statuit id ipſum ſub gravibus pœnis Salernitana Synodus ſub Archiepiſcopo Marco Antonio Marſilio Columna anni MDLXXIX. Tit. xxxiii. Cap. viii. his verbis: *Cadaverum circumductionem, quæ in hac Civitate fieri conſuevit, uti abuſum abrogantes, præcipimus laicis, & Confratribus ſub excommunicationis latæ ſententiæ, Clericis vero ſub pœna ducatorum quinque, ut defunctorum corpora deinceps, commodiori via recta ad Eccleſiam ducant*. His adde Decretum Concilii Provincialis xiii. Beneventani ſub Joanne Baptiſta Foppa anni MDCLVI. Tit. xxiv. num. xiv. *Præcipimus laicis*, ait, *& Confratribus ſub excommunicationis pœna, Clericis vero ſub pœna ſuſpenſionis, ut defunctorum corpora deinceps commodiori via recta in Eccleſiam ducant*.

XV. Addubitari tamen nequit, quin vel olim, & quidem rite, in Epiſcoporum ſanctiorum præſertim Exequiis, corpus defuncti non recta ad Eccleſiam ſepelientem, ſed per varias ædes ſacras deduceretur, antequam deponeretur in tumulum, in quibus Preces, Miſſæ, & Abſolutiones pro ipſius animæ requie fiebant. Ita plane

Google

ne contigiſſe in funere S. Wolfangi Epiſcopi Ratiſponenſis, qui obiit anno CMXCIV. teſtatur ejus Vitæ Auctor, ſic inquiens: *Cum apud S. Petrum fuiſſet ſuſceptus, ac Vigiliarum, Miſſarumque celebrationibus Domino foret commendatus, ſuſtollentes cum magna reverentia portabant eum per ſingula Urbis Monaſteria, noviſſime vero ad Eccleſiam B. Martyris Emmerauni, cujus honorem, dum vixerat, intimo affectu excolebat. Qua Miſſarum ſolemniis, & exequiarum officiis rite peractis, magnifice, atque honorifice ibidem ſepultus eſt*. Quod etiam S. Annonis Archiepiſcopi Colonienſis, qui obiit anno MLXXV. corpus per ſeptem continuos dies cum ſolemni pompa ad varias ſingulis diebus Eccleſias delatum fuerit, fidem facit ejus Vitæ Scriptor apud Surium die IV. Decembris. Sane quod juxta quorumdam locorum morem, dum e domo defuncti corpus ad Eccleſiam deferretur, *tres pauſæ fierent in via*, & in unaquaque earum Preces, & Abſolutiones ſuper ipſum defunctum peragerentur, teſtatur Durandus in Rationali Divinorum Officiorum, Libro VII. Cap. XXXV. num. 37.

XVI. Ob eandem rationem, quod in funeris deductione Parochus primas tenet, ex præſcripto noſtri §. ipſe præcedit *feretrum*, & quidem *indutus Superpelliceo, & Stola nigra, vel etiam Pluviali ejuſdem coloris*, ut ſuperius dictum fuit. Feretrum hic lectus eſt, vel aliquid aliud, quo effertur defunctus. Qui olim illud portarent, funuſque defuncti curarent, dicti ſunt a S. Ignatio *Laborantes*, a S. Epiphanio *Copiatæ*, ab aliis vero aliis nominibus, nempe *Lecticarii, Sandapilarii, Decani, & Foſſarii*. His a Conſtantino Magno, ac aliis ejus Succeſſoribus Imperatoribus, deſtinatos fuiſſe certos redditus, nequid ab illis, quorum funera, & ſepulturam curarent, exigeretur, pluribus probant Durantus Lib. I. *De ritibus Eccleſiæ Catholicæ*, Cap. XXII. Gretſerus, *De Funere Chriſtiano*, Vaneſpen Parte II. *Juris Eccleſiaſtici*, Tit. XXXVIII. Cap. IV. & alii. Sed ut videas fœdam, vetuſtamque quorumdam ſacrorum hominum avaritiam, etiam occaſione feretri, quo efferuntur defuncti, lucrum captantium, de Georgio Arianorum Alexandriæ Epiſcopo Sanctus Epiphanius ſcriptum reliquit Hæreſi LXXVI. quod uſque adeo ſordide avarus fuerit, ut etiam munus efferendorum funerum ad ſe rapuerit, non jam humanitatis, & charitatis, ſed lucri gratia: *Etenim & lecticas excogitavit corporibus eorum, qui efferrentur, ad numerum certum facere, & ſine his, quæ ab ipſo ordinatæ erant non efferebantur corpora mortuorum, maxime peregrinorum, non propter hoſpitalitatem; ſed velut dixi, quæſtus gratia. Siquis enim ſepeliſſet per ſe ipſum corpus, periculum ſubibat. Sic autem a ſingulis, qui efferebantur, lucri aliquid ipſi accedebat*.

XVII. Licet autem Copiatæ, ſeu Lecticarii conſtituti antiquitus eſſent, qui funus efferrent, aliquando tamen Clericorum officium fuiſſe videtur, ut mortuos ſepelirent, teſte S. Hieronymo in Epiſtola ad Innocentium, *De muliere ſepties icta*, de qua ſic inquit: *Clerici, quibus id officii erat, cruentum linteo cadaver obvolvunt, & foſſam humum lapidibus conſtruentes ex more tumulum parant*. Sæpe etiam honoratiſſimos quoſque, vel defuncti cognatos, vel alios hoc munus obiiſſe, etiam Epiſcopos, vel Cleri Viros primarios docet nos S. Gregorius Nyſſenus de funere Macrinæ ſororis ſuæ agens: *Ego*, inquit, *feretrum ſubiens, illum* (Araxium Epiſcopum) *advocavi, ut alteram partem ſuſtineret, poſteriores vero feretri partes alii duo de Clero inſignes Viri*. De S. Paula Matrona Romana ſcribit in ejus Epitaphio S. Hieronymus, translatam eam fuiſſe *Epiſcoporum manibus, & cervicem feretro ſubiicientibus*. Atque ut alia exempla omittam, quæ paſſim occurrunt apud Hiſtoricos, audiendus tandem Sidonius Appollinaris Lib. II. Epiſtola VIII. ad Deſideratum, ubi ita ſcribit de Philimachiæ, ſeu Philimatiæ Matronæ elatione: *Hanc tamen, ſiquis haud dubie incaſſum honor cadaveribus impenditur, non Viſpilionum, Sandapilariorumve miniſteria ominoſa tumulavere; ſed cùm libitinam ipſam* (ideſt feretrum) *flentes omnes externi quoque prenſitarent, remorarentur, exoſcularentur, Sacerdotum, propinquorumque manibus excepta, perpetuis ſedibus dormienti ſimilior illata eſt*. Fuiſſe plerumque quatuor tantum, qui feretrum ferrent, ex recitato ſuperius Nyſſeni teſtimonio de funere Macrinæ addiſcimus. S. Ambroſius in Caput VI. Lucæ, filium illum unicum viduæ, quem Chriſtus excitavit, a quatuor portitoribus ad tumulum elatum ait; qui quidem numerus abſolute ſufficit, ut & hodierni temporis conſuetudo probat.

XVIII. Plura de hujuſmodi feretris ſtatuit inter alios S. Carolus, præſertim vero in Concilio Provinciali Mediolanenſi IV. Parte II. Conſtitutionum, Cap. *De Funeribus, & Exequiis*, ubi cavendum monet, *ut ne ſimplices homines quidquam ſuperſtitionis cauſa apud mortuum in feretro, aut in ejus manibus ponant, aut aliud, quod ſuperſtitionis ſpeciem præſeferat, aut ſuſpicionem habeat, committant*. Hinc concilium Provinciale XIII. Beneventanum anni MDCLVI. Tit. XXIV. num. 3. diſtricte præcepit, ut non ſolum clamores, & ejulatus ſuper defunctorum corpora in Eccleſia nullo modo Parochi, vel alii quicumque permittant; *ſed multo magis tollatur vanus, & ſuperſtitioſus abuſus collocandi crines uxoris ſuperſtitis in manibus defuncti mariti ſub pœna arbitrio Epiſcopi graviter infligenda Parocho, & tranſgreſſoribus*. Sed hoc omiſſo abuſu, quem variæ Synodi improbarunt, ad funeris pompam quod attinet, jam illud minime prætereundum, equos interdum ſaccis, ſeu operimentis lugubribus amictos, in pompa divitum funebri ductos fuiſſe, ut hodie fit in Imperatorum, Regum, ac Principum funeribus. Teſtatur id quidem Sanctus Chryſoſtomus in Homilia III. ad Populum Antiochenum: *Divite aliquo mortuo, non ſervos ſolos, & ancillas, ſed & equos neceſſarii ſaccis amicientes, & agaſonibus tradentes, ad ſepulchrum ire jubent*. Atque hic eſt ritus, qui hodieque ſervatur in funere Ducum, Militumque inſignium, quorum equos, qui comitari funus ſolent, ſicut & alia inſignia, etiamſi pretioſa ſint, atque ornamenta, quæ in funere adhibentur, Eccleſiæ ſepelienti deberi, docent Auctores non pauci relati a Barruſaldo in ſuo ad hunc §. Commentario; ubi etiam tradit, culcitram quoque, ſive pannum auro intextum, qui ſubtus cadaver ſterni in Eccleſia ſolet, Eccleſiæ ipſi debere, probatque Decreto Sacræ Congregationis Concilii interpretis. Sed puto, attendi debere morem regionum, in multis enim Neapolitani Regni locis culcitra ipſa, ſicut & alia ornamenta in funere adhibita, ad defunctorum hæredes redeunt.

§. II.

§. II.

Parochus vero, antequam cadaver efferatur, illud aſpergit Aqua benedicta; mox dicit Antiphonam, *Si iniquitates*, cum Pſalmo, *De profundis*, & in fine, *Requiem æternam*. Repetit Antiphonam totam, *Si iniquitates &c.*

§. III.

Deinde cadaver effertur, Parochuſque de domo procedens, ſtatim gravi voce intonat Antiphonam, *Exultabunt Domino*, & Cantores inchoant Pſalmum, *Miſerere mei Deus ſecundum magnam &c.* Clero alternatim proſequente; at ſi longitudo itineris poſtulaverit, dicuntur Pſalmi Graduales, *Ad Dominum cum tribularer clamavi*, vel alii Pſalmi ex Officio Mortuorum, & in fine cujuslibet Pſalmi dicitur, *Requiem æternam dona ei Domine &c.* qui Pſalmi devote, diſtincte, gravique voce recitari debent uſque ad Eccleſiam.

COMMENTARIUS.

I. AQua benedicta ſæpe aſpergi defunctum, & quidem non modo in Eccleſia, ſed & domi, ubi inde effertur, antiqui Codices Rituales nos docent. Ex Statutis priſcis Lanſranci, Capite xxiv. illud cautum eſt, ut ante elationem defuncti, *Sacerdos circa corpus Aquam benedictam ſpargat, & incenſet*. Juxta mſs. Conſuetudines Cluniacenſis Monaſterii, & S. Benigni Divionenſis apud Martene Lib. v. *De antiquis Monachorum ritibus*, Cap. x. ante lotionem defuncti, fiebat Proceſſio ad locum, ubi erat defunctus, *ideſt Aqua benedicta, thuribulum, & acerra, Crux, atque candelabra, quibus allatis* ſpargebat *Dominus Abbas, aut Prior Aquam benedictam ſuper defunctum ibidem, & ſuper ſtragulam, in qua poni debebat, incenſabatque deinde corpus, & ipſum*. Mandant mox etiam Conſuetudines iſtæ, ut, dum lavatur corpus, *qui ſervit de thuribulo, ſine intermiſſione abundanter incenſet corpus*. Sed id genus Monachorum Conſuetudines, plures affert citato loco Martene, & Lib. iii. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Capite xv. ubi varios vetuſtos Codices Rituales diverſarum Eccleſiarum deſcribit, in quibus etiam Pſalmi, ac Preces notantur dici olim ſoliti in delatione defuncti e domo ad Eccleſiam.

II. Sane ex ms. antiquo Pontificali Prudentii Trecenſis Epiſcopi, *Oratio antequam de domo efferatur*, hæc eſt: *Suſcipe Domine animam ſervi tui N. quam de ergaſtulo &c.* Sequitur mox hæc alia Oratio: *Deus, cui competit medicinam præſtare poſt mortem &c.* Tum vero mandat, ut tunc cum Reſponſorio, *Subvenite Sancti Dei*, & aliis Reſponſoriis deportetur ad Eccleſiam; & cum appropinquatum fuerit, canatur Pſalmus, *Miſerere mei Deus*, cum Antiphona, *Requiem æternam*. Idem habet ms. Codex Ritualis Monaſterii S. Benedicti Floriacenſis annorum circiter mille apud eundem Martene loco citato. Similia legere eſt in aliis Codicibus. Sacerdotale Romanæ Eccleſiæ, Cap. xix. ubi agit de delatione corporis defuncti, hæc pauca habet: *Deinde Sacerdos, & Clerici ordinate vadunt, & corpus portant in Eccleſiam, cantando hoc Reſponſorium*: Subvenite &c. ℣. *Suſcipiat &c.* & ℣. *Requiem æternam*. Quicquid ſit de hac varietate, illud certum eſt, ex pervetuſto Eccleſiæ ritu delatos fuiſſe ad Eccleſiam, & ad ſepulturam defunctos cum Pſalmis, Hymnis, & Canticis, ut ſuperius probavimus veterum Patrum auctoritate. Sed obſervandum tamen eſt, quod ait noſter §. II. ut Parochus, cubiculum defuncti ingreſſus, antequam ille efferatur, eum aſpergat Aqua benedicta, ibidemque dicta Antiphona, *Si iniquitates &c.* cum Pſalmo, *De profundis*, & in fine, *Requiem æternam &c.* Antiphonam ipſam repetat. Tum vero, & non prius, ex præſcripto §. iii. cadaver effertur, Parochuſque de domo defuncti procedens, ſtatim gravi voce intonat Antiphonam, *Exultabunt Domino*, & Cantores inchoant Pſalmum, *Miſerere mei Deus &c.* Clero alternatim proſequente, cum verſu ſcilicet, *Requiem æternam &c.* in fine.

III. Opportune tandem idem §. iii. ſubdit, ut, ſi longitudo itineris id poſtulaverit, dicantur Pſalmi Graduales, *Ad Dominum &c.* vel alii Pſalmi ex Officio Defunctorum deſumpti, devote ſcilicet, diſtincte, gravique voce recitandi uſque ad Eccleſiam. Quamobrem reprehenſione ſunt digni Clerici illi, qui contra antiquum Eccleſiæ ritum, præſcriptumque noſtri Romani Ritualis, dum defunctum ad Eccleſiam deferunt, muti procedunt, cum alias Confraternitates laicæ pie religioſeque Pſalmos illos abſque ulla intermiſſione ad Eccleſiam uſque recitent. Porro de Pſalmis Gradualibus nihil hoc loco adnotandum cenſui, quod alibi de ipſis dixerim. Videri nihilominus poteſt quid de iiſdem Gavantus ſcripſerit in Romani Breviarii Rubricas Sectione ix. Cap. iii. *De Pſalmis Gradualibus*, inſcripto.

§. IV.

Ad ingreſſum Eccleſiæ repetitur Antiphona, *Exultabunt Domino oſſa humiliata*. Deinde Eccleſiam ingreſſi cantant Reſponſorium, Cantore incipiente, & Clero alternatim reſpondente, *Subvenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini: Suſcipientes animam ejus: Offerentes eam in conſpectu Altiſſimi*. ℣. *Suſcipiat te Chriſtus, qui vocavit te, & in*

Digitized by Google

& in ſinum Abrahæ Angeli deducant te. Suſcipientes. ℣. *Requiem æternam dona ei Domine.* ℟. *Et lux perpetua luceat ei. Offerentes.*

COMMENTARIUS.

I. Reſponſorium, *Subvenite Sancti &c.* antiquum eſt in Exequiis Defunctorum, ejuſque paſſim meminere Codices antiqui Rituales, priſcæque Monaſteriorum Conſuetudines, inchoabaturque alicubi, dum defunctus deferretur ad Eccleſiam. Ita plane habetur in Cluniacenſis Monaſterii, & S. Benigni Conſuetudinibus, quas recenſet Martene: *Mox incæpto ab Armario*, ℟. Subvenite Sancti Dei, occurrite, *præcedat Proceſſio &c.* Armarius dicitur quidem Bibliothecæ Cuſtos, ſed citato tamen loco, & paſſim in Monachorum ritibus, Cantorem, ſive Præcentorem, cui etiam Librorum Eccleſiaſticorum præſertim cura incumbebat, ſignificare ſolet, uti laudatus Auctor notat in Indice Onomaſtico, voces exoticas, aut minus uſitatas explicante, qui extat in fine ejus Operis, *De antiquis Monachorum ritibus.*

§. V.

Depoſito feretro in medio Eccleſiæ, itaut defuncti pedes, ſi fuerit laicus, ſint verſus Altare majus; ſi vero fuerit Sacerdos, ut dictum eſt, caput ſit verſus ipſum Altare; & cereis accenſis circa corpus, ſtatim, niſi quid impediat, ut infra monebitur, dicatur Officium Mortuorum cum tribus Nocturnis, & Laudibus, ut infra ponitur; & duo ex Clero incipiant abſolute Invitatorium, *Regem, cui omnia vivunt, Venite adoremus*; & repetitur a Clero, *Regem, cui omnia vivunt &c.* Pſalmus, *Venite exultemus &c.* & duplicantur Antiphonæ. Ad finem Officii poſt Antiphonam Cantici, *Benedictus &c. Ego ſum reſurrectio*, dicitur, *Pater noſter*, ſecreto. ℣. *Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos a malo.* ℣. *A porta inferi.* ℟. *Erue, Domine, animam ejus.* ℣. *Requieſcat in pace.* ℟. *Amen.* ℣ *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

Abſolve, quæſumus, Domine, animam famuli tui ab omni vinculo delictorum, ut in reſurrectionis gloria inter Sanctos, & Electos tuos reſuſcitatus reſpiret. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Quum hic noſter §. diſerte edicat, ut *depoſito feretro in medio Eccleſiæ ... & cereis accenſis circa corpus, ſtatim, niſi quid impediat, ut infra monebitur, dicatur Officium Mortuorum &c.* arguendi profecto ſunt quidam ſacri homines, qui utrumque ritum omittunt, & deponendi feretri *in medio Eccleſiæ*, & dicendi Mortuorum Officium præſente cadavere. Ad primum quod attinet, ſunt nonnulli ſacri homines, qui, habita perſonarum ratione, illos dumtaxat in medio Eccleſiæ deponi ſinunt, quorum ſolemne funus cum quantitate intorticiorum, & apparatu magnifico celebratur, derelictis aliis prope Eccleſiæ januam a ſiniſtro latere, vel in una ex duabus ejuſdem Eccleſiæ navibus contra aliquod laterale Sacellum. Dignus profecto correctione abuſus, utpote præſcripto noſtri §. contrarius, qui expreſſe mandat, feretrum, quo delatum fuit corpus defuncti ad Eccleſiam, *in medio Eccleſiæ*, & quidem *cereis accenſis circa corpus*, deponi debere, itaut defuncti pedes, ſi fuerit laicus ſint verſus Altare majus.

II. Sed cum hunc abuſum correctione dignum jam alias confutarim, eo omiſſo devenio ad alium abuſum etiam §. noſtri præſcripto contrarium. Solent enim ſæpe nobiles, & plerique nobilitatem affectantes humi jacentes in Eccleſia exponi cum faſciculis integrorum cereorum circa corpus non accenſorum, contenti duobus ſolis magnis intorticiis, cereiſve ardentibus, altero ad caput, ad pedes altero. Id ut obtineant, opus eſt Superiorum facultate, ſicut etiam ubi iidem defuncti non ſuper feretro, ſed ſuper alto lecto perampla & pretioſa culcitra ornato exponuntur. Solent ex antiquo Romanæ Eccleſiæ more Cardinales defuncti excelſo etiam lecto ſuperponi, ſtantibus ad quatuor ejus angulos quatuor famulis atra veſte indutis, flabella moventibus; cujus ritus meminit & inter alios eruditiſſimus Mabillonius in ſuo Itinere Italico anni MDCLXXXVI. qui agens de Roma ſecundo, ubi ille menſe Januario degebat, num. XIII. *Per hoſce dies*, inquit, *cum Baſilicam, quæ Ara-cæli vocatur, adiſſemus, expoſito illic magna cum pompa Cardinalis Savelli recens mortui cadavere, quatuor famuli in quatuor funeris angulis flabella movebant ad abigendas muſcas, quæ per id tempus non admodum infeſtæ erant. Sed ita præcipiunt cæremoniarum Leges.* Videſis quæ de hoc uſu diximus nos in noſtris ad Cæremoniale S. R. E. Commentariis, ubi ſcilicet de Exequiis Cardinalium egimus; ibi enim multa ſcitu digna invenies, quæ hunc noſtrum §. etiam illuſtrant.

III. Porro in elatione funeris vix eſt, quem non tangant ſalutares de morte, & humanarum rerum imbecillitate cogitationes, non tamen ſemper conſtantes: *Cum efferuntur mortui*, inquit S. Auguſtinus Sermone CXX. de diverſis, *cogitatur mors, & dicitur: Væ miſero, talis fuit, heri ambulabat, aut ante ſeptem dies illum vidi, illud, atque illud mecum loquutus eſt, nihil eſt homo. Murmurant iſta. Sed forte cum mortuus*

plangitur, cum funus curatur, cum Exequiæ præparantur, cum effertur, cum itur, cum ſepelitur, viget iſte ſermo. Sepulto autem mortuo, etiam talis cogitatio ſepelitur. Redeunt illæ curæ mortiferæ; obliviſcitur quem deduxerit, de ſucceſſione cogitat deceſſurus, reditur ad fraudes, ad rapinas, ad perjuria, ad infinitas corporis voluptates, non dico perituras, cum exhauſtæ fuerint, ſed hauriuntur pereuntes; & quod eſt pernicioſius, de ſepulto mortuo argumentum ſepeliendi cordis aſſumitur, & dicitur: Manducemus, & bibamus, cras enim moriemur. Contingit demum plerumque id, quod idem Sanctus Auguſtinus Lib. L. Homiliarum, in Homilia XXVIII. ſcriptum reliquit: *Quotidie moriuntur homines, & qui vivunt, deducunt illos, Exequias celebrant, & vitam ſibi promittunt. Nemo dicit: Corrigam me, ne cras hoc ſim, quod iſte, quem deduxi.* Fateor, noviſſe me plures, qui funera frequentant, qui defunctos efferunt, ſepeliuntve, feminas etiam ad feneſtras ſtantes, & funera ipſa perſpicientes, nihil prorſus ad hujuſmodi ſpectacula proficere, ſed ita vivere, ac ſi nunquam mori ipſi deberent. Sed de his ſatis.

IV. Locato cadavere in medio Eccleſiæ, mandat mox noſter §. ut, *niſi quid impediat, dicatur Officium Mortuorum cum tribus Nocturnis, & Laudibus &c.* Officii Mortuorum, ut in Breviariis ordinatum eſt, & de quo nos infra fuſius ſuo peculiari Capite dicemus, origo vix inveniri poteſt. Quod ex traditione Apoſtolica decantari jam olim ſolerent Pſalmi in Funeribus vita functorum, teſtantur paſſim priſci Eccleſiæ Patres, non uno in loco ſuperius citati. Notant plerique eruditi Auctores, dici hoc Officium Vigilias Mortuorum, quia ſcilicet apud defunctorum corpora in Eccleſiis expoſita Fideles pſallendo excubarent. Certe, ut alios omittam, teſtatur S. Gregorius Nyſſenus, de obitu ſororis ſuæ Macrinæ loquens, antequam corpus ejus ſepulchro inferretur, per totam noctem fuiſſe productam Pſalmodiam: *Factum eſt*, ait, *ut Virginum cantu lamentationibus commixto reſonaret locus*. Ac deinde ſubdit, *perfectam eſſe nocturnam pervigilationem canendis Pſalmis*. His vigiliis hodiernum Officium Defunctorum, quod & Vigiliarum nomen retinuit, reſpondere, docent inter alios Bonarotius, Libro I. *De inſtitutione Horarum Canonicarum*, Cap. XXXI. num. 10. & Vaneſpen Parte II. *Juris Eccleſiaſtici*, Titulo XXXVIII. Cap. I. num. XXXVIII. Officium ipſum, quod a multis negligeretur recitari in Exequiis defunctorum, juſſit Benedictus XIII. ut qui funeri præeſt, præſente cadavere, curaret, ut hujuſmodi Officium omnino diceretur, hæredum ſumptibus, ſiquid ex bonis defuncti ſuperſit, gratis vero in pauperum Exequiis.

V. Quæri vero opportune hic poteſt, an Officium ipſum, præſente cadavere, recitandum etiam ſit diebus ſolemnioribus, quibus vel etiam unica Defunctorum Miſſa, cadavere præſente, prohibetur? Reſpondet Guyetus in ſua Heortologia, Lib. IV. Capite XXIII. Quæſtione XII. duos dumtaxat eſſe dies, in quibus, cum liberum non ſit tradere ſepulturæ, nempe diem Paraſceves, & diem Paſchæ, ita neque liberum eſſe Officium Defunctorum publice perſolvere. Sed lapſus eſt haud dubie Guyetus; licere enim prædictis diebus mortuum tradere ſepulturæ, ſed ſine tamen peculiari Miſſa, quam etiam nec dici poſſe aliis celebrioribus anni Feſtis, licet præſens cadaver ſit, jam ſupra dictum eſt. Forte non improbanda ejuſdem Auctoris opinio ajentis, exceptis diebus Paraſceves, & Paſchæ, poſſe dici Officium iſtud præſente cadavere in ceteris Feſtis ſolemnioribus, adhibita tamen illa cautione, ut ſub veſperum poſt expletum diei Officium differatur. Recitandum, præſente cadavere, Officium ipſum Defunctorum *cum tribus Nocturnis, & Laudibus*, expreſſe edicit hic noſter §. Adhibendum vero tunc eſſe duplicem ritum, nempe duplicandas eſſe Antiphonas, expreſſe etiam cautum eſt ex hoc Rituali Romano, infra Capite Inſcripto, *Officium Defunctorum*. Sæculo XI. in uſu fuiſſe recitationem totius Officii Mortuorum, cum tribus Nocturnis, & novem Lectionibus, teſtem habemus Romanum Ordinem X. eo tempore exaratum apud Mabillonium Tomo II. Muſei Italici, pag. 115. ubi agens de ordine ſepeliendi Clericos Romanæ Fraternitatis: *Mane*, ait, *facto poſt pulſatas Campanas Clerici congregantur ex omnibus Eccleſiis ſecundum diſpoſitionem Prælatorum in Eccleſiam, ubi Clericus defunctus, eſt ſepeliendus, & quiſque Sacerdos cum ſuis Clericis cantet Vigiliam* IX. *Lectionum*.

VI. Tandem juxta Romani Breviarii Rubricam in Officio Defunctorum expreſſam, Preces in hoc noſtro §. notatæ dicendæ flexis genibus ſunt, & una etiam cum Pſalmo, *De profundis*, ſi alia die ipſum Officium diceretur, a die omnium Fidelium Defunctorum, & depoſitionis defuncti, ſi tres Nocturni dicantur, juxta notata a Gavanto, in ipſas Breviarii Romani Rubricas, Sectione IX. Cap. II. num. 3. Porro Oratio, *Abſolve, quæſumus Domine &c.* antiqua eſt, legiturque in Sacramentario S. Gregorii Papæ, & in Miſſalibus, ac Ritualibus paſſim, apud Martene, & alios rerum ritualium Scriptores.

§. VI.

Dum in Officio dicuntur Laudes, Sacerdos cum Miniſtris paratur ad celebrandam Miſſam ſolemnem pro defuncto, ſi tempus congruens fuerit, ut in die depoſitionis in Miſſali Romano.

COMMENTARIUS.

I. ANtiquiſſimum eſſe inſtitutum, ut præſente cadavere Miſſa pro defuncti anima celebraretur, abunde ſuperius probatum fuit. Debere autem Miſſam celebrari ſolemniter cum Miniſtris, recte ſtatuit hic noſter §. ſed clauſula illa addita, *ſi tempus congruens fuerit*, ideſt, ſi defuncti depoſitio non incidat in dies Feſtorum ſcilicet celebriorum, in quibus vel unica Miſſa defunctorum etiam præſente cadavere vetita eſt celebrari juxta varia peculiarium Conciliorum ſanctiones, ac repetita Sacræ Congregationis Decreta ſuperius a nobis allegata.

gata. Quæ ſervanda ſint in ſolemni Defunctorum Miſſa, explicata habentur in Miſſalis Romani Rubrica, Parte II. Tit. XIII. num. 2. *In Miſſa ſolemni*, inquit, *non incenſatur Altare ad Introitum; & Subdiaconus, finita Epiſtola, non oſculatur manum Celebrantis, nec benedicitur. Diaconus non petit benedictionem, nec oſculatur Celebrantis manum; non tenentur luminaria ad Evangelium, nec portatur incenſum; ſed duo tantum Acolythi ſine candelabris ſtant, unus a dextris, & alter a ſiniſtris Subdiaconi tenentis Librum Evangeliorum. Non incenſatur Liber, nec in fine Celebrans, nec defertur Liber Evangeliorum oſculandus. Oblata, & Altare incenſantur, ut ſupra. Incenſatur ſolus Celebrans, & non incenſantur alii. Subdiaconus non tenet Patenam poſt Celebrantem; ſed tempore elevationis Sacramenti, genuflexus in cornu Epiſtolæ illud incenſat. Miniſtri cum aliquid porrigunt Celebranti in hac Miſſa, non oſculantur ejus manum, neque rem, quæ porrigitur.* Plura ſcitu digna in hanc Rubricam videri poſſunt apud Gavantum, & Meratum in Notis ad eandem, & apud alios Auctores non paucos, qui de ritibus hujus Miſſæ ſcripſerunt, præſertim apud Bauldryum in ſuo Sacrarum Cæremoniarum Manuali.

§. VII.

Finita Miſſa, Sacerdos, depoſita Caſula, ſeu Planeta, & Manipulo, accipit Pluviale nigri coloris, & Subdiaconus accipit Crucem, & accedit ad feretrum, & ſe ſiſtit ad caput Defuncti cum Cruce medius inter duos Acolythos, ſeu Ceroferarios cum candelabris, & candelis accenſis, & omnes alii de Clero veniunt ordinatim in gradu ſuo cum candelis accenſis, & ſtant in circuitu feretri; tum ſequitur Sacerdos cum Diacono, & Aſſiſtente, aliiſque Miniſtris, & facta reverentia Altari, ſiſtit ſe contra Crucem ad pedes defuncti, retro aſtantibus ei a ſiniſtris duobus Acolythis, uno cum thuribulo, & navicula incenſi, altero cum vaſe Aquæ benedictæ, & aſperſorio; & Acolytho, ſeu Clerico tenente Librum, abſolute dicit hanc Orationem.

Non intres in judicium cum ſervo tuo, Domine, quia nullus apud te juſtificabitur homo, niſi per te omnium peccatorum ei tribuatur remiſſio. Non ergo eum, quæſumus, tua judicialis ſententia premat, quem tibi vera ſupplicatio Fidei Chriſtianæ commendat; ſed gratia tua illi ſuccurrente, mereatur evadere judicium ultionis, qui dum viveret, inſignitus eſt ſignaculo Sanctæ Trinitatis. Qui vivis, & regnas in ſæcula ſæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Similia his, quæ in hoc §. leguntur etiam in Rubrica Miſſalis Romani, Parte II. Tit. XIII. num. 4. Spectant hæc Abſolutionem Defuncti, quæ apud veteres Monachos, ut primum aliquis Frater obierat, ſtatim fiebat, ſive in ipſo Defuncti cubiculo, ſive in Capitulo, ut probat Martene, Lib. V. *De antiquis Monachorum ritibus*, Cap. X. num. 84. Fit hodie paſſim poſt Miſſam ex præſcripto noſtri §. & Rubricæ laudati Miſſalis Romani; eſtque hic ritus conſentaneus veteri diſciplinæ; orabatur enim olim poſt Miſſam circa Defuncti cadaver, teſte S. Dionyſio, ſive antiquiſſimo Auctore Libri, *De Eccleſiaſtica Hierarchia*, & Victore Uticenſi, Libro II. *De perſecutione Vandalica*. Dicebatur olim ſolemnis Oratio, iiſdemque verbis concepta, quibus in hoc noſtro §. eſt expreſſa; quam etiam conſueviſſe dici a Sacerdote poſt Miſſam, docent antiquiſſimi Rituales Codices, ac præſertim ms. Codex Monaſterii S. Benedicti Floriacenſis annorum circiter M. his verbis: *Poſt celebrationem denique Miſſæ ſtat Sacerdos juxta feretrum, & dicit hanc Orationem*: Non intres in judicium cum ſervo tuo &c.

§. VIII.

Deinde Cantore incipiente, Clerus circumſtans cantat ſequens Reſponſorium: *Libera me, Domine, de morte æterna in die illa tremenda: Quando Cæli movendi ſunt, & Terra: Dum veneris judicare ſæculum per ignem.* ℣. *Tremens factus ſum ego, & timeo, dum diſcuſſio venerit, atque ventura ira. Quando Cæli movendi ſunt, & Terra.* ℣. *Dies illa, dies iræ, calamitatis, & miſeriæ, dies magna, & amara valde. Dum veneris &c.* ℣. *Requiem æternam dona eis, Domine, & lux perpetua luceat eis.* ℟. *Libera me, Domine, &c.*

COMMENTARIUS.

I. Terminata Oratione, *Non intres in judicium &c.* ut ſupra in præcedenti §. juxta veteres Rituales Codices, ac præſertim celebrem illum Monaſterii S. Benedicti Floriacenſis annorum circiter M. dicebatur ſtatim hoc Reſponſorium: *Subvenite Sancti Dei &c.* quod ex præſcripto hodierni Romani Ritualis juſſu Pauli V. editi cani debet in ingreſſu defuncti ad Eccleſiam, ut dictum eſt ſupra §. III. Sed deſcribamus integrum locum citati Codicis Monaſterii Floriacenſis: *Poſt celebrationem denique Miſſæ ſtat Sacerdos juxta feretrum, & dicit*

cit hanc Orationem: Non intres in judicium &c. *Sequitur Reſponſum*: Subvenite Sancti Dei &c. ℣. Chorus Angelorum eam ſuſcipiat, & in ſinu Abrahæ eam collocet. Kyrie eleiſon. Ita laudatus Codex, in quo ſtatim ſequuntur variæ Orationes, ac tandem illa: *Abſolve, quæſumus, Domine &c.* quæ habetur ſupra §. v.

II. Longum eſſet Rituales Codices de Abſolutione Defuncti deſcribere. Fiebant iſtæ Abſolutiones multis cum Precibus, Reſponſoriis, Orationibuſque, & quidem non modo antiquitus, verum etiam Sæculo xvi. uti conſtat ex Sacerdotali juxta conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ, aliarumque complurium edito Venetiis an. MDLXVII. Cap. xx. quod inſcriptum eſt, *De officio ſepulturæ Sacerdotis, vel Clerici defuncti*, & Cap. xxiii. cui Titulus: *Ordo ſepeliendi aliquem ſæcularem defunctum*. Vide & Ordinem Romanum x. apud Mabillonium Tomo II. Muſei Italici, pag. 115. ubi hic extat Titulus: *Ordo ſepeliendi Clericos Romanæ Fraternitatis*, ubi *finita* quidem *Miſſa, Clerici omnes congregantur circa feretrum in modum rotæ*, & varios Pſalmos, Preces, Reſponſoria, ac Orationes dicebant, abſolvebantque defunctum, tum antequam ſepulturæ mandaretur, tum etiam poſt. Quicquid ſit de antiquis ritibus, ex præſcripto noſtri Ritualis, quod attendi omnino debet, poſt Orationem, *Non intres in judicium*, de qua diximus in Commentario ſuperiori, cantandum eſt Reſponſorium, *Libera me Domine &c.* quod licet antiquum & ipſum ſit, in multis tamen Ritualibus deſideratur.

§. IX.

Dum cantatur prædictum Reſponſorium, Sacerdos, Acolytho, & Diacono miniſtrante, accipit incenſum de navicula, & ponit in thuribulum, & finito Reſponſorio, Cantor cum primo Choro, dicit: *Kyrie eleiſon*, & ſecundus Chorus reſpondet: *Chriſte eleiſon*; deinde omnes ſimul dicunt: *Kyrie eleiſon*. Mox Sacerdos dicit alta voce: *Pater noſter &c.* & ſecreto dicitur ab omnibus, & ipſe interim accipit a Diacono, vel Acolytho aſperſorium Aquæ benedictæ, & facta profunda inclinatione Cruci, quæ eſt ex adverſo, Diacono, ſeu Miniſtro genuflectente, & fimbriam Pluvialis ſublevante, circumiens feretrum (ſi tranſit ante Sacramentum, genuflectit) aſpergit corpus defuncti; deinde reverſus ad locum ſuum, Diacono miniſtrante, accipit thuribulum, & eodem modo circuit feretrum, & corpus incenſat, ut aſperſerat; poſtea reddito thuribulo ei, a quo acceperat, ſtans in loco ſuo, Acolytho, ſeu alio Miniſtro tenente Librum apertum ante ſe, dicit: ℣. *Et ne nos inducas in tentationem*. ℟. *Sed libera nos a malo*. ℣. *A porta inferi*. ℟. *Erue Domine animam ejus*. ℣. *Requieſcat in pace*. ℟. *Amen*. ℣. *Domine exaudi orationem meam*. ℟. *Et clamor meus ad te veniat*. ℣. *Dominus vobiſcum*. ℟. *Et cum ſpiritu tuo*.

Oremus.

Deus, cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere, te ſupplices exoramus pro anima famuli tui N. quam hodie de hoc ſæculo migrare juſſiſti; ut non tradas eam in manus inimici, neque obliviſcaris in finem, ſed jubeas eam a Sanctis Angelis ſuſcipi, & ad Patriam Paradiſi perduci; ut quia in te ſperavit, & credidit, non pœnas inferni ſuſtineat, ſed gaudia ſempiterna poſſideat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen*.

Si defunctus fuerit Sacerdos, dicatur: *pro anima famuli tui Sacerdotis*.

COMMENTARIUS.

I. QUamquam ex veterum Ritualium præſcripto, non quidem cum dicitur Reſponſorium, *Libera me Domine*, ut habet hic noſter §. conſtat tamen ex iiſdem, adhibitam fuiſſe in defunctorum Exequiis aſperſionem Aquæ benedictæ, & incenſationem cum thure. Incenſo thure honorari ſolitos fuiſſe olim defunctos, probat Baronius ad annum Chriſti XXXIX. conſtatque etiam ex priſcis Ritualibus relatis a Martene Lib. III. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. xv. & Lib. v. *De antiquis Monachorum ritibus*, Cap. x. in quibus paſſim legitur, aſpergi Aqua benedicta defunctos, & thure incenſari. Aquam benedictam adhiberi in Exequiis docet Durandus Lib. vii. Rationalis Divinorum Officiorum, Cap. xxxv. non ad tollenda peccata venialia, ſed ut omnes immundorum ſpirituum præſentia arceatur. Fieri etiam incenſationes ad eoſdem dæmones expellendos, tradit Innocentius Papa III. Lib. II. *De Myſteriis Miſſæ*, Cap. xvii. & ut ait Belethus in explicatione Divinorum Officiorum, Cap. clxi. *propter corporis fœtorem removendum*; ſive ut notat Gavantus in Rubricam iv. Miſſalis Romani, Par. II. Tit. xiii. ut oſtendatur, quod Defunctus Deo obtulit ſe in odorem bonorum operum, ſeu quod Defunctis proſit Oratio, quæ eſt veluti incenſum juxta effatum Pſalmi cxl.

II. Dubitarunt aliquando nonnulli, an benedicendum ſit thus, quo incenſari ex priſco ritu Mortui ſolent? Qui benedicendum thus ipſum negant, ajunt, in antiquioribus Miſſalibus, & in modernis, itemque in Cæremoniali Epiſcoporum, & Rituali hoc Romano, quibus etiam addi poterat Romanum Pontificale, jam a nobis Commentariis perpetuis explicatum, nihil de ea benedictione præſcribi. At vero ſum ego & ejus opinionis benedicendum ſcilicet ipſum thus quo defuncti incenſantur; quia præterquamquod ritus hujuſmodi præſcriptus legitur in Cæremoniali S. R. E. ab Auguſtino Patricio concinnato, & a Marcello Corcyrenſi Antiſtite publici juris fa-

ſacto, quod etiam non ita pridem Commentariis fuſioribus illuſtravi, recte obſervat Gavantus citato loco, in Miſſali recognito expreſſe juberi benedicendum thus, illis verbis; *Benedicens illud more ſolito*. Qui plura, quæ praxim ſpectant incenſandi, & Aqua benedicta aſpergendi Defunctos ſcire deſiderat, legere Notas, atque Additiones poteſt Cajetani Merati Clerici Regularis, quas ad Gavantum concinnavit, & quidem tanta diligentia, ut ad explicandas ipſas Sacrarum Cæremoniarum minutias omnem ſuam impenderit operam. Ad Orationem quod attinet in §. noſtro deſcriptam; *Deus, cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere &c.* legitur & ipſa in variis Ritualibus una cum Precibus, quæ Orationem ipſam præcedunt. Quod ait vero hic noſter §. ut ſi Defunctus fuerit Sacerdos, in Oratione ipſa dicatur *pro anima famuli tui Sacerdotis &c.* hoc quidem ſtatuit propter eminentem Sacerdotis dignitatem, quæ neque poſt mortem reticeri poteſt, quod tamen non habet locum in aliis Clericis etiam Majoribus, ſicuti neque in Canonicis, Protonotariiſve Apoſtolicis. Dicitur vero de Epiſcopis, ac S. R. E. Cardinalibus, ut jam notavi in Commentariis ad duo Cæremonialia, Epiſcoporum ſcilicet, ac S. Romanæ Eccleſiæ,

§. X.

Finita Oratione, corpus defertur ad ſepulchrum, ſi tunc deferendum ſit, & dum portatur, Clerici cantant Antiphonam; *In Paradiſum deducant te Angeli; in tuo adventu ſuſcipiant Martyres, & perducant te in Civitatem ſanctam Jeruſalem. Chorus Angelorum te ſuſcipiat, & cum Lazaro quondam paupere æternam habeas requiem.* Cum autem pervenerit ad ſepulchrum, ſi non eſt benedictum, Sacerdos illud benedicit, dicens hanc Orationem. *Oremus.*

Deus, cujus miſeratione animæ Fidelium requieſcunt, hunc tumulum benedicere dignare, eique Angelum tuum ſanctum deputa cuſtodem; & quorum, quarumque corpora hic ſepeliuntur, animas eorum ab omnibus abſolve vinculis delictorum, ut in te ſemper cum Sanctis tuis ſine fine lætentur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Dicendam hanc Antiphonam, *In Paradiſum &c.* ut præſcribit hic noſter §. jam multis ab hinc Sæculis ſtatutum fuit in variis Ritualibus, & præſertim in mſs Gemmeticenſi Codice tempore Theodorici Abbatis exarato, ex quo cautum eſt, ut peractis iis ſuperius explicatis, *elevetur corpus de Eccleſia, & portetur ad tumulandum, ita dicendo.* Antiph. *In Paradiſum*; una cum Pſalmo, *Ad te Domine levavi*, aut Pſalmo, *In exitu Iſrael de Ægypto*, Quibus recitatis, dicebantur ex præſcripto ejuſdem Codicis aliæ Orationes, Antiphonæ, & Pſalmi.

II. Ubi ſepulchrum, in quo ſepeliri debet defunctus, non eſſet benedictum, mandat noſter §. ut Sacerdos illud prius benedicat præſcripta Oratione; *Deus, cujus miſeratione animæ Fidelium &c.* quæ etiam in antiquis Ritualibus legitur. Extat benedictio ſepulchri, ut alia omittam, in antiquo Rituali Monaſterii S. Eligii Noviomenſis annorum MDC. cum prolixiori tamen Oratione; *Sacerdos autem*, inquit, *veniens ad ſepulchrum, ſi non eſt benedictum, benedicit illud*, cum hac ſcilicet Oratione; *Deus qui fundaſti terram &c.* & deinde dicit: *Benedictio Dei Omnipotentis Patris ✠, & Filii ✠, & Spiritus Sancti deſcendat ſuper hoc ſepulchrum, Amen.* Sequitur mox alia Oratio, quæ incipit: *Ineffabilis Dei Patris Unigenite Fili &c.* Porro ex his addiſcimus, quod tametſi Eccleſia ſit conſecrata, ſeu benedicta, non cenſetur benedictum ſepulchrum, ſed ſua propria benedictione indiget a Rituali præſcripta in hoc præſenti §. in quem videri & illud poteſt, quod ſcribit Paulus Maria Quarti Clericus Regularis in Tractatu *De Benedictionibus*, Tit. II. Sectione XI. *De Benedictione Cæmeterii, & Sepulchri Fidelium*, Dubitatione II. §. *Colligitur ſecundo*.

III. Nequid vero omittamus, quod initio noſtri hujus §. edicitur, ut finita Oratione, *Deus cui proprium eſt &c.* de qua diximus in Commentario ſuperiori, corpus deferatur ad ſepulchrum, *ſi tunc deferendum ſit*, notandum primo cenſeo, non amplius ſuper humeros deferendum feretrum, in quo defunctus jacet, ad ſepulchrum, ſed manibus deducendum, quia ſcilicet hæc non dicitur proprie Proceſſio, ſed translatio. Secundo, varios dari poſſe caſus, cur non ſtatim cadaver tradi debeat ſepulturæ, quia ſcilicet nondum elapſæ ſunt horæ præſcriptæ ab expiratione defuncti; vel quia fovea, ſeu ſepulchrum nondum ſit constructum, vel quia conficiendus proceſſus ſit circa defuncti qualitates. Quibus caſibus, ut ad hunc §. Barrufaldus notavit, cadaver, ſi brevis nempe debeat eſſe mora, transferri poteſt ad Capellam, ſeu Oratorium privatum illius Eccleſiæ, ſemper vero cum cereo accenſo; ſi autem longa mora eſſe debeat, & cadaver jam fœteat, collocari poteſt in capſa bene clauſa, & in alio ſepulchro humari per modum depoſiti, donec paratus illi ſit locus perpetuæ ſepulturæ,

§. XI.

Dicta Oratione, Sacerdos Aqua benedicta aſpergat, deinde incenſet corpus defuncti, & tumulum.

COMMENTARIUS.

I. Ecce hic nova Aquæ benedictæ aſperſio, & incenſatio ſuper defunctum, & tumulum, in quo eſt ſepeliendus defunctus. Legitur & hic ritus in variis Ritualibus; ejuſque inter alios meminere Belethus in ſua Divinorum Officiorum explicatione, Cap. CLXI.

&

& Durandus in Rationali Lib. VII. Cap. XXXV. num. 38. aſſerentes tamen debere aquam ipſam benedictam, & prunas cum thure apponi, una cum defuncto in ſepolchro, ob rationes ſuperius explicatas, ad abigendos ſcilicet dæmones, *qui ſolent ſæpe numero in mortuorum deſævire corpora, & quod non potuerunt in vita, id faciunt ſaltem poſt mortem.* Juxta Statuta Lanfranci, Cap. XXIV. peragebatur hæc cæremonia a Monachis eom magna ſolemnitate, & Proceſſione. Inter alia enim mandant, ut, *cum ad ſepulturam pervenerint, ſtent ordinate hinc, & inde, ſicut in Choro ſtare ſolent. Sacerdos ſtet inter duos Choros non longe a ſepultura; ad dexteram ejus, & ad ſiniſtram, qui portant aquam, & Crucem, & cætera, de quibus ſuperius dictum eſt. Dicta Collecta,* Piæ recordationis affectu, *accedat Sacerdos, & aſpergat ſepulchrum Aqua benedicta, & impoſito thure, tribuat thuribulum uni eorum, qui Albis induti illuc deſcenderant, & incenſetur ſepulchrum; dehinc dicta Collecta,* Obſecramus miſericordiam tuam, *duo ex Fratribus, qui foris ſunt, pallium deſuper extendant; alii duo corpus de feretro accipientes, illis tribuant, qui in tumulum deſcenderant. Illi diligenter illud in ſepulchro componant, & Abſolutionem ſcriptam, & a Fratribus lectam ſuper pectus ejus ponant, & operiant.* Similia, vel paulo diverſa, legere eſt in antiquis aliis Ritualibus multis.

II. Memorati hactenos ritus mentionem facit Rituale antiquum Monaſterii S. Eligii Noviomenſis, aliumque explicat Martene in multis Ritualibus notatum, & ſervari hodie ſolitum a Dominicanis in ſuorum Exequiis, ſpargendi ſcilicet terram ſuper corpus defuncti: *Corpore uſque in foſſam allato,* ait Rituale Noviomenſe, *Aquam benedictam ſpargit* (Sacerdos ſcilicet) *in foſſam, atque incenſat eandem.* Tum mox: *Quo facto ſine quolibet intervallo, ponitur corpus in terram, iterumque aqua benedicta aſpergitur, & incenſatur: Tunc operculo ligneo operitur. Sacerdos autem cum pala ter mittens aliquantulum de terra ſuper illud, ſubjungit has Orationes:* Oremus Fratres cariſſimi pro ſpiritu cari noſtri &c. *Alia*: Deus, qui juſtis ſupplicationibus præſto es &c. *Alia Oratio*: Debitum humani generis &c. *Alia Oratio*; Temeritatis quidem eſt &c.

III. Juxta Sacerdotale Brixienſe, Diſtinctione IX. Cap. II. pag. 280. dum Sacerdos aſpergit aqua benedicta defunctum, dicit: *Rore cæleſti perfundat, & perficiat animam tuam Deus.* Dum vero incenſat, *Odore cæleſti*, inquit, *paſcat animam tuam Deus.* Dum ſepultori mandatur: *Sume terra*, ait, *quod tuum eſt; ſumat Deus quod ſuum eſt; corpus de terra formatum, ſpiritus de Cælo inſpiratus eſt.* Deinde Sacerdos pala ter projciens terram ſuper ſonus, dicit: *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris;* eoque expleto ritu, ac dicto Cantico, *Magnificat, &c.* Pſalmo, *Lauda anima mea Dominum &c.* ac nonnullis Precibus, & Orationibus, cum pala, ſeu Cruce lignea ſignat ſepulchrum tribus in locis, in capite, in medio, & in pedibus, dicens, *Signum Salvatoris ✠ Domini noſtri Jeſu Chriſti ✠ ſuper te, qui in hac Imagine ✠ redemit te, nec permittat introire*, infigat Crucem ligneam in capite ſepolchri, *Angelum percutientem in æternum.* Deinde aſpergit ſepulchrum Aqua benedicta, & dicta alia Oratione ſuper populum materna lingua, omnes aſpergunt ſepulchrum, & diſcedunt. Qui quidem ritus, ut obſervat Barruſaldus in ſuo ad hunc noſtrum §. Commentario, magis ſervandus eſt in Cœmeterio, quam in Eccleſia.

IV. Ritum ipſum ſpargendi terram ſuper cadaver, non modo Rituales Codices probant, verum etiam vetera, ac recentiora exempla, ac illud præſertim noſtri Bonſignorii Cacciaguerræ, qui, ut ipſemet docet in Vita piæ Virginis Felicis a Barbarano, primus fuit, qui ex adſtantibus illius funeri terram ſuper ipſam jecit, dicens: *Dormi in pace, o filia, donec te Chriſtus excitabit a mortuis, & interim ora Deum pro me.* Obiit Virgo ipſa Romæ die XX. Aprilis anni MDLIII. ſepultaque fuit in Parochiali Eccleſia S. Ceciliæ ad Montem Jordanum cum hac marmorea inſcriptione, quam conſervavit nobis Floridus Canonicus de Silveſtris in Libro, quem inſcripſit, *Corona duodecim Sanctarum Virginum*, eſtque hujuſmodi; *Felicis de Barbarano Ancillæ Chriſti, quam puriſſimam Virginem alumnam ad omnem ſanctitatem educavit Homo Dei Bonſenior Cacciaguerra Senenſis Presbyter Congregationis in ædibus Charitatis, hic depoſitum redivivum in pace expectat cenſorium diem. Obiit XII. Kalend. Maii MDLIII.* Tractu temporis ſolo æquata ipſa S. Ceciliæ Eccleſia, & unita fabricæ S. Mariæ in Vallicella, oſſa Virginis tranſlata funere in ipſam Vallicellanam Eccleſiam, extantque hodie in Sacello Deiparæ in Cælos aſſumptæ dicato, in quo alia a prænotata, marmoria inſcriptio legitur, ſuppreſſo prorſus nomine noſtri eximii Viri Bonſignorii Cacciaguerræ, qui non ſine ſanctitatis fama obiit in noſtra Domo S. Hieronymi Charitatis, ubi hodieque extat hæc ejus marmorea inſcriptio ſubtus Organum Eccleſiæ prope portam, quæ ad Sacrarium ducit, quam & in Commentariis ad Romanum Pontificale retuli.

D. O. M.
BONSIGNORIO
CACCIAGUERRÆ
SENENSI MIRÆ
SANCTITATIS
SACERDOTI
OBIIT ANNO
D. MDLXVI.
ÆTATIS SUÆ LXXII.
HUMATUS EST HIC PRIDIE
KAL. JUL.

V. Siquis tandem hic quærat, quinam olim mortuos ſepelirent, repetam quod ſuperius jam adnotavi, fuiſſe homines, qui Decani, Lecticarii, Laborantes, Copiatæ, Foſſarii, Veſpilliones, aliiſque nominibus appellabantur. Suam tamen adhibuiſſe aliquando operam huic pio officio Clericos, non obſcure innuit S. Hieronymus in Epiſtola ad Innocentium de muliere ſepties icta. Sed nec deſunt vetera monumenta, quibus docemur, eam ſibi Epiſcopos provinciam aſſumſiſſe. Teſtatur id quidem S. Gregorius Nyſſenus de obitu Macrinæ ſororis ſuæ, ubi illius humationem a ſe, & ab alio Epiſcopo factam recenſet his verbis: *Ego, & regionis Epiſcopus ille, cujus mentionem feci, ſacrum illud corpus e feretro tollentes, juxta matrem appoſuimus, atque ita votum utriuſque complevimus; uno enim conſenſu ſemper oraverant Deum, ut corporibus poſt mortem copularentur, ut quæ inter ipſas fuerat in hac vita conjunctio, ne in ipſa quidem morte diſſolveretur.*

§. XII.

§. XII.

Quod ſi corpus tunc ad ſepulturam non deferatur, o niſſo Reſponſorio, *In Paradiſum &c.* & benedictione Sepulchri, ſi jam eſt benedictum, proſequatur Officium, ut infra, quod nunquam omittitur, & intonet Antiphonam: *Ego ſum*. Et dicitur Canticum, *Benedictus*. Et repetitur Antiphona: *Ego ſum reſurrectio, & vita; qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit, vivet, & omnis, qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum*. Poſtea Sacerdos dicit, *Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter.* Interim corpus aſpergit. ℣. *Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos a malo.* ℣. *A porta inferi.* ℟. *Erue Domine animam ejus.* ℣. *Requieſcat in pace.* ℟. *Amen.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Domiaus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

Fac, quæſumus, Domine, hanc cum ſervo tuo defuncto miſericordiam, ut factorum ſuorum in pœnis non recipiat vicem, qui tuam in votis tenuit voluntatem; ut ſicut hic eum vera Fides junxit Fidelium turmis, ita illic eum tua miſeratio ſociet Angelicis Choris. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

Si fuerit femina, dicatur, *Oremus.*

Fac, quæſumus, Domine, hanc cum famula tua defuncta miſericordiam, & factorum ſuorum in pœnis non recipiat vicem, quæ tuam in votis tenuit voluntatem; ut ſicut hic eam vera Fides junxit Fidelium turmis, ita illic eam tua miſeratio ſociet Angelicis Choris. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.* ℣. *Requiem æternam dona ei Domine.* ℟. *Et lux perpetua luceat ei.* ℣. *Requieſcat in pace.* ℟. *Amen.* ℣. *Anima ejus, & animæ omnium Fidelium defunctorum per miſericordiam Dei requieſcant in pace.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. INter alias Preces, & Pſalmos, ac Orationes, & Cantica, quæ dici conſuevere ex antiquo ritu, recenſeri etiam illa, quæ in hoc §. noſtro ootaotur, ex antiquis Ritualibus conſtat, & potiſſimum ex antiquo Romano Ordine x. oumero 39. ubi agit de ſepultura defuncti: *His actis in perſona defuncti, dicatur Antiphona*, Aperite mihi portas: *Et mox aperiatur ſepultura*. Mandat mox, ut dicatur Pſalmus: *Confitemini Domino*; itemque io perſona defuncti dicatur Antiphona: *Ingrediar in locum*; eaque dicta *ſepelitur* cum Pſalmo, *Sicut Cervus*. Varios Pſalmos, Preces, Antiphonas, Orationeſque dictas olim fuiſſe, non modo dum actu ſepeliretur defunctus, verum etiam poſtquam humatus fuerat, docent nos plures Libri Rituales. Ex Pontificali antiquo Salisburgenſi, ubi claudebatur ſepulchrum, caotabatur hæc Antiphona: *Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam*; itemque Pſalmus: *Memento Domine David*, & ſequebantur multæ Orationes. Tum maodat, ut *deinde Sacerdos faciat Crucem ſuper ſepulchrum, dicendo*: Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, deſcendat ſuper hoc ſepulchrum. ℟. Ameo. *Similiter & reliqui Presbyteri ſinguli facientes Crucem ſuper ſepulchrum, dicant*: Signum Chriſti ſit ſuper te, *Omnibus autem reſpondentibus*, Amen. Ultima clauſula, quæ in hoc Pontificali legitur eſt illa, quæ habetur io fine noſtri §. nempe: *Anima ejus, & omnium Fidelium defunctorum requieſcant in pace. Amen.*

II. Sed age explicemos ritum ſervatum poſt ſepultum defunctum juxta laudati Ordinis x. Romani præſcriptum: *Sepulto*, inquit, *item in perſona ejuſdem dicatur Antiphona*: *Hæc requies mea in ſæculum ſæculi*. Pſalmus: *Memento Domine David*. Antiphooa: *De terra pſalmaſti me Domine, & carne induiſti me, Redemptor meus ſuſcita me in noviſſimo die*. Pſalmus: *Domine probaſti me*. Antiphona: *Non intres in judicium*. Pſalmus: *Domine exaudi*, II. Antiphona: *Omnis ſpiritus laudet Dominum*. Pſalmus: *Laudate Dominum de Cælis*. Antiphona: *Ego ſum*. Pſalmus: *Benedictus*. Oratio: *Oremus, Fratres cariſſimi, pro ſpiritu Fratris noſtri &c. reſuſcitari faciat. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* ℟. Amen. Oratio: *Deus, cui omnia vivunt &c. quam præparaſti diligentibus te. Per Dominum noſtrum. Amen*. Oratio: *Temeritatis quidem eſt, Domine &c. in parte dextera coronandus. Per Chriſtum Dominum*. Oratio: *Opus eſt miſericordiæ Domine ſancte &c. in ſinu Abrahæ transferatur. Per Chriſtum Dominum.* ℟. *Amen.* Alia Oratio: *Debitum humani corporis &c., & perenni felicitate perfrui mereatur. Per Chriſtum*. Oratio: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui humano corpori &c. æternis ſedibus præcipias ſociari. Per Dominum noſtrum.* Hæ, aliæque prolixiores Orationes, Antiphonæque, ac Pſalmi dici ſoliti in ſepultura defuoctorum, extaot jam in aliis Ritualibus citato Romano Ordine x. antiquioribus.

III. Sed ut magis magiſqoe eluceſcat Majorum noſtrorum pietas in ſepultura defunctorum, abſolvebatur iterum cadaver in ſepultura poſitum Aquæ benedictæ aſperſione, & variis Precibus; ſic enim mox ſubdit citatus Ordo Romanus num. 40. *Item ad abſolvendum, poſtquam ſepultus fuerit, cum Aqua ſancta aſpergitur, antequam populus recedat, & dicat Sacerdos*: Pater noſter. *Verſ.* Et ne oos. *Verſ.* Non intres in judicium. *Reſp.* Quia non. *Verſ.* A porta inferi. *Reſp.* Erue Domine. *Verſ.* Domine exaudi. *Reſp.* Et clamor. *Verſ.* Dominus vobiſcum. *Reſp.* Et cum. *Oratio.* Tibi Domine commendamus &c. miſericordiſſi-

mo

mæ pietatis abſterge. Per Dominum &c. *Pro Cœmeterio Pſalm.* Miſerere mei Deus. Pater noſter. *Verſ.* Et ne nos *Verſ.* Requiem æternam. *Verſ.* A porta inferi. *Verſ.* Domine exaudi. *Reſp.* Et clamor meus. *Verſ.* Dominus vobiſcum. *Reſp.* Et cum. *Oratio*, Deus, cujus miſeratione &c. tecum ſine fine lætentur. Per Dominum. *Poſtremo dicatur Oratio*: Abſolve Domine. *Et ſubjungatur*: Anima ejus, & omnium Fidelium defunctorum requieſcant in pace. Amen.

§. XIII.

Si vero ob rationabilem cauſam, videlicet ob temporis anguſtiam, vel aliorum Funerum inſtantem neceſſitatem, prædictum Officium Mortuorum cum tribus Nocturnis, & Laudibus dici non poteſt, depoſito in Eccleſia feretro cum corpore, dicatur ſaltem primum Nocturnum cum Laudibus, maxime ubi hujuſmodi viget conſuetudo, incipiendo ab Invitatorio, *Regem*, *cui omnia vivunt*, *Venite &c.* & poſtea omnia alia dicantur, quæ ſupra præſcripta ſunt, dicenda poſt Officium Mortuorum, & Miſſam.

§. XIV.

Quod ſi etiam ea fuerit temporis anguſtia, vel alia urgens neceſſitas, ut unum Nocturnum cum Laudibus dici non poſſit, aliæ prædictæ Preces, & Suffragia nunquam omittantur.

COMMENTARIUS.

I. Superius jam dictum fuit, ritu antiquo recitari conſueviſſe Officium Defunctorum præſente cadavere, integrum ſcilicet Officium, quod tribus Nocturnis, novem Lectionibus, & Laudibus conſtat. Id quidem expreſſe præcipiunt Rituales priſci Codices, longo agmine allati a Martene Lib. III. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. XV. & Lib. V. *De antiquis Monachorum ritibus*, Cap. X. Pluries dictum fuiſſe Officium iſtud vel in Funere unius defuncti, addiſcimus ex antiquis mſs. Conſuetudinibus Farfenſis Monaſterii. Volunt enim primo, ut cum anima de corpore fuerit ſeparata, tunc ſimul Campanæ pulſentur, & Officium Mortuorum agatur, & poſt Officium etiam Veſperas, & quinque Pſalmos dicant. Secundo, ut cum corpus lavatur, iterum Defunctorum Officium recitetur cum aliis Pſalmis, & Orationibus; Pſalteriumque etiam inchoetur, ſi longius tempus ipſa lotio corporis exegerit. Tertio, ut delato ad Eccleſiam cadavere, Armarius, ideſt, Cantor, ſeu Præcentor, uti alias notatum fuit, nominatim Fratres mittat, *qui primam vigiliam faciant, & ſecundam, & ita, ſicut noctis eſt longitudo, temperare, aut in ſingulis Vigiliis dicant Pſalterium cum Officio Mortuorum, & Matutina ipſorum, & Veſpera, & quinque Pſalmis poſt Officium; poſt Matutinas vero Laudes &c.*

II. Quod in laudatis Conſuetudinibus edicitur, in aliis quoque Ritualibus expreſſum eſt; mandatque inter alios antiquus Ordo Romanus X. num. 26. ut delato in Eccleſiam defuncto, *quiſque Sacerdos cum ſuis Clericis cantet Vigiliam IX. Lectionum*. Quamobrem non mirum videri debet, quod in hoc noſtro Rituali Romano præceptum eſt, ut nempe in Exequiis alicujus defuncti unum integrum Officium Mortuorum recitetur, ea etiam addita permiſſione in §. noſtro XIII. ut *ſi ob rationabilem cauſam, videlicet ob temporis anguſtiam, vel aliorum funerum inſtantem neceſſitatem prædictum Officium Mortuorum cum tribus Nocturnis, & Laudibus dici non poteſt, depoſito in Eccleſia feretro cum corpore, dicatur ſaltem primum Nocturnum cum Laudibus*; quinimo, *ſi etiam ea fuerit temporis anguſtia, vel alia urgens neceſſitas, ut unum Nocturnum cum Laudibus dici non poſſit, aliæ prædictæ Preces, & Suffragia nunquam omittantur*, ex præſcripto §. XIV.

§. XV.

Miſſa vero, ſi hora fuerit congruens, ritu pro defunctis, ut in die obitus, præſente corpore, non omittatur, niſi obſtet magna diei ſolemnitas, aut aliqua neceſsitas aliter ſuadeat; & poſt Miſſam fiat, ut ſupra.

COMMENTARIUS.

I. De Miſſa tandem ſtatuit hic §. ut *ſi hora fuerit congruens, ritu pro defunctis, ut in die obitus, præſente corpore, non omittatur, niſi obſtet magna diei ſolemnitas, aut aliqua neceſſitas aliter ſuadeat, & poſt Miſſam fiat, ut ſupra*. Plura nos de antiquo ritu celebrandi Miſſam, præſente cadavere, jam ſupra abunde diſſeruimus, ubi etiam explicuimus magnam diei ſolemnitatem, qua vetatur, vel unicam defunctorum dici Miſſam etiam corpore defuncti præſente. Præter Gavantum in Rubricas Miſſalis, alioſque, qui ipſas ex profeſſo expoſuerunt, de Miſſa ipſa ſolemni pro defunctis, ac cæremoniis in ea ſervandis videri poſſunt, quæ notavit inter alios recentiores Scriptores Meratus in novis ad ipſum Gavantum Additionibus, & Bauldryus in Manuali ſacrarum Cæremoniarum, Parte III. Cap. XIII. n. I. & ſeqq.

CAPUT IV.

Officium Defunctorum.

I. QUandonam, & a quo Defunctorum Officium compoſitum fuerit, ac recitari cœperit, incertum eſt; eſſe tamen valde antiquum, nemo eſt, qui non fateri cogatur. Suam trahere originem a nocturnis Vigiliis, quæ apud Defunctorum corpora in Eccleſiis expoſita a Fidelibus, orando ibidem, & pſallendo, fiebaut, notavit inter alios Vaneſpen, Parte II. *Juris Eccleſiaſtici*, Tit. xxx. Cap. I. num. xxxvii. & ſeq. Conſtat Officium primis Veſperis, & Officio nocturno, idque non obſcurum indicium eſt, ex priſcis illis memoratis Vigiliis deſcendere, ſeu potius illis ſucceſſiſſe. Cum enim corpus ſub veſperam ad Eccleſiam delatum tota ibidem nocte quieſceret, Preces, & Vigiliæ, quæ veſperi coram corpore agebantur, primis Veſperis hujus Officii apprime reſpondent, reliqua vero, quæ nocte agebantur, Officio nocturno.

II. Inter alios autiquos Auctores, qui de Divinis Officiis tractant, Amalarius, qui claruit Sæculo IX. de Officio Mortnorum diſſerit, quiu & quibuſdam viſus eſt, ejus fuiſſe continuator, conditorque, quod ordine commodiori illud digeſſerit, Lib. IV. *De Eccleſiaſticis Officiis*, Capite XLII. & Lib. *De ordine Autiphonarii*, Capite LXV. & ſeq. Notat hæc Thomaſſinus Parte I. *Diſciplinæ*, Lib. II. Capite LXXXVI. num. IX. ubi etiam mox ſubdit, eſſe hujuſmodi Officium Amalario antiquius. Plura de Officio ipſo notarunt jam Belethus in Explicatione Divinorum Officiorum, Cap. CLXI. & Durandus in ſuo Rationali Lib. VII. Cap. XXXV. Originem iſtius Officii ducuut hi Anctores a Veteri Teſtamento, conanturque multis probare hanc ſuam ipſorum opinionem. Sed hac opinione omiſſa, operæ pretium duco ea deſcribere, quæ de ejuſdem celebratione Officii ſcripſit Belethus loco citato: *Præterea modo videamus*, iuquit, *de ipſius Officii celebratione. Ac primo quidem, ut ſciamus, quæ ſiut tacenda, & ſecundo quæ ſiut dicenda, quemadmodum Officium Mortuorum imitatur triduanam Chriſti ſepulturam, & illius omnino veſtigia ſequitur. Sicut ergo tribus illis diebus, ita & in hoc Officio omnia Cantica lætitiæ ſubticemus. Inde etiam eſt, quod*, Domine labia mea aperies, *ad Matutinas, vel Vigilias Mortuorum, &*, Deus in adjutorium, *non dicatur in principiis Horarum, neque*, Venite exultemus, *neque*, Gloria Patri, *ad Reſponſorium, aut ſub finem Pſalmorum. Pari modo ad Lectiones, neque benedictiones petimus, neque damus, nec*, Tu autem Domine, *nec*, Deo gratias, *uſquam dicimus, uſque adeo, ut ne ad Miſſam quidem*. Eadem legere eſt apud laudatum Durandum.

§. I.

Officium Defunctorum dicitur in Choro in die depoſitionis, & aliis diebus pro temporis opportunitate, & Eccleſiarum conſuetudine, ut ſupra dictum eſt. In die vero depoſitionis, & tertio, ſeptimo, trigeſimo, & anniverſario duplicantur Antiphonæ. Et in fine Pſalmorum dicitur, *Requiem æternam, dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis*, etiamſi pro uno tantum fiat Officium.

COMMENTARIUS.

I. LOcus præcipuus, in quo perſolvendæ ſunt Horæ Canonicæ, Chorus appellatur, ad Divina Officia recitanda conſtructus, in eoque iccirco inter Divina Officia alia, recitandum eſt & ipſum Defunctorum Officium, nempe, ut ait hic noſter §. *in die depoſitionis, & aliis diebus pro temporis opportunitate, & Eccleſiarum conſuetudine*. Sed antequam id explicemus, præmittendum cenſeo, quod inter alios notavit Guyetus in Heortologia, Libro IV. Cap. XXIII. Quæſt. I. Officium ipſum Defunctorum, quod in calce Breviarii Romani, & in præſenti Romani Ritualis Capite poſitum eſt, dici, vel pro omnibus Defunctis generatim, vel pro aliquibus ſpeciatim. Pro omnibus generatim dicitur die II. Novembris, quo die inſcripta habetur in Caleudario, atque etiam in Martyrologio, *Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum*. Dicitur item extra tempus Paſchale prima cujuſque menſis die, non impedita Feſto novem Lectionum, alioquin alia ſequenti die ſimiliter non impedita. In Adventu autem, & Quadrageſima, Feria II. cujuslibet hebdomadæ, ſimiliter non impedita, præterquam in ſanctiori hebdomada quæ Paſcha præcedit. Ita Rubrica huic Officio præpoſita, quam firmat Guyetus S. Auguſtini auctoritate in Libro, *De cura gerenda pro mortuis*, ubi ſic ait: *Non ſunt prætermittendæ ſupplicationes pro ſpiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Chriſtiana ſocietate defunctis, etiam tacitis nominibus ſub generali commemoratione ſuſcepit Eccleſia, ut quibus in iſta vita deſunt parentes, aut filii, aut qualeſcumque cognati, vel amici, ab una eis exhibeatur pia Matre communi*.

II. Pro Defunctis vero ſpeciatim, de quibus loquitur hic noſter §. primo dicitur *in die depoſitionis*. Dies depoſitionis, ut ad ipſum §. notat Barruſaldus, dicitur ille, in quo cadaver depoſitum eſt in Eccleſia, vel ſepulturæ traditum, & quandoque vocatur dies obitus, quia parum diſtat a depoſitione, ſeu ſepultura. Quandocumque autem cadaver deferatur ad Eccleſiam, dici quidem Defunctorum Officium poteſt, quia ſcilicet Rubrica tempus præciſum minime præfixit; ſervari iccirco poteſt conſuetudo probata Eccleſiarum, ut idem Barrufaldus tradit loco citato, ubi etiam ſcite illud advertit, quod ſi ipſum Officium mane dicatur, non erunt dicendæ Veſperæ, quia nempe tempori minime conveniunt,

ut

ut ex ipſa nominis ſignificatione addiſcere licet. Porro ex præſcripto noſtri hujus §. recitando Officio Defunctorum deſignatur inprimis dies ipſe obitus, ſeu depoſitionis defuncti, quo nimirum vel is vivere deſiit, vel corpus ejus ſepulturæ mandatur; ſiquidem ad illum diem potiſſimum pertinent quæcumque de Orationibus Deo in Exequiis Defunctorum Patres, Concilia, traditioque ipſa univerſalis Eccleſiæ docent. Quin & inde dictum eſt antiquis Officium Defunctorum *Agenda*, quaſi id ſit præcipue agendum, celebrandumve. Atque hæc eſt cauſa, cur in ipſo die depoſitionis, & tertio, ſeptimo, trigeſimo, & anniverſario duplicantur Antiphonæ, in Officio ſcilicet, ut ait hic idem noſter §. quia nimirum hujuſmodi dies pro ſolemnibus habentur, in quorum etiam gratiam in fine Pſalmorum loco, *Gloria Patri*, ex antiquo, & communi ritu dici aſſolet, *Requiem æternam &c.*

III. Præter diem obitus, depoſitioniſve defuncti, ex antiquo pariter ritu, cui inhæſit noſter §. deſignati ſunt dies tertius, ſeptimus, & trigeſimus, atque anniverſarius, ab obitu videlicet, ſeu depoſitione defuncti; quam tamen numeri rationem non ſic accipiendam, recte monet Amalarius Lib. IV. Cap. XLII. ut iis tantum diebus, non vero aliis intermediis, pro defuncto Officium, Miſſave celebretur, quaſi iis diebus magis proficiant, quam aliis, eſſet enim id ſuperſtitione damnandum; *ſed quod tertio die infra ſeptimum, & ſeptimo infra trigeſimum, celebrius peragatur*, ut ait Amalarius loco citato, ſive ut habet Lib. III. Cap. XLIV. *quod publice, & generaliter convenire ſolent iis maxime diebus amici omnes, ad hoc ut defunctum precibus Miſſarum, atque eleemoſynis, & cæteris bonis ſtudiis juvent*. Quod pium eſſe, ac religioſum, docet S. Ambroſius in Oratione, *De obitu Theodoſii Imperatoris*, & refertur in Canone, *Quia alii*, Cauſa XIII. Quæſtione II. Myſticas vero horum dierum præ aliis rationes afferunt creditus Alcuinus in Libro, *De Divinis Officiis* ad finem, Amalarius loco citato, Gulielmus Durandus, Lib. VII. Rationalis Divinorum Officiorum, Capite XXXV. num. 5. & ſeqq. Stephanus Durantus Lib. II. *De ritibus Eccleſiæ Catholicæ*, Cap. XLIII. num. 5. quas omnes legere eſt apud Gavantum in Rubricas Miſſalis, Parte I. Tit. V. num. 3. Denique, ſicut de memoratis diebus, ita & de anniverſario emortuali die plura extant Patrum teſtimonia, quæ videri poſſunt apud laudatum Durantum, num. 6.

§. II.

Ad Veſperas abſolute incipitur ab Antiphona: *Placebo Domino*. Pſalmus CXIV. *Dilexi, quoniam exaudiet Dominus &c.* Antiphona: *Placebo &c.* Antiphona: *Hei mihi*. Pſalmus CXIX. *Ad Dominum cum tribularer, &c.* Antiph. *Hei mihi &c.* Antiph. *Dominus*. Pſalmus CXX. *Levavi oculos meos &c.* Antiph. *Dominus cuſtodit te &c.* Antiph. *Si iniquitates*. Pſalmus CXXIX. *De profundis &c.* Antiph. *Si iniquitates &c.* Antiph. *Opera*. Pſalmus CXXXVII. *Confitebor tibi &c.* Antiph. *Opera manuum &c.* ℣. *Audivi &c.* ℟. *Beati &c.* *Ad Magnificat*, Antiph. *Omne*. Canticum B. Mariæ Virginis, Luc. I. *Magnificat anima mea &c.* Antiph. *Omne &c.* Sequentes Preces dicuntur flexis genibus, ſimiliter & ad Laudes, *Pater noſter*, ſecreto. ℣. *Et ne nos &c.* ℟. *Sed libera &c.* Pſalm. CXLV. *Lauda anima mea &c.* ℣. *A porta inferi &c.* ℟. *Erue &c.* ℣. *Requieſcat in pace*. ℟. *Amen*. ℣. *Domine exaudi &c.* ℟. *Et clamor meus &c.* ℣. *Dominus vobiſcum*. ℟. *Et cum ſpiritu tuo &c.*

COMMENTARIUS.

I. Teſte Beletho in explicatione Divinorum Officiorum, Cap. CLXI. *Officium Mortuorum a Veſperis incipit, quas in hunc modum auſpicamur*, Placebo Domino. *Quibus abſolutis, ſequitur Completorium, ac poſtea Vigiliæ*, ideſt, Matutinum cum Laudibus, de quibus nos ſuo loco inferius, ſed abſque cæteris Horis, inquit Radulphus de Rivo Decanus Tongrenſis, Propoſitione XX. quod fortaſſe non ſit Officium Canonicum, ſeu nulla unquam die pro Canonico Officio præſcribatur, ſed extraordinarie tantum, ac præter Officium diei proprium, unde opus non fuit diurnas ei Horas tribuere; quippe quibus præter Pſalmos omni Officio communes, pauca ſunt ad Officium, quod fit quali bet die, ſpectantia, uti notat Guyetus in ſua Heortologia, Lib. IV. Cap. XXIII. Quæſtione XIV. Sed non defuerunt, qui Horas ipſas diurnas in Defunctorum Officio recitarent, in aliquibus ſaltem Eccleſiis, quique, prætermiſſo ſolito Verſu, *Deus in adjutorium*, & Hymno, ab Antiphona, quam tamen nonnulli omittebant, Officium incipiebant, ſolitoſque decurrebant Pſalmos cum Verſu, *Requiem æternam*, in fine; Pſalmiſque abſolutis ſubjungebant Reſponſorium cum, *Kyrie eleiſon*, ut teſtatur Martene in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina in celebrandis Divinis Officiis*, Cap. XXXIV. num. XXXIII. ubi etiam ait, in Eccleſia Rotomagenſi ad Horas diurnas, præmiſſa Antiphona, tres ad ſingulas Horas ex Pſalmis Gradualibus cantari conſueviſſe cum, *Kyrie eleiſon*, *Pater noſter*, & Oratione de Defunctis. Porro quod ipſum Officium Mortuorum alicubi ſaltem ſolitum fuerit *finiri Nona Hora*, tradit etiam laudatus Belethus loco citato.

II. Juxta præſcriptum, conſuetudinemque Eccleſiæ Romanæ, caret Officium Defunctorum non modo Horis diurnis, ſed etiam ſecundis Veſperis, tum *ad minorem hujus Officii ſolemnitatem, ut fit in Feſto ſimplici*, ait Gavantus in Rubricas Breviarii Romani, Sectione IX. Cap. II. num. 7. tum ob myſterium ex Beletho, & Durando Libro V. Rationalis, Cap. IX. num. 10. quod videlicet ſecundæ Veſperæ, cum ad poſtremam, eam-

que completam Sanctorum in corpore glorificationem referantur, haud competunt iis, quos nec dum ipſam animæ gloriam adeptos fuiſſe ſupponimus. At vero, quicquid ſit de his rationibus, addebant profecto quidam ſecundas de defunctis Veſperas, & Completorium. Ita, laudato Martene teſte, Ordinarium Carnotenſe S. Joannis, uſuſque Eccleſiæ Turonenſis, qui, ut refert Guyetus, *ſecundas Veſperas, ac ſubinde Completorium contra communem aliorum morem tribuit Officio Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum*. Non eſt meum inſignium Eccleſiarum uſus improbare, præſertim vero ubi antiqui ſunt, & longa conſuetudine illuſtrium Præſulum, aliorumque doctorum Virorum probati. Porro Joannes Abrincenſis ejuſdem Urbis Epiſcopus, & deinde Archiepiſcopus Rotomagenſis, qui claruit Sæculo XII. nihil habet de ſecundis Defunctorum Veſperis, ſed Pſalmos tamen pro ſecundo Completorio deſignat. Ex adverſo in Ordinario Lemovicenſi ſecundæ quidem de Defunctis Veſperæ annotantur, ſed non Completorium. Ceterum tametſi laudati Belethus, & Durandus docent, Defunctorum Officium ſecundis Veſperis carere, intelligendum id tamen volunt, ubi tres tantum Lectiones recitantur, ideſt, unum hujus Officii Nocturnum; nam alias ubi novem, dicerentur, diſerte ajunt, myſticiſque rationibus probant, Officium ipſum Defunctorum primas pariter, & ſecundas habere Veſperas.

III. Quanta autem fuerit olim varietas uſuum Eccleſiarum in Veſperis hiſce celebrandis, notavit jam inter alios memoratus Guyetus, Quæſtione XXIII. his verbis: *Quoad Veſperas, quinque Pſalmos aliqui ſub una Antiphona convolvunt, nullo addito verſu. Habetur in Carnutenſi Capitulum*: Audivi vocem; *itidem in Laudibus. In Bituricenſi Reſponſorium prolixius*, Congregati ſunt, *pro ſolemnioribus Officiis. Antiphonam ad* Magnificat *aliqui habent*, Sancta ergo, & ſalubris; *alii*, Audivi vocem; *alii*, Lux æterna; *alii*, Qui Lazarum; *alii*, Tuam Domine depoſcimus pietatem; *alii*, Abſolve Domine animas &c. *Precibus aliqui inſerunt verſus*: Credo videre. Animæ eorum in bonis. Non intres in judicium. Ne tradas beſtiis. Domine miſericordia tua in ſæculum.

IV. Ad Preces tandem quod attinet, quæ una cum Pſalmo ex §. noſtri præſcripto poſt Veſperas, & Laudes dicendæ ſunt, ſtando præciſis Rubricæ verbis in Breviario Romano præſcriptæ, omittendæ ſunt quidem tantum in die omnium Fidelium Defunctorum. Extendit Gavantus citato loco num. 3. ad diem depoſitionis defuncti, *ſi tres Nocturni dicantur, ex Rituali Romano Pauli V.* imo & pari ratione, quandocumque ſit Officium duplex. Quod tamen poſtremum vix admittendum ait Guyetus Quæſt. XVIII. *ob reſtrictiorem Rubricæ, cui alioqui facile erat addere*: Et in die depoſitionis defuncti.

§. III.

In die depoſitionis defuncti Oratio.

Abſolve, quæſumus, Domine, animam famuli tui N. (vel *famulæ tuæ*) *ut defunctus* (vel *defuncta*) *ſæculo tibi vivat; & quæ per fragilitatem carnis humana converſatione commiſit, tu venia miſericordiſſimæ pietatis abſterge. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* ℟. *Amen.*

Vel

Deus, cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere, te ſupplices exoramus pro anima famuli tui N. (vel *famulæ tuæ*) *quam hodie de hoc ſæculo migrare juſſiſti, ut non tradas eam in manus inimici, neque obliviſcaris in finem; ſed jubeas eam a Sanctis Angelis ſuſcipi, & ad Patriam Paradiſi perduci, ut qui in te ſperavit, & credidit, non pœnas inferni ſuſtineat, ſed gaudia æterna poſſideat. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* ℟. *Amen.*

In die tertio, ſeptimo, & trigeſimo depoſitionis defuncti Oratio.

Quæſumus, Domine, ut animæ famuli tui N. (vel *famulæ tuæ*) *cujus depoſitionis diem tertium* (vel *ſeptimum*, vel *trigeſimum*) *commemoramus, Sanctorum, atque Electorum tuorum largiri digneris conſortium, & rorem miſericordiæ tuæ perennem infundas. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* ℟. *Amen.*

In Anniverſario Oratio.

Deus Indulgentiarum Domine, da animæ famuli tui N. vel *famulæ tuæ*, vel *animabus famulorum, famularumque tuarum, cujus*, vel *quorum anniverſarium depoſitionis diem commemoramus, refrigerii ſedem, quietis beatitudinem, & luminis claritatem. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* ℟. *Amen.*

Aliæ diverſæ pro defunctis.

Pro Summo Pontifice Oratio.

Deus, qui inter Summos Sacerdotes Famulum tuum N. *ineffabili tua diſpoſitione connumerari voluiſti; præſta quæſumus, ut qui Unigeniti Filii tui vices in Terris gerebat, Sanctorum tuorum Pontificum conſortio perpetuo aggregetur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum.* ℟. *Amen.*

Pro defuncto Epiſcopo Oratio.

Deus, qui inter Apoſtolicos Sacerdotes famulum tuum N. *Pontificali feciſti dignitate vigere: præſta quæſumus, ut eorum quoque perpetuo aggregetur conſortio. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* ℟. *Amen.* Si fuerint plures, dicatur in numero plurali.

Pro

Pro Epiſcopo Cardinali defuncto, dicatur: *Famulum tuum* N. *Epiſcopum Cardinalem Pontificali feciſti dignitate &c.* Pro Presbytero Cardinali, dicatur: *Famulum* N. *Presbyterum Cardinalem Sacerdotali feciſti &c.* Pro Diacono autem Cardinali dicatur Oratio, *Inclina Domine*, quæ habetur paulo infra hoc modo: *ut animam famuli tui* N. *Diaconi Cardinalis, quam &c.*

Pro defuncto Sacerdote Oratio.

Deus, qui inter Apoſtolicos Sacerdotes famulum tuum N. *Sacerdotali feciſti dignitate vigere: præſta quæſumus, ut eorum quoque perpetuo aggregetur conſortio. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* ℟. *Amen.* Vel Oratio.

Præſta quæſumus Domine, ut anima famuli tui N. *Sacerdotis, quem in hoc ſæculo commorantem ſacris muneribus decoraſti, in cæleſti ſede glorioſa ſemper exultet. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* ℟. *Amen.*

Pro uno defuncto Oratio.

Inclina, Domine, aurem tuam ad preces noſtras, quibus miſericordiam tuam ſupplices deprecamur, ut anima famuli tui N. *quam de hoc ſæculo migrare juſſiſti, in pacis, ac lucis regione conſtituas, & Sanctorum tuorum jubeas eſſe conſortem. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* ℟. *Amen.*

Pro una defuncta Oratio.

Quæſumus, Domine, pro tua pietate miſerere animæ famulæ tuæ N. *& a contagiis mortalitatis exutam, in æternæ ſalvationis partem reſtitue. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* ℟. *Amen.*

Pro defunctis fratribus, propinquis, & benefactoribus Oratio.

Deus, veniæ largitor, & humanæ ſalutis amator, quæſumus clementiam tuam, ut noſtræ Congregationis fratres, propinquos, & benefactores, qui ex hoc ſæculo tranſierunt, Beata Maria ſemper Virgine intercedente, cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis conſortium pervenire concedas. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

Pro Fidelibus defunctis generalis Oratio.

Fidelium Deus omnium Conditor, & Redemptor, animabus famulorum, famularumque tuarum remiſſionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam ſemper optaverunt, piis ſupplicationibus conſequantur. Qui vivis, & regnas in ſæcula ſæculorum. ℟. *Amen.* ℣. *Requiem æternam dona eis Domine.* ℟. *Et lux perpetua luceat eis.* ℣. *Requieſcant in pace.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Octo poſitæ ſunt Orationes in Officio Defunctorum, quod in fine Breviarii Romani legitur, ſed longe plures in hoc Rituali, atque Miſſali, quorum nonnullæ extant quidem in Sacramentario S. Gregorii Papæ, aliquæ vero ſunt eo poſteriores, uti notavit Gavantus in Notis ad prædicti Romani Breviarii Rubricas, Sectione IX. Cap. II. Sed reperiuntur tamen in variis antiquis Miſſalibus, Ritualibuſque apud Martene, & alios rerum Liturgicarum Scriptores. Porro Orationes ejuſmodi, cum ſic ſolæ dicuntur, habent concluſionem integram, *Per Dominum noſtrum &c.* In noſtro hoc tamen Rituali Orationi, *Abſolve quæſumus &c.* apponitur tantum brevis concluſio, *Per Chriſtum Dominum noſtrum &c.* Cauſa ejus diſcriminis, ea cenſetur a Guyeto in ſua Heortologia Libro IV. Capite XXIII. Quæſtione XIX. quod non ibi terminetur Officium, ſed continenti filo pergatur ad Exequias; alias vero integram habet concluſionem. Ex hoc item Rituali colligitur, cum pro uno ſit Officium, Verſus Orationem præcedentes, ac ſequentes debere dici in ſingulari numero, uti cenſet Gavantus citato loco, num. 3. ubi etiam notat, Verſum in Officio Defunctorum frequentiſſimum, *Requiem æternam &c.* cujus nonnulli Auctores faciunt Apoſtolos, haberi in Sacramentario Gregoriano, dividique in fine Pſalmorum, & Precibus, licet in Reſponſoriis ſit unus Verſus.

II. Sed, ut ad ipſas prædictas Orationes redeam, notandum & illud hic cenſeo, eſſe quidem ſemper nomen in Oratione exprimendum, ubicumque interjicitur in textu Orationis litera N. ut in Oratione in die obitus, itemque in die tertio, ſeptimo, trigeſimo, & anniverſario, ac præterea in Oratione pro Papa, Epiſcopo, & Sacerdote. Ubi vero prædicta litera non interponitur, argumentum eſt, eſſe omittendum, ut puta in Oratione, *Inclina*, &, *Quæſumus Domine &c.* Cæterum Gavantus in Rubricas Miſſalis, Parte IV. Titulo XVIII. num. 16. eam regulam limitat in defuncto nobili, multoque magis in Principe, Rege, aut Imperatore, aitque horum non tantum nomen, ſed & qualitatem ipſam Regis, aut Imperatoris ſolere exprimi. Item ſi conſuetudo fuerit nominandi omnes in Collecta, & Oratione, quod affine eſt antiquo ritui, defunctorum nomina in Diptychis recitandi; de quibus videri poſſunt, quæ diximus in Commentariis ad Concilia Oecumenica, Tomo I. Recte autem & illud advertit Guyetus loco citato Quæſtione XX. in Oratione pro patre, & matre Sacerdotis, non eſſe ab ipſo exprimenda illorum nomina, cum ambo textu ipſo ſatis deſignentur.

Ad Matutinum.

Invitatorium: *Regem, cui omnia vivunt, venite adoremus.* Chorus repetit: *Regem, cui omnia &c.* Pſalmus xciv. *Venite, exultemus Domino &c.* uſque in finem totius Officii.

COMMENTARIUS.

I. MAtutini Invitatorium, in Officio ſcilicet Defunctorum, de quo agimus, non idem fuiſſe ubique, obſervarunt jam Edmundus Martene in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina &c.* Cap. xxxiv. num. xxxi. & Carolus Guyetus in Heortologia, Lib. iv. Capitulo xxiii. Quæſtione xxiii. Alii dicebant, uti nos hodie, *Regem, cui omnia vivunt, venite adoremus.* Alii, *Regem vivorum, ac quieſcentium Dominum venite adoremus.* Alii, *Circumdederunt me gemitus mortis, & dolores inferni circumdederunt me.* Quod quidem Invitatorium habent pleraque Breviaria Germaniæ, ut poſt Schultingium teſtatur Guyetus. Sed omiſſa hac varietate, dicendum eſt quidem Invitatorium ipſum, *Regem, cui omnia vivunt &c.* in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, uti expreſſe habetur in Rubrica Breviarii Romani, & in die depoſitionis, ſeu obitus defuncti, etiamſi unum tantum Nocturnum dicatur, ex præſcripto hujus Romani Ritualis iis verbis ſuperius deſcriptis, Cap. III. §. xiii. *Dicatur ſaltem primum Nocturnum cum Laudibus, maxime ubi ejuſmodi viget conſuetudo, incipiendo ab Invitatorio,* Regem, cui omnia vivunt &c. Docet præterea Gavantus in Rubricas Breviarii Romani, Sectione ix. Cap. II. *De Officio Defunctorum* num. 12. dicendum etiam Invitatorium in die depoſitionis, tertio, ſeptimo, trigeſimo, & anniverſario, & regulariter, quando tres Nocturni dicuntur, etiam ex Durando, Lib. v. Cap. iii. quia ad ſolemnius Officium invitandi ſunt plures; per annum autem omittitur, quia in hoc Officio Eccleſia Exequias Chriſti in Paraſceve fieri ſolitas imitatur, ut idem docet Durandus.

II. Sicut in Invitatorio, ita & in Antiphonis, Pſalmis, Lectionibus, aliiſque ad hoc Officium ſpectantibus, mira Eccleſiarum varietas. Id quod jam obſervarunt Belethus, Durandus, Schultingius, Guyetus, Martene, aliique recentiores eruditi Auctores de Divinis Officiis tractantes. Pſalmos tres cujuſque Nocturni aliqui ſub una Antiphona recitabant. Quidam in primo Nocturno hos adhibebant Pſalmos: *Lauda anima mea*, &, *Niſi quia Dominus erat in nobis.* In ſecundo Nocturno iſtos: *Vſquequo Domine oblviſcaris me in finem*, &, *Conſerva me Domine.* In tertio Nocturno Pſalmus ſeptimus is erat: *Domine ne in furore* II. Octavus, *Beatus qui intelligit.* Nonus: *Quemadmodum deſiderat.* Quidam pro ſeptimo dicebant: *Expectans expectavi*; pro octavo: *Quemadmodum deſiderat*; pro nono: *Audite hæc omnes gentes.* Alii etiam pro ſeptimo: *Exaltabo te Domine,* ſeu, *Judica Domine nocentes me.* Notat hæc Martene in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina in Divinis celebrandis Officiis*, Cap. xxxiv. num. xxxii.

III. Ecce nunc alia, & quidem longe major in dicendis Lectionibus varietas. Nam primo, cum in hoc Officio, quod, ut docent priſci Auctores, imitatur omnino triduanam Chriſti ſepulturam, & iccirco varii ritus omitti debeant, ac præſertim Abſolutiones ante Lectiones; non deſunt nihilominus Eccleſiæ, in quibus Abſolutiones Lectionibus præmittuntur. Hunc eſſe uſum S. Martini Turonenſis, docet Guyetus in ſua Heortologia, Lib. iv. Quæſtione xxiii. Dicitur enim ibi in primo Nocturno: *Precibus, & meritis Beatæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, & Sanctarum, requiem æternam dona eis Domine.* In tertio Nocturno: *Precibus, & meritis Beatiſſimi Martini, requiem æternam dona eis Domine.* Quantum vero ad ipſarum Lectionum varietatem, teſtes habemus antiquos Scriptores, Belethum in explicatione Divinorum Officiorum, Cap. clxi. & Durandum in Rationali, Libro vii. Cap. xxxv. num. 33. *In quibuſdam Eccleſiis leguntur Lectiones de Job, & incipiunt:* Parce mihi Domine &c. *In aliis leguntur de Libro Sapientiæ, & incipiunt:* Melius eſt ire ad domum luctus, quam ad domum convivii. *In aliis vero de quodam Sermone Auguſtini, quem ille compoſuit de Mortuis*, ait Belethus, *& quem finivit in hunc modum:* Beati mortui, qui in Domino moriuntur. *Quod a quibuſdam dicitur ſub finem Lectionum loco:* Tu autem Domine.

IV. His nunc adde novem alias Lectiones, quas ex antiquis Breviariis refert Sculthingius. i. ex Libro Proverbiorum, Cap. v. *Ne des alienis.* II. ex Libro Eccleſiaſtici, Cap. vii. *Melius eſt nomen bonum.* III. ex Libro Eccleſiaſtis, Capite xii. *Memento Creatoris tui.* IV. ex Iſaia, Cap. xvi. *Vivent mortui Domine.* V. ex Oſea, Cap. xiii. *Hæc dicit Dominus, de manu mortis.* VI. ex Daniele, Cap. xii. *Multi de his, qui dormiunt.* VII. ex i. Cor. Cap. xv. *Sicut in Adam omnes moriuntur.* VIII. ex eadem Epiſtola: *Ecce myſterium vobis dico.* IX. ex i. Theſſal. v. *Ipſi Fratres diligenter ſcitis.* Harum tres priores reperiſſe ſe ait Guyetus in Rituali quodam Romano edito Pariſiis anno mdcvii. cum hac ad quamlibet terminatione: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*; quam in uſu fuiſſe in quibuſdam Eccleſiis loco, *Tu autem Domine*, poſt Belethum teſtatus eſt etiam Durandus. Ceterum obſervat laudatus Guyetus, omnes præfatas novem Lectiones haberi in antiquis Breviariis Germaniæ, Ratiſponenſi, Herbipolenſi, Eyſtetenſi, & aliis; appellarique Vigilias minores illas, in quibus leguntur ejuſmodi Lectiones; alias vero, in quibus leguntur Lectiones Job, majores. Quod ipſæ inſuper Lectiones ex Epiſtolis Pauli juxta Ordinarium Eccleſiæ Rotomagenſis pronunciari debeant *in pulpito*, tradit memoratus Martene loco ſupra citato.

V. Venio ad Reſponſoriorum varietatem, quam refert idem Guyetus, ſic inquiens: *Præter Reſponſoria communia, hæc in aliis uſibus habentur:* Scio Domine, quia morti me traditurus es. Requiem æternam. Abſolve Domine animas eorum. Si facta mea recogitare. Redemptor meus vivit. Rogamus te Domine. Ne perdideris me Do-

Domine. Ne tradas me Domine beſtiis. Quomodo confitebor tibi. Libera Domine animas eorum. Congregati ſunt &c. *Reſponſorii vero noni*, Libera me Domine de morte æterna. *Verſus hi inſuper reperiuntur*: Vix juſtus ſalvabitur. Creator omnium Deus. Contrement Angeli. Quid ego miſerrimus. Vox de Cœlis, o mortui. Plangent te ſuper ſe. Nunc Chriſte te deprecor &c. *Eſt penes me*, pergit Auctor, *Breviarium antiquum Eccleſiæ Eyſtetenſis in Germania, in quo habentur plura alia Reſponſoria; imo triplex integrum novem Lectionum Officium pro Defunctis; primum commune, ſecundum in die animarum, tertium pro commemoratione Fratrum, & hoc poſtremum non tantum Reſponſoria, ſed etiam Antiphonas, Verſus, Lectioneſque habet ab aliis plane diverſas*. Hactenus memoratus Guyetus.

VI. De Laudum varietate in hoc Officio nihil fere dicit Martene citato ſæpius loco, numero XXXIV. Fatetur enim, *Laudes eodem fere modo*, qui nunc viget, cantari conſueviſſe, *ſed ex Ordinario Carnotenſi S. Joannis poſt Pſalmos diei debuiſſe Capitulum: Infelix ego homo*. Verum, teſte Guyeto, fuerunt nonnulli, qui Pſalmos Laudum æque, ac Veſperarum, ſub una Antiphona recitarent, aliis vero ex quinque primam ſic variantibus: *Dele Domine. Secundum magnam. In iniquitatibus. Sacrificium Deo*. Quartam item: *Fruiſti animam meam, ut non periret*. Placuit aliis Pſalmus CXLII. *Domine exaudi orationem meam, auribus &c*. Antiphonam ad *Benedictus* hanc habet Breviarium Pariſienſe: *Credo Domine Deus meus*. Ambianenſe: *Animæ Fidelium, quas &c*. ab aliis reponitur: *Omne quod dat*.

CAPUT V.

De Officio faciendo in Exequiis, abſente corpore defuncti, & in die tertio, ſeptimo, trigeſimo, & anniverſario.

I. RECte ait Barrufaldus ad hunc locum, multipliciter poſſe iſtam corporis defuncti, ſeu cadaveris abſentiam dari, nempe, vel quia cadaver jam humatum eſt, vel quia in alia Civitate, vel loco ſit mortuus ille, pro quo celebratur Officium, vel quia pro omnibus Chriſtifidelibus, qui in oſculo Domini mortui ſunt, celebrantur Exequiæ, vel alias ob cauſas. Nunquam vero celebrari poſſe ait Officium ſolemne, ſeu fieri Exequias, niſi prius cadaver delatum ſit ad Eccleſiam, quia nimirum Eccleſia certa eſſe debet de obitu illius, cui celebrandæ Exequiæ ſunt, & quod Eccleſiaſtica ſepultura ſit dignus; multi enim dari poſſunt caſus, jam a nobis ſuperius explicati in Commentariis ad Caput II. hujus Tituli, *De exequiis*, in quibus licet quis mortuus ſit, Eccleſiaſticam ſepulturam minime mereatur. Cæterum, ubi conſtet, cadaver traditum jam ſepulturæ fuiſſe, rite quidem ex præſcripto Capitis hujus, in die tertio, ſeptimo, trigeſimo, & anniverſario ſolemne pro eo celebrari poteſt Officium juxta ritum antiqua Eccleſiæ praxi comprobatum, atque in ſequentibus Paragraphis recenſitum, quos nos brevioribus Commentariis exponemus, quum huc ſpectent, quæ jam late ſuperius diximus.

§. I.

Si faciendæ ſint Exequiæ, abſente corpore, eo die, quo bene viſum fuerit, in Eccleſia dicatur Officium Mortuorum cum tribus Nocturnis, & Laudibus, & Antiphonis duplicatis, vel ſaltem unum Nocturnum cum tribus Lectionibus, & Laudibus, & Miſſa. Poſt Miſſam Celebrans deponit Manipulum, & Planetam, accipit Pluviale nigri coloris, & præcedentibus, Subdiacono cum Cruce, & duobus Ceroferariis cum luminaribus accenſis, & duobus Acolythis, uno cum navicula incenſi, & altero cum vaſculo Aquæ benedictæ, & aſperſorio, & hoc Libro Rituali, accedit cum Diacono a ſiniſtris ad locum tumuli, & ibi a circumſtante Clero cantatur ℟. *Libera me Domine &c.* ut ſupra. Interim miniſtratur incenſum, benedicitur, & imponitur in thuribulum.

COMMENTARIUS.

I. PAuca hic adnotabo, quod ea, quæ in hoc præſcribuntur §. explicata jam alias fuerint, & a nobis quidem ſuperius, & a Gavanto, Bauldryo, Guyeto, ac aliis, qui praxim ſacrarum Cæremoniarum exponunt. Sane rogabit hic quiſpiam, quænam Miſſa dicenda; cum primum reſcitur obitus alicujus in remotiori loco defuncti. Et reſpondet quidem Gavantus, Parte IV. Tit. XVIII. num. 15. *Pro eo*, inquit, *qui proxime obiit, longe tamen a nobis, prima vice poteſt dici Miſſa, ut in die tertio, omiſſo verbo, tertiam*. Cui reſponſioni lubens ſubſcribit Guyetus citato ſuperius loco, Quæſtione XXVIII. adeoque cum in tertio die præſcribatur Miſſa, ut in die obitus, dicenda prima Miſſa erit. Sed nec omittendum illud, præſcribi quidem in hac Rubrica incenſi benedictionem, de qua tamen nulla facta eſt mentio ſupra Cap. III. §. IX. ubi de Abſolutione agitur, quæ fit, præſente cadavere. Sed faciendam eſſe ipſam incenſi benedictionem, non modo rerum ritualium Auctores, & communis praxis nos docet, verum etiam Romani Miſſalis Rubrica, Parte II. Tit. XIII. num. 4. in quam vide, quæ ſcite Gavantus notavit, quæque nos in Commentario ad ipſum §. IX. attulimus. Cæterum Ritualis hujus Rubrica ex citato Capite II. aliique Rituales, Miſſaleſque Codices, quæ contra eam incenſi benedictionem objici poſſunt, jam minime illam negant, aut improbant, ſed vel omittunt, aut tamquam uſitatam ſupponunt.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

Poſtea dicitur, *Kyrie eleiſon*, *Chriſte eleiſon*, *Kyrie eleiſon*. Sacerdos dicit, *Pater noſter &c.* & dum ſecreto dicitur, accipit aſperſorium, circuit tumbam aſpergens, deinde incenſat eodem modo, quo dictum eſt. Poſtea dicit ℣. *Et ne nos inducas in tentationem*. ℟. *Sed libera nos a malo*. ℣. *A porta inferi*. ℟. *Erue, Domine, animam ejus*. ℣. *Requieſcat in pace*. ℟. *Amen*. ℣. *Domine exaudi orationem meam*. ℟. *Et clamor meus ad te veniat*. ℣. *Dominus vobiſcum*. ℟. *Et cum ſpiritu tuo*.

Oremus.

Abſolve, quæſumus, Domine, animam famuli tui, vel *famulæ tuæ*, *ut defunctus*, vel *defuncta*, *ſæculo tibi vivat*, *& quæ per fragilitatem carnis humana converſatione commiſit, tu venia miſericordiſſimæ pietatis abſterge. Per Chriſtum Dominum noſtrum*. ℟. *Amen*. Vel dicatur Oratio, quæ dicta eſt in Miſſa, vel alia conveniens. ℣. *Requiem æternam dona ei, Domine*. ℟. *Et lux perpetua luceat ei*. *Requieſcat in pace*. ℟. *Amen*.

N O T A.

Quum ea, quæ in hoc §. continentur, explicata jam fuerint, & a nobis in ſuperioribus Commentariis, & ab iis, qui praxim ſacrorum rituum in Defunctorum Officio, illorumque Abſolutiones expoſuerunt, ſupervacaneum putamos in hoc explicando §. diutius immorari.

§. III.

Si Officium fuerit pro pluribus defunctis, Oratio, & Verſus dicantur in plurali numero; ſi fuerit mulier, in genere feminino; ſi fuerit Sacerdos, vel Epiſcopus, in Oratione exprimitur nomen dignitatis &c.

§. IV.

Prædictus autem Officii ritus pro defunctis adultis, tam in Sacerdotibus, & Clericis, quam ſæcularibus, & laicis, ſervari debet in Officio ſepulturæ, in die depoſitionis, ſive in die tertio, ſeptimo, trigeſimo, & anniverſario.

COMMENTARIUS.

I. JAm neque opus eſt, ut in hiſce exponendis Paragraphis immoremur; perſpicua enim ſunt, quæ in eiſdem continentur, ac etiam ſuperius enarrata, præſertim vero quod in §. III. edicitur de exprimendo in quibuſdam Orationibus nomine defuncti, non modo proprio, quod vivens præſeferebat, verum etiam dignitatis, quo præditus fuerat. Recte inſuper ait noſter §. IV. prædictum Officii ritum pro defunctis adultis, tam in Sacerdotibus, & Clericis, quam ſæcularibus, & laicis ſervari debere in Officio ſepulturæ in die depoſitionis, ſive in die tertio, ſeptimo, trigeſimo, & anniverſario, quia nimirum, ut poſt Gavantum notavit Guyetus in ſua Heortologia, Lib. IV. Cap. XXIII. Quæſtione XXVII. in fine, extra præfatos dies dicenda eſt Miſſa, ut in quotidianis Defunctorum. In quibus tamen, ut communis Eccleſiarum praxis nos docet, non eſt facienda Abſolutio, licet olim certis anni diebus in quibuſdam Eccleſiis perageretur: *Prima die poſt Octavam Epiphaniæ*, inquit Miſſale Arelatenſe, *celebratur Miſſa Conventualis pro memoria omnium Defunctorum, & non dicitur, niſi una Oratio, ſcilicet*, Fidelium Deus omnium conditor. *Et poſt Miſſam proceſſionaliter abſolvitur totum Cimiterium, ſicut in craſtino omnium Sanctorum, & in qualibet Statione dicitur Oratio*, Fidelium. Sed hi peculiares ſunt quarundam Eccleſiarum ritus, quos recenſet Martene in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina in Divinis celebrandis Officiis*, & in aliis Libris, quos de ſacris ritibus ſcripſit.

C A P U T VI.

De Exequiis parvulorum.

I. PArvuli hoc loco dicuntur, ut ex ſequenti §. liquet, infantes, vel pueri, qui baptizati, ante annos diſcretionis obierunt, quales ſunt utplurimum ſeptennes, octenneſve, licet in aliquibus noſtra præſertim hac tempeſtate malitia ætatem ſuppleat. Porro Rituale Romanum antiquæ Eccleſiæ diſciplinæ inhærens peculiares ritus inſtituit hujuſmodi pueris ſepeliendis. Pertinent autem omnino ii ritus, qui illis deferuntur, aut ad honoranda Spiritus Sancti Templa, & baptiſmalis innocentiæ reliquias, aut ad proteſtandam fidem reſurrectionis futuræ, aut vero ad agendas Deo gratias, qui infantulorum animas Baptiſmi Sacramento ſanctificatas, ſine ullo ſuo merito, ſine periculo ſalutis, ad æternam vitam illico dignatus eſt evocare, uti loquitur Rituale Pariſienſe ad hujus Romani formam expreſſum auctoritate Joannis Franciſci de Gondy Pariſienſis Archiepiſcopi editum anno MDCLIV. Tit. *De Exequiis parvulorum*.

§. I.

In primis admonendi ſunt Parochi, ut juxta vetuſtam, & laudabilem Eccleſiarum conſuetudinem, parvulorum corpuſcula non ſepeliantur in communibus, & promiſcuis Cœmeteriorum, & Eccleſiarum ſepulturis; ſed ut pro illis in Parochialibus, aut illarum Cœmeteriis, quatenus commode fieri poteſt, ſpeciales, & ſeparatos ab aliis loculos, & ſepulturas habeant, ſeu fieri curent, in quibus non ſepeliantur, niſi qui baptizati fuerint infantes, vel pueri, qui ante annos diſcretionis obierunt.

COMMENTARIUS.

I. Recte edicit hic noſter §. ubi de Exequiis parvulorum agit, admonendos in primis eſſe Parochos, ut juxta vetuſtam, & laudabilem Eccleſiarum conſuetudinem, parvulorum, qui ſcilicet baptizati decedunt, corpuſcula non ſepeliantur in communibus, & promiſcuis Cœmeteriorum, & Eccleſiarum ſepulturis, ſed ut pro illis in Parochialibus, aut illarum Cœmeteriis, quatenus commode fieri poteſt, ſpeciales, & ſeparatos ab aliis loculos & ſepulturas habeant, ſeu fieri curent, in quibus non ſepeliantur, niſi qui baptizati fuerint infantes, vel pueri, qui ante annos diſcretionis obierunt. Similia habent permulti Codices Rituales, eademque totidem verbis exſcripſit Ritualis Liber Biſuntinæ Diœceſis anni MDCCV. Parte II, pag. 71.

II. Similia his quoque legere eſt in pleriſque Synodis antiquis pariter, ac recentioribus, inter quas Caſalenſis, quam Ignatius ab Eccleſia Epiſcopus Caſalenſis, & Comes habuit anno MDCCLVI. Capite XXVIII. *De Sepulturis*, ubi ſic inter alia ſtatuit: *In Eccleſia pariter, aut Cœmeterio, ſit locus peculiaris, quo pueri ante ſeptennium a Baptiſmo morientes tumulo mandentur, niſi familia proprium habuerit ſepulchrum; tunc enim parentum voluntate majorum in ſepulchris tumulentur*. Ubi deſit gentilitium ſepulchrum, ſepeliri debent parvuli in ſepulchro ab aliis diſtincto, *quatenus commode fieri poteſt*, ut ait hic noſter §. qui tamen locum non habet, ubi id abſolute præcipiant Epiſcopi in ſuis Diœceſibus; quorum Decreta omnino a ſubditis Parochis obſervanda, tum potiſſimum, quod ſolida ratione nituntur, & conſentanea ſunt veteri, recentiorique Eccleſiæ praxi, ac Sacræ Rituum Congregationis Reſponſis, atque ei præſertim edito in una Civitatis Caſtellanæ die XI. Decembris MDCXX. ubi præſcripſit parvulorum ſepulchrum ſeparatum ab aliis eſſe debere, ut teſtatur Barruſaldus in ſua ad Rubricam hujus Capitis Nota, numero 3.

§. II.

In funere parvulorum utplurimum non pulſantur Campanæ; quod ſi pulſentur, non ſono lugubri, ſed potius feſtivo pulſari debent.

COMMENTARIUS.

I. Quod primum ait hic noſter §. in Funere parvulorum, ut plurimum non pulſari campanas, alludit fortaſſe ad tempus, quo ipſe editus fuit, nam alias ubique fere locorum in noſtra præſertim Italia, ac nominatim Romæ, & in Regno Neapolitano ſervatur hodie hic ritus, ut in parvulorum Funere pulſentur quidem campanæ non ſono lugubri, ut in adultis defunctis, *ſed potius feſtivo*. Cæremoniale Ambroſianum in Ordine ad ſepeliendos infantes infra ſeptennium, dari prius mandat Campanæ ſignum, *ad inſtar Salutationis Angelicæ ad Clerum, populumque convocandum, omiſſis ictibus pro defunctis uſitatis*. Porro invaluit ritus, quem & ſervari ſcio multis in locis, ut in maſculorum parvulorum Funere ter, in feminarum vero bis Campana ſono feſtivo pulſetur; Adhibetur autem ſonus feſtivus in ſignum lætitiæ, ad agendas Deo gratias, qui infantulorum animas Baptiſmi Sacramento ſanctificatas ſine ullo ſuo merito, ſine periculo ſalutis ad æternam vitam illico dignatus eſt evocare, ut initio Capitis hujus dixi ex Rituali Eccleſiæ Pariſienſis editi anno MDCLIV.

CAPUT VII.

Ordo ſepeliendi parvulos.

§. I.

Cum igitur infans, vel puer baptizatus, defunctus fuerit ante uſum rationis, indultur juxta ætatem, & imponitur ei corona de floribus, ſeu de herbis aromaticis, & odoriferis in ſignum integritatis carnis, & virginitatis; & Parochus Superpelliceo, & Stola alba indutus, & alii de Clero, ſi adſint, præcedente Cruce, quæ ſine haſta de-

defertur, accedunt ad domum defuncti, cum Clerico aſperſorium deferente, Sacerdos aſpergit corpus, deinde dicit Antiphonam, *Sit Nomen Domini*. Pſal. cxii. *Laudate pueri Dominum &c.* Antiphona: *Sit Nomen Domini benedictum, ex hoc nunc, & uſque in ſæculum.*

COMMENTARIUS.

I. MOrtuus puer Sacramento Bapiſmi inſignitus, & ante uſum rationis, ideſt annorum circiter ſeptem, ut dictum eſt ſupra, indui ſolet alicubi veſte albi coloris, ſive habitu alicubi Religioſi Ordinis, ac Romæ utplurimum habitu, ut ajunt, S. Philippi Nerii, atro ſcilicet, ac undique ſtellulis auratis, argenteiſve ornato, cum bireto capiti ejus impoſito, ac parva in manibus Cruce ceræ albæ, ſparſis ſuper corpus ejus, & culcitra variis floribus odoriferis, ex quibus etiam corona ſolet componi, quæ vel ſuper ejuſdem corpus, ſi ipſo habitu Philippino indutum ſit, imponitur, vel capiti, *in ſignum integritatis carnis, & virginitatis,* ut ait noſter §. Odorare enim Virginitas dicitur, unde de S. Philippo Nerio in ejus Vita, & in Breviario ad diem xxvi. Maji, legitur, quod *virginitatem perpetuo illibatam ſervavit, idque aſſecutus eſt, ut eos, qui puritatem colerent, ex odore, qui vero ſecus, ex fœtore dignoſceret.*

II. Porro quod a Sanctis Patribus, aliiſque Scriptoribus Virginitas odoriferis floribus comparata ſit, hinc alicui conſuetudo invaluit, ut puellis innuptis, quinimo etiam & cæteris adultis maribus, in quacumque ætate deceſſerint, corona de floribus imponatur, modo notum ſit, hujuſmodi defunctos a conjugio abſtinuiſſe, ab ejuſque vinculo ſolutos ad mortem uſque perduraſſe, quia ſcilicet perſonæ cujuſcumque generis ſint, præſumuntur eſſe virgines, ideoque dignæ, ut laureola virginali ornentur, judicio etiam Eccleſiæ, ut tradit ad hunc §. Barrufaldus, num. 9. Quidquid ſit, antiquus eſt quidem ritus ſpargendi flores ſuper quoſcumque defunctos, eorumve tumulos, ut inter alios teſtes ſunt S. Ambroſius, & S. Hieronymus, quorum primus in Oratione funebri de obitu Valentiniani ſic ait: *Non ego floribus tumulum ejus aſpergam, ſed ſpiritum ejus Chriſti odore perfundam.* Alter vero in Epiſtola ad Pammachium de obitu uxoris ita inquit: *Cæteri mariti ſuper tumulos conjugum ſpargunt violas, roſas, lilia, floreſque purpureos &c.* Afferri & alia plura veterum teſtimonia hic poſſent, quibus docemur, non modo apud Chriſtianos, verum etiam Ethnicos conſueviſſe ſpargi ſuper defunctos flores, herbaſque odoriferas; ſed tamen invaluit mos, ut in ſolo puerorum, ac etiam fœminarum innuptarum, præſertim vero Monialium Funere, ſuper eorum veſtes flores ipſi ſpargantur.

III. Quod Parochum ſpectat, ac Clericos in Officio ſepulturæ parvulorum, is eſt ex præſcripto noſtri §. *Superpelliceo, & Stola alba indutus, & alii de Clero, ſi adſint, præcedente Cruce, quæ ſine haſta defertur, accedunt ad domum defuncti.* Mirum plane videri debet, quod Cæremoniale Ambroſianum violaceam Stolam præſeriſcribit. At vero quum hujuſmodi parvulorum Exequiæ ob rationem ſuperius non ſemel adductam ex Rituali Pariſienſi anno MDCLIV. impreſſo, feſtivæ ſint, ac lætæ, rite Parochus in eis peragendis Stola coloris albi utitur, tum vero potiſſimum, quod veſtis alba lætantium, & gratulantium propria ſit, ut pluribus docet amicus noſter Vir undequaque doctiſſimus Petrus Morettus Canonicus inſignis Baſilicæ S. Mariæ trans Tyberim in aurea Diſceptatione Epiſtolari, *De ritu variandi Chorale indumentum in ſolemnitate Paſchali apud Clerum Baſilicarum Urbis*, num. xxxiii. His accedit, quod quum ipſi parvuli virgines ſint, jure, ac merito in eorum Funere, veluti die natalitio, color albus adhibetur, quo quidem ex Rubricis Miſſalis, Parte i. Tit. xviii. num. 2. utitur Eccleſia *in feſtis Sanctarum Virginum non Martyrum*; in teſtimonium ſcilicet puritatis, & caſtitatis earum, quia albo colore gaudet caſtitas, uti ibidem inter alios notavit Gavantus. Sane inſpectione digna eſt Crux, quæ ſine haſta in parvulorum Funere defertur; & forte ob myſticam rationem, quam Barrufaldus tradit ad hunc eundem noſtrum §. num. 13. Quia ſcilicet cum Crux, quæ generatim in Proceſſione defertur, ſignificet Eccleſiam in hoc mundo peregrinantem, & militantem cum vexillo Domini, & Ducis ſui, non omnino hoc verificatur in infantulis, qui per breviſſimum temporis ſpatium militiam, ſeu peregrinationem in hoc mundo ſuſtinuerunt, ideo brevis eſt Crux quia brevis fuit eorum in hac terra peregrinatio. Atque hanc interpretationem cenſui in hoc Commentario etiam referre, quod non deſint, qui hujuſmodi levibus explicationibus ſummopere delectentur.

IV. Sed ut ea, quæ ſolida ſunt, ac probata Eccleſiæ praxi, explicemus, mandat tandem noſter §. ut Clerico aſperſorium deferente, Sacerdos aſpergat corpus, & deinde dicat Antiphonam, *Sit Nomen Domini*, & Pſalmum cxii. *Laudate pueri Dominum &c.* De ritu aſpergendi Aqua benedicta defunctos, ſive ii adulti ſint, ſive parvuli, jam alias diximus; dicendum autem in ipſorum puerorum Funere Pſalmum, *Laudate pueri Dominum &c.* Rituales antiqui Codices paſſim præſcribunt, inter quos ille Auguſtenſis, Epiſcopatus Dilingæ impreſſus anno MDLXXX. Titulo inſcripto, *De ſepeliendis parvulis in Chriſto baptizatis*, nonnihil variat, dum primum mandat, ut *Sacerdos domum, in qua puerili funus eſt poſitum, ingreſſus dicat* ℣. Sinite parvulos venire ad me. ℞. Talium eſt enim Regnum Cælorum. Oremus. Deus omnipotens Redemptor mundi &c. *Deinde funus infantis aſpergatur Aqua benedicta; poſtea ad ſepulcrum deferatur, dicendo Pſalmum* cxii. Laudate pueri Dominum &c. *uſque ad finem, cum* Gloria Patri &c. *& Antiphona*, Sit Nomen Domini benedictum. Ex Rituali Ambroſiano in ordine ad ſepeliendos infantes infra ſeptennium, Sacerdos *in domo defuncti dicit*. ℣. Dominus vobiſcum. ℞. Et cum ſpiritu tuo. *Oratio*. Omnipotens, & mitiſſime Deus, qui omnibus parvulis &c. *Antiphona*: Hic accipiet benedictionem. *Pſalmus* xxiii. Domini eſt terra. *Incœpto Pſalmo, aſpergitur cadaver.*

§. II.

§. II.

Dum portatur ad Eccleſiam, dicatur Pſalmus, *Beati immaculati &c.* Si tempus ſupereſt, dici poteſt Pſalmus, *Laudate Dominum de Cælis*, cum aliis duobus ſequentibus, in fine, *Gloria Patri &c.*

COMMENTARIUS.

I. JUxta Romanum Sacerdotale Venetiis impreſſum anno MDLXVII. *De Officio ſepulturæ parvulorum*, quando puer extrahitur de domo, & deportatur ad Eccleſiam, dicuntur Pſalmi Graduales, *Ad Dominum cum tribularer &c.* cum Gloria Patri, *&*, Sicut erat &c. *vel ſic cum puer extrahitur de domo, incipitur Pſalmus*, Beati immaculati in via, *& Pſalmus*, Laudate pueri Dominum; *& dicuntur cum* Gloria Patri, *&*, Sicut erat. At vero ex Cæremonialis Ambroſiani præſcripto, *eundo ad Eccleſiam dicuntur Antiphonæ ſequentes:* De terra creaſti me &c. Dextera tua Domine &c. Cum Chriſtus apparuerit &c. Domine mitte Angelum tuum &c. *Si via fuerit longior, dicitur Pſalmus*, Beati immaculati in via *cum ſequenti, & in fine*, Gloria Patri &c. Quod tandem mirum videri debet, Rituale Biſuntinæ Diœceſis, anno MDCCV. impreſſum, quod alias in multis Romano Rituali cohæret etiam in ritu Exequiarum parvulorum, nonnihil variat a præſenti noſtro §. dum mandat, ut quando defuncti pueri cadaver defertur ad Eccleſiam, dicatur Antiphona, *Juvenes, & Virgines*, cum Pſalmis, *Laudate Dominum de Cælis, Cantate Domino canticum novum*, &, *Laudate Dominum in Sanctis ejus*, cum *Gloria Patri*; Si longior vero ſit via, dicatur etiam Pſalmus CXVIII. *Beati immaculati in via*, & in fine Antiphona integra, *Juvenes, & Virgines &c.* Ceterum licet nulla in hoc noſtro præſenti §. ſicut nec in aliis hujus Capitis mentio fiat de cereis accenſis una cum puero defuncto ad Eccleſiam deferendis, adhibendi ii nihilominus ſunt ex antiqua, recentique Eccleſiarum praxi, ac nonnullorum etiam Ritualium præſcripto, ac præſertim Cæremonialis Ambroſiani.

§. III.

Cum autem pervenerit ad Eccleſiam, dicatur Antiphona, *Hic accipiet*, Pſalmus XXIII. *Domini eſt terra &c.* Antiphona: *Hic accipiet benedictionem a Domino, & miſericordiam a Deo ſalutari ſuo, quia hæc eſt generatio quærentium Dominum.* Poſtea dicitur, *Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon, Pater noſter*, ſecreto, interim corpus aſpergit. ℣. *Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos a malo.* ℣. *Me autem propter innocentiam ſuſcepiſti.* ℟. *Et confirmaſti me in conſpectu tuo in æternum.* ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

Omnipotens, & mitiſſime Deus, qui omnibus parvulis renatis fonte Baptiſmatis, dum migrant a ſæculo, ſine ullis eorum meritis vitam illico largiris æternam, ſicut animam hujus parvuli hodie credimus te feciſſe: fac nos, quæſumus, Domine, per interceſſionem Beatæ Mariæ ſemper Virginis, & omnium Sanctorum tuorum, hic purificatis tibi mentibus famulari, & in Paradiſo cum beatis parvulis perenniter ſociari. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. SI aſperſionem aquæ benedictæ ſuper corpus pueri defuncti jam ad Eccleſiam delati excipias, quæ hic noſter §. ait, totidem verbis Sacerdotale Romanum præſcripſerat; a quibus tamen multum variat Rituale Biſuntinæ Diœceſis anno MDCCV. editum, ubi edicit, ut, *poſito puero in Eccleſia, aſpergatur a ſingulis, & facta oblatione, incipiatur Antiphona*, Hic, *vel* hæc accipiet &c. Tum vero Orationem recitari mandat, quæ omnino diverſa eſt ab illa præſcripta in noſtro §. eſtque hujuſmodi: *Omnipotens ſempiterne Deus, ſanctæ puritatis amator, qui animam hujus parvuli*, (vel *parvulæ*) *de hoc mundo ad Cælorum Regna miſericorditer vocare dignatus es, concede nobis, ut meritis Beatæ Mariæ ſemper Virginis, & omnium Sanctorum cum eiſdem gaudiis perfrui mereamur æternis. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* ℟. *Amen.* Ceterum juxta Rituale Ambroſianum, *in Eccleſia collocato cadavere, dicitur ſequens Antiphona dupla, Redemptor meus vivit &c.* cum Pſalmo: *Laudate pueri Dominum*; quo incœpto, iterum aſpergitur cadaver. Sequitur ℣. *Dominus vobiſcum &c.* ac deinde hæc Oratio: *Præſta quæſumus Omnipotens Deus, ut animam hujus pueri*, (vel *puellæ*) *ab Angelis lucis ſuſceptam in præparata habitacula deducı facias Beatorum. Per Dominum noſtrum.*

II. Habent & ſuam alia Ritualia, quæ hic omittimus, varietatem; ſed notandum hoc loco eſt, quod docet laudatum ſuperius Rituale Pariſienſe ad Romani formam expreſſum, ac editum anno MDLIV. Titulo, *De Exequiis parvulorum*, ubi poſtquam dixit, quod *infantes, ſeu parvuli, qui, ſuſcepto Baptiſmo, ante uſum rationis mortui ſunt, eum in communione Eccleſiæ vivant, eo*-

rum corpora, utpote quæ Sancti Spiritus vaſa fuerint, in loco ſacro ſunt cum honore ſepelienda; ita ſtatim ſubjicit: *Sed quia per ætatem peccare non potuerunt, neque preces, neque Sacrificia, aut ſuffragia ulla Eccleſiæ iis ſunt neceſſaria*. Pergit idem Rituale, aliaque docet, quæ operæ pretium duco hoc loco deſcribere. Sic enim ait: *Itaque, ſicubi fert conſuetudo, aut parentum, vel propinquorum devotio exigit, ut in Exequiis infantium Miſſa celebretur, meminiſſe debent Sacerdotes, & de ea re populum ſæpius admonere, nequid male accipiat offerri Deo Sacrificium laudis in actionem gratiarum pro parvulis, non autem ad remiſſionem ullius eorum culpæ, aut pœnæ iis debitæ*. Sed nec omittenda, quæ mox ad eandem rem ſubdit: *Iccirco conſultius erit eo caſu celebrare de Trinitate, de B. Maria, de Angelis, vel de Officio diei currentis, non autem de Officio Defunctorum, ne plebs imperita, quæ ſola rerum ſpecie ducitur, dum videt in infantium obitu Sacra, & preces fieri perinde, atque pro aliis defunctis, eos etiam putet ad exolvendas Purgatorii pœnas Eccleſiæ ſuffragiis indigere*. Concludit tandem, & inquit: *Si autem, ut rogantium voluntati ſatisfaciant, celebraturi fuerint de Officio Mortuorum; tum intelligant intentionem propitiatorii Sacrificii, non ad animam parvuli, ſed ad animas parentum, propinquorum, & aliorum defunctorum eſſe referendam*. Porro Pſalmi, qui in ſepeliendis parvulis cantantur, omnes ſunt laudis, & lætitiæ, propter innocentiam, & ſecuritatem æternæ ſalutis, quam conſequutus eſt puer defunctus, qui propterea nullis ſuffragiis indiget, ut fuit ſemper perpetua Eccleſiæ traditio.

§. IV.

Dum portatur ad tumulum, & etiam, ſi tunc non portetur, dicitur Antiphona, *Juvenes*. Pſalmus, *Laudate Dominum de Cælis*, & in fine, *Gloria Patri, & Filio, &c.* Et repetitur Antiphona, *Juvenes, & Virgines, ſenes cum junioribus laudent Nomen Domini. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter.* ℣. *Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos a malo.* ℣. *Sinite parvulos venire ad me.* ℟. *Talium eſt enim Regnum Cælorum.* ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, ſanctæ puritatis amator, qui animam hujus parvuli ad Cælorum Regnum hodie miſericorditer vocare dignatus es: digneris etiam Domine, ita nobiſcum miſericorditer agere, ut meritis tuæ ſanctiſſimæ paſſionis, & interceſſione Beatæ Mariæ ſemper Virginis, & omnium Sanctorum tuorum, in eodem Regno nos cum omnibus Sanctis, & Electis tuis ſemper facias congaudere. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. HIs plane concinit Sacerdotale Romanum citato toties loco, ſed variat nonnihil Rituale Ambroſianum, ubi ſic inquit: *Defertur cadaver ad ſepulturam, dicendo Antiphonam, & Pſalmum ſequentem*: Antiphona: *Juvenes*. Pſalmus: *Laudate Dominum in Sanctis ejus &c. Poſt repetitur Antiphona*: Juvenes. ℣. *Dominus vobiſcum*. Oratio: *Omnipotens ſempiterne Deus ſanctæ puritatis amator &c.* Sed nec deſunt Libri Rituales antiquiores, in quibus ritus in hoc noſtro §. præſcriptus legitur, quos non cenſui in hoc Commentario referre.

§. V.

Deinde Sacerdos corpus aſpergat Aqua benedicta, & thurificet, ſimiliter & tumulum; poſtea ſepeliatur. Cum autem a ſepultura revertuntur in Eccleſiam, dicatur Antiphona: *Benedicite*, Canticum trium puerorum, Danielis III. *Benedicite omnia opera Domini Domino &c.* Antiphona: *Benedicite Dominum omnes Electi ejus, agite dies lætitiæ, & confitemini illi*. Deinde ante Altare dicit Sacerdos. ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo.* *Oremus.*

Deus, qui miro ordine Angelorum miniſteria, hominumque diſpenſas: concede propitius, ut a quibus tibi miniſtrantibus in Cælo ſemper aſſiſtitur, ab his in terra vita noſtra muniatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. EXcepta aſperſione Aquæ benedictæ, & thurificatione in corpus pueri defuncti, ac tumulum, antequam in eo humetur, eadem habet Sacerdotale Romanum, ubi agit de officio ſepulturæ parvulorum; in quo tamen ante Orationem, *Deus, qui miro ordine Angelorum &c.* in §. noſtro præſcriptam, duæ aliæ recenſentur, & prima quidem de Spiritu Sancto, nempe, *Deus, qui corda fidelium &c.* ſecunda vero de Beata Virgine, nempe, *Concede nos famulos tuos &c.* Tum vero ſequitur: *Deus, qui miro ordine &c.* Sane juxta Rituale Biſuntinæ Diœceſis editum anno MDCCV. dicta hac Oratione, Sacerdos *terram projicit ſuper cadaver hu-*

Humi mandatum, dicens: Pax, & benedictio Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus Sancti, & viſitatio Angelica deſcendat ſuper hoc corpus, & omnis corpora hic, & ubique in Chriſto requieſcentia, & animas eorum ſalvet, & noſtras. ℟. Amen. *Tum aſpergit Aqua benedicta.*

II. Sed dignum notatu eſt, quod de ſepultura pueri defuncti præſcribit tandem, aliis miſſis, Rituale Auguſtenſis Epiſcopatus Dilingæ impreſſum anno MDLXXX. multos enim continet ritus, quorum fortaſſis notitia grata erit, tum vero potiſſimum, quod ipſum Rituale non ita obvium ſit. Sic autem inquit: *Cum vero ad ſepulcrum pervenitur, poſt Antiphonam ſupradictam*, nempe, Sit Nomen Domini benedictum, *Sacerdos dicat*, Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter. *Interim funus parvuli Aqua aſpergatur benedicta, & incenſo thurificetur, ſimiliter & ſepulcrum, in quod corpus eſt reponendum. Deinde alta voce dicat.* ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. ℣. In memoria æterna erit juſtus. ℟. Ab auditione mala non timebit. ℣. Dominus vobiſcum &c. Oremus. Omnipotens ſempiterne Deus, qui omnibus parvulis renatis Baptiſmate &c. *Hac Oratione finita, Sacerdos projiciat terram ſuper funus, dicens*: Sume terra, quod tuum eſt, ſpiritus ſumat, quod ſuum eſt, Caro de terra creata eſt, ſpiritus de Cælo ſumptus eſt. *Deinde tumuletur, & Pſalmus* CXLVIII. Laudate Dominum de Cælis, laudate eum in excelſis, *uſque in finem orctur. Addatur Antiphona*: Juvenes, & Virgines, ſenes cum junioribus laudent Nomen Domini; *& dum Pſalmus dicitur, aut cantatur, corpus parvuli ſepeliatur. Quo ſepulto, dicat Sacerdos*, Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. ℣. Me autem propter innocentiam ſuſcepiſti. ℟. Et confirmaſti me in conſpectu tuo in æternum. ℣. A porta inferi. ℟. Libera nos Domine. ℣. Dominus vobiſcum &c. Oremus. Domine Jeſu Chriſte puritatis, & innocentiæ amator &c. Deus, cujus miſeratione animæ Fidelium &c. Requieſcant in pace, ℟. Amen. *Deinde admoneatur populus, ut Deum laudent Oratione Dominica, & orent pro cunctis Fidelibus defunctis.* Atque ita explicit ritus memorati Auguſtenſis Ritualis de ſepeliendis parvulis in Chriſto baptizatis, qui etiam in aliis quibuſdam Ritualibus recenſetur.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

TITULUS VII.

I. MAtrimonium ab eo dici, quod femina iccirco maxime nubere debet, ut mater fiat, vel quis prolem concipere, parere, educare, matris munus eſt, docet Catechiſmus Concilii Tridentini, Parte II. *De Sacramento Matrimonii*, num. IV. explicatque mox bina Matrimonii nomina; nam ait, Conjugium quoque a conjungendo appellari, quod legitima mulier cum viro quaſi uno jugo adſtringatur. Nuptias etiam, quis, ut inquit S. Ambroſius, pudoris gratia puellæ ſe obnuberent; quo etiam declarari videbatur, viris obedientes, ſubjectaſque eſſe oportere. De his nominibus vide Auguſtinum, Lib. XIX. contra Fauſtum, Capite XXVI. Ambroſium, Lib. I. *De Abraham*, Cap. IX. in fine, itemque S. Iſidorum, Lib. *De Eccleſiaſticis Officiis*, Cap. XIX. Can. *Femina*, XXX. Quæſtione V. & Canonem, *Mulier*, XXXIII. Quæſtione V. Jam vero Matrimonium Sacramentum eſſe, Eccleſia Apoſtoli auctoritate confirmata, certum, & exploratum ſemper habuit. Sed de hac re, aliiſque multis Matrimonii Sacramentum ſpectantibus late diſſerunt Theologi, & Canoniſtæ, qui conſuli poſſunt, præſertim vero Sanctiſſimus Dominus Noſter BENEDICTUS Papa XIV. in celeberrimo Opere, *De Synodo Diœceſana*, ubi docte, ſolideque etiam de Matrimonio tractat.

CAPUT I.

§. I.

Parochus admonitus de aliquo Matrimonio in ſua Parochia contrahendo, primum cognoſcat ex his, ad quos ſpectat, qui, & quales ſint, qui Matrimonium contrahere volunt, an inter eos ſit aliquod Canonicum impedimentum. Utrum ſponte, & libere, & ſecundum honeſtatem Sacramenti velint contrahere. Utrum ſint in ætate legitima, & vir ſaltem quatuordecim, mulier vero duodecim annos expleverit; & uterque ſciat rudimenta Fidei, cum ea deinde filios ſuos docere debeant.

COMMENTARIUS.

I. QUum Parocho totius Parochiæ cura ſpiritualis incumbat, ipſique ſoli competat Sacramenti Matrimonii adminiſtratio, adeo ut minime legitime contractum reputetur, ſi ejus præſentia deſit; merito hic noſter §. primum edicit, ut *Parochus admonitus de aliquo Matrimonio contrahendo, primum cognoſcat ex his, ad quos ſpectat, qui, & quales ſint, qui matrimonium contrahere volunt, an inter eos ſit aliquod Canonicum impedimentum.* Canonici impedimenti nomine intelligitur quicquid Matrimonium jure reddit nullum, aut illicitum. Nonnulla enim ſunt impedimenta, quæ ipſum contractum Matrimonialem non modo reddunt illicitum, ſed & invalidum, ac nullum, vocanturque impedimenta dirimentia, eo quod dirimant,

Digitized by Google

ſeu irritent Matrimonia cum ſimilibus impedimentis contracta. Alia ſunt, quæ Matrimonia quidem contrahi prohibent, ſed contracta non dirimunt, vel irritant, dicunturque impedimenta impedientia, de quibus late diſſerunt Theologi æque, & Canonici Juris Conſulti.

II. Porro cum ex præſcripto noſtri hujus §. Parochus admonitus de Matrimonio in ſua Parochia contrahendo, inter alia debeat cognoſcere, utrum qui Matrimonium contrahere volunt, *ſponte, & libere, & ſecundum honeſtatem Sacramenti velint contrahere*, cavere omnino debet, ne filiifamilias præſertim adoleſcentes, inſciis, invitiſque parentibus, contrahant Matrimonium; quamvis enim hujuſmodi Matrimonia ſine conſenſu parentum, vel illis inſciis, invitiſve inita, neque irrita ſint, neque irritari valeant, dummodo libero contrahentium conſenſu celebrentur, juxta Concilii Tridentini Decretum in prædicta Seſſione expreſſum, non ſolum tamen honeſtum eſt, ſed pene etiam neceſſarium, utpote rationi quammaxime conſentaneum, ut ipſi filiifamilias in re tanti momenti parentum ſuorum conſilium ſequantur, ab eoque minime diſcedant. Atque huc facit, quod ſapientiſſime ſtatuit S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolanenſi VI. Capite, *Quæ ad Matrimonium pertinent*, ubi ſic inquit: *Si vero filiifamilias ſint, hoc Parochus valde cohortetur, ut parentibus, in quorum poteſtate ſunt, eum honorem tribuant, ut illis ne inſciis quidem, nedum invitis, rem tanti momenti ineant*. Sed digna potiſſimum notatu ſunt, quæ idem S. Antiſtes præſcripſit in ſuis Inſtructionibus, *De Sacramento Matrimonii*, Cap. II. ubi hæc habet: *Si vero filiifamilias ſint, convenit etiam, ut ſciſcitetur*, Parochus ſcilicet, *de parentumne voluntate, an contra inituri ſint Matrimonium; nam quamvis eorum conſenſus neceſſario non requiratur, ſi tamen contra faciunt, cauſam perquiret; qua cognita illos cohortari paterne non deſiſtat, ut parentibus, in quorum poteſtate ſunt, eum honorem tribuant, ut ſcilicet illis, ne inſciis quidem, nedum invitis rem tanti momenti aggrediantur, niſi forte parentes futurum Matrimonium malitioſe impediant*. Scio equidem, non paucos inveniri parentes hujus perverſæ indolis, ſed fateri cogimur, in magnis præſertim Civitatibus, filiorum non modo, ſed & filiarumfamilias paſſim Matrimonia contrahi abſque rationabili eorum conſenſu; & quod ſummopere dolendum eſt, conniventibus Parochis, quorum potius erat eorum, earumve amores, commerciumque cum amaſiis ſuis vetare. Certe non defuere qui acri, ſed laude digno ſtylo contra hunc abuſum ſe invexerint, noviſſime vero peculiari Libro eruditiſſimus Mazzochius Cathedralis Neapolitanæ Eccleſiæ Canonicus.

III. Mandat tandem & illud noſter §. ut qui contrahere Matrimonium volunt, *uterque ſciat rudimenta Fidei, cum ea deinde filios docere debeant*. Quod quidem paſſim admonent Synodi, ac Rituales Codices, ac præſertim S. Carolus in laudatis Inſtructionibus, Cap. II. in fine, ubi inter alia Parochum monet, *ne Matrimonio jungat, qui Doctrinæ Chriſtianæ rudimenta ignorant*. Vide plura in hanc rem apud ſapientiſſimum BENEDICTUM Papam XIV. Lib. VIII. *De Synodo Diœceſana*, Cap. XIV. per totum.

§. II.

Noverit ex probatis Auctoribus, quæ ſint Canonica impedimenta Matrimonii contrahendi, & quæ contractum dirimant, & qui ſunt gradus conſanguinitatis, & affinitatis, & item cognationis ſpiritualis ex Baptiſmi, vel Confirmationis Sacramento contractæ.

COMMENTARIUS.

I. QUod in hoc §. edicitur, ſtatutum ſexcenties in Conciliis fuit, ut nempe addiſcant Parochi *ex probatis Auctoribus, quæ ſint Canonica impedimenta Matrimonii &c.* Recte autem ait, *ex probatis Auctoribus*; contemnendi enim ſunt innumeri pene Auctores laxi, qui Theologiam moralem portentoſis ſuis opinionibus, cavillationibuſque corruperunt, quoſque merito complures pii æque ac docti recentiores Theologi noſtro hoc ævo confutarunt, viam ipſis aperientibus Summis Romanis Pontificibus, qui variis editis Decretis permultas ipſorum Caſuiſtarum propoſitiones damnarunt; nonnullis perperam, temereque conantibus eaſdem callidis ratiociniis ab ipſa damnatione vindicare. Præ cæteris autem, quod noſtrum hunc §. ſpectat, legendus S. Carolus, *De Sacramento Matrimonii*, de quo late docuit, & in Conciliis ſuis Mediolanenſibus, Provincialibus, ac Diœceſanis, & in laudatis Inſtructionibus, itemque omnium plane Scriptorum noſtri ævi doctiſſimus BENEDICTUS XIV. in Opere numeris omnibus abſolutiſſimo, *De Synodo Diœceſana*, ubi docte, late, ſolideque diſcuſſit varias Quæſtiones ad Matrimonii Sacramentum pertinentes, quibus etiam egregie explicantur quæ in hoc præſenti Capite Romanum Rituale, atque Concilium Tridentinum præſcripſit.

§. III.

Habeat in primis ipſe bene cognita præcepta illa omnia, quæ in Matrimoniis rite conficiendis ſervari opotere, Sacri Canones, & præcipue Sancta Synodus Tridentina juſſit; dabitque operam, ut illa in Parochia ſua accurate, exacteque ſerventur.

COMMENTARIUS.

I. REcte admodum & hic §. ſtatuit, quod aliæ quoque recentiores Provinciales, Diœceſanæque Synodi ſtatuere, ut Parochus nempe *habeat in primis ipſe bene cognita præcepta illa omnia, quæ in Matrimoniis rite conficiendis ſervari oportere, Sacri Canones, & præ-*

& *præcipue Sancta Synodus Tridentina juſſit*, quia ſcilicet non pauca Tridentina ipſa Synodus immutavit, ac alia quædam de novo ſtatuit, quæ ut in Parochia ſua accurate, exacteque ſerventur, debet iccirco Parochus operam ſuam omnem præſtare. Quænam vero ea ſint, addiſcere poterit Parochus ex eadem Synodo, in qua oportet eum eſſe bene inſtructum, & nequaquam ab illa vel latum unguem, ut dici aſſolet, diſcedere. Quod ſi Parochus præter, vel contra præſcripta ab ipſa Synodo alicui Matrimonio aſſiſtat, eum non modo graviter peccare, verum etiam eſſe ab Ordinario puniendum, docet inter alios Barboſa, *De poteſtate Parochi*, Parte II. Cap. xx. num. 26. &, *De poteſtate Epiſcopi*, Parte II. Allegatione xxxII. per totam.

§. IV.

Præſertim vero meminerit, Matrimonia inter raptorem, & raptam, dum ipſa in raptoris poteſtate manſerit, irrita, necnon clandeſtina, & quælibet Matrimonia, quæ aliter, quam præſente Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, vel Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus teſtibus contrahuntur, ex ipſius Concilii Decretis irrita omnino, ac nulla eſſe.

COMMENTARIUS.

I. Opus plane eſſet peculiari volumine, ſi explicare varias quæſtiones vellem, quæ excitari poſſent vel ex præſcripto illius ſolius §. ſive potius ex Capitibus I. & vI. Seſſionis xxIv. Tridentini Concilii, ex quibus hic præſens §. deſumptus eſt. Ergo inter alia dirimentia Matrimonium impedimenta eſt raptus, quem ita exponit laudatum Concilium Tridentinum, citato Cap. vI. *Decernit Sancta Synodus, inter raptorem, & raptam, quamdiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum poſſe conſiſtere Matrimonium*. Tum vero mox ſubdit: *Quod ſi rapta a raptore ſeparata, & in loco tuto, & libero conſtituta illum in virum habere conſenſerit, eam raptor in uxorem habeat*. Nequis autem putet, immunem fore a pœna raptorem, ita deinde Concilium ait: *Nihilominus raptor ipſe, ac omnes illi conſilium, auxilium, & favorem præbentes, ſint ipſo jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces, & ſi Clerici fuerint, de proprio gradu decidant*. Pergit adhuc Concilium, pœnamque hanc aliam adjungit: *Teneatur præterea raptor mulierem raptam, ſive eam uxorem duxerit, ſive non duxerit, decenter arbitrio Judicis dotare*. Quod tandem ait hic noſter §. *quælibet Matrimonia, quæ aliter, quam præſente Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, vel Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus teſtibus contrahuntur, ex ipſius Concilii Decretis, irrita omnino, ac nulla eſſe*, expreſſe id quidem definivit Concilium ipſum totidem pene verbis citatæ Seſſionis Capite I. Quod quidem, ſicut & illud primo notatum late, ſolideque explicat præ cæteris omnibus Scriptoribus BENEDICTUS Papa XIV. in celeberrimo Opere, *De Synodo Diœceſana*.

§. V.

Eſt autem proprius Parochus, qui adeſſe debet, is, in cujus Parochia Matrimonium celebratur, ſive viri, ſive mulieris.

COMMENTARIUS.

I. JAm pridem moris fuiſſe, ut Chriſtianorum nuptiæ nonniſi cum benedicti ne Sacerdotali, & ipſo Sacerdote Eccleſiæ nomine eas probante contraherentur, diſertis verbis expreſſit Tertullianus Libro II. *Ad Uxorem*, Cap. Ix. *Unde ſufficiam ad enarrandam felicitatem ejus Matrimonii, quod Eccleſia conciliat, & confirmat Oblatio, & obſignatam Angeli renuntiant, Pater rato habet*. Itemque in Libro, *De pudicitia*, Cap. Iv. *Ideo penes nos occultæ quoque conjunctiones, ideſt, non prius apud Eccleſiam profeſſæ, juxta mœchiam, & fornicationem judicari periclitantur*. Sed & ante Tertullianum S. Ignatius Martyr in Epiſtola ad Polycarpum, decere inquit, *ut ducentes uxores, & nubentes, cum Epiſcopi arbitrio conjungantur, ut nuptiæ juxta Domini præceptum ſint, non autem ad concupiſcentiam*. Mentionem porro Epiſcopi facit Ignatius, quod tunc temporis, primis ſcilicet Chriſti Sæculis, Sacramenta omnia ſoli Epiſcopi adminiſtrarent, quinimo ſoli & Sacrificia celebrarent, Presbyteri non niſi ejus juſſu, & permiſſu, uti pluribus docet, probatque Thomaſſinus, non uno in loco ſui celeberrimi Operis, quod inſcripſit: *Nova & vetus Eccleſiæ diſciplina*.

II. Quicquid ſit de hoc primævo Eccleſiæ more, illud variis Conciliis ſemper cautum fuit, ut coram proprio Sacerdote, ideſt Parocho, Matrimonium celebraretur. Extat & de ea re Conſtitutio in Capitularibus Regum Francorum, Libro vII. Capite CLXXIX. his verbis expreſſa: *Prius conveniendus eſt Sacerdos, in cujus Parochia nuptiæ fieri debent in Eccleſia coram populo, & ibi inquirere una cum populo ipſe Sacerdos debet, ſi ejus propinqua ſit, an non, aut alterius uxor, vel ſponſa, vel adultera; & ſi licita, & honeſta omnia pariter invenerit, tunc per conſilium, & benedictionem Sacerdotis, & conſultu aliorum bonorum hominum, eam ſponſare, & legitime dotare debet*. Rationem, cur occultas conjunctiones Patres, ac Synodi paſſim vetarent, eaſque publice coram Sacerdote, ideſt,

pro-

proprio Parocho fieri vellent, hanc præmittit inter alias Trosleana Synndus initio Seculi x. celebrata, Cap. VIII. *Quia ſæpe in nuptiis clam factis gravia peccata, tam in ſponſis aliorum, qaam & in propinqnis, ſive adulterinis conjugiis, &, quod pejus eſt dicere, conſanguiucis, accreſcunt, & accumulantur.*

III. At vero, ut recte obſervat Vaneſpen, Parte II. Juris Eccleſiaſtici, Titulo XII. Cap. V. Synodus Tridentina auimadvertens, prohibitioues illas propter hominum inobedieutiam jam uon prodeſſe, & gravia peccata perpendens, quæ ex eiſdem clandeſtinis conjugiis ortum habent, præſertim vero eorum, qui in ſtatu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua clam contraxeraut, relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt; cui malo cum ab Eccleſia, quæ de occultis non judicat, ſuccurri nou poſſit, efficacius aliquod remedium adhibendum cenſuit, atque præter publicas denuntiationes, de quibus juxta uoſtri Ritualis ordinem dicemus nos infra in Commentario ad §. VII. declaravit inſuper, ac ſtatuit in Decreto, *De reformatione Matrimonii*, Seſſione XXIV. Cap. I. *quod qui aliter, quam præſente Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, ſeu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus teſtibus, Matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti Decreto irritos facit, & annullat.* Quantumvis etiam uon obſtante Decreto Coucilii Tridentini, diſputetur inter Theologos, an Parochus ſit verus Miniſter Sacramenti Matrimonii, an vero ipſi contrahentes, atque veriſimilior videatur ſeutentia affirmantium, hos eſſe Miniſtros, nihilominus illud certum eſt, Parochi, alteriuſve Sacerdotis de Paruchi, ſeu Ordinarii licentia adeo neceſſariam eſſe aſſiſtentiam, ut niſi aſſiſtat, ex recitato Concilii Tridentini Decreto, nou illicitum dumtaxat, ſed & invalidum ſit Matrimunium.

IV. Cum vero laudata Synodus ſimpliciter requirat præſeutiam Parochi, non Parochorum; neque exprimat, an viri, vel mulieris, receptum eſt, ſi ſponſi ſint diverſarum Parochiarum, alterutrius contrahentium Parochi præſentiam ſufficere; & ita Sacram Congregationem declaraſſe, eamque declarationem approbatam fuiſſe a Summo Pontifice, refert Fagnanus in Capite, *Quod nobis* II. *De clandeſtina deſponſatione*, num. 33. Longum eſſet varias hic receuſere ejuſdem Sacræ Congregationis Declarationes, quæ ad magis magiſque explicandum memoratum Trideutini Decretum circa Parochi præſentiam a Concilio definitam prodierunt. Sed quid opus eſt diutius in huc Commentario immorari; videri præ cæteris poteſt BENEDICTUS Papa XIV. qui iu laudato toties Opere, *De Synodo Diœceſana*, late pro more, docteque de Parocho, quoad Matrimonium diſſeruit, variaſque quæſtionea praxim ſpectantes diſſolvit.

§. VI.

Caveat præterea Parochus, ne facile ad contrahendum Matrimonium admittat vagos, & peregrinos, & qui incertas habent ſedes, neque item eos, qui antea conjugati fuerunt, ut ſunt uxores militum, vel captivorum, vel aliorum, qui peregrinantur, niſi diligenter de iis omnibus facta inquiſitione, & re ad Ordinarium delata, ab eoque habita ejuſmodi Matrimonii celebrandi licentia, quæ gratis concedatur.

COMMENTARIUS.

I. His concinunt, quæ ſtatuit Coucilium Tridentinum Seſſione XXIV. *De reformatione Matrimonii*, Cap. VII. ſic inquieus: *Multi ſunt, qui vagantur, & incertas habent ſedes, &, ut improbi ſunt ingenii, priore uxore relicta, aliam, & plerumque plures, illa vivente, diverſis in locis ducunt. Cui morbo cupiens Sancta Synodus occurrere, omnes, ad quos ſpectat, paterne monet, ne hoc genus hominum vagantium ad Matrimonium facile recipiant; Magiſtratus etiam ſæculares hortatur, ut eos ſevere coerceant. Parochis autem præcipit, ne illorum Matrimoniis interſint, niſi prius diligentem inquiſitionem fecerint, & re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.* Ut Tridentina hæc Conſtitutio de Matrimuniis, quæ cum vagabundis homiuibus inlri quandoque ſolent, *ſervetur a Parochis, vel diligentiſſime*, mandat inter alia Provinciale II. Medinlanenſe S. Caroli Coucilium, Decreto XXVI. ubi etiam mox ſubdit, ut *nec ipſis Parochis facultatem, ut illos vagos homines Matrimonio jungant, Epiſcopus ante det, quam norit, eos & ſolutos eſſe, & a Catholica communione non alienos.*

II. Decreti Concilii Tridentini executionem uno conſeuſu urgeut & aliæ Synodi Proviuciales variarum natiouum; vultque inter alias Synodus Proviucialis II. Mechlinenſis, Tit. X. Capite VI. ut licentia ab Ordinario obtiueatur *in ſcriptis, neque ea licentia ſine cauſæ cognitione, & matura deliberatione detur.* Synodus quoque Provincialis II. Cameracenſis, Tit. XI. Capite V. vult, ut *ignoti, & qui certas ſedes non habent, non admittantur ad contrahendum Matrimonium, niſi præviis atteſtationibus Paſtoris, ubi noviſſimam fecerint reſidentiam, aut aliorum fide dignorum, quorum ſigilla, vel ſignaturæ ſint Paſtori, coram quo contrahere volent, bene notæ, aut ſufficienti aliorum depoſitione apud eundem comprobatæ.* Summa itaque circumſpectione opus eſt Parocho, ut hujuſmodi Matrimoniis interſit. Sed tamen quia iu recitato Concilii Tridentini Decreto nulla clauſula irritans appoſita eſt, ſi Parochus, neglectis iis, quæ a Synndis ſunt præſcripta, Matrimonio aſtiterit, validum erit Matrimonium, quamvis Parochus graviter delinqueret, & a Superiore caſtigaudus ſit, uti poſt Sanchez notat Zypæus in Jure novo, Tit. *De Sponſalibus*, num. 13. apud Vaneſpen, Parte II. Juris Eccleſiaſtici univerſi, Tit. XII. Capite V. num. XIII. ut alios Canoniſtas, Theologoſque omittam de hujuſmodi quæſtiunibus agentes.

§. VII.

§. VII.

Antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho continuis diebus feſtis in Eccleſia intra Miſſarum ſolemnia ad ipſius Concilii præſcriptum publice denuntietur, inter quos Matrimonium ſit contrahendum.

§. VIII.

Si vero vir & mulier Parochiæ ſint diverſæ, in utraque Parochia fiant denuntiationes; quibus denuntiationibus factis, ſi nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii procedatur. Sed ſiquid obſtat, ultra Parochus non procedat.

COMMENTARIUS.

I. Agitur in hiſce Paragraphis de Proclamationibus, ſeu Bannis Matrimonialibus. Acceptum jampridem fuiſſe Bannum præſertim in Eccleſia Gallicana pro Proclamatione, ſeu Edicto, quo Matrimonium proclamatur, ſive edicitur, ut ſiquis pro futuro Matrimonio, quod publice proclamatur, aliquid opponendum ſciat, edicat, ſive opponat, manifeſte inſinuat Innocentius Papa III. in Capite, *Cum in tua*, XXVII. *De Sponſalibus*, reſcribens Epiſcopo Belluacenſi, præſertim ſi legatur Epiſtola ipſa Decretalis, ut extat in veteri Collectione apud Antonium Auguſtinum, ubi hæc leguntur: *Sane quia contingit interdum, quod aliquibus volentibus contrahere Matrimonium, Bannis, ut tuis verbis utamur, in Eccleſiis ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ Gallicanæ editis &c.* Quæ poſtrema verba omiſit S. Raymundus in ſua Collectione a Gregorio IX. probata, qua hodie utimur, e quibus interim poſt Cujacium eliciunt Fileſacus in Libro, *De origine Parochiarum*, Cap. ult. & Altaſerra in dicto Capite, *Cum in tua*, Proclamationum, ſeu Bannorum Matrimonialium inſtitutum ab Eccleſia Gallicana ad cæteras emanaſſe; Eccleſiamque Romanam minime dedignatam fuiſſe, rectos aliarum Eccleſiarum mores imitari, ut idem Altaſerra obſervat, probatque etiam auctoritate S. Gregorii Magni, qui Libro VII. Epiſtola LXIII. Indictione II. ita reſcripſit Joanni Epiſcopo Syracuſano loquens de Eccleſia Conſtantinopolitana: *Tamen ſiquid boni, vel ipſa, vel altera Eccleſia habet, ego & minores meos, quos ab illicitis prohibeo, in bono imitari paratus ſum. Stultus eſt enim, qui in eo ſe primum exiſtimat, ut bona, quæ viderit, diſcere contemnat.*

II. Sed his omiſſis, illud profecto notandum, jam tempore Concilii Lateranenſis Generalis IV. ſub Innocentio III. anno MCCXV. celebrato, uſum Proclamationum, ſeu Bannorum Matrimonialium in quibuſdam dumtaxat Eccleſiis fuiſſe notum, ac denique per omnes Eccleſias per Decretum ipſius Concilii in Canone LI. relato in Capite, *Cum inhibitio*, III. *De clandeſtina deſponſatione*, extenſum fuiſſe. Sic enim inquit: *Quare ſpecialem quorundam locorum conſuetudinem ad alia generaliter prorogando, ſtatuimus, ut cum Matrimonia fuerint contrahenda, in Eccleſiis per Presbyteros publice proponantur, competenti termino præfinito, ut infra illum qui voluerit, & valuerit, legitimum impedimentum apponat.* In omnibus Latinorum Eccleſiis promulgatam fuiſſe hanc Lateranenſis Concilii Conſtitutionem, conſtat plane ex variis Ritualibus, & Synodis poſt ipſam editis, in quibus Proclamationes ipſæ præcipiuntur; ſed tamen addubitari nequit, quin paulo antequam celebraretur Tridentinum Concilium, conſuetudine contraria abrogata fuerit, in aliquibus ſaltem Provinciis, præſertim Hiſpaniæ, teſte Dominico Soto, qui ſuum, *De Sacramentis*, Tractatum edidit, poſt tempus, quo habita fuit ejuſdem Concilii Seſſio XIII. & antequam Seſſio XXIV. celebraretur, in qua Lateranenſe Statutum confirmatum eſt: *In multis Eccleſiis Hiſpaniæ*, inquit Sotus, *quorum princeps eſt Toletana, hujuſmodi ritus abolevit ab uſu, ubi ob eorum* (Bannorum) *defectum non æſtimantur clandeſtina Matrimonia.*

III. Hanc porro Hiſpanorum praxim, ſeu potius abuſum Tridentina Synodus, quæ in Hiſpaniis fuit promulgata, correxit Seſſione XXIV. *De reformatione Matrimonii*, Cap. I. deſideranſque multiplicibus incommodis occurrere, quæ ex Matrimoniis clandeſtinis quotidie oriebantur, laudati Concilii Lateranenſis IV. veſtigiis inhærendo, *præcipit, ut inpoſterum, antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus feſtivis in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia publice denuntietur, inter quos Matrimonium ſit contrahendum.* Sunt plane ipſiſſima verba, quæ Rituale hoc noſtrum Romanum in §. VII. deſcripſit, quæque plura ſcitu digna nos docent; ac I. quidem, debere Proclamationes fieri, antequam *Matrimonium contrahatur*, ideſt poſtquam Sponſalia jam publice, & coram Parocho contracta ſunt, aut ſi clandeſtine inita ſint, ſaltem Parocho de conſenſu in Matrimonium ſaltem conſtet, uti notat Vaneſpen, Parte II. *Juris Eccleſiaſtici*, Tit. XII. Cap. III. num. V.

IV. Docet nos præterea hic noſter §. ſive potius Concilium Tridentinum citato ſuperius loco, ipſas proclamationes fieri debere *a proprio contrahentium Parocho*, quod quidem intelligitur, ubi ambo contrahentes in una, eademque Parochia habitant; nam alias quando illi ſunt diverſarum Parochiarum, in utraque, ſponſi ſcilicet, ac ſponſæ Parochia ſunt faciendæ, ex præſcripto non modo noſtri §. VIII. ſed & variorum Ritualium, atque Conciliorum tam Provincialium, quam Diœceſanorum: *Si ambo in diverſis Parochiis habitant, tum in unius, & alterius item Parochia fiant*, inquit S. Carolus in Concilio Provinciali II. Mediolanenſi, Decreto XXVI. conſentitque, ut alias omittam, Salernitana Synodus ſub Marco Antonio Marſilio Columna celebrata anno MDLXXIX. Tit. XXXI. *De Sacra-*

[illegible] mento Matrimonii*, Cap. II. *Denunciationes*, inquit, *fiant tam in viri*, *quam in feminæ Parochia*. Ceterum cum ſcopus harum proclamationum ſit detegere impedimenta Matrimonii contrahendi, recte admonet Synodus Diœceſana Mechlinenſis Tit. IX. Cap. VIII. *Si Matrimonium contracturi in Parochia*, *in qua moderna eſt eorum habitatio*, *brevem moram traxerint*, *ita ut ibidem non ſint ſatis noti*, *etſi ibidem Matrimonio jungi poſſint*, *nihilominus in Parochia*, *in qua prius habitarunt*, *ubi veroſimilius eſt*, *fore ut impedimenta ſciantur*, *denuntiationes omnes fieri volumus*. Menti autem Concilii Tridentini conforme eſſe, ut ſiquis plura habeat domicilia in diverſis Parochiis, fiant denuntiationes in ea, in qua diutius habitat, & principaliorem habet larem, vel potius in ea, in qua veroſimilius eſt, ſciri impedimenta, pluribus citatis Auctoribus [illegible] ſolvit Barboſa, Parte II. *De officio*, *& poteſtate Epiſcopi*, Allegatione XXXII. num. 11. itemque Parte II. *De officio*, *& poteſtate Parochi*, Cap. XXI. num. 18. poſtquam ſcilicet præcedenti numero, plurium etiam Scriptorum auctoritate reſolverat, poſſe ſcilicet denunciationes ipſas a Tridentino Concilio præſcriptas fieri *ab alio*, de licentia tamen proprii contrahentium Parochi.

V. Tertio mandat idem noſter §. VII. ut hujuſmodi denuntiationes fiant *ter continuis diebus feſtis in Eccleſia intra Miſſarum ſolemnia*. Ita quoque ſtatuit S. Carolus in ſuis, *De Sacramento Matrimonii*, Inſtructionibus: *Antequam Matrimonium celebret* (Parochus) *tres denuntiationes ad Concilii Generalis Lateranenſis*, *& Tridentini præſcriptum tribus continuis feſtis diebus [illegible] Eccleſiæ præcepto celebrandis publice in Eccleſia [illegible]*, *etiam utriuſque*, *ſi diverſæ Parochiæ contrahentes ſint*, *inter Miſſarum ſolemnia faciet*. Sed non omittendum quod idem Sanctiſſimus Antiſtes ſtatuit ea de re in Concilio Provinciali II. Mediolanenſi, Decreto XXVI. Vult enim, ut *Matrimonii denuntiationes a Parochis tum demum fiant*, *cum vir*, *& mulier*, *eorumve parentes*, *vel ii*, *qui puellæ curam habent*, *id poſtulaverint*; *ſique ambo in diverſis Parochiis habitant*, *tum in unius*, *& alterius item Parochia fiant*. Sed hoc jam paulo ſuperius explicatum fuit. Addit tamen mox, quod neque prætereundum eſt, ut *eas denunciationes ne ulla quidem ex parte remittere eis liceat*, *niſi proprii Epiſcopi conceſſu*, *idque cauſis jure permiſſis*. Beneventana Provincialis Synodus XII. anni MDXCIX. ſub Maximiliano de Palumbaria, Tit. XXVII. Cap. I. vult, ut denunciationes Matrimoniorum, non niſi feſtis diebus non ſolum in Parochialibus, *ſed etiam in aliis Eccleſiis*, *ubi frequens populus adeſt*, *per eoſdem Parochos*, *aut alios de licentia fiant*. Subditque mox, declaratum fuiſſe a Sacra Congregatione Concilii ſcilicet Tridentini Interpretum, denunciationes ipſas *dimitti potius judicio Epiſcopi ex juxta cauſa*, *quam ferialibus diebus fieri*. Hinc minime adhæreo eorum opinioni, quam alias probant Barboſa Parte II. *De officio*, *& poteſtate Parochi*, Cap. XXI. num. 20. & Vaneſpen Parte II. *Juris Eccleſiaſtici*, Tit. XII. Cap. III. num. IX. ubi ajunt, denunciationes ipſas fieri poſſe alio die, quam feſto, ſi ob aliquam ſolemnitatem in Eccleſia celebrandam, quamvis ſine feſto in populo magnus ad Eccleſiam ſiat populi concurſus; expreſſe enim Concilium Tridentinum, & Rituale præcipiunt, fieri *diebus feſtis in Eccleſia intra Miſſarum ſolemnia*. Quamobrem labuntur & ii Auctores citati ab eodem Barboſa ſequenti num. 21. qui docent fieri poſſe valide a Parocho denunciationes *extra Eccleſiam*, *& Miſſarum ſolemnia*, ſi magnus populi concurſus, & locus aptus ſit, ut ad multorum notitiam perveniant.

VI. Quamquam vero prædictæ proclamationes ab Oecumenicis Conciliis Lateranenſi IV. & Tridentino, atque a noſtro Rituali Matrimonio contrahendo præmittendæ ſint, ex iis tamen nequaquam colligi poteſt, proclamationes abſolute requiri, ut Matrimonium ſecundum ſubſtantiam valeat. Concilium enim Lateranenſe, cujus veſtigiis inhæſit Tridentinum, ac Rituale Romanum, nullam Decreto de proclamationibus addidit clauſulam irritantem, quam tamen, & Concilium ipſum Tridentinum, & Rituale expreſſe appoſuerunt, ubi edixerunt, qui aliter, quam, præſentibus Parocho, & duobus, vel tribus teſtibus, contrahit, eum nihil agere; & inter raptorem, & raptam, quamdiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum poſſe conſiſtere matrimonium. Vide laudatum Concilium Seſſione XXIV. in Decreto, *De reformatione Matrimonii*, Cap. I. & VI. & Rituale in hoc Capite, §. IV. His adde, quod cum memoratum Concilium, & Rituale Epiſcoporum prudentiæ diſpenſationem Proclamationum permittat, infra §. IX. cenſentur potius ipſæ ad formalitatem quamdam pertinere, quam ad ſubſtantiam. Sed neque deeſt Congregationis Concilii Tridentini Interpretum Declaratio, qua dictum eſt, proclamationum omiſſionem valori Matrimonii quoad ſubſtantiam ſumpti nihil officere, cujus meminit inter alios Jueninus, *De Sacramentis*, Diſſertatione X. Quæſtione V. Cap. II. Concluſione III.

VII. Non eſt tamen dubium, quin qui Matrimonium contrahunt ſine præmiſſis Proclamationibus peccent læthaliter, evinciturque ex eo, quod Proclamationum uſus non ſit conſilium, ſed præceptum, *Statuimus*, inquit Concilium Generale IV. Lateranenſe; Tridentinum vero utitur verbo, *Præcipit*. Præterea quod hujuſmodi peccatum ſit læthale, oſtenditur ex gravitate materiæ, de qua agitur; ex periculo ſcilicet ineundi Matrimonii, quod propter aliquod impedimentum, quod ipſos contrahentes lateat, irritum ſit; ex pœnis quoque, quibus Eccleſia in hujus Legis infractores animadvertit. Sunt autem hujuſmodi pœnæ excommunicatio, & aliæ non modo ſpirituales, ſed & corporis afflictivæ. Ad Parochum quod attinet, docent communiter Auctores, ſi prætermiſſis denunciationibus, Matrimonium celebret, graviter non modo peccare, ſed & ſeverius eſſe ab Epiſcopo puniendum. Probat id quidem inter alios Barboſa Parte II. *De officio*, *& poteſtate Parochi*, Cap. XXI. num. 25. additque num. 27. pœnam quoque triennalis ſuſpenſionis incurrere, comminatam in Cap. *Cum inhibitio*, §. *Sane*, *De clandeſtina deſponſatione*, Parochialem Sacerdotem, qui interfuit Matrimonio valido, clandeſtino tamen ob denunciationum omiſſionem. Ceterum poſſe ipſum Parochum, denunciationibus ipſis omiſſis, aliquos Matrimonio conjungere, ubi tale periculum, & adeo urgens neceſſitas premit, ut non ſit locus adeundi Ordinarium pro diſpenſatione obtinenda, veluti ſi urgeat neceſſitas inſtantis mortis pro accipienda in conjugem concubina, ad conſulendum

dum famæ illius, aut filios legitimos relinquendum, tenent varii Scriptores, quos citat, & ſequitur laudatus Barboſa citato loco, num. 25. in fine, & Parte II. *De officio, & poteſtate Epiſcopi*, Allegatione XXXII. num. 53. Idem docet Natalis Alexander, Lib. II. Theologiæ Dogmaticæ, & Moralis, *De Sacramento Matrimonii*, Cap. II. Articulo II. Regula XXV. ubi etiam addit, poſſe etiam Parochum, omiſſis Proclamationibus, Matrimonio alias valido aſſiſtere, *ſi vir, qui virgini ſtuprum intulit, auctoritate publica, ſeu Judicis ſententia compellatur Matrimonium cum illa contrahere ſtatim poſt cauſæ cognitionem, ut illius aboleat infamiam*.

VIII. Reliquum eſt, ut illud demum explicemus, quod edicitur in fine §. VIII. nempe, ut *Denunciationibus factis*, ſi nullum legitimum apponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii procedatur. Parochum non ſtatim, ac tres Denunciationes factæ erunt, debere ad celebrationem Matrimonii procedere, niſi tranſacto trium, vel duorum ſaltem dierum ſpatio, ut liceat ſcilicet unicuique de impedimentis cogitare, eaque aperire, docet inter alios Barboſa, *De officio, & poteſtate Parochi*, Parte II. Capite XXI. num. 23. Porro, quo die de Matrimonio contrahendo Denunciatio ultima facta eſt, ne eo ipſo die, niſi impetrata ab Epiſcopo facultate, illud celebretur, in variis Conciliis cautum eſt, ac præſertim in Provinciali III. S. Caroli Concilio Mediolanenſi, Capite, *De iis, quæ ad Matrimonii Sacramentum pertinent*; ſed duplici tamen adhibita cautione, quam ita ſtatim ſubjicit: *Id autem præterquam ſi poſtrema ea Denunciatio facta ſit pridie illius diei, quo initium eſt Quadrageſimæ, vel Adventus; ac niſi item Parochus populo antecedente Denunciatione ſignificavit, eo die, quo poſtrema Denunciatio fiet, Matrimonium eſſe contrahendum*. Ceterum optandum eſſet, ut ubique ea teneretur regula, quam in ſuis de Matrimonio Inſtructionibus idem Sanctiſſimus Præſul præſcripſit, ut nempe abſoluta tertia Denunciatione, Matrimonium Sponſi *in alterum, aut tertium, aliumve diem differant, utque interea orationi frequentius vacent, Miſſamque de Spiritu Sancto cum Oratione de Beata Virgine, aut alia, prout eſt in Miſſa pro faciendo Matrimonio, pro ſe celebrari devote curent*.

§. IX.

Quod ſi aliquando probabilis fuerit ſuſpicio, vel alia rationabilis cauſa ſubſit, arbitrio Epiſcopi, Matrimonium malitioſe impediri poſſe, ſi tot præceſſerint Denunciationes; tunc de licentia Ordinarii, vel una tantum fiat Denuntiatio, vel ſaltem Parocho, & duobus, vel tribus teſtibus præſentibus, Matrimonium celebretur. Deinde ante illius conſummationem Denunciationes in Eccleſia fiant, ut, ſi aliqua ſubſunt impedimenta, facilius detegantur, niſi aliter Ordinarius ipſe expedire judicaverit.

COMMENTARIUS.

I. Totidem plane verbis, quod edicit hic §. noſter de Proclamationum diſpenſatione arbitrio Epiſcopi, ſanxerat jam Tridentinum Concilium Seſſione XXIV. *De reformatione Matrimonii*, Cap. I. Hoc Decreto permittit quidem Concilium diſpenſationem ſuper Denunciationibus ipſi Ordinario, ideſt, Epiſcopo Diœceſano, quem hoc loco per Ordinarium intelligi, non autem alios inferiores Prælatos juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes, qui ſunt Ordinarii jure ſpeciali, docet, probatque Fagnanus in Capite, *Cum inhibitio, De clandeſtina deſponſatione*, num. 6. 7. 8. & 9. ubi recenſet Deciſionem Sacræ Congregationis Concilii tempore Gregorii XIII. editam, & ab ipſo approbatam, qua declaratum fuit, Alexandrum Cardinalem Farneſium Commendatarium Abbatiæ Farfenſis juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentem carere facultate has Denunciationes remittendi, quam ei ex gratia ſpeciali Gregorius, vita Cardinalis durante, conceſſit; ſubditque mox idem Fagnanus, in Libris Sacræ Congregationis manu Cardinalis Carafæ adnotatum fuiſſe, *Gregorium dixiſſe, in Decreto dicti Capitis* I. (Concilii ſcilicet Tridentini loco citato) *appellatione Ordinarii non venire niſi ſolum Epiſcopum*. Hinc colligi poteſt, carere & ea facultate Vicarium Epiſcopi Generalem, niſi eam illi concedat Epiſcopus; atque id forte edicere voluit Concilium Narbonenſe anni 1609. ubi ita ſtatuit: *Matrimoniales Denunciationes ſolus Epiſcopus, vel ejus in ſpiritualibus Vicarius Generalis ex cauſa bene nota remittat. Officiales vero ſuper illis diſpenſare non attentabunt, cum illud illis prohibitum ſit, prout præſenti Decreto prohibemus*. S. Carolus autem in Concilio Provinciali V. Conſtitutionum Parte III. Cap. *Quæ ad Matrimonium pertinent*, diſerte ſtatuit, Denunciationes ipſas *ad Epiſcopum, cum præſens in Urbe, vel Diœceſi adeſt, ſolum remitti deinceps licere, ab alio præterea nemine, ac ne a Vicario quidem Generali*.

II. Ergo, ut ait laudata Synodus Narbonenſis, *ex cauſa bene nota*, remittere debet Denunciationes ipſas Epiſcopus, Synodus Tridentina, & noſtrum Rituale in hoc §. unicam dumtaxat cauſam diſpenſationis expreſſerunt, nimirum, *ſi aliquando probabilis fuerit ſuſpicio, vel alia rationabilis cauſa ſubſit, arbitrio Epiſcopi, matrimonium malitioſe impediri poſſe*, ſi tanto ſcilicet tempore differendum ſit, quouſque tres Denunciationes præceſſerint. Addunt mox nihilominus duplicem limitationem. Prima eſt, ut tunc *una tantum fiat Denunciatio*. Altera, ut ſi periculum tale ſit, ut nec tantillo tempore differri queat Matrimonium, permittatur quidem illud ſine prævia Denunciatione celebrari, *ſed ante illius conſummationem Denunciationes in Eccleſia fiant*. At hæc poſterior cauſa jam non ubique adhiberi ſolet, præſertim in Belgio, teſte Zypæo in Titulo, *De Sponſalibus*, num. 10. ubi etiam ait, ſe nunquam audiſſe, poſt contractum Matrimonium Denunciationes fuiſſe factas. Sed quicquid de hac re ſit, S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolanenſi V. Conſtitutionum Par-

Parte III. Capite, *Quæ ad Matrimonium pertinent*, ſolam cauſam a Tridentino expreſſam pro legitima agnoſcit: *Matrimonii Denuntiationes*, inquit, *quas aliquando ab Epiſcopo remitti Conſtitutione Tridentina permiſſum eſt, is videat, ne ob aliam cauſam, quam ea ipſa Conſtitutione cavetur, remittat; cum ſcilicet Ordinarii judicio veriſimilis ſuſpicio eſt, Matrimonium malitioſe impediri poſſe.*

III. Præter cauſam, cujus mentionem faciont Concilium Trideotinum, & Rituale noſtrum, obſervat Jueninus, *De Sacramentis*, Diſſertatione x. Quæſtione v. Cap. II. in fine, oonnullas eſſe alias, in qoibus expedit, ut Proclsmationom diſpenſatio concedatur. Exempli cauſa, cum vir & mulier ſimol cohabitantes, ac pro conjugatis habiti, per legitimum Matrimonium iuiquo concubinatui finem imponere deſiderant; com redintegrari debet Matrimonium, quod licet in facie Eccleſiæ celebratum ſuerit, irritum tamen eſt propter occultum aliquod impedimentum, quod latebat antea, quodque poſtea deteƈtum eſt, & diſpenſari puteſt. Addit & alia Jueninus, quæ Galliarum mores ſpeƈtant; verum illud eſt, quod repetere hic Iterum juvabit, illicite ſe gerere Ordinarios, immo peccare eos læthaliter, ſi iuanibus de cauſis Pruclamatiunes ipſas relaxent. Cuncilium eoim Tridentinum, & noſtrum Rituale, atque complures etiam Synodi Provinciales diſpenſationem Ordinariurum prudentiæ committunt; prudentia antem in eo nou reperitur, qui agit, qoum nulla eſt agendi cauſa. Porro S. Carolus in citatu Cuncilio v. Mediulsnenſi Provinciali ſolam cauſam diſpenſandi Proclamatioues a Concilio Tridentino expreſſam pro legitima agnoſcens, eam certe ſolam, *quod inſtat Sacri Adventus, Quadrageſimæve tempus*, neqoe neceſſariam eſſe ait, nec vero cum ratioue conſentientem; ſubditque ſtatim hanc ratiuoem ſcito dignsm: *Cum præſertim eo ſacro tempore qui jam Matrimonio juncti ſuat, ab illius uſu abſtinere potius convenieus ſit, nedum Sponſos una conjungi.* Taudem Rotomagenſis Synodus anni MDCCLXXXI. Tit. *De Matrimonio*, advertens diſpenſationes ſuper Proclamationibus frequentius peti ad cavenda maleficia, quæ in celebratione Nuptiarum nonnunquam dicuntur intervenire, eam cauſam ot inſufficientem rejiciens, medium aptius contra maleficia ſuggerit: *Et ut digne hoc Sacramentum recipiaat, hortatur conjuges, ut antequam contrahant, vel ſaltem triduo ante conſummationem Matrimonii, ſua peccata diligenter confiteantur, & ad Sanctiſſimum Eucharistiæ Sacramentum accedant. Sacerdos vero ne ullum det maleficiis locum, cautius, & circumſpectius in Nuptiarum ſe gerat.* Refellit tum aliam cauſam diſpenſandi, ad declinandam ſcilicet populi iuſultantis diu noctuque Nuptiis maxime ſecundo, aut tertio repetitis luxoriam. Alia enim media ſuggerit ad hos inſultos averteudos: *Nec omittant*, ait, *Parœciarum Rectores, populi circa Nuptias petulantiam ſub interminatione excommunicationis, invocato etiam, ſi opus fuerit, brachii ſæcularis auxilio, compeſcere.*

IV. Varias alias juſtas cauſas, & quidem ſeptem, præter illam a Tridentino, & Rituali expreſſam, & a nubis jam explicatam, quibus concedi ad Epiſcopo Proclamationum remiſſio poſſit, recenſet, expunitqoe. Optandum vero eſſet, ut uihil omninu pecuniæ occaſione hujuſmodi conceſſionis acciperent Epiſcopi, ejuſve Miniſtri. Hunc enim abuſum jam damnavit inter alia Concilium Pariſienſe celebratum aono MCDXXIX, Can. XXXIII. *Epiſcopis*, ioquiens, *Archidiaconis, & aliis, quibus de jure, vel conſuetudine competit, injungimus, ne de cætero ita facilitcr diſpenſent ſuper Bannis in Matrimonio concedendis, etiam prætextu cujuſcumque pecuniæ, ſicut hactenus diſpenſare conſueveraut.* Similia his legere eſt in aliis Syoodis.

§. X.

Has autem Denunciationes Parochus facere non aggrediatur, niſi prius de utriuſque contrahentis libero conſenſu ſibi bene conſtet.

COMMENTARIUS.

I. UT Matrimonii Denunciatiuues a Parochis tum demum fiant, cum vir, & mulier, eorumve parentrs, vel ii, qui puellæ curam habent, id poſtulariot, ſtatuit S. Carolus quidem in Concilio Provinciali II. Mediolanenſi, Decreto XXVI. At vero in Concilio Proviociali III. Cap. *De iis, quæ ad Matrimonii Sacramentum pertinent*, ita edicit: *Matrimonii Denunciationes impoſterum a Parocho ne fiant, niſi iis ipſis petentibus, aut conſentientibus, de quorum Matrimonio contrahendo agitur. Quod ſi diverſis in Parochiis illi habitant, utriuſque item Parochus hoc ipſum ſervet. Neque Matrimonium alter Parochus denunciet, niſi ab altero Parocho certior factus ſit de poſtulatu, aut conſenſu illius, qui ſuæ eſt ſubjectus.* Sed deſcribamus hoc loco, quod idem S. Præſul præſcripſit in Inſtructionibus Matrimonii, in quibus plura notstu digna de re, quæ iu hoc §. agitur, declarat: *Antequam denunciet, primum a mari, tum a femina, Parochus exquirat, an Matrimonii, quod inter eos tractatur, Denuntiationes fieri placeat; & an ſponte, & libere ad eam rem veniaat; & omnino, antequam Denuncintioaes inchoet, habeat conſenſum eorum, qui contracturi ſunt; quod ſi in diverſis Parochiis illi habitant, utriuſque hoc item Parochus ipſum ſervet. Neque Matrimonium alter Parochus denunciet, niſi ab altero Parocho certior factus ſit de poſtulatu, aut conſenſu illius, qui ejus eſt curæ ſubjectus.* Summa profeƈto diligeutia opus eſt ad indagandum, explorandumque ejuſmudi conſenſum, ne ſcilicet puellæ præſertim metu parentum adaƈtæ, ut non ſemel accidit, cum illis contrahere Matrimonium cogantur, quus nollent conjuges habere. Quamobrem ubi non poſſunt ſeparationem quoad Matrimonii vioculum inteutare, variis artibus quoad thorum, & habitatiouem ſeparationem procurant, & quud horrendum diƈtu eſt, ut aliis comiſceantur, uun ſiue ſcandalo.

§. XI.

§. XI.

Si vero infra duos menſes poſt factas Denunciationes Matrimonium non contrahatur, denunciationes repetantur, niſi aliter Epiſcopo videatur.

COMMENTARIUS.

I. IDipſum cautum lego in variis Synodis, & in Inſtructionibus S. Caroli de Matrimonio, ubi ſic inter alia inqnit: *Matrimonii Denunciationibus factis, ſi forte accidit, ut illud duorum menſium ſpatio non contrahatur, ne illud celebret, niſi rite repetitis Denunciationibus, ſi tamen Archiepiſcopus aliud non conceſſerit.* Ita in laudatis Inſtructionibus, verum in Synodo ſua Tertia Diœceſana, Decreto XXXII. expreſſe mandat, ut *omnibus Matrimonii Denunciationibus abſolutis, ſi Matrimonium ipſum abſque legitima cauſa intra menſem non contrahetur, Parochus Sponſos Matrimonio ne jungat, antequam ejuſdem Matrimonii Denuntiationes iterum factæ ſint.* Ubi nota, menſia unius hic ſpatium concedi, cum alias in Inſtructionibus caveatur, ut elapſis non niſi duobus menſibus repetendæ ſint hujuſmodi Proclamationes. Sed in hac re, ſicut & in aliis id genus attendendæ ſunt propriarum Diœceſum Conſtitutiones poſtremæ.

§. XII.

Denunciationes autem ſiant hoc modo. Inter Miſſarum ſolemnia Parochus populum admoneat in hanc ſententiam vulgari ſermone.

Notum ſit omnibus hic præſentibus, quod N. vir, & N. mulier, ex tali, vel tali familia, & Parochia, Deo adjuvante, intendunt inter ſe contrahere Matrimonium. Proinde admonemus omnes, & ſingulos, ut ſiquis noverit aliquod conſanguinitatis, vel affinitatis, aut cognationis ſpiritualis, vel quodvis aliud impedimentum inter eos eſſe, quod Matrimonium contrahendum invicem impediat, illud quamprimum nobis denuntiare debeat, & hoc admonemus primo, ſi fuerit prima, vel, *ſecundo*, ſi fuerit ſecunda, vel, *tertio*, ſi fuerit tertia Denunciatio.

COMMENTARIUS.

I. REcte ex noſtro hoc §. cautum eſt, ut Parochus Denunciationea facturus, eas ſub præſcripta forma vulgari ſermone *inter Miſſarum ſolemnia*, pronunciato ſcilicet Evangelio, aut Concione abſoluta, ut habet S. Carolus in ſuis Inſtructionibus, & plures Synodi mandant, populo exponat. Pronunciandas eas eſſe a Parocho lingua vernacula, non modo Synodi, ſed & Ritnales multi Codices nos docent. Porro ex plurimis Conciliis tum Provincialibus, tum Diœceſanis illud quoque cautum eſt, ut non ſolum ipſæ Denunciationes, ſed & ea, quæ a Tridentina Synodo in reformatione Matrimonii decreta ſunt, communi lingua Epiſcopi divulganda curent, & omnibus ſuæ Diœceſis Parochis eorum exempla diſtribuant; ut illi ſingulis quibuſque tribus menſibus frequentiſſimo populo in Eccleſiis recitent, niſi aliud Epiſcopo videatur. Ita ſane ſtatuit S. Carolus in Concilio Provinciali I. Mediolanenſi, Capite, *Quæ ad Sacramentum Matrimonii pertinent*; ubi etiam præcipit, ipſas Conſtitutiones ab ipſo I. Mediolanenſi Concilio editas communi lingua vulgatas, debere populo recitari tribus ſcilicet quibuſque menſibus, ut dictum eſt. Idem conſtitutum fuit, ut alia omittam, in Concilio Provinciali X. Beneventano anno MDLXVII. celebrato, Seſſione VII. Titulo I. Cap. II. in quo tamen jubetur, ut ſingulis menſibus Decreta edita de Matrimonio, communi lingua a Parochis in Eccleſia intra Miſſam divulgentur, Decretumque etiam ejuſdem Concilii Tridentini de Matrimoniis clandeſtinis ſimili modo publicetur. An hujuſmodi Decreta alicubi ſaltem ſerventur, vel in deſuetudinem ubique abierint, affirmare non auſim; ſervanda ſunt quæ Epiſcopi in ſuis Diœceſibus ſtatuerunt.

§. XIII.

Moneat Parochus conjuges, ut ante Benedictionem Sacerdotalem in Templo ſuſcipiendam, in eadem domo non cohabitent, neque Matrimonium conſumment, nec etiam ſimul maneant, niſi aliquibus propinquis, vel aliis præſentibus; quæ Benedictio a nullo alio, quam ab ipſo Parocho, ſeu ab alio Sacerdote de ipſius Parochi, vel Ordinarii licentia fieri debet.

COMMENTARIUS.

I. DEſumpta & iſta ſunt quidem, quæ in hoc ſtatuuntur §. a Tridentino Concilio in laudata Seſſione XXIV. *De reformatione Matrimonii*, Cap. I. ubi etiam & alia notatu hic digna recenſentur, quæ operæ pretium ducimus initio hujus Commentarii deſcribere:

bere: *Præterea eadem Sancta Synodus hortatur, ut conjuges ante Benedictionem Sacerdotalem in Templo ſuſcipiendam, in eadem domo non habitent; ſtatuitque, Benedictionem a proprio Parocho fieri; neque a quoquam, niſi ab ipſo Parocho, vel ab Ordinario licentiam ad dictam Benedictionem faciendam alii Sacerdoti concedi poſſe; quacumque conſuetudine etiam immemorabili, quæ potius corruptela dicenda eſt, vel privilegio, non obſtante*. Peegit Concilium, graveſque pœnas iis infligit, qui, invito proprio Parocho, eam Benedictionem novis Sponſis largiri auſus eſſet: *Quod ſiquis Parochus, vel alius Sacerdos, ſive Regularis, ſive Sæcularis ſit, etiamſi id ſibi ex privilegio, vel immemorabili conſuetudine licere contendat, alterius Parochiæ Sponſos, ſine illorum Parochi licentia, Matrimonio conjungere, aut benedicere auſus fuerit, ipſo jure tamdiu ſuſpenſus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi, qui Matrimonio intereſſe debebat, ſeu a quo Benedictio ſuſcipienda erat, abſolvatur*.

II. Ad Benedictionem ipſam Nuptiarum quod attinet, quanti illa facienda ſit, vel ex eo intelligi poteſt, quod, ut ait S. Auguſtinus, in Paradiſo initium habuit, ubi Deus Matrimonio conjungens primos noſtros parentes, eis benedixit. Fuiſſe in uſu vel primis Chriſti Sæculis hujuſmodi Benedictionem, ex priſcis Patribus, & Conciliis addiſcimus, præſertim vero ex Tertulliano in Libro II. *Ad Uxorem*, Cap. IX. ubi etiam mentionem facit Sacrificii tunc celebrari conſueti; & ex Concilio Carthaginenſi IV. anni CCCXCVIII. Cap. XIII. *Sponſus, & Sponſa cum benedicendi ſunt a Sacerdote, a parentibus ſuis, vel paranymphis offerantur; qui cum Benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia ipſius Benedictionis in virginitate permaneant*. Ubi nota, morem fuiſſe antiquum, ut novi conjuges pro reverentia Sacramenti Matrimonii jam celebrati ſe continuerint biduo, aut triduo, aut ſaltem ipſa Nuptiarum nocte, verum etiam ipſa nocte poſt ſuſceptam Benedictionem *pro reverentia ipſius Benedictionis*, ut ait laudatus Canon Concilii IV. Carthaginenſis; cujus verba citat Egbertus in Excerptis, Cap. LXXXVIII. eademque veluti ex Concilio Valentino recenſet Burchardus Libro IX. Cap. V.

III. Neque vero exiſtimandum eſt, eam fuiſſe duntaxat antiquorum Sæculorum praxim, quam ferre nequeant noſtra tempora; nam ut ſcite advertit Martene, Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. IX. num. I. idem præſcribitur in Pontificali Eccleſiæ Lugdunenſis, quod uſui fuit etiam Tarantaſienſi, cujus character vix trecentos ſuperat annos. Idem in Lemovicenſi, idem in Leodicenſi, idem in Burdigalenſi ſub finem Sæculi ſuperioris impreſſo, idem in Rituali Mediolanenſi, &, ut alia omittam, in Paſtorali Mechlinenſi, ubi admonetur Parochus, ut Matrimonii ſolemnizatione abſoluta, novos conjuges egregie etiam coram populo hortetur, ut ad exemplum Tobiæ, & ſacrorum Canonum conſilium, *propter reverentiam Sacramenti, & Benedictionis, biduo, vel triduo, orationibus vacent, & caſtitatem ſervent, ut ſic tanquam filii Sanctorum, conjugiam Chriſtianum cum Dei timore conſummantes, ſciant uterque vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore, non autem in paſſione deſiderii, ſicut gentes, quæ ignorant Deum*. His adde Conſtitutionem Concilii XIII. Provincialis Beneventani ſub Joanne Baptiſta Foppa Archiepiſcopo celebrati anno MDCLVI. Titulo XLVI. num. 15. ubi edicitur, *ut moneant Parochi repetitis, & efficacibus hortationibus Sponſos, ut ante Benedictionem non copulentur ſub pœnis a Nobis ſtatutis, ac proinde ante Matrimonii conſummationem, & contractum, humili confeſſione criminum ſuorum ſordes abluant, & cæleſti Euchariſtiæ cibo mentes refrigerent, ne libidinis ſiti æſtuantes deficiant; caveantque, ut hoc Sacramentum, quod ſancta res eſt, & ſancte tractandum, ſibi non perniciem, aut Dei iram, ſed gratiam, & ſalutem comparent*. Porro quod etiam hujuſmodi continentia a paganis fuerit ſervata, docet nos exemplum Childerici Regis Francorum, qui paganis adhuc ritibus addictus, Baſinæ conjunctus, prima Nuptiarum nocte a coitu carnali abſtinuiſſe fertur apud Fredegarium, Cap. XII.

IV. Verum longe majorem a Chriſtianis conjugibus perfectionem exigunt antiqui Canones & Sancti Patres, qui incontinentiam etiam in Matrimonio pati nequiverunt: *Eſt enim velut quidam adulter incontinens in Matrimonio*, inquit S. Ambroſius Epiſtola LXIII. Ut ergo religioſe, & Chriſtiane Matrimonio uterentur, certos præfixere dies, quibus a mutuo debito abſtinerent, quoſque recenſet, explicatque inter alios Martene citato loco, num. IV. & ſeqq. ac Thomaſſinus, Lib. III. *De dierum feſtorum celebratione*, Cap. IX.

V. Primum in his locum tenebat dies Dominica, cui Græci Sabbathum adjiciebant. Ita in Reſponſionibus Canonicis Timothei Alexandrini Epiſcopi, qui interrogatus, num. 13. quibuſnam hebdomadæ diebus hi, qui Matrimonio junguntur, a mutuo congreſſu abſtinere debeant, reſpondet: *Neceſſario, Sabbato, & die Dominico abſtinere oportet, quia ſpirituale Sacrificium in eis Domino offertur*. Hinc & Gregorius Turonenſis, Lib. II. *De miraculis S. Martini*, Cap. XXIV. ita inquit: *Cavete o viri, quibus ſunt conjuncta conjugia. Satis eſt aliis diebus voluptati operam dare. Hanc autem diem*, ſcilicet Dominicam, *impollutam deducite, quia qui in ea conjuges ſimul convenerint, exinde aut contracti, aut epileptici, aut leproſi naſcuntur*. Eadem eſt ratio de aliis diebus feſtis, teſte Thomaſſino Lib. IV. *De dierum feſtorum celebratione*, Cap. IX. quod inſcriptum eſt: *De abſtinentia ab re uxoria feſtis diebus*.

VI. Secundo abſtinebant conjuges per aliquot dies, ubi ſuſcepturi erant Euchariſticam Communionem. Teſtem veteris hujus diſciplinæ habemus S. Auguſtinum in Sermone CCXLIV. *De tempore*, ubi hæc habet: *Quoties ad Eccleſiam in qualibet Solemnitate venitis, & Sacramenta Chriſti percipere volueritis, ante dies plures caſtitatem ſervate, ut cum pura conſcientia ad Altare Dei poſſitis accedere*. Idem ſentit Sanctus Cæſarius in Homilia II. ſic inquiens: *Et licet credam, quod, Deo inſpirante, ſupervenientibus Feſtivitatibus, caſtitatem per plures dies etiam cum propriis uxoribus cuſtodiat charitas veſtra; tamen licet ex ſuperfluo, etiam quod vos facere credo, charitatis contemplatione commoneo, ut per totam Quadrageſimam uſque ad finem Paſchæ caſtitatem, Deo auxiliante, ſervantes, in illa ſacroſancta Solemnitate Paſchæ, caſtitatis luce veſtiti, eleemoſynis dealbati, ad Altare Do-*

mini

Digitized by Google

mini accedentes, Corpus, & Sanguinem ejus, non ad judicium, ſed ad remedium, poſſitis accipere. Sed pium iſtud Chriſtianorum inſtitutum tam alias ubique radices egerat, ut S. Præſul laudatus vereretur, ne populum, id ſuadendo, injuria laceſſeret. Nec ab aliis S. Patribus, quos longum eſſet hic recenſere, diſſidet S. Eligius Noviomenſis Præſul, qui Sermone XVI. in hunc modum loquitur: *Si quando anniverſariæ Feſtivitates, & Dominici dies occurrunt, ante aliquot dies, etiam a propriis uxoribus veſtris abſtinere vos convenit, ut poſſitis mundo corde, & caſto corpore ad Menſam Domini accedere, & Corpus ejus, ac Sanguinem, ſine judicio damnationis, accipere.*

VII. Tertio Quadrageſimæ tempore, quod pœnitentiæ dedicatum eſt, quamdiu antiquæ diſciplinæ viguerunt in Eccleſia, mutua conjugibus continentia præcepta eſt; quia, ut ait Theodulphus Aurelianenſis in ſuo Capitulari, numero 43. *nihil pene valet jejunium, quod conjugali opere polluitur*. Hinc eſt, quod S. Auguſtinus Sermone CCVII. qui eſt III. in Quadrageſima, inquit: *Adulteria, & fornicationes ſemper execranda, & fugienda; his autem diebus & a conjugibus temperandum eſt*. Et Sermone CCIX. *A conjugali quoque concubitu hi dies poſtulant continentiam*. Denique Sermone CCX. qui eſt VI. in Quadrageſima: *Nunc tempus eſt, quo conjugati ab uxoribus, & nuptæ a ſuis viris abſtineant, ut orationibus vacent, quamquam & per totum annum certis diebus hoc facere debeant; & quanto crebrius, tanto utique melius; quia, & qui conceſſa immoderate appetit, eum, qui conceſſit, offendit*. Et paulo poſt addit, non eſſe *magnum, ut tota Paſchali ſolemnitate*, ideſt in Paſchali hebdomada, *poſſis conjugum caſtitas, quod poteſt tota vita Virginitas*. Quod ſignum eſt, continentiam conjugum quadrageſimalem ad Octavam uſque Paſchæ protenſam fuiſſe, ut pluribus oſtendit laudatus Martene ibidem, num. VI. Quanta autem eſſet Legum Eccleſiaſticarum ſeveritas in puniendis Quadrageſimalis continentiæ contemptoribus, diſcimus ex Ekardo juniore in Libro, *De caſibus S. Galli*, Cap. II. Qualis ultio Divina, ex Guillelmo Malmesburienſi, Libro II. *De Pontificibus Anglicanis*, ubi agit de Elphego Wintonenſi Epiſcopo. Vide & Bedæ Librum, *De remediis peccatorum*.

VIII. Quarto, ſicut in Quadrageſima, ita & in Adventu, abſtinuiſſe conjuges ab re uxoria, variis veterum Patrum, & Chriſtianorum exemplis oſtendi poteſt. Certe id docet Ratherius Veronenſis Epiſcopus, ubi Literis Paſtoralibus, quæ extant Tomo II. Spicilegii Dacheriani, pag. 264. ita gregem ſuum admonet: *In Adventu Domini, niſi feſtivitas intercedat, quatuor hebdomadibus a carnibus noveritis abſtinendum, & coitu*. Quare Nuptiis interdictum erat tum in Adventu, tum in Quadrageſima, ut probabimus infra, in Commentario ad §. XVII. Porro ſanctioris hujus diſciplinæ, abſtinendi ſcilicet a re uxoria tempore Adventus, & Quadrageſimæ, tenax fuit, cuſtoſque S. Ludovicus Galliæ Rex, qui, uti ſcribit in ejus Vita Gauſredus de Belloloco, *de conſenſu uxoris ſuæ Reginæ per totum Adventum, & per totam Quadrageſimam ab opere carnali mutuo continebat*. De conſenſu uxoris, ait, nam licet moneri ſoliti eſſent Fideles, ut memoratis ſuperius diebus, temporibuſque ab amplexu conjugali temperarent, tamen non eſt dubium, quin debitum petenti reddi oportuerit. Idque ſat innuit Apoſtolus, cum in Epiſtola ſua I. ad Corinthios, Cap. VII. Verſu V. ait: *Nolite fraudare invicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi*. Eum Apoſtolicæ ſententiæ ſenſum tradidit Auguſtinus Lib. I. *De adulterinis conjugiis*, Capite II. ubi ſic habet: *Apoſtolus nec ad tempus, ut vacent orationi, niſi ex conſenſu, voluit conjuges carnali invicem fraudari debito*.

IX. Quinto, quia *ſola generandi cauſa eſt inculpabilis ſexus utriuſque commixtio*, ut docet S. Auguſtinus Sermone CCCLI. ubi primum infantis motum in utero prægnans mulier ſenſiſſet, mutuum a viro debitum exigere, aut reddere non poterat: *Fideles ſe abſtineant a coitu prægnantium uxorum, & menſtruo tempore*, ait Heraldus Turonenſis Archiepiſcopus in ſuo Capitulari, Cap. CXXV. Idque a Saracenis ipſis obſervatum fuiſſe, docet Matthæus Pariſius ad annum MDCCXXXVI. Eadem Lex vigebat poſt partum, donec infans ablactaretur, uti addiſcimus ex reſponſione S. Gregorii Papæ ad interrogata Auguſtini Anglorum Epiſcopi, ubi ſic & inter alia ſcribit: *Ad ejus vero concubitum vir ejus accedere non debet, quouſque, qui gignitur, ablactetur*. Damnat mox pravam quarundam mulierum conſuetudinem, quæ filios ſuos alere contemnentes, aliis lactandos committunt: *Quod videlicet ex ſola cauſa incontinentiæ videtur inventum, quia dum ſe continere nolunt, deſpiciunt lactare quos gignunt*. Concludit tandem, quod *hæ, quæ filios ſuos ex prava conſuetudine aliis ad nutriendum tradunt, niſi purgationis tempus tranſierit, viris ſuis non debent admiſceri*. Non vult igitur Gregorius, ut puerperii tempore debitum conjugale petatur. Vide Jueninum, *De Sacramentis*, Diſſertatione X. Quaſtione VIII. *De actu conjugii*, ubi varias in hanc rem Concluſiones reſolvit.

X. Quæ a nobis hactenus dicta ſunt de continentia conjugatorum certis diebus, temporibuſque, omnia brevi comprehendunt priſci Canones Hibernienſes relati in Tomo IX. Spicilegii Dacheriani, pag. 42. *In tribus*, ajunt, *Quadrageſimis anni, & in Dominica die, & in Feriis quartis, & ſextis Feriis conjugales continere ſe debent. Item in omnibus Solemnitatibus, & in illis diebus, quibus uxor prægnans, hoc eſt, a die, quo filius in utero ejus motum fecerit, uſque ad partus ſui diem. Item a partu per triginta ſex dies, ſi maſculus; ſi vero filia, quadraginta ſex dies*. His adde Ratherii Veronenſis Epiſcopi Statutum in Synodica ad Presbyteros ſuæ Diœceſis Epiſtola, quæ extat Tomo II. citati Spicilegii Dacheriani: *In Adventu Domini*, inquit, *niſi feſtivitas intercedat, quatuor hebdomadibus a carne noveritis abſtinendum, & coitu. In Natali Domini viginti diebus, ac noctibus, a coitu etiam licito omnino ceſſandum. Similiter in Octavis Paſchæ, & Pentecoſtes, Letaniarum, & omnium Feſtivitatum Vigiliis, ſextis etiam Feriis, præcipue autem omnibus diebus, & noctibus Dominicis*. Sed de his plura dicere forte non decet, atque utinam hæc pati, & imitari noſtri Sæculi mores poſſent. Certe conatus eſt S. Carolus, aliique zelantes Epiſcopi veterem de conjugatorum continentia certis temporibus diſciplinam inſtaurare, ut in eorundem Conciliis, Inſtructionibus, Literiſque Paſtoralibus legere eſt. Sed quod mirum videri debet, dictuque horrendum,

non

non deſuot recentiores quidam Caſuiſtæ, qui ſanctiorum hæc Patrum inſtitnta parvi pendentes, vel ea etiam licita ſaciunt, quæ læthalibus ſæpe peccatis obnoxia ſunt.

XI. Sed his obiter dictis, redeo ad Benedictiooem nuptialem, quæ, uti ſuperius notatum fuit, antiqua eſt in Eccleſia, atqoe jam pridem apud Chriſtianos uſitata; præter citatos enim initio hujus Commentarii Patres, diſerte illius meminere Siricius Papa in Epiſtola I. Cap. IV. Innocentius I. itidem Papa in Epiſtola II. Cap. VI. & ante eos Ambroſius Epiſtola LXX. ad Vigilium. Largitam eam ſuiſſe in Miſſa, probavimus jam ex Tertulliano, confirmarique uberins poteſt aliorum auctoritate, ac præſertim Theodori Cantuarienſis Archiepiſcopi Statoto Capitularis ſui, num. IV. quod extat Tomo IX. Spicilegii Dacheriani, ubi ita inquit: *In primo Conjugio debet Presbyter Miſſam agere, & benedicere ambos*, nempe Sponſos. Fiebat Benedictio poſt Orationem Dominicam, ſicot & omnia alia, quæ intra Miſſarum ſolemnia olim benedicebantur, uti ex antiquis Sacramentariis notat Hugo Menardus in Notis ad Sacramentariom S. Gregorii Papæ, pag. 414. qui primus edidit ex Codice Remenſi exarato circa annum milleſimum, *Actionem*, ſeo Miſſam propriam *nuptialem*, in qua inter alia dicitur: *Et dicis Orationem Dominicam, & ſic eam benedicis &c.* Vide Martene Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. IX. Articulo V. in quo varii ad beoediceodas Nuptias Ordines reſerontur, ac primus quidem ex Gelaſiano Miſſali, & mſs. Codicibus Remenſi, & Gellonenſi annorum circiter mille, in quibos ſic legitur: *Dicis orationem Dominicam, & ſic cantas benedictionis orationem bis verbis*: Deus, qui Mundi creſcentis exordio multiplicata prole benedicis; propitiare ſupplicationibus onſtris, & ſuper hanc ſamulam tuam opem tuæ benedictionis infunde, ut in conjngali conſortio affectu compari, mente cooſimili, ſanctitate mutua copulentur. Per.

XII. Sequitur hanc Benedictionem alia longe prolixior, quæ incipit, *Pater Mundi conditor &c.* & deinde hæc Robrica: *Poſt bæc dicis*: Pax vobiſcum; *& ſir eos communicas. Deinde poſteaquam communicaverint, dicis ſuper eos benedictionem bis verbis*. Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, iteratis precibus te ſupplices exoramus, pro quibus apud te ſupplicator eſt Chriſtus: conjunctiones ſamulorum tuorom ſovere digneris, benedictiones tuas excipere mereantur, & filinrum ſucceſſibus ſecundentur; noptias eorom, ſicuti primi hominis, confirmare dignare; avertantor ab eis inimici omnes inſidiæ, ut ſanctitatem Patrum etiam in ipſo conjugio imitentur, qui providentia tua, Domine, conjungi meroerunt. Per.

XIII. Rituale Romanum, ut dicemos infra ſequeoti Capite, qood inſcriptum eſt, *Ritus celebrandi Matrimonii Sacramentum* §. IV. Miſſam dumtaxat celebrandam dicit, ſi Nuptiæ ſint benedicendæ, atqoe ita ipſam Miſſæ celebrationem eſſe vice Benedictionis, uti obſervat Vaneſpen Parte II. *Juris Eccleſiaſtici*, Titulo XII. Cap. VI. num. XII. Poſt Benedictionem enim Anuli immediate ſubjicit: *His expletis, ſi benedicendæ ſint Nuptiæ, Parochus Miſſam pro Sponſo, & Sponſa, ut in Miſſali Romano, celebret, ſervatis omnibus, quæ ibi præſcribuntur*. Sed de hac Miſſa nonnihil dicemus nos infra ſoo loco in Commentario ad prædictum §. Cæterum veteris eſt ritus veſtigium, quod in Paſtorali Mechlinenſi præſcribitur: *Dicto*, Pater noſter, *Sacerdos antequam dicat*, Libera nos, quæſumus, Domine, *ſtans in cornu Epiſtolæ verſus Sponſum, & Sponſam ante Altare genuflexos, dicit ſuper eos ſequentes orationes &c.* Hæ enim Orationes locum priſtinæ Benedictionis ſopplent, uti io citato loco notat idem Vaneſpen.

XIV. Reſtat, ut ad calcem hujus Commentarii reſellamus abuſum, qoi aliquando invaluit, exigendi ſcilicet aliquid occaſione nuptialis Benedictionis, quam novis Sponſis Parochus dabat. Vetitum id quidem ſuit in Generali Concilio III. Lateranenſi ſub Alexandro III. celebrato, Cap. VII. *Ne pro nubentibus benedicendis aliquid exigatur, diſtrictius inhibemus*. Poſt Benedictionem tamen aliquid recipi, exigique permiſit in ſuo Capitulari Odo Pariſienſis Epiſcopus: *Probibetur diſtricte, ne ullus Sacerdos, aut Capellanus exigat aliquid ante Benedictionem nuptialem, ſive pro teſtimonio ferendo, ſive pro Matrimonio celebrando, occaſione ferculorum, quæ debentur pro Nuptiis. Celebrato autem Matrimonio, recipiat fercula, & exigat, ſi neceſſe fuerit, ſicuti conſuetum eſt*. Quoniam Parochiales Presbyteros nuptiali convivio adeſſe vetat rigidiſſime antiquus Patrum Canon, ex ipſo convivio ſercula mitti permiſit Gallicanæ Eccleſiæ conſuetudo, quæ & iſta fercula, ob varia incommoda, commutari induxit in oblationem pecuniarum; ut ſcite notat eruditus Lupus, Tomo IV. Operum Editionis Venetæ, in Secunda Proœmiali Diſſertatione, *De Simoniæ crimine, & variis ad ipſum ſpectantibus*, Cap. VII. §. *Poſtremum*, ubi etiam recte obſervat, hanc oblationem uti debitom exigi quidem permiſiſſe Odonem, verom poſt celebratum Matrimonium, & impenſam Sacerdotalem Benedictionem.

XV. Hinc qnoqoe in Oxonienſi Synodo ſtatnit Stephanus Archiepiſcopus Cantoarienſis: *Firmiter inbibemus, ne pro pecunia Matrimonium contrabendum impediatur. Quoniam ſiquid pro devotione fidelium conſueverit erogari, ſuper boc poſtmodum volumus per Ordinarium loci juſtitiam exbiberi*. Ita nuper ſtatutum eſſe dicit io Lateranenſi IV. Synodo Inoocentii III. in Canone ſcilicet LXXVII. quem nos, ſicut & illum ſuperius memoratum Alexaodri Papæ III. in Concilio Lateraneoſi III. editum, abunde explicuimus in Commentariis ad Concilia Occumenica, Tomo III. locis citatis. Simile S. Edmundi Cantuarienſis Archiepiſcopi Decretum laudat Guilielmus Thorne ad annnm MCCXXXIV. Etiam Joannes Tuſculanus Epiſcopus Martini Papæ V. per Germaniam Legatus obſcœnam quorundam nuptialem Benedictionem vendentiom abominationem damnat in Salisborgenſi Synodo, adjungitque: *Per boc non intendimus, quod laudabiles conſuetudines infringi debeant, quando poſſint Rectores Eccleſiarum recipere licite, ſi nubentes poſt Benedictionem aliquid offerre voluerint, devotionis intuitu, & pietatis*. Qoæ omnia ad puerperarum purificationem extendit laudatus Archiepiſcopus Edmundus. Et iſta Lege etiam nos hodie vivimus. Proinde, ut idem laudatus Lupus ſapientiſſime obſervat, circa omnia Sacramenta, aliaſque cæremonias Eccleſiaſticas diſtingoi debet triplex Eccleſiæ tempus, ac diſciplina. Prima

Digitized by Google

ma neque exegit, neque accepit. Secunda accepit ſponte oblatum. Tertia etiam exegit, ac poſt datum Sacramentum, & Cæremonias peractas. Cæterum quod oblatam eleemoſynam occaſione nuptialis Benedictionis debeat Parochus, & non alius recipere, declararavit Sacra Rituum Congregatio in Acheruntina XXV. Januarii anno MDCII. apud Barboſam, Parte II. *De Officio & poteſtate Parochi*, Cap. XXI. num. 99. & apud alios Scriptores.

§. XIV.

Caveat etiam Parochus, ne quando conjuges in primis Nuptiis Benedictionem acceperint, eos in ſecundis benedicat, ſive mulier, ſive etiam vir ad ſecundas Nuptias tranſeat. Sed ubi ea viget conſuetudo, ut ſi mulier nemini unquam nupſerit, etiamſi vir aliam uxorem habuerit, Nuptiæ benedicantur, ea ſervanda eſt. Sed viduæ Nuptias non benedicat, etiamſi ejus vir nunquam uxorem duxerit.

COMMENTARIUS.

I. Etſi Matrimonia a liberis perſonis legitime inita receperit ſemper, probaveritque Eccleſia, tanquam vera, & indubitata Sacramenta; ipſius tamen deſiderium fuit, ut nonniſi virgo virgini nuberet, ſecundaſque Nuptias, ut certa incontinentiæ ſigna ægre tulit. Fatentur hæc paſſim Theologi, Sacrorum Canonum Interpretes, & de veteri Eccleſiæ diſciplina Scriptores, probantque auctoritate veterum Patrum, quorum etiam non pauci bigamiam fornicationi, & adulterio adnumerarunt, quales ſunt Athenagoras in Legatione pro Chriſtianis, Theophylus Antiochenus Lib. III. ad Autholicum, Irenæus Lib. III. adverſus hæreſes, Capite XIX. Clemens Alexandrinus, Minutius Felix, & alii, quorum teſtimonia adducit Vir doctiſſimus Joannes Baptiſta Cotelerius in Notis ad Librum II. Paſtoris, Cap. IV. & Martene, Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. IX. Articulo I. num. III. & ſeqq. in quibus fuſe docet, probatque ſecundas Nuptias non niſi certis legibus, & conditionibus alicubi fuiſſe permiſſas, & I. quidem, ut relicta non niſi integro ab obitu mariti anno evoluto nuberet. II. ut uxorem ducturus, viduam, abſque Sacerdotis conſenſu, non duceret. III. ut bigami ipſi non ſolum Benedictione, de qua nos dicemus inferius, coronaque nuptiali, ſed etiam Eccleſiæ elemoſynis privarentur. IV. ut publicæ ſubjicerentur pœnitentiæ, de qua nos alibi diximus, & ab Eccleſiaſtica communione aliquanto tempore excluderentur.

II. Sed, hiſce omiſſis conditionibus, pœniſve, quibus erant ſecundo nubentes obnoxii, quaſque fuſe explicat laudatus Martene, ſtatuerunt Majores noſtri, ut iiſdem Benedictio nuptialis denegaretur. Is ſane diſertis verbis tradit S. Cæſarius Sermone CCLXXXIX. in Appendice novæ editionis S. Auguſtini, his verbis: *Qui uxorem optat accipere, ſicut illam virginem invenire deſiderat, ita ipſe uſque ad Nuptias virgo ſit; quia ſi non fuerit, Benedictionem accipere cum Sponſa non merebitur*. Similia legere eſt in variis Conciliis, & in Conſtitutionibus Summorum Pontificum relatis in Titulo XXI. Decretalium, *De ſecundis Nuptiis*, ubi in Capite, *Vir autem*, Urbanus Papa III. Vigilienſi Epiſcopo reſcribens, rationem affert, cur ſecundæ conjugum Nuptiæ minime benedicantur: *Quia cum alia vice benedicti ſint, eorum Benedictio iterari non debet*. Sed aliam rationem, cur ſecundæ Nuptiæ non ſint benedicendæ, reddit S. Thomas in IV. Sententiarum, Diſtinctione XLII. Quæſtione III. Articulo II. ad II. videlicet, quia ſecundum Matrimonium, quamvis in ſe conſideratum ſit perfectum Sacramentum, tamen in ordine ad primum conſideratum, habet aliquid de defectu Sacramenti, quia non habet plenam ſignificationem, cum non ſit una unius, ſicut eſt in Matrimonio Chriſti, & Eccleſiæ; & ratione hujus defectus Benedictio a ſecundis Nuptiis ſubtrahitur.

III. Subdit tamen S. Doctor, hoc eſſe intelligendum, ſi ſecundæ Nuptiæ ſunt ſecundæ ex parte viri, & ex parte mulieris, vel ex parte mulieris tantum. Si enim virgo contrahat cum illo, qui habuit aliam uxorem, nihilominus Nuptiæ benedicuntur. Salvatur enim aliquo modo ſignificatio etiam in ordine ad primas Nuptias, ut idem S. Thomas latius explicat; cujus hac in re doctrina mirifice ſavet aſſerto noſtri hujus §. ubi dicitur, quod, *ubi ea viget conſuetudo, ut ſi mulier nemini unquam nupſerit, etiamſi vir aliam uxorem habuerit, Nuptiæ benedicantur, ea ſervanda eſt*. Conſuetudine quorumdam locorum Benedictionem iterari, quando aliquis ſecundam duxit virginem, tradit Gloſſa Juris Canonici in dicto Capite, *Vir autem*; & ſecundum Joannem Andream ibidem, multum invaluit hæc conſuetudo, quam nonnulli approbant ea ratione, quia, ut apparet ex forma Benedictionis, tota Benedictio fundabitur ſuper mulierem; & ita ex quo mulier nunquam fuit benedicta, dabitur tunc Benedictio, quia nihil in viro intelligitur iterari. Verum ait Joannes Andreas, de jure eſſe contrarium per memoratam Decretalem, ſicut etiam paſſim notant ejuſdem Interpretes. Aperte enim in ea edicitur, ſecundas Nuptias non eſſe benedicendas, etiamſi unus tantum ex conjugibus in primo Matrimonio fuerit benedictus, quia, ut ait Abbas in dicto Capite, cum iſta Benedictio ſit communis marito & uxori, ex quo alter fuit benedictus, non debet Benedictio iterari, quia iteraretur in perſona alias benedicta. Quicquid ſit de varia aliquorum Canoniſtarum opinione, fatetur Fagnanus in eodem citato Capite, *Vir autem*, num. 7. *opinionem S. Thomæ ſervari in praxi, ut atteſtantur Covarruvias*, De Sponſalibus, *Parte II. Cap.* VIII. *§. II. num.* 2. *& alii plures hic relati a modernis Collectoribus*.

IV. Porro monitum velim lectorem, ne ex pœnis ſuperius memoratis, quibus Majores noſtri ſubjecerunt ſecundas Nuptias contrahentes, inde arbitretur, ſecundas, ulterioreſve, a morte prioris conjugis Nuptias illicitas eſſe, atque damnatas. Fuit enim hic error Montaniſtarum,

alio-

Digitized by Google

aliorumque hæreticorum, quos Catholica Eccleſia merito damnavit, docens, ſecundas Nuptias, & tertias, ac quotcumque numero ulteriores, & veras eſſe Nuptias, & ſecundum ſe licitas, atque honeſtas, uti ſuſe Theologi oſtendunt ex Scriptura, ex Patrum traditione, & definitione Conciliorum, quas ſupervacaneum eſt hic explicare.

§. XV.

Matrimonium in Eccleſia maxime celebrari decet; ſed ſi in domo celebratum fuerit; præſente Parocho, & teſtibus, Sponſi veniant ad Eccleſiam Benedictionem accepturi; & tunc caveat Sacerdos, ne iterum a contrahentibus conſenſum exigat; ſed tantum Benedictionem illis conferat, celebrata Miſſa, ut infra dicetur.

COMMENTARIUS.

I. Matrimonium celebrandum eſſe in Eccleſia, antiquum eſt inſtitutum, cujus meminiſſe videtur non uno in loco Tertullianus, quippe qui Lib. II. *Ad uxorem*, Cap. IX. ita ſcribit: *Unde ſufficiam ad enarrandam felicitatem ejus Matrimonii, quod Eccleſia conciliat, & confirmat Oblatio, & obſignatum Angeli renuntiant, pater rato habet*. Præterea in Libro, *De pudicitia*, Cap. IV. ſic habet: *Penes nos occultæ quoque conjunctiones, ideſt, non prius ad Eccleſiam profeſſæ, juxta mœchiam, & fornicationem judicari periclitantur*. Denique in Libro, *De monogamia*, Cap. XI. ait, Matrimonia fieri coram Epiſcopo, Presbyteris, Diaconis, intervenientibus etiam in Eccleſia viduis. Conſtat hæc diſciplina ex aliis Patribus, ac Synodis, quibus inhærens S. Carolus, in Concilio Provinciali II. Mediolanenſi, Decreto XXVIII. ita ſtatuit: *Ne Parochus ullo alio loco, quam in Eccleſia ipſa, quæ Sacramentorum proprius locus eſt, Sponſos Matrimonio jungat, niſi ex facultate ab Epiſcopo permiſſa*. Confirmat hoc Decretum in Concilio Provinciali III. Cap. *De iis, quæ ad Matrimonii Sacramentum pertinent*; ubi etiam illud mandat, ut Matrimonium ipſum *in ea tantum Eccleſia celebretur, quæ Parochialis eſt; celebretur vero mane, non a prandio; idque omnino, niſi cum Epiſcopus, alio vel loco, vel tempore fieri conceſſerit*. Idem dicit in Matrimonii Inſtructionibus: *Mane celebrabit, non a prandio, nec vero unquam noctu; in Eccleſia item Parochiali ante Altare majus, neque alio præterea loco, aut alia Eccleſia*. Parochialem Eccleſiam vult intelligi illam, in qua Sponſi habitant, uti conſtat ex ejuſdem S. Præſulis Diœceſana Synodo III. Decreto XXXVI. *Matrimonium*, inquit, *ne in alia, quam in Parochiali ea celebretur Eccleſia, intra cujus fines ii habitant, qui Nuptias contrahere volunt. Quamobrem Sacerdos, cui celebrandi Matrimonii ab Archiepiſcopo, aut a Parocho auctoritas tributa eſt, ne Sponſos ab eadem Parochia, illius rei cauſa exire patiatur, ſed ad Parochialem Eccleſiam, in cujus finibus illi domicilium habent, ipſe ſe conferat, eoſque ibi Matrimonio ſancte jungat*.

II. Ergo ex S. Caroli præſcripto celebrandum eſt Matrimonium mane in Eccleſia propria Parochiali *ante majus Altare*; id quod etiam præſcribunt aliorum plurium Epiſcoporum Synodi; ſed ſciendum tamen, in multis Ritualibus præſcribi, ut ad valvas Eccleſiæ celebretur: *In primis veniat Sacerdos ante oſtium Eccleſiæ indutus Alba, atque Stola cum benedicta Aqua &c.* Verba ſunt mſ. Miſſalis Rodonenſis ab annis circiter DCCC. ſcripti, & in Bibliotheca S. Gatiani Turonenſi aſſervati, in Ordine ad Sponſum, & Sponſam benedicendam, apud Martene, Libro I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. IX. Articulo V. Ordine II. Idem habetur in mſ. Pontificali Monaſterii Lyrenſis annorum circiter DC. *Ante omnia veniant ad januas Eccleſiæ*, Sponſi ſcilicet, *ſub teſtimonio plurimorum, qui thoro maritali conjungendi ſunt &c.* Rurſus mſ. Pontificale Eccleſiæ Antiſſiodorenſis annorum circiter D. ſic inquit: *Cum autem venerint ante valvas Eccleſiæ Sponſus & Sponſa, ibi ſtent, donec veniens Sacerdos Alba, Stola, & Manipulo ornatus Annulum benedicat argenteum*. Similia legere eſt in aliis Ritualibus mſſ. recentioris ævi a laudato Martene deſcripti loco citato.

III. Illud vero, præſertim poſt S. Carolum, paſſim Synodi conſtituere, ut in Eccleſia quidem, non autem domi Matrimonium celebraretur; iſtamque diſciplinam quammaxime inculcat inter alias Beneventana Provincialis Synodus XIV. ſub Vincentio Maria Cardinale Urſino Archiepiſcopo rerum ritualium peritiſſimo, qui fuit poſtea Benedictus Papa XIII. expreſſe enim cavit Titulo XLII. Cap. III. ne ſine cauſa ab Epiſcopo probanda Matrimonium domi celebretur, ea quoque addita cautione, ut ii, quibus hujuſmodi facultas conceditur, ipſa die confeſſi, & Sacra communione refecti ſint: *Et ſi Matrimonium domi celebratum coram Parocho, & teſtibus, in facie Eccleſiæ contractum dicatur, decentius tamen eſt, ut in propria Eccleſia celebretur. Idcirco Sancta Synodus mandat, ne domi hujuſmodi celebratio permittatur, niſi cauſa legitima exiſtente, examinanda, & approbanda ab Epiſcopo, qui abſque cauſa prædicta, & niſi illa die confeſſi fuerint, & ſacra Communione refecti, ut id domi fiat, concedere non debet; nam quanta maxima fieri poteſt, reverentia Sacramentis exhibeatur, oportet*. Quod hic dicitur de præmittenda Confeſſione, & Communione Matrimonii celebrationi, præſcripſit jam noſtrum hoc Rituale Romanum, ut videbimus mox in Commentario ad ſequentem §.

§. XVI.

Admoneantur præterea conjuges, ut, antequam contrahant, ſua peccata diligenter confiteantur, & ad Sanctiſſimam Euchariſtiam, atque ad Matrimonii Sacramentum ſuſci-

Digitized by Google

ſcipiendum pie accedant; & quomodo in eo recte, & Chriſtiane verſari debeant, diligenter inſtruantur ex Divina Scriptura, exemplo Tobiæ, & Saræ, verbiſque Angeli Raphaelis eos edocentis, quam ſancte conjuges debeant convivere.

COMMENTARIUS.

I. EX variorum Conciliorum, ac Ritualium præſcripto debent Parochi admonere conjuges, ut, antequam Matrimonium contrahant, ſua peccata diligenter confiteantur, & ſacram Communionem percipiant. Hujus diſciplinæ tenax S. Carolus in Matrimonii Inſtructionibus Parocho inter alia mandat, ut agat omni cohortatione cum Sponſis, ut *ad Matrimonii celebrationem ne accedant prius, quam peccata diligenter confeſſi ſacram Communionem ſumpſerint, ſaltemque triduo ante Matrimonii conſummationem*. Idem præcipit Beneventana Provincialis Synodus XII. anni MDXCIX. Titulo XXVI. *De Sacramento Matrimonii*, Cap. I. ſic inquiens: *Hortentur*, Parochi ſcilicet, *conjuges*, *ut antequam contrahant, vel ſaltem triduo ante Matrimonii conſummationem, & peccata confiteantur, & ſacram Communionem recipiant*. Sed vult præterea S. Carolus loco citato, ut *omnino, & jejunio, & aliis piis præparationibus, ad hujuſmodi Sacramentum pura mente accedant; ut item die Matrimonii celebrationis, & Benedictionis ad Eccleſiam accedant omni veſtium moderatione, dignaque ſanctitate Chriſtianæ Religionis, ita ut quanto generis claritate illuſtriores ſunt, tanto ſtudioſius in luce omnium ſplendeſcant virtute præcellenti, quæ Chriſtianæ nobilitatis propria, in abjiciendo ſæculi luxu, fugiendiſque barbarici veſtitus ſumptibus, maxime elucet; ut rem omnem depravato uſu introductam, profanamve in ſancta Matrimonii ſui celebritate caveant, ut olim fuit bibendi, cyathive frangendi corruptela*.

II. Quod aliam noſtri §. partem ſpectat, ubi edicitur, ut novi conjuges, *quomodo in eo*, *in Matrimonio ſcilicet*, *recte*, *& Chriſtiane verſari debeant*, *diligenter inſtruantur ex Divina Scriptura*, *exemplo Tobiæ*, *& Saræ*, *verbiſque Angeli Raphaelis eos edocentis*, *quam ſancte conjuges debeant convivere*, monet quidem Paſtorale Mechlinenſe Parochum, ut novos conjuges *egregie etiam coram populo hortetur*, *ut ad exemplum Tobiæ*, *& Sacrorum Canonum conſilium propter reverentiam Sacramenti*, *& Benedictionis, biduo, vel triduo*, *orationibus vacent*, *& caſtitatem ſervent*, *ut ſic tamquam filii Sanctorum conjugium Chriſtianum cum Dei timore conſummantes, ſciat uterque vas ſuum poſſidere in ſanctificatione*, *& honore*, *non autem in paſſione deſiderii*, *ſicut gentes*, *quæ ignorant Deum*. Tobiæ exemplum urget non uno in loco S. Carolus, præſertim vero in Matrimonii Inſtructionibus, occurritque in variis Ritualibus a Martene allatis citato ſuperius loco Oratio ad Sponſum, & Sponſam benedicendam, in qua fit mentio conjugii Tobiæ cum Sara, his verbis: *Benedic Domine de Cælis hanc conventionem*, *& ſicut miſiſti Angelum tuum Raphaelem ad Tobiam*, *& Saram filiam Raguelis; ita dignare Domine mittere Benedictionem tuam ſuper hos adoleſcentes*, *ut in tua charitate conſiſtant*, *& in amore tuo vivant*, *& ſeneſcant*, *& multiplicentur in longitudinem dierum*. *Per*. Ita habet Miſſale ms. Redonenſe ab annis circiter DCCC. ſcriptum; in ms. autem Pontificali Monaſterii Lyrenſis annorum circiter DCC. & in ms. Codice Victorino, annorum circiter DC. atque in aliis ſequioris ævi, paulo fuſius ipſa Oratio legitur apud laudatum Martene, Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. IX. Articulo V.

§. XVII.

Poſtremo meminerint Parochi, a Dominica prima Adventus uſque ad diem Epiphaniæ, & a Feria quarta Cinerum uſque ad Octavam Paſchæ incluſive, ſolemnitates Nuptiarum prohibitas eſſe: ut Nuptias benedicere, Sponſam traducere, nuptialia celebrare convivia. Matrimonium autem omni tempore contrahi poteſt. Nuptiæ vero, qua decet modeſtia, & honeſtate fiant; ſancta enim res eſt Matrimonium, ſancteque tractandum.

COMMENTARIUS.

I. DEſumptus eſt hic §. partim ex Concilio Tridentino, Seſſione XXIV. *De reformatione Matrimonii*, Cap. X. quo Nuptiarum ſolemnitates certis temporibus prohibentur, his plane verbis: *Ab adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti uſque in diem Epiphaniæ, & a feria quarta Cinerum uſque in Octavam Paſchatis incluſive, antiquas ſolemnium Nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus obſervari, Sancta Synodus præcipit*. Quam antiquæ ſint hujuſmodi prohibitiones, præſertim in Quadrageſima, conſtat ex Laudicena Synodo celebrata anno CCCXIV. Can. LII. ex verſione Dionyſii Exigui, his verbis: *Quod non oporteat in Quadrageſima, aut Nuptias, aut natalitia celebrare*. Solius Quadrageſimæ meminit etiam Martinus Bracarenſis Epiſcopus in ſuis Capitulis, Capite XLVIII. *Neque Nuptias liceat in Quadrageſima celebrare*. Hiſce concinunt Nicolaus Papa I. & Herardus Turonenſis Archiepiſcopus, quorum primus in Reſponſis ad interrogata Bulgarorum Cap. XLVIII. ſic ait: *Nec uxorem ducere*, *nec convivia facere in Quadrageſimali tempore convenire poſſe*, *nullatenus arbitramur*. Alter vero in Capitulari num. CXII. ita inquit: *A quinquageſima uſque ad Octavas Paſchæ non fiant Nuptiæ*.

II. Porro cum ſua ſint in Eccleſia pœnitentiæ aſſignata tempora, quibuſcum carnale commercium, gaudiaque varia, quæ Nuptias comitari ſolent, compati nequeunt; ſapientiſſime omnino ab antiquis Patribus proviſum eſt, ut non

non modo in Quadrageſima, ſed & aliis id genus temporibus pœnitentiæ, & peculiari devotioni, atque orationi conſecratis Matrimonia inirentur. Quænam vero illa ſint, addiſcimus ex Concilio Ilerdenſi celebrato anno DXXIV. apud Gratianum, Can. x. Cauſa xxxiii. Quæſtione iv. *Non oportet a Septuageſima uſque in Octavam Paſchæ, & tribus hebdomadibus ante Feſtivitatem S. Joannis Baptiſtæ, & ab Adventu Domini uſque poſt Epiphaniam Nuptias celebrare; quod ſi factum fuerit, ſeparentur.* Hunc Canonem recte interpretatus eſt Clemens III. alias Cœleſtinus, in Cap. *Capellanus* iv. *De Feriis*, ubi quæſtione illi propoſita, quomodo tres hebdomadæ ante Feſtum S. Joannis, de quibus in citato Canone Ilerdenſi fit mentio, eſſent computandæ; reſpondit Pontifex, conſuetudinem ſingularum Eccleſiarum in hac computatione eſſe ſequendam. Notandum hic vero eſt pro faciliori intellectu hujus Decretalis olim alicubi ſaltem ante Feſtum S. Joannis Baptiſtæ fuiſſe ſpeciem quandam Quadrageſimæ, at variam pro diverſitate Eccleſiarum, de qua tractat Fileſacus in Opuſculo, *De Quadrageſima Chriſtiana*, Capite iii. Quia vero varia erat in variis Eccleſiis circa tempora jejuniorum diſciplina, varia quoque fuit diſciplina circa tempus clauſum, ſive feriatum, quo Nuptiarum celebratio interdicebatur. Atque hinc eſt, quod in Concilio Nemauſenſi habito anno MDCCLXXXIV. vetitæ ſunt fieri Nuptiæ *ab Adventu uſque ad Octavas Epiphaniæ, & a Septuageſima uſque ad Octavas Paſchæ completas, & a tribus diebus ante Aſcenſionem uſque ad Dominicam primam poſt Pentecoſten.*

III. Iſtud Nemauſenſis Concilii Decretum in hoc tantum differt ab Ilerdenſi, quod Nuptiarum Interdictum ad Octavas uſque Epiphaniæ protrahat, liberamque earum celebrationem permittat ante Feſtum S. Joannis, ſed eas vice verſa a prima Rogationum die ad completas Pentecoſtes Octavas prohibeat propter ſingularem dierum illorum devotionem. Neumaſenſi Concilio concinere videtur Concilium Senonenſe anno MCDLXXXV. celebratum, Articulo iii. Canone v. decernens, *ut certis anni temporibus Matrimonia ab Eccleſia prohibeantur celebrari, ſcilicet tempore Adventus, Septuageſimæ, & Rogationum, quia tunc omnes magis, quam aliis temporibus, debent devotioni, & orationi intendere, a quibus tamen plurimum retrahit carnale commercium.* Eadem ratione Canone xviii. Concilii Aquiſgranenſis anno DCCCXXXVI. celebrati cautum eſt, diebus Dominicis Nuptias *pro reverentia tantæ Solemnitatis* celebrari. Quin & ante Concilium iſtud Gregorius Papa III. qui Pontificatum iniit anno DCCXXXI. in ſuis Judiciis, Cap. xxx. decreverat, *ut ſiquis nupſerit die Dominico, petat a Deo indulgentiam, & unum, vel tres dies pœniteat.* In excerptis etiam Egberti Eboracenſis Archiepiſcopi, Cap. cvi. edicitur, *ut qui nocte Dominica nupſerit*, vii. *dies pœniteat*. Tum vero additur: *Qui quarta, & ſexta Feria*, iii. *dies pœniteat; qui in Quadrageſima ante Paſcha, unum annum pœniteat*.

IV. Longum eſſet per alia Chriſtiani Orbis loca vagari, in quibus pro diverſitate Eccleſiarum, diverſa fuerunt ſtatuta tempora, quibus pœnitentiæ peculiariſque devotionis cauſa vetitæ ſunt celebrari Nuptiæ. Quod in quibuſdam etiam Germaniæ locis, diebus triginta poſt aſſumptæ in Cælos Deiparæ Virginis celebrari Matrimonium interdictum ſit, teſtis eſt hujus conſuetudinis Joannes Mabillonius in ſuo Germanico Itinere, pag.46. ubi narrat, in Eccleſia S.Udalrici Auguſtana poſt Aſſumptionis Beatæ Mariæ Feſtum vidiſſe appenſam Sanctæ Dei Genitricis Imaginem in panno ſerico depictam, ſciſcitantique ipſi hujus rei cauſam, reſponſum fuiſſe, *hunc eſſe morem in totos triginta a Feſto dies, quibus per totam Provinciam citra diſpenſationem Nuptias celebrare non licet.*

V. Quicquid vero ſit de variis Eccleſiarum conſuetudinibus, illud certum eſt, laudatum Concilii Tridentini Decretum, & noſtri Ritualis Romani præſcriptum de prohibitione Nuptiarum tempore Adventus, & Quadrageſimæ, rationabili, ac venerabili niti antiquitate, perperamque mentiri hæreticos, ajentes, prohibitionem ſolemnitatis Nuptiarum certis anni temporibus, ſuperſtitionem eſſe tyrannicam, ab Ethnicorum ſuperſtitione profectam. Sed his omiſſis, quos merito Concilium ipſum Tridentinum citata toties Seſſione xxiv. *De reformatione Matrimonii* Canone xi. anathemate damnavit; explicanda nunc nobis ſunt ea Tridentini Concilii verba, quibus edicitur, prædictis temporibus *antiquas ſolemnium nuptiarum prohibitiones diligenter obſervari*; ſeu, ut habet noſter §. *ſolemnitates nuptiarum prohibitas eſſe*; quid nempe nomine ſolemnium nuptiarum citatis in locis intelligatur. Teſte Fagnano in laudato ſuperius Capite, *Capellanus, De Feriis*, num. 6. conveniunt omnes, his temporibus, a Concilio ſcilicet, & Rituali memoratis, prohibitas eſſe Nuptiarum Benedictiones, de quibus habetur in Canone, *Aliter*, Cauſa xxx. Quæſtione v. ibi: *Sacerdotaliter, ut mos eſt, cum precibus, & oblationibus, a Sacerdote benedicatur*; & in Concilio Tridentino, Cap.i. ibi: *Benedictionem in Templo ſuſcipiendam.*

VI. Sed & traductionem uxoris ad domum viri, & nuptialia convivia his temporibus eſſe interdicta, ſatis liquet ex Canone, *Nec uxorem*, Cauſa xxxiii. Quæſtione v. deſumpto ex Reſponſis Nicolai Papæ I. ad conſulta Bulgarorum. *Nec uxorem ducere*, inquit, *nec convivia facere in Quadrageſimali tempore convenire poſſe, ullo modo arbitror*. Uxorem ducere, idem eſt, ac uxorem traducere, ut, teſte memorato Fagnano communiter exponunt. Rationem ejus prohibitionis reddit S.Thomas in iv. Sententiarum, Diſtinctione xxxii. Quæſtione i. Articulo v. Quæſtiuncula iv. *Quia quando novæ Sponſæ traducuntur, animus conjugum magis ex ipſa novitate ad curam carnalium occupatur, & ideo in Nuptiis conſueverunt ſigna multa lætitiæ diſſolutæ oſtendi; & propter hoc illis temporibus, in quibus homines præcipue debent ſe ad ſpiritualia elevare, prohibitum eſt Nuptias celebrari.*

VII. Jam non deſunt, qui arbitrantur, ſolam Sponſæ traductionem, quæ fit cum ſolemnitate, a Sacris Canonibus, & a Rituali Romano eſſe interdictam; ſed tenendum eſt, quod docet idem Fagnanus, quamcumque traductionem uxoris ad domum viri prædictis temporibus fuiſſe prohibitam, tum quia Canon, *Nec uxorem*, ſimpliciter dicit, *uxorem ducere*; ſive, ut habet noſter §. *Sponſam traducere*; atque ita interdicitur non modo ſolemnitas, ſed etiam traductio; tum quia etiam ceſſantibus conviviis, & aliis ſole-

mni-

mnitatibus militat recitata ratio S. Thomæ, quod ex ipſa ſcilicet novitate traductionis, animus circa carnalia, & voluptuoſa occupetur; tum demum quia, quum ipſo Adventus, & Quadrageſimæ tempore, prohibita ſit copula carnalis, ut Sacri Canones præſcribunt, & communiter docent Canonici Juris Interpretes apud laudatum Fagnanum in dicto Capite, *Capellanus, De Feriis*, eſt etiam prohibita traductio privata, per quam ad carnalem copulam pervenitur. Id quod etiam confirmari poteſt ex Concilio S. Caroli Mediolanenſi v. Provinciali, Capite inſcripto, *Quæ ad Matrimonium pertinent*, ubi ſic inter alia ait: *Nequis cujuſcumque gradus, conditioniſve ſit, ſtatis temporibus, quibus Nuptiarum ſolemnitates celebrari interdictum eſt, domum Sponſam traducat, aut nuptialia convivia celebret, aliave ejus generis vetita agat.* Atque his concinit Declaratio Sacræ Congregationis Tridentini Concilii Interpretum apud memoratum Fagnanum. Propoſito enim dubio, an Matrimonium coram Parocho quocumque tempore contrahi poſſit, Sacra Congregatio cenſuit, poſſe contrahi quocumque tempore Matrimonium, ſed temporibus comprehenſis in Capite x. Seſſione xxiv. *De reformatione Matrimonii*, Nuptiarum ſolemnitates, traductiones ad domum, & carnalem copulam prohiberi.

VIII. Ex his itaque addiſcimus, nihil in noſtro §. præſcribi, quod non conſonum ſit veteri, novæque Eccleſiæ diſciplinæ, ubi ſcilicet edicit, *a Dominica prima Adventus, & a Feria iv. Cinerum uſque ad Octavam Paſchæ incluſive, ſolemnitates Nuptiarum probibitas eſſe, ut Nuptias benedicere, Sponſam traducere, nuptialia celebrare convivia*; & ubi mox ſubjicit: *Matrimonium autem omni tempore contrahi poteſt*. Hanc fuiſſe Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem, ut *quocumque tempore Matrimonium contrahatur, conſenſu interveniente legitimo de præſenti*; ſolemnitates autem Nuptiarum, quas nos ſuperius fuſe jam explicuimus, *ſuſpendantur*, teſtis eſt Clemens Papa III. alias Cæleſtinus in memorato Capite, *Capellanus*, in cujus expoſitione, uti etiam ſuperius notatum fuit, Doctores pene omnes conveniunt, prædictis temporibus ſolemnitates Nuptiarum prohibitas eſſe. Longum eſſet ipſorum teſtimonia deſcribere; referam dumtaxat Abbatis ſententiam in citato Capite, *Capellanus*, num. 4. ubi, allegatis aliorum opinionibus, ſic inquit. *Ego puto, quod Matrimonium ſine celebri ſolemnitate licite poſſit omni tempore contrahi, quia in contrahendo nulla reperitur cauſa probibitionis, cum non fiant convivia, nec exercetur commercium carnale; ſed tantum intervenit conſenſus de præſenti, in quo nullum reperitur peccatum, imo eſt Sacramentum.*

IX. Addiſcimus præterea ex hactenus dictis, quod tametſi Sanchez in Tractatu, *De Matrimonio*, Tomo II. Diſputatione vii. num. 23. exiſtimaverit, temporibus ab Eccleſia ſtatutis nullatenus prohibitum eſſe Matrimonium conſummare, idemque ante ipſum ſenſerint Navarrus in Manuali Cap. xxii. num. 71. & recentiores Probabiliſtæ omnes, illorum tamen auctoritates, ac rationes comparatæ cum Decretis Conciliorum, & Patrum ſententiis, ſunt valde infirmæ; & ratio S. Thomæ ſuperius conſiderata, ne ſcilicet ſtatis ipſis temporibus animus conjugum circa carnalia, & voluptuoſa occupetur, potiſſimum viget in conſummatione Matrimonii; nam ut legitur Eccleſiaſtici, Cap. iii. *Tempus amplexandi, & tempus longe fieri ab amplexibus.*

X. Illuſtranda ſunt poſtrema noſtri §. verba, quibus edicitur, ut *Nuptiæ, qua decet modeſtia, & honeſtate fiant*; ob hanc nempe rationem: *Sancta enim res eſt Matrimonium, ſancteque tractandum*. Idem jam ſtatuit Synodus Tridentina, Seſſione xxiv. *De reformatione Matrimonii*, Capite x. ubi ea provincia committitur Epiſcopis, ut nempe curent ipſi, ut Nuptiæ, qua decet modeſtia, & honeſtate fiant. Hinc conati ſunt Epiſcopi variis Synodis abuſus tollere, qui in celebrationem Nuptiarum irrepſerunt, & quidem a priſcis Sæculis uſque ad noſtram hanc temporis fæcem, quo ſolent Nuptiæ fœdari potius conviviis, ſaltibus, ſcæniſque turpibus, quam ornari. Fateri cogimur abuſum hunc antiquum a Gentilibus devolutum fuiſſe ad Chriſtianos, vigereque paſſim apud ipſos, tametſi adverſus abuſum ipſum Sancti Patres, & Sacræ Synodi acriter invecti ſint. Dolet ſane S. Cyprianus in Libro, *De habitu Virginum*, prope finem, quod quaſdam Virgines non puderet *nubentibus intereſſe, & in illa laſcivientium libertate ſermonum colloquia inceſta miſcere, audire quod non decet, quod non licet, dicere, obſervari, & eſſe præſentes inter verba turpia, & temulenta convivia, quibus libidinum fomes accenditur, Sponſa ad patientiam ſtupri, ad audaciam ſponſus animatur*. Pergit S. Antiſtes, vocatque Nuptiarum feſta improba, & convivia laſciva, in quibus *diabolus blanditur, ut fallat, arridet, ut noceat, illicit, ut occidat*. Tanta erat convivii nuptialis licentia, ut S. Gregorius Nazianzenus hortatus ſit Olympiadem, quæ maritata erat, ne ad nuptiale convivium iret, ubi & perpotatur, & infacetis facetiis indulgetur. Omne enim convivium, ut Lib. 1. Capite II. ait Quintilianus, obſcænis cantibus ſtrepit, & in eo pudenda dictu ſpectantur. Et, ut alios mittam, Prudentius in Hamartigenia dixit *convivale calentis carmen nequitiæ*.

XI. Antiquum abuſum conata eſt abolere Synodus Laodicena Can. liii. ubi ſtatuit: *Quod non oportet, Chriſtianos ad Nuptias venientes, ſe turpiter, & indecore gerere, ſed modeſte cœnare, & prandere, ut decet Chriſtianos*. Potiſſimum debuiſſe Clericis hujuſmodi convivia interdici, merito cenſuit Agathenſis Synodus anni dvi. Can. xxxix. ubi ita edixit: *Presbyteri, Diacones, Subdiacones, vel deinceps, quibus ducendi uxores licentia non eſt, etiam alienarum Nuptiarum evitent convivia, nec his cœtibus admiſceantur, ubi amatoria cantantur, & turpia, aut obſceni motus corporum choris, & ſaltibus efferuntur; ne auditus* (notanda ſummopere, ac menti imprimenda ſacrorum hominum ratio, quam Concilium ſubjicit) *& obtutus ſacris Myſteriis deputati, ſpectaculorum, atque verborum contagione polluantur.* Longum eſſet multas in damnationem hujuſmodi conviviorum Synodos afferre; ſed non cenſui tamen omittere Ravennatem ſub Honorio IV. Papa per Bonifacium Archiepiſcopum celebratam Synodum abuſum turpem damnantem, quod Sponſi ad domos Clericorum, qui nuptialibus ſcenis, & ſaltibus non intererant, joculatores, & hiſtriones mittebant, munera emendicaturos, atque ita pauperibus obſtrictum Jeſu Chriſti patrimonium in haſce ſordes effundebatur: *Siquis*, inquit illa Synodus, *contra fecerit, duplum ejus, quod dederit joculatori, aut hiſtrio-*

ſtrioni, reſtituere Eccleſiæ, a qua habet Beneficium, teneatur, per ipſam in uſus pauperum convertendum. Addi & huic Canoni alii poſſent permulti, qui ſimilem abuſum diſtricte vetant.

§. XVIII.

Quæ omnia fere ex Sacri Concilii Tridentini Decretis deſumpta, & item alia, quæ ibi de Matrimonio rite contrahendo præcipiuntur, ſunt diligenter ſervanda.

COMMENTARIUS.

I. UT quæ Tridentinum Concilium Seſſione XXIV. *De reformatione Matrimonii*, variis Capitibus ſtatuit, diligenter ſervanda ſint, cautum eſt ex omnibus fere Conciliis poſt ipſum celebratis, in quibus etiam & illud præcipitur, ut ejus celebrandi ratio, & Decretum a Tridentino Concilio præſcriptum ſæpe a Parochis ſtatis anni diebus in ſuis Eccleſiis promulgetur. Certe S. Carolus in Rubricis, ſeu Inſtructionibus, *De Sacramento Matrimonii*, Capite I. inſcripto, *Quæ Parochus doceat*, ita mandat; *Habebit ipſe in primis recte cognita præcepta illa omnia, quæ in Matrimoniis recte conficiendis ſervari oportere, Oecumenica Synodus Tridentina juſſit, ut illa ipſa omnia accuratiſſime, inviolateque ſervanda curet.* Tum ſtatim ſubdit: *Dabit etiam operam, ut illius Tridentinæ Sanctionis juſſa, præceptaque Parochiales ſui teneant, proindeque ſæpenumero, præſertim vero certis ſtatis Dominicis diebus illam Sanctionem recte denunciabit, atque adeo explicabit ad præſcriptum Diœceſanæ Conſtitutionis.* Legenda porro a Parochis citata ipſa Conſtitutio, ac illud potiſſimum advertendum, quod inter alia in recitata Seſſione XXIV. Tridentini Concilii, Cap. I. legitur in Decreto, De reformatione Matrimonii: *Siquæ Provinciæ*, inquit, *alias ultra prædictas, laudabilibus conſuetudinibus, & cæremoniis hac in re utuntur, eas omnino retineri, Sancta Synodus vehementer optat.* Parochi igitur, uti notat Vanespen, Parte II. *Juris Eccleſiaſtici*, Titulo XII. Cap. VI. num. XVII. in hiſce præſcripta Ritualium ſuorum ſequi debent, ac frequenter oſtendere populo ſalutarem uſum harum cæremoniarum, ac præſertim efficaciam precum, & benedictionum, quæ nomine Eccleſiæ ſuper novos conjuges funduntur, quodque merito timeant, qui, iis contemptis, contra Eccleſiæ præſcriptum Matrimonia ineunt, ne maledictionem pro benedictione in ſe, & proles ſuas accerſant.

CAPUT II.

Ritus celebrandi Matrimonii Sacramentum.

§. I.

Parochus igitur Matrimonium celebraturus, Publicationibus factis tribus diebus feſtis, ut dictum eſt, ſi nullum obſtet legitimum impedimentum, in Eccleſia Superpelliceo, & alba Stola indutus, adhibito uno ſaltem Clerico Superpelliceo pariter induto, qui Librum, & vas Aquæ benedictæ cum aſperſorio deferat, coram tribus, aut duobus teſtibus, virum, & mulierem, quos parentum, vel propinquorum ſuorum præſentia cohoneſtari decet, de conſenſu in Matrimonium interroget, utrumque ſingillatim in hunc modum vulgari ſermone: *N. vis accipere N. hic præſentem in legitimam uxorem juxta ritum Sanctæ Matris Eccleſiæ?* Reſpondeat Sponſus: *Volo*. Mox Sacerdos Sponſam interroget: *N. vis accipere N. hic præſentem in tuum legitimum maritum juxta ritum Sanctæ Matris Eccleſiæ?* Reſpondeat: *Volo*. Nec ſufficit conſenſus unius, ſed debet eſſe amborum, & expreſſus aliquo ſigno ſenſibili, ſive fiat per ſe, ſive per Procuratorem.

COMMENTARIUS.

I. UTi adminiſtrandum ſit a Parocho hoc Sacramentum, ac præſertim quo habitu debeat eſſe indutus, edicit hic noſter §. *In Eccleſia*, inquit, *Superpelliceo, & alba Stola indutus &c.* Debere ex antiquo ritu celebrari Matrimonium in Eccleſia, ſuperius jam fuſe oſtendimus, probarique id præterea poteſt auctoritate Nicolai Papæ I. in Reſponſis ad conſulta Bulgarorum, Cap. III. ubi ſic inter alia inquit: *Et primum quidem in Eccleſia Domini, cum oblationibus, quas offerre debent Deo, per Sacerdotis manum ſtatuuntur.* Ad Sacerdotem quod attinet, cautum eſt quidem ex ms. Miſſali Redonenſi ab annis circiter DCCC. ſcripto, ut *in primis veniat Sacerdos ante oſtium Eccleſiæ indutus Alba, atque Stola, cum Aqua benedicta.* Pontificale Eccleſiæ Antiſſiodorenſis annorum circiter D. mandat, ut *cum venerint ante valvas Eccleſiæ Sponſus & Sponſa, ibi ſtent, donec veniens Sacerdos Alba, Stola, & Manipulo ornatus &c.* Præter Albam, & Stolam, mentio hic fit etiam Manipuli; idemque ritus præſcriptus legitur in ms. Pontificali Eccleſiæ Lugdunenſis, ab annis circiter CD. ſcripto, quod etiam uſui fuit Eccleſiæ Tarentaſienſis. Porro S. Carolus in Inſtructionibus Matrimonii, ubi deſcribit Ordinem illud celebrandi, vult, ut *Parochus Matrimonium celebraturus, Superpelliceo, Stolaque*

laque pro tempore indutus, in limine Eccleſiæ, aut ante Altare Sponſos Aqua benedicta primum aſpergat, uno, aut duobus Clericis adhibitis, Superpelliceo item indutis, quorum unus Librum, alter vas Aquæ benedictæ habebit. Ubi duo aduotes velim. I. præſcribi a S. Carolo Stolam *pro tempore*, ideſt culoris tempori congrueutis, cum alias ex noſtro §. abſque temporis diſtinctiune *Stola alba* adhibenda ſit. II. nihil præſcribi in noſtro §. de aſpergendo primum Sponſos Aqua benedicta, quos tamen aſpergendos monet S. Carolus initio ſacræ functionis.

II. Rurſus mandat hic noſter §. celebraodum a Parocho Matrimonium *coram tribus, aut duobus teſtibus*. Couſueviſſe vel primis Seculis celebrari Matrimonium in facie Eccleſiæ, ideſt publice, & multis præſentibus, manifeſte docet Tertullianus oon uno in loco, præſertim vero in Libro, *De monogamia*, ubi ait, Matrimooia fieri coram Epiſcopo, Presbyteris, Diacouis, interveuientibus etiam io Eccleſia viduis. Hinc merito ſtatuit Hormiſda Papa allatus a Gratiano, Cauſa xxx. Quæſtione v. Cau. II. ut *nullus fidelis cujuſcumque conditionis ſit, occulte Nuptias faciat, ſed benedictione accepta a Sacerdote, publice nubat in Domino*. Prætereo innumeros fere Canones, variaſque Regum, & Principom Saoctiones, quibus clandeſtina Matrimonia interdicuntor. Poutificale ms. Monaſterii Lyrenſis annorum circiter DCC. mandat, celebrandum Matrimonium ſub teſtimonium plurimorum; idipſumque præſcriptum legitur in plurimis Ritualibus. Quod tameu mirum videri non debet, quum & ipſi Gentiles clandeſtinas Nuptias ſiue teſtibus omnino improbarent, irritaſque cenſerent, teſte Apuleo Lib. VI. ubi hæc habet: *Impares Nuptiæ, & præterea in villa ſine teſtibus, & patre non conſentiente factæ, legitimæ non poſſunt videri*.

III. Quamquam vero ea eſſet vetus probataque Eccleſiæ diſciplina, imo & infidelium conſuetudo, ot Nuptiæ coram teſtibos celebrarentur, invaluit tamen variis Sæculis quoromdam abuſus, ut Noptias ipſas claucolum, & adeo ſecrete facerent, ut nulli omnino arbitri, ſeu teſtes intereſſent, per qoos ipſæ Nuptiæ in Foro Eccleſiæ probari poſſeot. Quo fiebat, ut quemadmodum eæ ſæpenumero temere, ſtolte, & improdenter cootractæ fuerant; ita non raro, vel ambo motuo couſenſu ſibi fidem remittentes, vel alter contra alterius quantumcumque reclamantis voluntatem, a contractu reſiliret, fidemque falleret, & ad aliud Matrimonium tranſiret, idque impune, quippe cum alteri legitima documenta deeſſeot, quibus contractum inter ipſos Matrimonium probaret; atque hoc pacto contingebat, ut qui prioris Matrimonii fide violata, alia de facto conjugia iniiſſent, in perpetuo deinceps viverent adulterio, filioſque procrearent illegitimus, & adulterinos, com magna quidem filiorum injuria, ſed longe majore diſcrimiue ſalutis propriæ. Hæc, & alia graviſſima id genus incommoda notavit jam doctiſſimus Eſtius in Libri IV. Senteutiarum Diſtinctinuem XXVIII. §. VI. ubi etiam ſcite obſervat, de hujuſmodi conjugiis potiſſimum intelligendum eſſe Concilii Tridentini Decretum Seſſione XXIV. *De reformatione Matrimonii*, Cap. I. ubi teſtatur, ſanctam Dei Eccleſiam clandeſtina Matrimonia juſtiſſimis ex cauſis prohibuiſſe, ſemperque deteſtatam fuiſſe; cauſam autem præcipuam ibidem ſubjicit, nempe graviſſimum peccatum eurum, *qui in ſtatu damnationis permauent, dum priore uxore, eam qua clam contraxerunt, relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt*.

IV. Ergo Tridentini Concilii Patres, ut tam gravibus malis, & incummudis, quæ ex clandeſtinis conjugiis oriebantur, occurrerent, provide ſtatuerunt citato loco Seſſiuuis XXIV. Matrimuuia omuia clandeſtina penitus tollenda, & irritanda, oiſi forma ſequentis Decreti compreheodantur: *Qui aliter quam præſente Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, ſeu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus teſtibus, Matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad ſic contrahendum inhabiles reddit, & hujuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti Decreto irritos facit, & annullat*. Hactenos Decretum. Nequis autem ſuſpicetur, fieri potuiſſe, ut Patres Concilii in hoc Decreto ſtatuendo, limites ſuæ poteſtatis egrederentur, & proinde errarent, tamquam videlicet in negotio, quod nou ad Fidem, ſed tantum ad guberuationem Eccleſiæ pertineat, ſaluberrimo cooſilio, Canone IV. ejuſdem Seſſionis, anathema in eum pronuuciat, *qui dixerit, Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis conſtituendis erraſſe*. Hinc ſapientiſſime laudatus Eſtius notat ibidem §. VII. eſſe de Fide tenendom, potuiſſe Eccleſiam irritare Matrimonia clandeſtina, & omnino ea omuia, quæ fuerint aliter, quam Decreti forma præſcribit, iuita, eademque poſt hoc Eccleſiæ Decretum publicatum irrita eſſe. Et ſane plerique Doctores tum ante Concilium, tum in ipſo Concilio, noo tam dubitaverunt de poteſtate Eccleſiæ quoad irritationem claudeſtinorum conjugiorum, ſicut & eorum, quæ ſine conſeoſu parentum contracta eſſent, num expediret illa irritari. Quod tameo expedire de clandeſtinis viſum eſt. Unde Petrus a Soto, Lectioue XIV. *De Matrimonio*, ſcribit, multos prudentes, & Deum timentes a multis auuis deſideraſſe, ut Eccleſia irrita decerneret Matrimooia claudeſtina: *Quod certum eſt*, inqoit, *Eccleſiam poſſe*. Sic ille ante Decretum Coocilii. Quibus ſimilia ſcribit Dominicus a Soto in citatam Diſtiuctionem XXVIII. Libri IV. Sententiarum, aliique Theologi de Matrimouio tractantes.

V. Jure itaqoe novo Concilii Tridentini, ut Matrimonium legitime, atque valide contrahatur, opus eſt, ut coutrahatur, *præſente Parocho, vel alio Sacerdote de Parochi, ſeu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus teſtibus*. Quum de præſentia Parochi dictum ſuperius fuerit, de teſtibus nonnihil dicam; & primo quidem, nullam ipſorum qualitatem requiri a Tridentino Concilio, aliiſve Synodis, ſeu Ritualibus; unde admittuntur in hojuſmodi teſtes quicumque mentis compotes, atque intelligendi capaces, quid agatur, viri, & mulieres, etiam proximi conſanguiuei contrahentium ſine exceptione, quæ hic noo habet locum. Ratio cur laudatum Concilium Conſtitutionem non reſtrinxerit ad teſtes omni exceptione majores, I. fuiſſe putatur a Doctoribus, ne obtentu exceptionum multoties Matrimonia irritarentur, aut ſaltem in dubium vocarentur. II. quod duo, vel tres teſtes tum ex laudato Concilio, tum eſt noſtro §. ſufficiant, nititur iis Divinæ Scripturæ verbis: *In ore duorum, vel trium teſtium ſtabit omne verbum*.

VI. Do-

VI. Docet præterea noſter §. decens eſſe, virum & mulierem celebraturos in Eccleſia matrimonium, *parentum, vel peopinquorum ſuorum præſentia cohoneſtari*. Hanc fuiſſe veterem Eccleſiæ diſciplinam, ut Sponſus & Sponſa, cum benedicendi eſſent a Saceedote, in celebratione ſcilicet Matrimonii, a parentibus ſuis offerentur, addiſcere licet ex Canone XIII. Concilii IV. Carthaginenſis labente Seculo IV. celebrati. Parentum præſentiæ in celebratione Matrimonii filiorum faciunt paſſim mentionem Synodi, ac Rituales Codices variarum Eccleſiarum. Ex ms. Miſſali Redonenſi annoeum circiter DCCC. intee alia cautum eſt, ut Saceedos, ideſt, Parochus, *faciat parentes, ſicut mos eſt, dare eum, atque Sponſum dotalitium dividere, cunctiſque audientibus legeee; ipſumque ſuæ Sponſæ libenter dare*. Erat hic eitus, qui in Eccleſia peragebatur, ubi Sponſi in Eccleſia Mateimonio jungendi erant, ſicut & ille, cujus meminit ms. Pontificale Monaſteeii Lyrenſis annorum circitee DCC. ubi in ordine celebeandi, benedicendiqoe Nuptias, edicitur, *ut eequiratur conſenſus utriuſque a Sacerdote, & fiat reeapitulatio de dote mulieris, & ponuntur denarii aliqui in medium pauperibus dividendi; & tunc demum detur femina a patre vel amicis ſuis &c.* Ceterum tametſi hæc parentum præſentia non ſit neceſſaria, ſicuti nec eorum conſenſus, ut valide filiorumſamilias Nuptiæ celebrentur juxta Concilii Tridentini Deceetum Seſſione XXIV. *De reformatione Matrimonii*, Capite I. ſapientiſſime nihilominus ſtatuit S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolanenſi VI. Capite, *Quæ ad Matrimonium pertinent*, ut ſi filiiſan ilias ſint, qui Matrimonium celebraturi ſunt, *hoc Parochus valde cohortetur, ut parentibus, in quorum poteſtate ſunt, eum honorem tribuant, ut illis ne inſciis quidem, nedum invitis, rem tanti momenti ineant*.

VII. Addideeim hic tamen illud, monendos quoqne eſſe parentes, ne ſine juſta cauſa denegent conſenſum, neve protelent filiorum, filiarumque ſuarum Matrimonia ex motivis humanis ſæpius inſufficientibus, ae parum chriſtianis. Sed neque omittendum illud, ubi invitis parentibus Matrimonium conteactum eſt, Parochi officii eſſe, pacem inter filium, & parentes conciliare, atque filium ad ſatiſfactionem, & veniæ poſtulationem, & patrem ad benignitatem, & indulgentiam inflectere; atque S. Ambroſii modum agendi cum Siſinnio, quo invito filius uxoeem duxerat, imitari. Patrem filio jure iratum agnovit quidem Ambroſius, filium ad officium eevocavit, & ad veniam engandum adduxit, pateem filio eeconciliavit, ejuſque, ac nurus benevolam ſuſceptionem Siſinnio gratulatus, ut videee eſt in Epiſtola S. Doctoris LXIV. digna profecto in ſimili occaſione a Parochis, aliiſque Animarum Paſtoeibus lectu.

VIII. Rurſus mandat noſtee §. ut Parochus Mateimonio Sponſos juncturus, *de conſenſu in Mateimonium interroget, utrumque ſingillatim in hunc modum vulgari ſermone: N. vis accipere N. &c.* Conſtituto ad celebrandas Nuptias die adveniente, Sponſus, & Sponſa, benedicendi a parentibus, vel a paranymphis, ut habet Concilium Carthaginenſe IV. Can. XIII. ſiſtebantur Sacerdoti ad portas Eccleſiæ, ut ex multis Ritualibus antiquis conſtat, qui ſecundum quoſdam eos interrogare debebat de Fide, quam profitebantue. Deinde, datis ſibi mutuo dextris, exigebat ab utriſque conſenſum, in quo totam Sacramenti eſſentiam eeponebant antiqui, ut ſcite notat Martene Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. IX. Aeticulo III. num. VI. ubi etiam ait, inaudita apod ipſos antiquos fuiſſe verba illa Parochi, in noſtro §. deſcripta: *Ego vos conjugo in Matrimonium &c.* in quibus aliqui ex recentioribus Scholaſticis foemam hujus Saceamenti conſtituunt; quæ tamen deſiderantue in omnibus pene Ritualibus Libeis a laudato Maetene allatis citato loco, Articulo V. quibus adjungi poſſunt Conſtitutiones Richardi Epiſcopi Sarum anno MDCCXVII. editæ, io quibus hæc leguntur: *Item præeipimus, quod Saeerdotes doceant perſonas contrahentes hanc formam verborum in Gallico, vel in Anglico*: Ego N. accipio te N. in meam. *Similiter & mulier dicat*: Ego accipio te in meum. *In his enim verbis conſiſtit vis magna, & Matrimonium contrahitur*. His concinit Concilium Peovinciale VI. Beneventanum anno MDCCCLXXIV. celebratum, Titulo X. Capite XXII. ubi uulla penitus facta mentioue illorum veeborum, *Ego vos conjungo &c.* diſerte edicit, *contrahi Matrimonium conſenſu, & verbis, ut ſi dicant contrahentes*: Accipio te in meum. Accipio te in meam. *Vel*, Concedo tibi corpus meum in maeitum. Et ego concedo tibi corpus meum in uxorem; *vel proferant verba equipollentia conſenſum exprimentia de præſenti; quæ in iis, qui poſſunt neceſſaria ſunt quantum ad Eccleſiam*. Additque mox, mutum, *qui verba proferre non poteſt, conſenſum exprimere poſſe per indicia, vel ſigna*.

IX. Jam ut recte docet noſtee §. *non ſufficit conſenſus unius, ſed debet eſſe amborum, & expreſſus aliquo ſigno ſenſibili, ſive fiat per ſe, ſive per Procuratorem*. Valuit ſemper, valetque etiam nunc Matrimonium inter abſentes pee Peocuratores initum. Ratio eſt, quia Matrimonium habita ratione ſolius juris naturalis, ſolam mnealem conteahentium præſentiam requieit, ſicut & alii contractus. Quantum autem ad Jus Canonicum, habuit illud & rata Matrimonia, de quibus agitur, uti conſtat ex Canone, *Honorantar*, Cauſa XXXII. Quæſtione II. Foetaſſe quia per Decretum Concilii Tridentini, *Qui aliter quam præſente Parocho &c... Matrimonium attentabunt, eos Sancta Synodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit &c.* conſequens cuipiam videatur, hodie intee abſentes non poſſe fieel eata Matrimonia, eo quod Parochus præſens eſſe nequeat contrahentibus, niſi & contrahentes ipſi mnluo ſint peæſentes. Sed eeſpondent communiter Theologi, id non videri eeveea conſeqoens, quia fingi poſſunt aliquot modi, quibus inter abſentes valide contrahatur Matrimonium, ſalvo Concilii Tridentini Decreto. Receoſet hos modos eruditus Eſtius in Libri IV. Diſtinctionem XXIX. §. V. Sed ſatis eſt id, quod ſuperius innui, Matrimonium eſſe contractum humanum, ideoque, ſicot in aliis cootractibus, habeee & in eo locom Regulam Juris, *Qui per alium facit, per ſe ipſum faeere eenſetur*.

X. At vero, cum in Matrimonio contrahendo ees ſummi momenti agatur, Procuratoe ipſe jam non alitee cenſetue idoneus ad Matrimonium ipſum contrahendum, quam ſi ad hoc, Mandatum habeat ſpeciale, uti declarator in Capite oltimo, *De Procuratoribus* io VI. Et quamvis alias

is,

is, qui conſtituitur ad negotia Procurator, alium dare poſſit, in hoc tamen caſu, ut in citato Capite edicitur, *propter magnum, quod ex facto tam arduo poſſet periculum imminere, non poterit deputare alium, niſi hoc eidem ſpecialiter ſit commiſſum*. Quin & ibidem tanquam in hoc contractu omnino ſingulare additur: *Sane ſi Procurator, antequam contraxerit, a Domino fuerit revocatus, contractum poſtmodum Matrimonium ab eodem, licet tam ipſe, quam ea, cum qua contraxit, revocationem hujuſmodi penitus ignoraverit, nullius momenti exiſtit, cum illius conſenſus defecerit, ſine quo firmitatem habere nequivit*. Poſſem hic & alia adnotare, ſed ex dictis hucuſque ſatis apparet, qua ratione Matrimonia per Procuratores, & inter abſentes, multis difficultatibus poſſint eſſe obnoxia; ut proinde conſulendum ſit, quod inter alios obſervavit Vaneſpen, Parte II. *Juris Eccleſiaſtici*, Titulo XII. Cap. IV. num. XIV. ut inter præſentes fiant, nec Parochi propria auctoritate hujuſmodi Matrimonia admittere debeant; tum præſertim quod nec inter inſignes, doctoſque Theologos omnino conveniat, num hæc Matrimonia per Procuratores inita veram Sacramenti rationem habeant.

§. II.

Mutuo igitur contrahentium conſenſu intellecto, Sacerdos jubeat eos invicem jungere dexteras, dicens: *Ego conjungo vos in Matrimonium. In Nomine Patris* ✠ *& Filii, & Spiritus Sancti. Amen*. Vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuſcujuſque Provinciæ ritum; poſtea eos aſpergat Aqua benedicta.

COMMENTARIUS.

I. Statuit hic noſter §. *ut mutuo contrahentium conſenſu intellecto*, Sacerdos jubeat eos *invicem jungere dexteras, dicens: Ego conjungo vos &c.* Quam antiquus ſit ritus iſte, ut Sponſi ſcilicet Matrimonium contrahentes, mutuas ſibi dexteras darent, conſtat ex Sacra Scriptura, Tobiæ Cap. VII. ubi de Raguel ſcriptum legimus, *quod apprehendens dexteram filiæ ſuæ dexteræ Tobiæ tradidit, dicens: Deus Abraham, Deus Iſac, & Deus Jacob vobiſcum ſit, & ipſe conjungat vos, impleatque Benedictionem ſuam in vobis*. Porro, ut notat Menochius Lib. I. Inſtitutionum Oeconomicarum ex ſacris Literis depromptarum, Cap. VI. cum nulla ſint concepta verba, quibus mutuus Sponſorum conſenſus exprimi neceſſario debeat, ſed quæcumque ſigna, verba, ac nutus huic rei ſatis eſſe poſſint, modo aſſenſum ſignificent, videtur Raguel præſens præſentes Sponſos, & aſſenſus ſigna exprimentes, hujus uſurpatione cæremoniæ, fœdere Matrimonii conjunxiſſe.

II. Quicquid ſit de ritibus Veteris Teſtamenti, non eſt dubium, quin Eccleſiæ initio ſervatus & apud Chriſtianos fuerit hic ritus, cujus meminit Tertullianus in Libro, *De Velandis Virginibus*, Cap. II. ubi ſic inqnit: *Ad deſponſationem velantur, quia & corpore, & ſpiritu maſculo mixtæ ſunt per oſculum, & dextras, per que primum reſignarunt pudorem ſpiritu*. Viguiſſe jam olim & in Eccleſia Orientali eundem ritum, addiſcimus plane ex S. Gregorio Nazianzeno, qui in Epiſtola LVII. ad Anyſium, excuſans ſe, quod affectus ægritudine ad ejus filiæ Nuptias venire non potuiſſet, ſic ait: *Animo, & voluntate adſum, ſimulque feſtum celebro, juveniles ſque dextras inter ſe jungo, atque utraſque Dei manui*. Occurrit paſſim hæc cæremonia in Ritualibus multis, quorum loca ſupervacaneum eſt deſcribere; notatu tamen dignum exiſtimo, quod legitur in ms. Codice Victorino annorum circiter DC. præſcriptum enim ibidem eſt, ut in primis Nuptiis nudæ, in ſecundis velatæ manus jungantur. Sed non omittendum quod in peragenda hac cæremonia jungendi dextras Sponſorum præſcribant Ritualia non pauca, ac præſertim vetus Manuale ad uſum Dioceſis Remenſis editum, & Rituale Ambroſianum editum juſſu Cæſaris Montii Cardinalis, atque Archiepiſcopi Mediolanenſis, ex cujus præſcripto, *Parochus dextera ſua Sponſi dexteram prehendit, & ad ſignificationem vinculi, fideique conjugalis, imponit manui dexteræ Sponſi, ſummitateſque Stolæ in modum Crucis imponit ambabus Sponſorum manibus &c.* Rituale Leodienſe recte admodum monet, ut Parochus *cum pudica modeſtia, apprehenſis dextris utriuſque, eas conjugat*.

III. Junctis dexteris, ex præſcripto noſtri §. & Concilii Tridentini Seſſione XXIV. *De reformatione Matrimonii*, Cap. I. dicit Parochus: *Ego conjungo vos in Matrimonium. In Nomine Patris* ✠ *& Filii, & Spiritus Sancti. Amen*. Vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuſcujuſque Provinciæ ritum. Dixi equidem in Commentario ſuperiori, in omnibus fere Ritualibus Libris deſiderari hæc Parochi verba in §. hoc noſtro relata: *Ego conjungo vos in Matrimonium. In Nomine Patris* ✠, *& Filii, & Spiritus Sancti. Amen*. Dixi *fere*, quia ſcilicet Ritualia quædam non deſunt, etiam antiqua, in quibus verba ipſa leguntur. Certe ſtatuit Miſſale ms. inſignis Eccleſiæ Rotomagenſis ante annos CDL. exaratum, ut Parochus, mutuo Sponſorum conſenſu intellecto, & quidem lingua vernacula expreſſo, *det eum viro dicens, verbis Latinis: Et ego conjungo vos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Præterea ex vetuſto Rituali inſignis Eccleſiæ Catalaunenſis cautum eſt, ut *poſtquam dederint conſenſum Sponſi, Sacerdos dicat: Et ego affido vos in Nomine Patris* ✠, *& Filii, & Spiritus Sancti. Amen*. Affido idem eſt, ac in Matrimonium conjungere, eſtque in uſu ea vox hodie in noſtra Calabria ad ſignificandam Matrimonii celebrationem. Vetus Manuale ad uſum Diœceſi Remenſis editum poſt traditionem quidem Anuli, de qua nos infra, hanc formam præſcribit: *Deinde Presbyter dicat: Deſponſo vos in facie Eccleſiæ*. Ex Rituali Ambroſiano juſſu Cæſaris Montii Cardinalis & Archiepiſcopi Mediolanenſis edito dicit Parochus: *Et ego authoritate Sanctæ Matris Eccleſiæ, qua fungor, conjungo vos*

vos in Matrimonium, ter ſignum Crucis ſuper utrumque faciendo, *In Nomine Patris* ✠, *& Filii*, ✠ *& Spiritus* ✠ *Sancti*. ℟. *Amen*.

IV. Opportune examinanda eſſet hoc illa duplex celebris Quæſtio inter Theologos agitata, an forma Sacramenti Matrimonii ſint hæc vel ſimilia verba, *Ego vos in Matrimonium conjungo &c.* & an ſolus Sacerdos, coram quo hoc Sacramentum celebratur, ſit ipſius Sacramenti Miniſter? Sed cum nobis non vacet hujuſmodi quæſtionibus immergi, videri de eiſdem inter alios poteſt eruditus Jueninus in celebri Opere, *De Sacramentis*, Diſſertatione XI. Quæſtione II. & III. in quibus probare nititur, & verba ipſa, *Ego vos conjungo &c.* aut ſimilia eſſe formam Sacramenti Matrimonii, & ſolum Sacerdotem eſſe ejuſdem Sacramenti Miniſtrum. Sed jam longe ante Jueninum doctiſſimus Melchior Canus Epiſcopus Canarienſis Lib. VIII. *De locis Theologicis*, Cap. V. contendit, Matrimonium ſine Eccleſiæ Miniſtro contractum, non eſſe vere, & proprie Sacramentum, eo quod proprius Miniſter, ideſt Parochus, per quem adminiſtrari debuit, illi deſit. Argumenta, quæ pro hac opinione, vel ab illo afferuntur, vel inſuper afferri poſſent, partim eo ſpectant, ut eam opinionem directe probent (ideſt, non alium eſſe Miniſtrum, quam qui ſit ipſius Eccleſiæ Miniſter, ideſt Sacerdos virum & mulierem certis, ac præſcriptis verbis conjungens) partim ut contrariam, quæ eſt communis, ſententiam improbent, & infirment.

V. Quæſtionibus hiſce omiſſis, de quibus etiam conſuli Eſtius poteſt in IV. Sententiarum, Diſtinctione XXVI. §. X. & XI. devenio ad explicationem illius particulæ noſtri §. ubi edicitur, ut poſtquam Parochus Sponſos ſub præſcriptis verbis, *Ego vos &c.* in Matrimonium conjunxit, *aſpergat eos Aqua benedicta*. Aquæ benedictæ uſus in celebratione Matrimonii ex antiquis Ritualibus conſtat, occurritque in mſ. Miſſali Redonenſi annorum circiter DCCC. Aſpergi debuiſſe Aqua benedicta Sponſos a Sacerdote poſt prolata prædicta verba, *Ego vos &c.* addiſcimus ex vetuſto Rituali inſignis Eccleſiæ Catalaunenſis: *Sacerdos dicat*: Et ego affido vos &c. *Deinde aſpergat eos Aqua benedicta*; itemque ex Rituali Ambroſiano ſuperius memorato, ubi Sacerdos, prolata ea verborum forma, ſuperius etiam deſcripta, *deinde Aqua benedicta eos aſpergit, dicens: Per Aquæ benedictæ aſperſionem det vobis Omnipotens Deus ſuam gratiam, & benedictionem*. Sed hæc, & alia in citato Rituali Ambroſiano deſcripta, legi poſſunt in S. Caroli Inſtructionibus, *De Matrimonio*, in eo Capite, quod inſcriptum eſt: *Ordo celebrandi Matrimonium*, & in aliis Ritualibus non paucis.

§. III.

Mox benedicit Anulum. Benedictio Anuli. ℣. *Adjutorium noſtrum in Nomine Domini.* ℟. *Qui fecit Cælum, & Terram.* ℣. *Domine exaudi Orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

Benedic, ✠ *Domine Anulum hunc, quem nos in tuo Nomine benedicimus* ✠, *ut quæ cum geſtaverit, fidelitatem integram ſuo Sponſo tenens, in pace, & voluntate tua permaneat, atque in mutua charitate ſemper vivat. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* ℟. *Amen.*

§. IV.

Deinde Sacerdos aſpergat Anulum Aqua benedicta in modum Crucis, & Sponſus acceptum Anulum de manu Sacerdotis, imponit in digito anulari ſiniſtræ manus Sponſæ, Sacerdote dicente: *In Nomine Patris* ✠, *& Filii*, *& Spiritus Sancti*, *Amen*. Mox ſubjungat: *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis*. ℟. *A Templo ſancto tuo, quod eſt in Jeruſalem. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter.* ℣. *Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos a malo.* ℣. *Salvos fac ſervos tuos.* ℟. *Deus meus ſperantes in te.* ℣. *Mitte eis Domine auxilium de Sancto.* ℟. *Et de Sion tuere eos.* ℣. *Eſto eis Domine turris fortitudinis.* ℟. *A facie inimici.* ℣. *Domine exaudi Orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo.* *Oremus.*

Reſpice quæſumus, Domine, ſuper hos famulos tuos; & inſtitutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinaſti, benignus aſſiſte, ut qui Te Auctore junguntur, Te auxiliante ſerventur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. VIx Rituale antiquum, recentiuſve invenies, in quo non extet Anuli Benedictio, qui in celebratione vel ex veteri Eccleſiæ ritu a Sponſo digito anulari ſiniſtræ manus Sponſæ imponi conſuevit. Ritum hujuſmodi impoſitionis egregie exponit S. Iſidorus Lib. II. *De officiis Eccleſiaſticis*, Cap. IX. quod inſcriptum eſt, *De conjugatis*, ubi inter alia ſic inquit: *Illud vero, quod in primis Anulus a Sponſo Sponſæ datur, fit hoc nimirum, vel propter mutuæ fidei ſignum, vel propter id magis, ut eorum pignore eorum corda jungantur. Unde & quarto digito Anulus idem inſeritur, quod per eum vena quædam, ut fertur, ſanguinis ad cor uſ-*

uſque perveniat. Antiquitus autem non amplius uno dabatur, ne pluralitas amorum unum carperet. Ante impoſitionem, conſueviſſe eum benedici, & quidem pro varietate Eccleſiarum alicubi immediate poſt Matrimonii celebrationem, ex variis Ritualibus conſtat. Miſſale ms. Redonenſe annorum circiter DCCC. mandat, ut Sacerdos *Anulo benedicto in Nomine Trinitatis eam in dextra manu ſponſare faciat &c.* Sequitur paulo poſt *Benedictio ſuper Anulum*, quæ eſt hujuſmodi: *Creator, & conſervator humani generis, dator æternæ ſalutis, Omnipotens Deus, tu permitte Spiritum Sanctum Paraclitum ſuper hunc Anulum. Per.* Mox vero hæc alia brevior: *Benedic Domine Anulum iſtam, ut in ejus figura pudicitiam cuſtodiant. Per.*

II. Longe ſuſior, præclariorque eſt ritus benedicendi, imponendique hujuſmodi Anulum in mſs. Pontificali Monaſterii Lyrenſis annorum circiter DCC. ubi duæ extant Orationes ad benedicendum Anulum, quarum prior hæc eſt: *Creator, & conſervator humani generis, decor gratiæ ſpiritualis, largitor æternæ ſalutis, tu Domine mitte benedictionem tuam ſuper hunc Anulum. Per.* Altera Oratio: *Benedic Domine hunc Anulum, quem nos in tuo Sancto Nomine bene ✠ dicimus, ut quæ eum ſignaculum fidei deſponſata portaverit, in tua pace conſiſtat, & in fidei integritate devota permaneat, & in amore tuo ſemper vivat, creſcat, & ſeneſcat, & multiplicetur in longitudinem dierum. Per Chriſtum Dominum.* Tum ſtatim mandat, ut *hic accipiat Sponſus Anulum, & una cum Sacerdote in tribus digitis dextræ manus Sponſæ imponat, dicens ad primum digitum:* In Nomine Patris. *Ad ſecundum:* Et Filii. *Ad tertium:* Et Spiritus Sancti. *Et ſic imponat in uno digito ſiniſtræ manus eundem Anulum, & ibi relinquat, ut eum deinceps in ſiniſtra ferat ad differentiam Gradus Epiſcopalis, ubi Anulus in ſignaculum integræ, & plenæ caſtitatis in dextra manu publice eſt portandus. Et tunc dicat:* Dominus vobiſcum. Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob ſit vobiſcum, & ipſe vos conjungat, impleatque benedictionem ſuam in vobis, qui vivit.

III. Notatu nunc dignus eſt ritus, quem in Anuli impoſitione præſcribit ms. Codex Victorinus annorum circiter DC. Jubet enim, ut *ponat primum Anulum in pollice Sacerdos dicens:* In nomine Patris; *poſtea in indice*, & Filii; *deinceps in medium*, & Spiritus Sancti, Amen; *& dicat Sponſus:* De iſto Anulo te ſponſo, & de iſto auro te honoro, & de iſta dote te doto; *tunc procidat ad pedes ejus mulier, & dicat Sacerdos hunc Pſalmum:* Manda Deus virtuti tuæ, confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. A Templo tuo in Jeruſalem, increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum, ut excludant eos, qui probati ſunt argento. Gloria Patri. Dominus vobiſcum. *Oratio.* Sequuntur mox variæ Orationes, & Pſalmi, quos longum eſt recenſere. Extant & in aliis Ritualibus peculiares benedictiones, & ritus in benedictione Anuli obſervandi, & ut alia omittam, in Ms. Pontificali Eccleſiæ Antiſſiodorenſis annorum circiter D. præſcriptum lego poſt benedictionem Anuli, ut *tunc aſpergatur Anulus Aqua benedicta, & thurificetur; thurificetur autem ſimul Sponſus, & Sponſa. Deinde dante Presbytero Anulum Sponſo, Sponſus in Sponſæ digito eum ponat, primum ſcilicet in pollice, ita dicens poſt Presbyterum:* In Nomine Patris. *Deinde in indice dicens:* Et Filii. *Ad ultimum vero ponat in medio, dicens:* Et Spiritus Sancti; *ibique maneat Anulus; quo facto dicat Sacerdos Orationem &c.* Atque hic nota, non ſolum ex veteri ritu conſueviſſe Anulum poſt ejus benedictionem Aqua benedicta aſpergi, ut mandat noſter §. & pene omnes Libri Rituales, verum etiam thurificari, itemque non modo thurificari Anulum, verum etiam ſimul Sponſum, & Sponſam. Ceterum, ut alia omittam, cautum eſt ex mſs. Miſſali inſignis Eccleſiæ Rotomagenſis annorum circiter D. ut *Sponſus capiat Anulum in manu dextra, ita quod omnes digiti viri tangant Anulum, & faciat tangere Anulum ad univerſos digitos mulieris.*

IV. Jam non opus eſt alios Codices Rituales referre, in quibus & Anuli benedictio, & impoſitio in digito anulari, ſive etiam medio mulieris, ut in quibuſdam Ritualibus legitur, paſſim invenitur. In Eccleſia Orientali Anulos duos, viro aureum, & mulieri argenteum tribuunt Græci, teſte Leone Allatio, Lib. III. *De perpetua conſenſione Occidentalis, & Orientalis Eccleſiæ*, Cap. XVI. num. 15. ubi ita eum ritum recenſet: *Sacerdos ex Altari duos annulos accipit, unum aureum, argenteum alterum; & aureum viro, argenteum mulieri, recitans verba ad hoc præſcripta, exhibet. Anulos poſtea immutat Compater, ſive Fidejuſſor, eodem Sacerdote orante.* Legere eſt & hunc ritum in Græcorum Euchologio in eo Capite, quod inſcribitur: *Ordo ſervari ſolitus in Sponſalibus celebrandis, videlicet in Nuptiarum ſubbarratione*; ex cujus præſcripto reponuntur primum *in dextra ſanctæ Menſæ*, ideſt, Altaris, *parte duo ipſorum*, ideſt Sponſorum ſacri *Anuli, aureus, & argenteus. Ex iis argenteus dextrorſum reſpicit, aureus ſiniſtrorſum, juxta ſe invicem.* Tum vero poſt varias preces, orationeſque, *acceptis Annulis, Sacerdos donat primum viro aureum, tum argenteum mulieri, & dicit viro:* Subharratur Servus Dei N. propter ancillam Dei N. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen. *Deinde dicit mulieri:* Subharratur Ancilla Dei N. propter ſervum Dei N. In Nomine Patris &c. *Cumque ter ad unumquemque hoc dixerit, Crucem ſuper eorum capita facit Annulis, & utramque dextris eorum digitis immittit; deinde recens nuptorum Annulos commutat aſſiſtens Paranymphus. Sacerdos vero dicit Orationem.* Sequitur deinde prolixa Oratio, & cæremonia finitur, ut in citato Euchologio videre eſt, quod eruditiſſimus Jacobus Goar in ſacris Orientalis Eccleſiæ Ritibus apprime verſatus Notis perpetuis illuſtravit.

V. Porro mirum videri debet, quod ubi in variis Ritualibus variæ extant Orationes ad benedicendum Anulum, duæ ipſæ orationes, *Benedic Domine &c.* & *Reſpice quæſumus Domine &c.* vix in iiſdem tametſi recentioribus inveniantur. Deſiderantur quoque in Sacerdotali Romano edito anno MDLXVII. in quo tamen, ſicut & in Rituali Ambroſiano, leguntur nonnullæ orationes, quas habent antiqui, ac varii mſs. Codices Rituales a doctiſſimo Edmundo Martene allati, Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. IX. Articulo V. quorum loca nonnulla jam ſuperius recenſui.

§. V.

His expletis, ſi benedicendæ ſint Nuptiæ, Parochus Miſſam pro Sponſo, & Sponſa, ut in Miſſali Romano, celebret, ſervatis omnibus, quæ ibi præſcribuntur.

COMMENTARIUS.

I. ANuli benedictione abſoluta, ex præſcripto quidem nonnullorum Ritualium, ac præſertim Paſtoralis Mechlinenſis, teſte Vaneſpen, Parte II. Juris Eccleſiaſtici univerſi, Tit. XII. Cap. VI. num. XI. *novi conjuges honeſtiori loco collocati audiunt Miſſam, orantes Deum pro Matrimonii jam initi proſpero ſucceſſu*. At vero noſtrum Rituale Romanum in præſenti §. Miſſam duntaxat celebrandam indicat, ſi Nuptiæ ſint benedicendæ, atque ita ipſam Miſſæ celebrationem eſſe vice benedictionis. Poſt benedictionem enim Annuli immediate ſubjicit hæc noſtri §. verba: *His expletis, ſi benedicendæ ſint Nuptiæ, Parochus Miſſam pro Sponſo, & Sponſa, ut in Miſſali Romano, celebret, ſervatis omnibus, quæ præſcribuntur*. Neque alterius benedictionis meminit. Et ſane ſi veterem diſciplinam ſpectemus, benedictio Nuptiarum intra Miſſarum ſolemnia fiebat poſt Orationem Dominicam, & omnia alia, quæ intra Miſſarum ſolemnia olim benedicebantur, ut ex antiquis Sacramentorum Libris docet Hugo Menardus in Notis ad Sacramentarium S. Gregorii Papæ, qui primus edidit ex ms. Codice Rhemenſi exarato circa annum Milleſimum Actionem, ſeu Miſſam propriam nuptialem, in qua inter alia dicitur: *Et dicis Orationem Dominicam, & ſic eam*, Sponſam ſcilicet, *benedicis his verbis*: Deus, qui Mundi creſcentis exordium &c.

II. Integram Actionem nuptialem, ſive Miſſam propriam nuptialem ex pervetuſto Galeſiano Miſſali, & ms. Codicibus Remenſi, & Gellonenſi annorum circiter mille legere eſt apud eruditiſſimum Edmundum Martene, Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. IX. Articulo V. in quo varii ad benedicendas Nuptias Ordines referuntur, Ordine I. in quo, & Orationes propriæ, Præfatio, ac Benedictiones lectu dignæ habentur. Porro hujus veteris ritus veſtigium eſt, quod in citato Paſtorali Mechlinenſi præſcribitur. *Dicto*, Pater noſter, *Sacerdos, antequam dicat*, Libera nos, quæſumus, Domine, *ſtans in cornu Epiſtolæ verſus Sponſum, & Sponſam ante Altare genuflectens, dicit ſuper eos ſequentes orationes*. Hæ enim benedictiones, ut ſubdit Vaneſpen, locum priſtinæ benedictionis ſupplent. Ad Sacerdotalem, ſeu potius benedictionem Eccleſiæ miniſterio Sacerdotis impertiendam, nec non ipſum Miſſæ Sacrificium in Nuptiarum benedictione celebrari conſuetum, non obſcure alludit Tertullianus Libro II. *Ad uxorem*, Cap. IX. dicens: *Unde ſufficiam ad enarrandam felicitatem ejus Matrimonii, quod Eccleſia conciliat, & confirmat Oblatio &c.* Ex ms. Miſſali Redonenſi ab annis circiter DCCC. ſcripto, & in Bibliotheca S. Gatiani Turonenſis aſſervato, in ipſa nuptiali Miſſa, apud ipſum Martene Ordine II. *Sponſus, & Sponſa candelas ardentes in manibus tenentes, & offertorium, Miſſam audientes, offerunt, &, antequam*, Pax Domini, *dicatur, ante Altare ſub pallia, vel alio quolibet opertorio, ſicut mos eſt, Sacerdos eos benedicit, ad ultimum prædictus Sponſus pacem de Presbytero accipit, ſicque Sponſæ ipſe fert*.

III. Juxta præſcriptum Pontificalis Monaſterii Lyrenſis annorum circiter DCC. teſte Martene Ordine III. peracta benedictione, aliiſque ritibus expletis, prædictæ benedictionis ſuper Sponſum, & Sponſam Miſſa erat de Sancta Trinitate, incipiebatque: *Benedicta ſit Sancta Trinitas*; dicebatur: *Gloria in excelſis Deo*, Epiſtola ex Apoſtolo, *Neſcitis quia corpora veſtra membra ſunt Chriſti*. Evangelium: *Acceſſerunt ad Jeſum Phariſæi tentantes eum, & dicentes: Si licet homini dimittere uxorem ſuam*. Tum, *Credo in unum Deum*. Offertorium, *Benedictus ſit Deus Pater*. Præfatio de Trinitate, *Qui cum Unigenito*. Mandat mox, ut *poſt* Sanctus, *proſternant ſe in orationem extento pallio ſuper eos, quod teneant quatuor homines ad quatuor cornua, & antequam dicatur*, Pax Domini, *faciat Presbyter hanc orationem ſuper illos*. Dominus vobiſcum. Oremus. Propitiare Domine ſupplicationibus noſtris &c. Oremus. Deus, qui poteſtate virtutis tuæ de nihilo cuncta feciſti &c. *Poſt hæc ſequuntur*, Pax Domini ſit ſemper vobiſcum, &, Agnus Dei. *Tunc ſurgant ab Oratione, & accipiat Sponſus pacem a Sacerdote, & ferat ad Sponſam, oſculans eam, & neminem alium, nec ipſe, nec ipſa, ſed Clericus poſt ipſum a Presbytero pacem accipiens, ferat aliis, ſicut ſolitum eſt*. Tandem, ut alia omittam, præſcribit etiam ipſum Pontificale, ut *poſt Miſſam benedicatur panis, & vinum in vaſculo, & guſtent in Nomine Domini*.

IV. Pacis oſculi in nuptiali benedictione meminere paſſim Rituales Codices antiqui pariter, ac recentiores; quibus adhærens citatum Mechlinenſe Paſtorale apud memoratum Vaneſpen, num. XIII. ſic habet: *Miniſter celebrantis oſculum pacis a ſacrificante acceptum defert primum Sponſo, ac deinde Sponſæ, qui cum gratiarum actione, ac mutuæ charitatis deſiderio illud accipient in ſignum charitatis, ac perpetuæ pacis Chriſti cum Sponſa ſua Eccleſia; & poſtea ordinate cæteris in honorem Nuptiarum præſentibus*. Eſt autem adeo antiquum ipſum nuptiale oſculum, ut illius etiam meminerit Tertullianus in Libro, *De velandis Virginibus*, Cap. XI. Nec dubium, quin ſibi mutuo olim Sponſi oſculum darent, Fideles enim in ipſa Sacra Synaxi ſe mutuo oſculo ſalutaſſe, ſeu pacem dediſſe, pluribus oſtendit Joannes Cardinalis Bona Lib. II. Rerum Liturgicarum, Cap. XVV. & concludit: *Signum igitur mutuæ dilectionis, & pacis erat oſculum inter Chriſtianos, a quo procul aberat omnis ſuſpicio impuri affectus*. Deinde paucis interpoſitis ſubjungit; *Veteri tandem ſimplicitate in malitiam degenerante ſubtractum paulatim eſt oſculum, & ejus vice mos introductus porrigendi tabellam cum Crucis, vel Chriſti Imagine, quam ſuperioris ſæculi Scriptores oſculatoriam vocant*,

de

de quo vocabulo agit Spelmannus in Gloſſario. Jam non promiſcue datum fuiſſe olim oſculum, ſed mares mares, feminas feminas oſculatas fuiſſe, jam nos alibi notavimus. Exceptos autem fuiſſe ab ea diſciplina Sponſos, ex recitato ſuperius Tyrenſi Pontificali, & ex aliis Ritualibus multis addiſcere licet.

V. Sed nec omittendus eſt ritus in prædicta Miſſa olim ſervatus, impertitæ ſcilicet ſacræ Communionis Sponſis, uti conſtat ex citatis ſuperius Miſſali Gelaſiano, & mſs. Codicibus Remenſi, & Gellonenſi, ubi ſic inquiunt: *Poſt hæc dicis*, Pax vobiſcum, *& ſic eos communicas*. Apud Græcos, teſte Bartholdo Nihuſio in Tractatu, *De Communione Orientalium ſub unica ſpecie*, unica ſpecies præſanctificata Sponſo, & Sponſæ diſtribui ſolita fuit, quippe poculum vitreum vino minime conſecrato plenum ablutioni eorum inſerviebat. Idem docet Arcudius Lib. VII. Capite XXXII. ex ms. Euchologio Criptæ Ferratæ, ex cujus præſcripto calix vitreus, ex quo ablutio porrigebatur, frangi debebat. Nunc vero Græci minime communicant in Nuptiis, ſed cum a prandiis, atque etiam domi permulti Matrimonia contrahant, poculum vino plenum Presbyter ſolet exhibere Sponſo, & Sponſæ, dum eos Matrimonio conjungit, qui ritus pariter in quibuſdam Latinis Ritualibus reperitur, teſte Martene, Libro I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Capite IX. Articulo III. num. XI.

VI. Tandem Miſſa abſoluta, poſtquam novis conjugibus, ac toti populo communis fuerit impenſa Miſſæ benedictio, priuſquam Sacerdos incipiat Evangelium S. Joannis, adducendi ſunt novi ipſi conjuges ad Altare ex laudato toties Paſtorali Mechlinenſi, ad quos converſus Sacerdos, dicit benedictionem, quæ & in antiquis Ritualibus legitur: *Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob ſit vobiſcum, & ipſe impleat benedictionem ſuam in vobis, ut videatis filios filiorum veſtrorum, uſque ad tertiam, & quartam generationem, & poſtea vitam æternam habeatis ſine fine &c.* Ex ejuſdem Paſtoralis præſcipto, uti docet Vanespen citato loco, num. XV. Sacerdos legere debet Evangelium S. Joannis, *In principio erat Verbum*, ſuper novos conjuges, atque lectum Evangelium Crucis impreſſione ſignatum exhibere utrique oſculandum. Placuit autem varios ritus deſcribere, qui licet in noſtro Romano Rituali deſiderentur, ab eo tamen minime improbantur, ſiqui tamen laudabiles ſunt, ut ex ſequenti §. addiſcimus.

§. VI.

Ceterum ſi quæ Provinciæ aliis, ultra prædictas, laudabilibus conſuetudinibus, & cæremoniis in celebrando Matrimonii Sacramento utantur, eas Sancta Synodus optat retineri.

COMMENTARIUS.

I. QUum ex dictis in ſuperioribus Commentariis conſtet, itemque ex iis, quæ mox infra dicemus, pleraſque ſacras cæremonias, & iteratas preces, atque Orationes in variis, antiquiſque aliarum Eccleſiarum Ritualibus haberi, quæ in noſtro Romano Rituali deſiderantur, ubi brevis admodum formula celebrandi Matrimonium recenſetur; opportune, meritoque, hic noſter §. Tridentini Concilii ſententiam laudat in Decreto reformationis Matrimonii, Seſſione XXIV. Cap. I. expreſſam, ubi verbis in hoc §. relatis edicitur, *quod ſiquæ Provinciæ aliis, ultra prædictas, laudabilibus conſuetudinibus, & cæremoniis, in celebrando Matrimonii Sacramento utantur, eas Sancta Synodus optat retineri*. Cum itaque, & Rituale Romanum, & Tridentinum Concilium laudabiles alias conſuetudines, ac cæremonias in Matrimonii celebratione ab aliis Eccleſiis ſervatas non ſolum commendent, ſed & retineri optent, operæ pretium duxi eas in hoc Commentario referre, atque explicare.

II. Ritus æque antiquus, atque univerſalis fuit ille, dum cantaretur benedictio nuptiarum, expandendi velum purpureum in ſignum pudoris ſuper Sponſum, & Sponſam, ut docent Libri Rituales, innuitque S. Ambroſius pluribus in locis, maxime vero in Libro, *De Virginitate*, Cap. XV. *Utinam*, inquit, *poſſem revocare nupturas, utinam poſſem flammeum nuptiale pio integritatis mutare velamine*. In exhortatione ad Virgines, Cap. VI. ſic habet: *Nubes itaque ſunt, & graves nubes, quæ nupſerint; nam a nubibus verbum nubentium tractum arbitror; denique operiuntur ut nubes, cum acceperint nuptura velamina*. Et in Epiſtola XIX. diſerte ait, *ipſum conjugium velamine, Sacerdotali & benedictione ſanctificari oportere*. Similiter Syricius Papa in Epiſtola ad Mediolanenſem Eccleſiam ita de eo ritu ſcribit: *Nos ſane Nuptiarum vota non aſpernanter accipimus, quibus velamine interſumus; ſed virgines, quas Nuptiæ creant Deo devotas, majore honorificentia honoramus*.

III. Eundem hunc ritum recenſet explicatque S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus Lib. II. *De Officiis Eccleſiaſticis*, Cap. XIX. ſic dicens: *Quod vero eædem feminæ, dum maritantur, velantur, ſcilicet ut noverint, ſe per hæc viris ſuis eſſe ſubjectas, & humiles; unde & ipſum velamen vulgo mavortem vocant, ideſt martem, quia ſignum maritalis dignitatis, ac poteſtatis eſt in eo. Caput enim mulieris vir eſt; licet deinde velentur, dum nubunt, ut verecundiam mulieris agnoſcant, quia jam ſequitur inde quod pudeat. Unde Rebecca cum ad Sponſum duceretur* (Geneſ. XIV.) *ſimul ut eum conſpexit, ſalutationem, vel oſcula ſuſtinuit, ſed tamen ſtatim ſentiens, quid eſſet futura, pallio caput velavit. Obnubere enim velare dicitur; hinc etiam & nuptæ dictæ, quod vultus ſuos velent; unde & nubes dictæ eo quod terram, aut æthera obtegant*. Pergit Sanctus Præſul, magiſque ritum ipſum explicat his plane verbis: *Quod autem nubentes poſt benedictionem vitta invicem vinculo copulantur, videlicet, ne compagem conjugalis unitatis diſſipent*. Tum vero ſtatim ſubjicit: *At vero quod eadem vitta candido purpureoque colore permiſcetur, candor ad munditiam vitæ, purpura ad ſanguinis*

nis poſteritatem adbibetur ; ut boc ſigno continentiæ lex tenenda ab utriſque ad tempus admoneatur , & poſt bæc ud reddendum debitum non negetur . Quod enim dicit Apoſtolus conjugatis , Abſtinete vos ad tempns , ut vacetis oratiool , *boe ille eaudor vittæ inſinuat ; qaod vero ſubjungit* : Et iterum revertimini in id ipſum , *boe purpureus eolor ille demoſtrat* . Hactenus Iſidorus in cujus prolixo loeo multa obſervare diligens poterit lector .

IV. Plura de eodem hoe ritu notavit Durandus in ſuo Rationali, Lib. 1. Cap. IX. S. Carolus mentioncm de eo faeit in Matrimonii Inſtructionibus io fine Capitis , quod inſcriptum eſt , *De Paroebi diligentia iu denunciationibus, aliiſque* , nbi inter alia mandat, velatam deducendam eſſe nupturam in Eccleſiam : *Velatam Sponſam deduci movebit* , Parochus ſcilicet , cum ob decentiam , Apoſtoliqoe præceptum , tum ob ſignificationem ſubjectionis erga virum , *Rebeccæ etiam exemplo , quæ , ut Sponſum eonſpexit , caput velavit* . Ex qoo addiſeimus , quod alias notavit S. Iſidorus ſuperins allegatus , ex Veteri Teſtamento manaſſe ritom ipſum io Eecleſiam . In Veteri quippe Teſtamento ſie virgines a nuptis diſtinguebantur , qood hæ , ut nomeo ipſum nuptæ ſonat , calyptra aliqua , vel flammeo , illæ aperto, & nullo velamine procedebant intectæ . Itaque Rebecca , qoæ jam in noptarum cenſu erat adſcripta , ut primum in eonſpectum venit Iſaaci mariti ſui , *tollens cito pallium , operuit ſe* , ut habemus in Geneſi , Cap. XXIV. Quid ſignifieet velamen iſtud mulieris nuptiale , iodicat S. Paulus in Epiſtola 1. ad Corinthios , Cap. XI. cum ait : *Vir quidem non debet velare caput ſuum , quoniam imago , & gloria Dei eſt ; mulier autem gloria viri eſt . Non enim vir ex muliere eſt , ſed mulier ex viro. Etenim non eſt ereatus vir propter mulierem , ſed mulier propter virum . Ideo debet mulier poteſlatem babere ſupra eaput propter Angelos* . Velamen mulieris vocat Apoſtolus poteſtatem, Græee ἐξȣσίαν , quod quaſi jugum quoddam ſit , quod mulicrum cervicihus injieitur , ad oſtendendam poteſtatem in mulieres, earomque ſubjectionem viris ſuis , qui tot prærogativis , quot S. Paulns enumerat , imbecilliorem , & humiliorem mulierum ſexum longe antecelluot .

V. Quantum vero ex Ritualibos eonſtat , conſuevit utplurimum velum ipſum noptiale , dum eantaretur in Miſſa Nuptiarum Benedictio , ſuper Sponſum , & Sponſam expandi , anteqnam *Pax Domini* , diccrctur . Sie enim ait ms. Miſſale Redonenſe annorum cireiter DCCC. *Sponſus autem, & Sponſa, candelas ardentes in manibus tenentes , & offertorium , Miſſam audientes offerunt ; & antequam* , Pax Domini , *dieatur , ante Altare ſub pallio, vel alio quolibet opertorio , ſicuti mos eſt , eos benedicat* . At vero ms. Pontificale Monaſterii Lyrenſis annorum eireiter DCC. mandat Sponſis , *ut poſt* Sanctus *proſternant ſe in Orationem , extento pallio ſuper eos , quod teneant quatuor bomines ad quatuor cornua , & , antequam dieatur*, Pax Domini , *faciat Presbyter banc orationem ſuper illos* . Sequuntor mox duæ orationes , quarum prima brevior , ineipltque , *Propitiare Domine &c.* Altera longe prolixior , & incipit, *Deus qui poteſtate virtutis &c.* Idem habetur in Miſſali ms. Eeelcſiæ Rotomagenſis , anoorum eirciter D. in quo etiam eavetur , omittendam eſſe hanc eæremoniam , ubi nubentes *fuerint alias eonjugati , ſea alter eorum fuerit eonjugatus , quia eo caſu non fieret* . Quod etiam in recentioris ævi Ritualibns idem ritus fuerit præſcriptus , eonſulenda illa ſunt apud Martene Lib. 1. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Capite IX. Artieulo V. Ordine VIII. & ſeqq.

VI. Explicandus ounc alius eſt ritus pervetuſtus quoque , ae celebris coronandi ſcilicet Sponſos , quem etiam conſtat a Veteri Teſtamento ſuiſſe deſuptum . Sane in Cantico Canticorum Cap. III. puellæ Hieroſolymitaoæ ad Salomonem nuptom ſpectandum his verbis evoeantur : *Egredimini filiæ Sion , & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ eordis ejus* . Apud Iſaiam Prophetam legimos hunc plane in modum : *Quaſi Sponſum decoratum corona* . Plecti conſueviſſe Curonas haſce plerumque ex floribus, aut herbis odoratis , caliculis , verbi gratia, roſarum , myrto , phylara , aliiſque hujuſmodi inſertis , & invicem implexis, notavit Meoochius Lib. 1. *Inſtitutionis Oeconomicæ* , Cap. VI. num. VII. Sed ut de ritibus in Chriſtiana Religione uſitatis diſſeramus , teſte Nicolao I. Pontifice Maximo, qui anno DCCCLVIII. ad Pontificatum evectus ſuit , reſpondens ad Conſulta Bulgarorum , ſic ritum ipſum ſuo tempore ſervari ſolitom recenſet : *Poſt bæc autem de Eccleſia egreſſi Coronas in eapitibus geſtant, quæ ſemper in Eccleſia ipſa ſunt ſolitæ reſervari* . Longe ante Nieolaom Papam meminere hujus ritus Palladius in Lauſiaca , Cap. VIII. Evagrius Lib. VI. *Hiſtoriæ* , Cap. I. Gregorius Turonenſis Lib. I. Cap. XLII. itemque Acta S. Amatoris Antiſiodorenſis Epiſeopi , qoi obiit anoo CDV. apud Bollandum die 1. Maji , ubi de Sponſa ipſius Amatoris ante Epiſcopatum docta , ſic inquinnt : *Turrita Corona frontem eomprimunt* . Quibus ex verbis apparet , Coronas illas in formam turris ſuiſſe eompoſitas . Has propriis Sacerdotum manibus impoſitas ſuiſſe Sponſo pariter & Sponſæ, colligere licet ex Actis ms. S. Alexii , memoratis a laudato Martene , eitato loeo , Articulo II. num. X. in quibus ſie legitur : *Elegerunt ei puellam ex genere Imperiali , & ornaverunt tbalamum , impoſitaque ſunt eis ſingulæ Coronæ in Templo S. Bonifacii Martyris per manus bonoratiſſimorum Sacerdotum* .

VII. Viguiſſe olim , adhueque vigere hodie apud Græcos ritum coronaodi Sponſos , ex eorum Eochologio eonſtat , in Officio, quod Coronationis Nuptiarum dieitur , ex eujus præſcripto , *ſi quidem voluerint eodem temporis ſpatio* , in Matrimonii ſcilicet celebratione, *eoronari, ingrediantur in Templum Sponſi cum cereis accenſis , præcedente Sacerdote cum thuribulo , & canente Pſalmum modo ſequenti* . Sequuntur variæ preces , prolixæque orationes , & deinde *Sacerdos, acceptis Coronis, primo coronat Sponſum, dicens* : Corooatur Servus Dei N. propter Ancillam Dei N. io Nomine Patris , & Filii , & Spiritus Sancti : *Deinde coronat Sponſam , dicens* : Coronatur Ancilla Dei N. propter Servum Dei N. In Nomine Patris , & Filii , & Spiritus Sancti . *Tum benedicit eis ter* . Sequuntur mox aliæ preces , orationes , itemque Lectiones ex S. Pauli Epiſtola ad Epheſios , & ex Evangelio S. Joannis , atque varii alii ritus ad ipſam Coronationem Nuptiarum ſpectantes , quos legere eſt in

Eu-

Euchologio loco citato cum Notis eruditiſſimi Jacobi Goar ibidem.

VIII. Miſſos facio alios multos Eccleſiarum particularium ritus, illudque obſervandum cenſeo, quod ex Tridentino Concilio ait hic noſter §. nempe quod, *ſiquæ Provinciæ aliis ultra prædictos*, in Rituali ſcilicet Romano deſcriptos, *laudabilibus conſuetudinibus, & Cæremoniis in celebrando Matrimonii Sacramento utantur, eas Sancta Synodus optat retineri*. Ubi nota, laudabiles quidem conſuetudines, & cæremonias commendari, non vero abuſus, & corruptelas ſuperſtitioneſve, quos aliquando in celebrationem Matrimonii irrepſiſſe, zelantiſſimi Præſules, & Synodi conqueſti ſunt, omnemque diligentiam impenderunt, ut eos abolerent. Porro, ut aliqua exempla proferam, S. Carolus in Concilio Provinciali I. Mediolanenſi, Capite, *Quæ ad Sacramentum Matrimonii pertinent*, diſtricte Parochis præcepit, *ut uſum illum in Eccleſia bibendi, & frangendi Cyathi, & alia id generis, quæ indecore fiunt, cum aliqui Matrimonio junguntur, amplius ne adhiberi patiantur*. Rurſus in Concilio Provinciali II. Decreto XXVIII. diſerte ait, *ne Parochus ulla cujuſvis generis muſica inſtrumenta adferri patiatur, cum Sponſi in Eccleſiam conveniunt, vel ad Matrimonium contrahendum, vel ad accipiendam benedictionem*. Alios id genus abuſus in aliis Synodis paſſim damnatos commemorare hoc loco ſupervacaneum eſt.

§. VII.

Peractis omnibus, Parochus manu ſua deſcribat in Libro Matrimoniorum nomina Conjugum, & teſtium, & alia juxta formulam præſcriptam; idque, licet alius Sacerdos vel a ſe, vel ab Ordinario delegatus celebraverit Matrimonium.

COMMENTARIUS.

I. Conſtituit id quoque Synodus Tridentina in citata toties Seſſione XXIV. *De reformatione Matrimonii*, Cap. I. ut *habeat Parochus Librum, in quo conjugum, & teſtium nomina, diemque, & locum contracti Matrimonii deſcribat, quem apud ſe diligenter cuſtodiat*. Concilii Tridentini Decretum amplexus eſt S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolanenſi I. Capite inſcripto, *Quæ ad Sacramentum Matrimonii pertinent*, eidemque nonnulla addidit, quæ digna ſunt, ut hoc loco notentur: *Ne autem Matrimoniorum, quæ contrahentur, memoria facile pereat, ſiquam facultatem Epiſcopi, aut Parochi cuiquam alii Sacerdoti, ut in contrahendo Matrimonio interſit, concedendam aliquando duxerint, id ſcripto tantum faciant, ejuſque exemplum Epiſcopi in aliquo Libro deſcriptum diligenter adſervent. Parochi autem in eum Librum referant, in quo conjugum, & teſtium nomina ex præſcripto Tridentini Concilii ſcribere debent. Quicquid vero eo Libro Parochi ſingulis annis ſcripſerint, id in fine anni Epiſcopo deſcribendum tradant*. Agit & alibi S. Carolus de hoc Libro in aureis Actis Eccleſiæ Mediolanenſis, ejuſque Decreta de ea re legere eſt etiam in aliis Conciliis tum Provincialibus, tum Diœceſanis, ac iis potiſſimum, quæ poſt Generale Tridentinum Concilium celebrata fuere.

CAPUT III.

De benedictione mulieris poſt partum.

I. Reliquum eſt, ut poſtquam de Matrimonii Sacramento diſſeruimus, agamus nunc in hoc Capite, *De Benedictione mulieris poſt partum*, quæ licet ad alteram hujus Operis partem pertinere potius videatur, ad Titulum ſcilicet, *De Benedictionibus*, non ſine cauſa tamen hoc loco ea materia tractatur, veluti continuatio Tituli, *De Sacramento Matrimonii*, de quo hactenus egimus juxta ordinem in Rituali præſcriptum.

§. I.

Siqua puerpera poſt partum, juxta piam, ac laudabilem conſuetudinem, ad Eccleſiam venire voluerit, pro incolumitate ſua Deo gratias actura, petieritque a Sacerdote benedictionem, ipſe Superpelliceo, & Stola alba indutus, cum Miniſtro aſpergillum deferente, ad fores Eccleſiæ accedat, ubi illam foris ad limina genuflectentem, & candelam accenſam in manu tenentem Aqua benedicta aſpergat, deinde dicat. ℣. *Adjutorium noſtrum in Nomine Domini*. ℟. *Qui fecit Cælum, & Terram*. Antiphona: *Hæc accipiet benedictionem a Domino*. Pſalmus: *Domini eſt Terra, & plenitudo ejus &c.* totus, cum *Gloria Patri*. Repetitur Antiphona: *Hæc accipiet benedictionem a Domino, & miſericordiam a Deo ſalutari ſuo; quia hæc eſt generatio quærentium Dominum*. Deinde porrigens ad manum mulieris extremam partem Stolæ, eam introducit in Eccleſiam, dicens: *Ingredere in Templum Dei, adora Filium Beatæ Mariæ Virginis, qui tibi fecunditatem tribuit prolis*. Et ipſa ingreſſa genuflectit coram Altari, & orat, gratias agens Deo de beneficiis ſibi collatis. Et Sacerdos dicit: *Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon*. Pater noſter, ſecreto, ℣. *Et ne nos inducas in tentationem*.

nem. ℟. *Sed libera nos a malo.* ℣. *Salvam fac ancillam tuam, Domine.* ℟. *Deus meus ſperantem in te.* ℣. *Mitte ei Domine auxilium de Sancto.* ℟. *Et de Sion tuere eam.* ℣. *Nihil proficiat inimicus in ea.* ℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo. Oremus.*

Omnipotens ſempiterne Deus, qui per Beatæ Mariæ Virginis partum, Fidelium parientium dolores in gaudium vertiſti: reſpice propitius ſuper hanc famulam tuam ad Templum ſanctum tuum pro gratiarum actione lætam accedentem; & præſta, ut poſt hanc vitam, ejuſdem Beatæ Mariæ meritis, & interceſſione, ad æternæ beatitudinis gaudia cum prole ſua pervenire mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

§. II.

Deinde illam aſpergit iterum Aqua benedicta in modum Crucis, dicens: *Pax, & benedictio Dei Omnipotentis, Patris ✠, & Filii ✠, & Spiritus ✠ Sancti deſcendat ſuper te, & maneat ſemper. Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Fuit Veteris Teſtamenti Lex, Levitici Capite XII. expreſſa, qua mulier poſt partum certo dierum ſpatio arcebatur a Templo: *Mulier, inquit, ſi ſuſcepto ſemine peperit maſculum, immunda erit ſeptem diebus juxta dies ſeparationis menſtruæ; ipſa vero triginta tribus diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ; ſin autem feminam peperit, immunda erit duabus hebdomadibus juxta ritum fluxus menſtrui, & ſexaginta ſex diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ.* Quod interim mulier ingredi Sanctuarium, vel Templum non poſſet, donec implerentur dies purificationis, ex ipſa Levitici Lege addiſcere licet. Cui quidem etſi Deipara Virgo ſubjecta non eſſet, voluit nihilominus ſe ei ex humilitate ſubjicere, uti legitur in Evangelio Lucæ Capite II. Atque hinc originem ſumpſit Feſtum Purificationis Beatæ Mariæ Virginis, de qua in noſtris Commentariis ad Cæremoniale Epiſcoporum, & ad illud Sanctæ Romanæ Eccleſiæ diximus, & dicemus iterum infra Tomo II. hujus Operis ad Titulum, *De Proceſſione in die feſto Purificationis Beatæ Mariæ Virginis.* Porro occaſione hujus Feſti invaluit Seculo VII. alicubi conſuetudo, ut hoc die homines *placentas*, ſive *ſimilam* coquerent, ac ſibi mutuo mitterent, *honoris ſcilicet prætextu ſecundinarum*, ideſt, puerperii, *impollutæ Virginis Matris*, ut ait Concilium Trullanum Canone LXXIX. diſtricte ſtatuens, ut *ſiquis deinceps hoc facere aggreſſus fuerit, ſi ſit quidem Clericus deponatur; ſi vero laicus, ſegregetur.* Sed in hunc Canonem vide, quæ ſcripſimus noſtro Tomo II. Conciliorum in Commentariis ad Concilia Oecumenica, in explicatione Canonum prædicti Concilii.

II. Quamquam vero mulieres Novi Teſtamenti puerperio, omnibuſque, quæ illud conſequuntur, non ſecus, ac Veteris Teſtamenti mulieres ſubjectæ, purificatione indigere videantur, hac Lege tamen minime conſtringuntur; quia ſcilicet, ut recte docet Innocentius Papa III. in Epiſtola ad Archiepiſcopum Armachanum, relata in Capite unico, *De purificatione poſt partum*, Libro III. Decretalium, Titulo XLVII. *licet ſecundum Legem Moſaicam certi dies determinati fuiſſent, quibus mulier poſt partum a Templi ceſſaret, Lex per Moyſen data eſt, gratia, & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt.* Hinc ulterius infert, *quod poſtquam umbra Legis evanuit, & illuxit veritas Evangelii, ſi mulieres poſt prolem emiſſam, actura gratias Eccleſiam intrare voluerint, nulla proinde peccati mole gravantur, nec Eccleſiarum eſt eis aditus denegandus, ne pœna illis converti videatur in culpam.* Similia ante Innocentium edixerat Canon II. nomine Gregorii Papæ inſcriptus apud Gratianum Diſtinctione V. *Si mulier eadem hora, qua genuerit, actura gratias intrat Eccleſiam, nullo pondere peccati gravatur &c.* Ceterum in citata ſua Decretali addit Innocentius, quod ſi mulieres ipſæ *ex veneratione voluerint aliquandiu abſtinere*, Eccleſiæ ſcilicet ingreſſu, *devotionem earum non eſſe improbandam.*

III. Itaque laudandæ mulieres Chriſtianæ, quæ, ſive ex reverentia erga Eccleſiam, ac Divina myſteria, quæ in ipſa peraguntur, ſive exemplo Deiparæ Virginis, quæ ex humilitate Legi ſe ſubdidit, cui, ut dictum eſt, non erat obnoxia, conſueverunt etiam ipſæ, licet minime eidem Legi, ex alia ratione ſuperius explicata, ſubjectæ, ad tempus aliquod ab Eccleſiæ ingreſſu abſtinere, nec in eam intrare, niſi ſe Sacerdoti præſentaverint, & ipſe, precibus aliquibus præmiſſis, illas introduxerit, juxta ritum præſcriptum in hoc noſtro Rituali Romano, vel aliis aliarum Eccleſiarum, probatis tamen Superiorum auctoritate. Neque enim privato homini licet ſacros ritus præſcribere, qui publice in Eccleſia ſerventur. Ceterum tametſi arbitrio mulierum relinquatur, ſi velint aliquandiu ab ingreſſu Eccleſiæ abſtinere, & deinde benedici in Templo, præcepit nihilominus S. Carolus in ſuo Concilio Mediolanenſi I. Provinciali, Capite inſcripto, *Quæ pertinent ad Baptiſmi adminiſtrationem*, in fine, ut *moneant Parochi puerperas, ut cum primum poſt partum domo exierint, mox ad Eccleſiam Deo actura gratias accedant, ubi benedictionem a Parocho ſuſcipiant.*

IV. Cogit nos hoc S. Caroli ſtatutum eam Quæſtionem diſcutere, an benedictio mulieris poſt partum fieri poſſit, ac recipi in quavis Eccleſia, & a quovis Sacerdote, ſive Sæculari, ſive Regulari? Et quidem ſi noſtro §. ſtandum ſit, nullam facit hic mentionem Parochi, ſed dumtaxat Sacerdotis: *Siqua puerpera*, inquit, *poſt partum,*

tum, juxta piam, ac laudabilem conſuetudinem, ad Eccleſiam venire voluerit, pro incolumitate ſua Deo gratias actura, petieritque a Sacerdote benedictionem &c. Miniſter itaque hujus benedictionis eſt quilibet Sacerdos, non abſolute Parochus; cumque nulla ibidem mentio fiat Eccleſiæ Parochialis, cui iſta benedictio alligetur, hinc ſatis deducitur, poſſe hanc benedictionem in quavis Eccleſia fieri, & a quovis Sacerdote, qui illi ſcilicet Eccleſiæ præſit, ad quam, benedictionem poſt partum ſuſceptura mulier accedit. Tenent paſſim hanc ſententiam Scriptores Regulares, inter quos Lezana, Quæſtionum Regularium Tomo I. Capite XII. num. 41. & Tomo II. verbo, *benedicere*, num. 17. ubi ita etiam deciſum fuiſſe a Sacra Congregatione teſtatur. Quin nec poſſe Parochos ſibi poſtulare, aut uſurpare candelas, aut alia, quæ occaſione benedictionis prædictæ a mulieribus puerperis Eccleſiæ Regularium relinquuntur, ſed ea pertinere ad ipſos Regulares, alios citans probat Leander, *De Præceptis Eccleſiæ*, Tractatu VI. Diſputatione X. Quæſtione X. ubi etiam Declarationem Sacræ Congregationis ſuper hac re in favorem Regularium factam recenſet. Porro vidi ſæpe Romæ hujuſmodi benedictiones in Eccleſiis non Parochialibus celebratam, imo iterum atque iterum in noſtra Eccleſia S. Hieronymi Charitatis, Parochis ſcientibus, & nequaquam reclamantibus.

V. Ceterum tametſi ex Rituali noſtro Romano liberum ſit mulieri ad quam malit Eccleſiam accedere, non addubito tamen, quin ſtandum ſit receptæ locorum conſuetudini, ac Synodalibus Statutis. Certe quod a Parocho debeant puerperæ benedictionem accipere, ſtatuit non uno in loco S. Carolus, & præſertim in Provinciali I. Concilio ſuperius memorato. Ne Sponſorum, & mulierum poſt partum benedictiones a Regularibus perſolvantur, vetuit, & quidem ſub excommunicationis pœna, Synodus Provincialis X. Beneventana ſub Jacobo III. Cardinale Sabello anno MDLXVII. Seſſione VII. Tit. I. Capite V. *Quoniam vero intelligimus, a Regularibus nullam curam animarum habentibus falcem in alienam meſſem immitti, & Sponſorum Sponſarumque benedictiones fieri, itemque mulierum a partu ad Eccleſiam venientium, quæ munera propria Parochorum ſunt; eis ſub pœna excommunicationis mandamus, ne ſe hujuſmodi officiis ad eos minime ſpectantibus ullo pacto immiſceant.* Eſſe proprium Parochi munus Sponſorum benenedictionem, aperte conſtat ex noſtro Rituali, ex Concilio Tridentino, & ex repetitis Sacræ Congregationis ejuſdem Concilii Interpretum Decretis; ſed non puto idem dici poſſe de mulieris benedictione poſt partum, ex rationibus ſuperius a nobis jam explicatis; potiſſimum vero ex illa, quod ubi noſtrum Rituale abſolute Parocho benedictionem Sponſorum tribuit, benedictionem vero mulieris poſt partum, non quidem Parocho, ſed Sacerdoti; ei ſcilicet, a quo mulier benedictionem ipſam petierit.

VI. Fateor equidem, prohibitos ſæpe fuiſſe a Sacra Congregatione Regulares eam benedictionem impertiri, quia nimirum ex antiqua, ut dictum eſt, locorum conſuetudine, & Synodalibus Statutis munus id eſſet proprii mulieris Parochi. Hinc in Synodo Provinciali II. Mechlinenſi, Titulo III. Capite VIII. cautum eſt, ut *puerperæ cum a puerperio domum exeuntes, ſe ad Eccleſiam contulerint, a proprio Parocho juxta probatiſſimam Eccleſiæ conſuetudinem purificentur.* Itaque nititur hæc Synodus probatiſſima Eccleſiæ conſuetudine, quam merito Sacra Congregatio confirmavit, teſte Vaneſpen Parte II. *Juris Eccleſiaſtici*, Titulo II. Cap. V. num. IX. Cum enim Paſtores Civitatis Antuerpienſis ad Sacram Congregationem querelas detuliſſent, *quod, non obſtante contraria conſuetudine, necnon Conſtitutione Synodi Provincialis per Sacram Congregationem recognitæ, & per Sedem Apoſtolicam approbatæ, Regulares Mendicantes... auderent in ſuis Eccleſiis mulieres poſt partum ad purificationem admittere*; Sacra ipſa Concilii Tridentini Interpretum Congregatio die XVIII. Novembris anni MDCLXII. decrevit, prædictis Regularibus Civitatis Antuerpiæ id non licere. Quod hic a Sacra Congregatione declaratum fuit, etiam in Synodo II. Provinciali Cameracenſi, Titulo VI. Capite XIII. decretum fuerat his verbis: *Prima vice, qua mulieres a puerperio domum exeunt, juxta antiquam Eccleſiæ conſuetudinem ad Eccleſiam recto ſe conferant, gratias acturæ Deo pro beneficio puerperii, & ut a proprio Paſtore, ſeu ejus vicem gerente, & non ab alio, purificentur.*

VII. Sed age explicemus ritus hujus benedictionis. Et quidem, ſi vetuſtum Rituale inſignis Eccleſiæ Catalaunenſis conſulamus, mandat Rituale ipſum, ut mulieres purificandæ accedant ad Eccleſiam, Miſſam audituræ, in ejuſque fine prope Altare adſtarent, quouſque Presbyter manu panem tenens, eum benediceret hiſce plane verbis: *Adjutorium noſtrum in Nomine Domini &c. Sit Nomen Domini benedictum &c. Oremus. Benedic Domine hanc creaturam panis, qui benedixiſti quinque panes in Deſerto, ut manducans eum, purgata a vitiis, ſalutem conſequatur mentis, & corporis. In Nomine Patris ✠, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Benedictum panem, & Aqua benedicta aſperſum tradebat Presbyter mulieri comedendum, deinde vero pacem ad oſculandum, ac tandem eam, ac circumſtantes Aqua benedicta aſpergebat. Idem ritus legitur etiam in veteri Rituali Lemovicenſi; in quo tamen illud additum eſt, quod, *ſi ſit conſuetudo, Stola ſuper caput poſita, mulieris ſcilicet benedictæ, dicit Evangelium*: In principio; *& poſt datur ei Stola ad oſculandum, & dicta mulier Aqua benedicta aſperſa recedit.* Meminit quidem & hujus ritus memoratum Rituale Catalaunenſe, præſcribens Presbytero, ut *ſi mulier gravi infirmitate ante tempus purificandi in domo detineatur, & requirat, ſe eſſe purificandam, accedat ad eam, & dicat Evangelium S. Joannis*, In principio erat Verbum &c. *detque mulieri panem ad comedendum, & Stolam ad oſculandum, aſpergatque eam Aqua benedicta, & recedat.* Ubi nota, Evangelium ipſum debuiſſe dici, ubi mulier ægrotans purificabatur domi, cum alias Rituale Lemovicenſe præſcribat, dicendum etiam in Eccleſia, ubi mulier benedictionem acceperat.

VIII. Neque vero in ſolis ipſis Ritualibus Catalaunenſi, & Lemovicenſi, occurrit Ordo benedictionis mulieris poſt partum in domo, verum etiam in aliis multis, ac præſertim in Sacerdotali Romano Venetiis edito anno MDLXVII. ubi ritus ita præſcriptus legitur: *Sacerdos ingrediens domum mulieris, quæ peperit, dicat in ingreſſu: Pax huic domui, & omnibus habitantibus*

bus in ea. ℣. *Adjutorium noſtrum in Nomine Domini.* ℟. *Qui fecit Cælum & Terram.* Pſalm. *Laudate pueri Dominum*. Pſalm. *Beati omnes, qui timent Dominum*. Pſalm. *Deus miſereatur noſtri.* Aotiph. *Anima mea illi vivet, & ſemen meum ſerviet ipſi. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos a malo. Amen.* ℣. *Salvam fac ancillam tuam.* ℟. *Deus meus ſperantem in te.* ℣. *Mitte ei Domine auxilium de Sancto.* ℟. *Et de Sion tuere eam.* ℣. *Eſto ei Domine turris fortitudinis.* ℟. *A facie inimici.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo. Oremus. Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporis, facturam tuam multiplici pietate cuſtodis, ad invocationem tui Nominis Sancti benignus aſſiſte, ut hanc famulam tuam dextera tuæ virtutis tuearis, poteſtate confirmes, ſignaculo Sanctæ Crucis bene✠dicas, atque tuæ Eccleſiæ, & Sanctis Altaribus eam feliciter reſtituas. Per Dominum noſtrum.* Addit mox: *Et tunc aſpergatur Aqua benedicta.* Hactenus Sacerdotale Romanom poſt medium Seculum XVII. editum, ut vel inde intelligas, etiam poſterioribus Sæculis viguiſſe ritum illum ceteroqui minus proprium benedicendæ mulieris poſt partom etiam domi, ubi ægrotaret.

IX. Adhibitum fuiſſe panem benedictum, eumqoe mulieri comedendum traditum, addiſcimus, non modo ex Ritualibus Catalaunenſi, & Lemovicenſi, ſed & ex Provinciali Concilio III. Mediolanenſi, Cap. Inſcripto, *Quæ ad Sacramentalia, & Sacramenta generatim pertinent*, ubi S. Carolus inter alia Parochum monet, *ne feminis poſt puerperium ad Eccleſiam venientibus panis benedictus ſub hoſtiæ forma præbeatur*. Corrigit præterea ibidem ritum, quem alias Ritoalia antiqua, Catalaunenſe, & Lemovicenſe, permittebant, ut nimirum mulieri ægrotanti poſſet poſt partum benedictio domi impertiri. Vetat id enim non onn in loco, ac primo qoidem in ipſo Coocilio III. ſic dicens: *Ad preces, quæ ſupra puerperas funduntur, cum poſt prolem emiſſam, illa acturu gratias ad Eccleſiam ſe confert, Parochus puerperæ domum ne ingrediatur, etiamſi mulier ob adverſam valetudinem, Eccleſiam adire nequeat.* Idem totidem verbis legere eſt in ejuſdem Sanctiſſimi Antiſtitis Synodo III. Diœceſana, Decreto XIV. & in Inſtructionibus Baptiſmi, Capite, quod inſcriptum eſt, *Quæ ſervanda ſunt poſt Baptiſmum*, ubi ita inquit: *Cavebit*, Parochus ſcilicet, *ne ob eam cauſam*, benedictionis nempe poſt partum, *ipſe puerperæ domum ingrediatur, etiamſi illa adverſa valetudine laboret.*

X. Hiſce S. Caroli Decretis adjungi poſſent variorum Conciliorum Statuta, atque inſignium Eccleſiarum Ritualia, ex quibus non modo cautum eſt, ne mulieres ægrotantes domi purificentur, verum etiam ne per ſubſtitutas qoidem perſonas. Utromque abuſum damnat certe Paſtorale Mechlinenſe, ubi ita edicit: *Si contigerit, mulierem adverſa valetudine certo tempore a purificatione impediri, differatur purificatio, donec utcumque reſtituta, in Eccleſiam ingredi poſſit, etiamſi mortis immineat periculum, quia purificatio extra Eccleſiam facienda non eſt; neque ſubſtituenda alia mulier purificanda in locum defunctæ puerperæ.* Ridicula profecto erat hæc ſubſtitutio, meritoque a laudato Paſtorali improbata. Nam alias quod purificationem ſpectat mulieris ægrotaotis domi, licet hodie paſſim & ipſa a Synodis, atque a Ritualibus vetetur, probata jam olim nihilominus fuit ab antiquis Ritualibus, Catalaunenſi, & Lemovicenſi ſuperius deſcriptis; qoibus etiam adjungi poteſt Euchologium, ſive Rituale Græcorum, in quo leguntur *Orationes in mulierem puerperam die nati ejus pueri primo*; quas quidem Orationes doctiſſimis Notis illuſtravit Jacobus Goar Dominicanus, variiſque auctoritatibus, ac rationibus muniit ritum ipſum Græcorum purificandi puerperam domi tametſi non ægrotaotem. Nolim autem, quiſpiam putet, me Græcorum hunc morem referentem, ritum illum probare, qoi aliquando in quibuſdam locis Eccleſiæ Latinæ iovaluit, purificandi ſcilicet domi ægrotantem puerperam. Conſtanter ajo, quod alias Ritualia, ac Synodi paſſim præſcribunt, non eſſe permittendam purificationem extra Eccleſiam, etiamſi puerperis periculum mortis immineat; oon enim de rito tanti momeoti agitur, ut oon poſſit vel a puerperis ſanis ſine ſcropolo ullo omitti; uti perſpicue conſtat ex initio noſtri hujus §. ubi arbitrio illarom relinquitur, ſi veliot ritum ipſum ſervare: *Siqua puerpera*, inquit, *poſt partum, juxta piam, ac laudabilem conſuetudinem, ad Eccleſiam venire voluerit, pro incolumitate ſua Deo gratias actura, petieritque a Sacerdote Benedictionem &c.*

XI. Optandum plane eſſet, ut ubi poerperæ ad Eccleſiam accederent purificationis gratia, Parochi eiſdem varia myſteria, & documenta exponerent, quæ in ejuſmodi benedictione continentur, quæque poſt Durandum, aliosque Auctores explicuit Paulus Maria Qoarti in Tractatu, *De Benedictionibus*, Titulo II. Sectiooe XII. Præludio II. Ergo, ut ait hic noſter §. accedit mulier ad fores Eccleſiæ, ibique foris ad limina genuflectens, & candelam accenſam in manu tenens Aqua benedicta a Sacerdote Superpellicen, & Stola alba induto aſpergitur. Variat nonnihil Sacerdotale Romanum anni MDLXVII. Cap. XI. ex cujus præſcripto, nulla facta mentione candelæ acceoſæ, quam teocre manu debet mulier aote fores Eccleſiæ genuflexa, *Sacerdos cum Superpelliceo, & Stola* (nulla & hic mentio coloris eſt) *facta confeſſione ante portam Eccleſiæ, aſpergit mulierem Aqua benedicta.* Licet etiam de hujuſmodi candela accenſa nihil dicatur in citatis Ritualibus Catalauneoſi, & Lemoviceoſi, ritus tamen antiqous eſt, ut puerpera ſcilicet benedictionem poſt partum ſoſceptura, cereum accenſum teneret. Id enim perſpicue addiſcimus ex Matthæo Weſtmonaſterienſi ad annum MLXXXVII. ubi refert, qood cum Philippus Rex Galliæ de Guillelmo Normanoo per jocum dictitaſſet, eum velot puerperam decumbere, *Cum ad Miſſam*, inqoit, *poſt partum iero, centum millia candelas illi illuminabo.*

XII. Sed audiamus, ut rem ipſam luculentius enarrat Matthæus Pariſius ad prædictum annum MCLXXXVII. *Rex Anglorum Gulielmus*, inqoit, *in Normandia moram faciens aliquantiſper ſe continuit a bello, quod in Francorum Regem cogitabat. Rex autem Francorum Philippus abutens ipſius patientia opprobrioſe fertur dixiſſe. Rex Anglorum jacet Rotomagi cubile fovens in-*

inſtar parturientium ſeminarum. Sed cum poſt partum ſe purificaturus exiverit, centum millia candelarum cum eo veniam oblaturus in Eccleſia. Quibuſdam enim in locis, ut teſtatur Lupus Tomo IV. Operum editionis Venetæ in Diſſertatione *De S. Leonis Noni Actis*, purificanda mulier cum multo ſociarum comitatu procedit ad Eccleſiam, & ſingulæ geſtant, ac offerunt candelam. Porro quod hæc mulierum purificatio ad exemplum Purificationis Deiparæ Virginis inſtituta ſit, uti inter alios notat Durandus Lib. VII. *Rationalis*, Cap. VII. ſicut in ipſo Purificationis Feſto ſolent ex antiquo ritu Fideles, ut ſuo loco dicemus, cereos accenſos in manibus portare, ita quoque mulier purificationem faciens, candelam accenſam manu tenet. Aſpergitur tunc autem Aqua benedicta, quia ſcilicet hujuſmodi Aqua in omnibus fere benedictionibus ex antiquo pariter ritu adhiberi ſoleat.

XIII. Aſperſa Aqua benedicta muliere ibidem genuflexa, ex præſcripto noſtri §. dicit Sacerdos. ℣. *Adjutorium noſtrum &c.* Antiphonam, *Hæc accipiet &c.* Pſalmum XXIII. *Domini eſt terra &c.* repetitaque Antiphona prædicta, *deinde porrigens ad manum mulieris extremam partem Stolæ, eam introducit in Eccleſiam, dicens.* Ingredere in Templum Dei &c. Variat & in hunc ritum Sacerdotale Romanum, in quo poſt Aquæ benedictæ aſperſionem mulieri ante portam Eccleſiæ factam, dicitur quidem a Sacerdote ℣. *Adjutorium &c.* Sed deinde ſequuntur variæ Antiphonæ, ac Pſalmi, nempe *Miſerere mei Deus &c. Domini eſt terra &c. Deus miſereatur noſtri &c.* Tum variæ preces, ac deinde duæ orationes, quarum prima eſt, *Deus qui per Moyſen famulum tuum Iſraeliticæ plebi mandaſti, ut mulier, quæ filium peperiſſet, ab ingreſſu Templi ſequeſtraretur; quæſumus, ut hanc famulam tuam N. ab omni inquinamento peccati mundare digneris; quatenus mente, & corpore mundata, ſinum Matris Sanctæ Eccleſiæ valeat penetrare, & tibi pro ſuis delictis acceptabile munus offerre. Per Dominum.* Oratio altera hæc eſt: *Omnipotens ſempiterne Deus, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, Deus Sabaoth, qui tuum Unigenitum una cum Matre ſua poſt quadraginta dierum ſpatium in Templo præſentaſti; benedicere digneris hanc famulam tuam N. quam ad Templum tuum tibi Domino Deo noſtro purificandi gratia præſentamus; & concede propitius, ut ſicut eam per noſtrum officium in Templum iſtud introducimus, ſic poſt finem vitæ præſentis Templum cæleſte mereatur introire. Per eumdem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui venturus eſt judicare vivos, & mortuos, & ſæculum per ignem.* ℟. *Amen.*

XIV. Abſolutis duabus hiſce Orationibus, *tunc mulier*, ait prædictum Sacerdotale, *habens candelam accenſam in manibus, accipit a Sacerdote caput Stolæ, & Eccleſiam ingreditur, dicente Sacerdote: Famula Dei N. ingredere in Templum Dei, adora Filium Beatæ Virginis, qui tibi tribuit fœcunditatem prolis.* Ex hac formula, ſicuti & ex precibus a Sacerdote recitandis, maniſeſte apparet quod alias non ſemel in hoc Commentario notavimus, hanc mulierum purificationem poſt partum ad exemplum Purificationis Deiparæ Virginis fuiſſe inſtitutam. Atque hinc eſt, quod Paſtorale Mechlinenſe etiam monet, quod, ſi Miſſa celebretur, *aptiſſime huic laudis Officio congruat Miſſa de Purificatione Beatæ Mariæ*, quæ incipit: *Suſcepimus*. Conſueviſſe Miſſam dici in benedictione hujuſmodi, docent nos antiqua Ritualia Catalaunenſe & Lemovicenſe, itemque Sacerdotale Romanum citato loco, ubi edicitur, ut *deinde Sacerdos* (poſt recitatam ſcilicet eam formulam, *Famula Dei N. ingredere &c.*) *celebret Miſſam, ſi hora eſt conveniens, & ipſa aliquid offerat Sacerdoti*. Longe ante ipſa Ritualia conſueviſſe dici Miſſam in ipſa Puerperarum benedictione, patet ex citato ſuperius loco Matthæi Weſtmonaſterienſis, & ex Innocentio Papa III. Lib. I. Epiſtola, quæ inter Antipolitanum Epiſcopum, & Lerinenſem Abbatem circa Graſſenſem S. Honorati Eccleſiam pacta firmat, ubi inter alia ſtatutum fuit, ut *Monachi in purificatione parientium Miſſas non cantent, nec orationes exolvant*. Quod quidem ſatis & illud demonſtrat, ſolitos fuiſſe olim Monachos, & quidem ante Innocentium III. ideſt ante Sæculum Chriſti XII. quo ille claruit, benedictionem mulieri poſt partum largiri.

XV. Neque vero prætereunda ſilentio eſt, clauſula illa, quæ in citato Sacerdotali Romano legitur, ubi edicitur, ut in Miſſa, quam Sacerdos in puerperæ benedictione celebrat, *ipſa aliquid offerat Sacerdoti*. Nullum prorſus de hac oblatione in noſtro Romano Rituali, & recte admodum, ne anſa deinde, ut ſæpe contigit, daretur Sacerdotibus aliquid exigendi. Verum non dubito, quin laudanda ſummopere ſit eorum locorum conſuetudo, in quibus mulieres ditiores poſt ſuſceptam benedictionem ſponte aliquid darent, ut & in ipſa oblatione imitarentur Chriſti parentes, de quibus ita legitur in Evangelio Feſti Purificationis Deiparæ, Lucæ Cap. II. *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ ſecundum Legem Moyſi, tulerunt Jeſum in Hieruſalem, ut ſiſterent eum Domino, ſicut ſcriptum eſt in Lege Domini. Quia omne maſculinum adaperiens vulvam, Sanctum Domino vocabitur, & ut darent Hoſtiam ſecundum quod dictum eſt in Lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.* Porro non poſſe Parochos eam ſibi uſurpare oblationem, quæ occaſione benedictionis prædictæ a mulieribus puerperis ſit Eccleſiis Regularibus, ſed eam ad ipſos Regulares pertinere, deciſum refert Leander a Sacra Cardinalium Congregatione, ut ſupra notavimus. Et nequid hic omittamus, quod inopes mulieres ſpectat, ſi poſt partum vellent & ipſæ ad Eccleſiam accedere, & benedici, deceret quammaxime, ut ipſe, qui præeſt Eccleſiæ, cereum, quem accenſum habere illa manu debet, libenter præſtaret, ut factum non ſemel vidi in noſtra S. Hieronymi Charitatis Eccleſia.

XVI. Ad orationem quod attinet in fine §. I. deſcriptam, quæ incipit, *Omnipotens ſempiterne Deus, qui per Beatæ Virginis partum &c.* vix illa invenitur in antiquis Ritualibus, quinimo diverſa ab illis eſt, quas ſupra deſcripſimus, ex Romano Sacerdotali. In Ritualibus Catalaunenſi, & Lemovicenſi, in quibus, mulieribus poſt partum purificandis panis benedictus ad manducandum tradebatur, hæc extat ad benedicendum ipſum panem oratio: *Benedic Domine hanc creaturam panis, qui benedixiſti quinque panes in Deſerto, ut manducans eum purgata a vitiis, ſalutem conſequatur mentis, & corporis. In Nomine Patris ✠ & Filii, & Spiri-*

Digitized by Google

ritus Sancti. *Amen*. Peracta hac Benedictione, mandant mox citata Ritualia, *ut ſic benedictus panis, & Aqua benedicta conſperſus, tradatur mulieri comedendus; deinde, ſi ſit conſuetudo, Stola ſuper caput poſita*, mulieris ſcilicet, *dicit Evangelium*, In principio; *& poſt datur ei Stola ad oſculandum, & dicta mulier Aqua benedicta aſperſa recedit*. Atque hic eſt finis Benedictionis mulieris poſt partum ex prædictis Ritualibus. Ex Romano autem Sacerdotali hunc in modum cæremonia ipſa finitur; vult quippe, ut celebrata Miſſa, & facta Sacerdoti oblatione, uti ſupra dictum fuit, *dicat Sacerdos Evangelium Sancti Joannis, & Evangelium*, Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ &c. *poſtea dicat Orationem ſequentem*: Abſolve quæſumus Domine delicta famulæ tuæ N. & a peccatorum ſuorum nexibus, quæ pro ſua fragilitate contraxit, tua benignitate liberetur; *& orationem*: Deus, qui ſalutis æternæ &c. *vel*, Concede nos famulos tuos &c. Et Benedictio Dei Omnipotentis, Patris ✠, & Filii ✠, & Spiritus Sancti deſcendat ſuper te, & maneat ſemper. Amen.

XVII. Reliquum eſt, ut ad calcem hujus Commentarii, in quo potiſſimum de ritu Eccleſiæ Latinæ diſſeruimus circa puerperas purificandas, & iſtud notemus, Benedictionem poſt partum ei tantum mulieri concedi, quæ ex Matrimonio peperit, non autem illi, quæ ex fornicatione, & potiſſimum ex adulterio, aut damnato alias coitu parturiit. Ita plane docent communiter Doctores, ac ſtatutum etiam in Synodis, ac Ritualibus legi. Mirum autem videri poteſt, quod Stephanus Cantuarienſis Epiſcopus, teſte Matthæo Pariſio Decretum hocce ediderit, ut nimirum *concubinæ Sacerdotum, & Sacrorum Clericorum, ſi pepererint, non purificentur, niſi prius ſufficientem cautionem præſtiterint Archidiacono*. Sæculo XI. ac ſequenti generalis fere fuit incontinentia Clericorum, qui & in eum errorem inciderant, ut putarent, licite poſſe etiam Sacris Ordinibus initiatos ducere uxores, ac filios procreare. Quantum adlaborarint Romani Pontifices, eorumque Synodi, tum Generales, tum particulares, profligandæ hujuſmodi incontinentiæ peſti, jam ſatis oſtendimus Tomo III. Conciliorum in Commentariis ad Synodum Generalem I. Lateranenſem. Non ergo mirum, ſi ſacrorum hominum concubinæ, quæ cenſebantur uxores, poſt partum purificarentur, tum præſertim quod Parochi ipſi uxores etiam ducebant, juxta abuſum ejus ævi, contra quem acriter dimicarunt S. Gregorius Papa VII. & S. Petrus Damiani Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis.

XVIII. Sed hoc abuſu omiſſo, ut paulo fuſius de ritu Eccleſiæ Orientalis dicamus circa puerperarum purificationem faciendam in Eccleſia quadrageſimo a partu die, ſciendum plane primum, quod ex Græcis Scriptoribus tradidit eruditiſſimus Jacobus Goar in Notis ad Orationem pro muliere puerpera poſt quadraginta dies, num. 4. corporum munditiam tantam requiri a Græcis in Eccleſiis, ut a partu nondum purgatas mulieres ab illarum ingreſſu arceant; & menſtruis defluentibus inquinatæ, rubore contempto, conſcientia urgente, ſe ipſas hodie eliminent, panem pro oblatione pinſere detrectent, ſed & Sacra quævis tangere, Reliquiaſque deoſculari vereantur; illiſque ſatis eſt, juxta limina, foriſque ſub dio oculis tranſeuntium expoſitas ſtare: *Templum ingredi, vel Sanctorum ipſas eſſe participes, non decet*, inquit Græcus Balſamon apud laudatum Goar. Quod tamen negari non poteſt, quin etiam fuerit in uſu apud Latinos, non quidem quaſi ea Lege tenerentur, ſed ob ſolam decentiam, mulierem etiam profluvii ſordibus inquinatam a ſacris liminibus, & Sacramentis recipiendis arcebant. Quamvis enim Gregorius III. Summus Pontifex in Canonibus pœnitentialibus excerptis ex Patrum antiquorum dictis, & ſententiis, de quibuſcumque ad Græcorum rigorem (a Græcis enim oriundus, ab illis ad ritum Latinum deflexerat) ſancitum eſſe voluerit, in excerpto Cap. XXV. Tomo VI. Bibliothecæ Patrum, ut *mulieres menſtruo tempore in Eccleſiam non intrent; quod ſi præſumpſerint, tres hebdomadas pœniteant; nonnulli enim Patres ita definierunt*; poſt receptum tamen apud Latinos hujuſmodi uſum, auctoritate Patrum antiquorum fulcitum, idem ipſe ex Gregorii I. Lib. XII. Epiſtola ad interrigatum X. Auguſti, reſcribentis ſubinfert hanc mitiorem ſententiam: *Non tantum ejuſmodi feminam non debere vetari in Eccleſiam intrare, atque Sacris aſſiſtere, ſed ſanctæ communionis myſterium in iiſdem diebus percipere non debet prohiberi. Si autem ex veneratione magna percipere non præſumit, laudanda eſt, ſed ſi percipiat, non judicanda. Si mulier hora eadem, qua genuerit, actura gratias intret Eccleſiam, nullo peccati pondere gravatur. Voluptas enim carnis, non dolor in culpa eſt. In carnis autem commixtione voluptas eſt, ſed non in prolis prolatione gemit. Unde & ipſi primæ omnium matri dicitur:* In doloribus paries. *Si ergo enixam mulierem intrare Eccleſiam prohibemus, ipſam ei pœnam in culpam deputamus.*

XIX. Hæc Gregorius III. ex S. Gregorio I. in reſponſione ad interrogationem X. Auguſtini Cantuarienſis in Anglia Epiſcopi, quæ legitur in citato Libro XII. ejus Epiſtolarum, ubi ſic etiam ad rem inter alia inquit: *Mulier dum ex conſuetudine menſtrua patitur, prohiberi Eccleſiam intrare non debet, quia ei naturæ ſuperfluitas in culpam non valet imputari; & per hoc quod invita patitur, juſtum non eſt, ut ingreſſu Eccleſiæ privetur. Novimus namque, quod mulier, quæ ſanguinis fluxum patiebatur, poſt tergum Domini veniens, veſtimenti ejus fimbriam tetigit, atque ſtatim ab ea ſua infirmitas receſſit. Si ergo in fluxu ſanguinis poſita laudabiliter potuit Domini veſtimentum tangere, cur quæ menſtruum ſanguinis patitur, ei non liceat Domini Eccleſiam intraret?* Addit & alia Gregorius, quibus magis, magiſque oſtendit, nulla teneri lege Chriſtianas puerperas ab ingreſſu Eccleſiæ abſtinere quadraginta diebus, eiſque elapſis poſt partum purificari, tametſi hujuſmodi purificationis diſciplinæ, vel etiam noſtro hoc tempore tenaciſſimi Græci ſint.

XX. Ritum Græcorum in ea purificatione fere omnem egregie exponit Symeon Archiepiſcopus Theſſalonicenſis, cujus locum cenſui & hoc loco deſcribere: *Quadrageſimo die rurſus in Templum a matre puer adducitur, illumque velut donum offert Deo. Stans namque Sacerdos præ Templi foribus (neque enim orationem nondum facta, fas eſt inducere) matremque cum fœtu Cruce ſignans, precibuſque illos expians, ma-*

matri quidem Quadrageſimum dierum, in qua fœtus in ipſa perfectus fuit, & exilire incœpit, adimplenti, a voluptuoſa, & immunda nativitate purgationem largitur, & in Templum permittit ingreſſum, cum illac uſque neque aditus, neque mundiſſimi myſterii participatione digna fuerit; puerum autem in manus ſuſcipiens, Symeonem puerum Dominum ulnis complectentem repræſentat, &, Nunc dimittis ſecvum tuum, Domine, *decantans, puerum a peccato ſolvi, & Chriſtum lucem aſpicere rogat. Et, ſi quidem puer baptizatus fuerit, ad ſanctam uſque Altare inducit, & in circuitu quaſi adorantem, & donum Deo oblatum, Factoremque ſuum ſummo cultu venerantem deportat; ſin minus fuerit Baptiſmo luſtratus, ad cancellos uſque defert infantem adorationis cultum demiſſum, matrique tandem reſtituit, & demiſſionem facit. Exinde Catechumenis annumeratur puer; expurgataque mater Templum ingrediendi, & myſteriis participandi licentiam accipit.* Hactenus Symeon Theſſalonicenſis citum ſuæ Orientalis Eccleſiæ explanans, laudandamque ſummopere putarem hanc Chriſtianocum omnium conſuetudinem, ut muliec pactu accubitu exiliens prolem ipſa Deo præſentatura pcopciis manibus ad Eccleſiam deferret. Atque huc facit, quod ſtatuit S. Cacolus in Concilio Provinciali Mediolanenſi IV. Conſtitutionum Pacte II. Capite inſccipto, *Quæ pertinent ad Sacramentum Baptiſmi*, ubi hæc habet; *Quod pii inſtituti, ſanctæque conſuetudinis eſt, id ad uſum ubique reſtitui, introducive, nos in Domino cupientes, monemus, a Parocho, ubi primum Parochiæ ſuæ pueri in Eccleſiam introducuntur, illis pia precatione, benedici, ad Sacerdotalis, Ritualiſve Libri præſcriptum*. Statimque mox ſubjicit, quod, *hoc ut diligentius præſtet aliquando, prout uſuvenerit, Parochialis ſuæ Eccleſiæ Fideles inſtituti hujus, & conſuetudinis admoneat*.

XXI. Sed ut de citu Græcorum loqui pergamus, extant in eorum Euchologio variæ Orationes in mulierem puerpecam, ac tres primum recenſentur in puerperam die nati ejus pueri primo. Quam quidem cæcemoniam antiquiorem eſſe Symeonis Theſſalonicenſis tempore, pecſpicue demonſtrat idem Auctor in Libro *De Sacramentis*, ubi propoſita ſibi Quæſtione, *Quare in pueri nativitate a Sacerdote ſit Oratio?* hoc reſponſo Quæſtionem reſolvit; *Quandoquidem enim carne nati, ad ſpiritus regenerationem hac via deduci nos convenit; Eccleſia Chriſti, ut immaculata, & in Chriſto ſanctificata, inter Deo devotos peccatricem noſtram, & ex carne generationem ſtatim emundare aggreditur; & a matre devota fœtu edito, advenit Sacerdos, Deoque laudem agit, quia natus eſt homo in mundo; ſignoque Crucis puerum benedicit, & vivum permanere, & Baptiſmum, Chriſmaque recipere poſtulat, & matri, quæ ad ſalutem conducunt, precatur, Tum illi, aliiſque cum ea mulieribus gratiæ, ſanctificationiſque donum impertit, & licentiam propria ſibi opera ſemper exequi concedit, nuſquamque impediri ab illis aggrediendis, aut immundas ſe putare, aut anxias eſſe propter invidi inimici dubia ſibi in mente præſentata, eo quod peccati, & voluptatis partui miniſtraverunt.* Uſitatum fuiſſe aliquando, & apud Latinos hunc mocem, ut puecpeca a Parocho domi benedicecetuc, conſtat ex Concilio Provinciali III. Mediolanenſi, Capite inſcripto, *Quæ ad Sacramentalia, & Sacramenta generatim pertinent*, ubi S. Carolus morem illum ſuſtulit.

XXII. Extat pcæterea in eodem Euchologio *Oratio in mulierem puerperam poſt viginti, vel quindecim dies*; ac tandem *Oratio in mulierem puerperam poſt quadraginta dies*, cujus integrum citum lubet hoc loco ex prædicto Euchologio ceſerre, multa enim continet, quæ præſentem materiam quammaxime exocnant. Sic ecgo habet; *Quadrageſimo vero die Templo rurſum præſentatur puer, ut Eccleſiæ aggregetur, ideſt, ut ad Eccleſiam induci principium ſumat; a matre vero jam plene mundata, lotaque adſtante, etiam qui ſuſceptoris munus in Baptiſmate obiturus eſt, offertur. Sacerdos vero benedictione præmiſſa, dicit:* Ter Sanctus. Sanctiſſima Tcinitas, *cum*, Pater noſter. Quia tuum eſt. *Deinde Dimiſſorium, aut quod eo die occurrit, aut quod Sancti eundem in diem incidentis proprium eſt:* Glocia. *Et nunc.* Precibus, Domine, Sanctorum omnium. *Et matre cum puero caput inclinante, Crucis ſuper eum ſignum facit Sacerdos, & manu caput ejus tangens, dicit Orationem.* Dominum pcecemur, Domine Deus Omnipotens, Patec Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui natucam omnem rationalem, & rationis expertem vecbo tuo condidiſti, qui cuncta ex non entibus ad eſſe adduxiſti: te cogamus, & te pcecamuc, ſamulam tuam hanc N. quam tuo beneplacito ſervaſti, ad tuam Eccleſiam nunc accedentem ab omni peccato, & ab omni ſocde perpurga, ut abſque offenſa Sanctorum myſteciorum particeps fieri mereatur (*ſciendum, huc uſque tantum Orationem legi, ſi non ſit in vivis infans, deinde clara voce.*) Quia bonus, & miſericors Deus. Pueco etiam ex eo nato benedic, fac illum creſcere, ſanctifica, inſtrue, prudentem redde, bonis mocibus imbue; quia tu illum in mundum eduxiſti, & ut tempore præſtituto ſpiritualis luminis compos fiat, lucem ei ſenſibilem demonſtraſti, utque ſancto tuo gcegi annumecetuc, pec Unigenitum Filium tuum, cum quo benedictus es, cum ſanctiſſimo, & bono, & vivifico tuo ſpiritu, nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculocum. Amen. Pax omnibus. Capita veſtca Domino inclinate.

XXIII. Sequitur mox Oratio, quæ inſccibituc, *In pueri matrem Oratio*, eſtque hujuſmodi: *Domine Deus noſter, qui adveniſti in ſalutem generis humani, adveni & ſuper ancillam hanc tuam N. & per venerandi Presbyterii preces, da ad Eccleſiam tuam ſanctam Catholicam, & ingreſſum Templi gloriæ tuæ illam confugere concede; & honorandi Corporis, & Sanguinis Chriſti tui participem fieri dignare; ſordes corporis ejus, & maculas animæ ablue in quadraginta dierum numero, ut digna, quæ in Templum ſanctum tuum ingrediatur, effecta, ſanctiſſimum Nomen tuum nobiſcum glorificet, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.* Huic Orationi accedit alia in puerum Oratio, cui Sacerdos Crucem imprimens, rurſus bene precatur, ſic inquiens; *Dominum precemur. Domine Deus noſter, qui in quadraginta dierum termino, ceu puer ad Legale Templum a Maria nuptialis amplexus aperte, & ſanctiſſima tua Matre adductus, & in juſti Symeonis ulnis deporta-*

ta-

tatus es: ipſe Omnipotens Domine huic quoque puero, ut coram te omnium factore præſentaretur, delato benedic; in omne bonum, & ſibi placitum opus, ab eo fugata cuncta poteſtate adverſa, per conſignationem figuræ ſanctæ Crucis illum creſcere jube; tu enim es infantium cuſtos, Domine, ut ſancti Baptiſmatis accepto dono, partis Electorum Regni tui conſors fiat, nobiſcum cuſtoditus gratia ſanctæ, & conſubſtantialis, & individuæ Trinitatis. Tibi namque convenit omnis gloria, gratiarum actio, & adoratio, cum principii experte tuo Patre, & cum Sanctiſſimo, & bono, & vivifico tuo Spiritu, nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

XXIV. Recitata hac Oratione, dicit Sacerdos, *Pax omnibus. Capita veſtra Domino inclinate.* Tum vero mox ita precatur: *O Deus, & Pater Omnipotens, qui per grandiloquum inter Prophetas Eſaiam prænunciaſti nobis incarnationem Unigeniti Filii tui, & Dei noſtri, qui ultimis temporibus tuo beneplacito, & Spiritus Sancti ope, propter mortalium ſalutem, immenſa clementia, ex ipſa infans ſuſcepit fieri, & juxta conſuetum ſanctæ tuæ Legis morem, completis purificationis diebus, ipſe verus Legiſlator in Templo præſentari ſuſtinuit, & in juſti Symeonis ulnis deferri permiſit, cujus myſterii typum, in Propheta præfato per carbonis forcipem, manifeſtatum agnovimus, cujus normam nos quoque Fideles in Gratiæ Lege aſſervamus: ipſe nunc puerorum cuſtos, Domine, puero huic, parentibus, & Suſceptoribus ejus benedic, & tempore congruo, per Aquam, & Spiritus regenerationem, tuo ſancto rationalium ovium Nomen Chriſti tui invocantium gregi illum annumerari dignare. Quia tu in excelſis habitas, & humilia reſpicis, & tibi gloriam referimus, Patri, & Filio, & Sancto Spiritui, nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.*

XXV. Hac demum Oratione finita, ut ait Euchologium loco citato, *Sacerdos, accepto puero ante fores Templi, cum eo Crucem efformat, dicens*: Eccleſiam ingreditur Servus Dei N. in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, nunc, & ſemper &c. *In Templum deinde inducit, dicens*: Introibit in Domum tuam; adorabit ad Templum ſanctum tuum. *Et in medium uſque Templi intrat, dicens*: Eccleſiæ ſit conſors Servus Dei N. &c. *Poſt hæc ait*: In medio Eccleſiæ laudabo te. *Tum infert uſque ad Altaris portas, dicens*: In Eccleſia recipitur ſervus Dei N. *Et ad ſanctum uſque Altare inducit, ſi fuerit maſculus; ſi vero femina, ad uſque ſpecioſas portas, dicens*: Nunc dimittis. *Quibus expletis, dimittit eum ad Altaris portas. Suſcipitur triplici adoratione præmiſſa, & elevat eum, & diſcedit. Sacerdos dimiſſionem, ut moris eſt, abſolvit.* Porro Euchologium Barberinum num. 88. apud Jacobum Goar in variis Lectionibus ritus hucuſque enarrati, *Suſceptor*, inquit, *accendit cereos, & extra Eccleſiam cum puero ſtat.* Et paulo poſt: *Tum Sacerdos cereos aſſumens, & puerum ingreditur ad Altare, & inclinans puerum verſus ſanctam Menſam, ut adoret, dicit*: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies: *Poſtquam vero circumierit Altare, Sacerdos egreditur, & puerum in terra deponit, & tollit eum Suſceptor cum cereis.*

XXVI. Hæc plane ſunt, quæ Euchologium præſcribit in Oratione, quæ inſcribitur in mulierem puerperam poſt quadraginta dies, memoratuque hic digna eſt alia Oratio in mulierem cum abortitur, ſive pro muliere abortivum patiente, in quam videri etiam poſſunt eruditiſſimi Jacobi Goar Notæ. Sed his omiſſis, optandum plane eſſet, ut ſiqua puerpera poſt partum juxta piam, atque laudabilem conſuetudinem ad Eccleſiam ire voluerit, pro incolumitate ſua Deo gratias actura, & benedictione donari deſideret, prolem etiam ſecum ferret, exemplo Deiparæ Virginis, & Sponſi ejus S. Joſeph, qui, uti legitur in Evangelio Lucæ, Cap. II. *Tulerunt Jeſum in Jeruſalem, ut ſiſterent eum Domino.* Porro extat in Romano Sacerdotali anno MDLXVII. Venetiis impreſſo, ac in aliis antiquis Ritualibus Caput inſcriptum, *De benedictione puerorum a parentibus ad Eccleſiam adductorum*, ut nempe a Sacerdotibus benedicantur. Quem quidem ritum inter alios S. Carolus inſtaurandum ſtatuit in Concilio Provinciali Mediolanenſi IV. cujus verba nos ſupra num. XX. attulimus. Cæterum licet ea, quæ hucuſque in his Commentariis diximus, Patrum, Canonum, Ritualium veterum, aliorumque inſignium teſtimoniorum auctoritate aſſeruerimus, cuncta nihilominus, ſicut & reliqua Opera noſtra, quæ ſcripſimus, ac deinceps, Deo dante, ſcribemus, Romanæ Apoſtolicæ Sedis judicio ſubjicimus.

FINIS TOMI I.

Soli Deo honor, & gloria.